THESAURUS
RERUM SUEVICARUM

SEU

DISSERTATIONUM
SELECTARUM

VOLUMEN PRIMUM

DE NATALIBUS, MIGRATIONIBUS,
BELLIS AC FATIS
VETUSTISSIMÆ
GENTIS SUEVICÆ

CUM PRÆFATIONE ET BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM RERUM SUEVICARUM



CURA ET STUDIO

JO. REINHARDI WEGELINI
COS. ET SYNDICI PRIMARII
IN LIB. S. R. I. CIVITATE LINDAV.



TYPIS STOFFEL. ET IMPENSIS OTTON.
LINDAUGIÆ M.DCC.LVI.





SUevicam Gentem inter Germaniæ populos non solum vetustissimam sed & celeberrimam fuisse, omnesque reliquos & fide & animi magnitudine, bellica quoque virtute, imo & hominum multitudine longe superasse, ab omnibus fere, quotquot prostant, Historicis iisque antiquissimis traditur. Ita namque Plutarchus in vita Cæsaris: *Suevorum*, inquit, *primus inter Germanos locus.* Ab ipso autem Cæsare L. IV. C. I. de bello Gallic. dicitur *Gens longe maxima & bellicosissima Germanorum omnium.* Et juxta Strab. L. IV. Geograph. p. 194. *Potentia & hominum frequentia reliquos antecellens*; Quam Florus quoque L. IV. C. XII. §. 23. *validissimam nationum*, & Orof. L. VI. c. 9. *maximam*, vocat, *ferocissimam validissimamque.* Quin tanta virtutis gloria olim claruisse perhibentur

Suevi, ut eodem Cæſare teſte d. l. Cap. VII. fuerint, qui ſibi haberent perſuaſum, *Suevis ne Deos quidem immortales pares eſſe poſſe, neminemque in terris eſſe, quem non ſuperare poſſint.*

Cui non ideo curæ cordique ſit, Gentis hujus Suevicæ, ex qua noſtrum ducimus ortum, ex ultima vetuſtate originem omnemque hiſtoriam tam antiquioris quam recentioris ævi, veluti providentiæ divinæ documenta ſingularia noſſe, atque huic hiſtoriæ magis ac magis adornandæ excolendæque operam navare ſuam? cum ad alias quoque tam cupide excurrere gentes, nec in Romanorum ſolum & Græcorum, ſed & aliarum, Teutonicarum maxime, Nationum antiquitates, demigrationes, mutationes, mores, res geſtas, ritus, ceremonias, inſtitutaque alia præclara tanto tamque ſolicito animo inquirere ſoleamus. Quam in rem unius *Conringii* ex Juſti Chriſtoph. Ditmari ad Taciti Librum de ſitu, populis & moribus Germanorum Præfatione liceat in medium proferre verba:

„ Iſtud ſilentio nefas fuerit præterire, non poſſe rectius
„ nobis ingentem Dei erga nos gratiam atque miſericor-
„ diam innoteſcere, quam ſi antiquam illam Germaniæ
„ faciem cum hodierna conferamus. Inde enim diſci-
„ mus, omnem hanc elegantiam Chriſtianæ religionis
„ profeſſioni ferendam acceptam. Cum hac enim exu-
„ tam feritatem, ablutas ſordes, correctam ruditatem,
„ moderatam licentiam eſſe; ipſam terram olim infor-
„ mem, ſylvis horridam, paludibus fœdam, cœlo aſpe-

„ ram,

„ ram, triſtem vultu aſpectuque, nunc Chriſtianiſmi „ interventu ſplendore urbium formoſiſſimarum, nemo- „ ribus amœnam, paludibus mundam, cœlo mollem, „ aſpectu longe jucundiſſimam redditam.

Quod vero de Germania magna generatim dicendum eſt, id cur non ſpeciatim quoque ad Patriam noſtram Sueviam pertinere jure poſſit adſeri?

Conſtat inter omnes, quanto ſtudio quantave cura ac induſtria poſt renatas in Germania litteras, divinumque artis Typographicæ beneficium acceptum, Viri cordati, de Hiſtoria maxime meriti, ad præſens usque tempus in id incubuerint, ut patrias antiquitates e tenebris & latebris eruerent, atque ita perficiendæ hiſtoriæ Germaniæ Jurisque Patrii cum publici tum privati natalibus perſcrutandis juſta ſubſidia pararent, quæ in certa corpora ſeu Collectiones redacta, vulgo Scriptores rerum Germanicarum audiunt, res ſcilicet & antiquitates Germaniæ tum in univerſum, tum ſingularum Provinciarum ſeorſum exponentes.

In illorum cenſum referri fas eſt Viros Celeberrimos, quantum quidem conſtat, Heruagium, Schardium, Pithœum, Reineccium, Piſtorium, Reuberum, Urſtiſium, Freherum, Lindenbrogium, Bœclerum, Kulpiſium, Schilterum, Meibomium, Heineccium, Leuckfeld. Leibniz. de Ludevvig, Eccardum, Schannat. Mencken. Pezium & reliquos.

 Horum

Horum vero numero, qui ſingularum Germaniæ Provinciarum ac Regionum Scriptores in lucem evocarunt, merito ſunt adſcribendi: Joannis de Rebus Moguntiacis. Ludevvig de rebus Bamberg. & Würzburg. Schannat. de Fuldenſibus & Wormat. Kœlerus de Francia Orientali. Pezius de Rebus Auſtriacis. A Sommersberg de rebus Sileſiacis. Hoffmann de rebus Luſaticis. Freherus de rebus Bohemicis &c. Ne nihil dicamus de iis Collectionibus, quæ minorum pagellarum forma prodiere, & quibus merito ſunt accenſendi: Leibnizius, Paullini, Duellius, Moſerus, Schannat, Pirckheimer, Ant. Matthæus, Jo. Peter a Ludevvig, Hahnius, Joannis, de Gudenus, Piſtorius, L. B. de Senckenberg, Caniſius, d' Achery, Mabillonius, Baluzius, Martene, Durandus & alii.

Ad res vero Suevicas quod attinet, diverſæ quidem diverſique argumenti paſſim ac diſperſim ſunt inſertæ Commentationes ac Libelli antememoratis Collectionibus, quæ in Bibliotheca, huic Volumini præmiſſa, ſuo loco & ordine ſpeciatim recenſentur. Sed Nobilis ille ex gente Helvetiorum *Melchior Goldaſtus ab Haiminsfeld,* cui tot egregia monimenta debet Patria noſtra, unicus ac ſolus eſt, a quo rerum Suevicarum & Alemannicarum aliquot Scriptores vetuſtiores junctim in lucem ſunt prolati, qui communibus Patriæ rebus plenius cognoſcendis vel maxime inſerviunt, & antiquitates resque varias tam civiles quam Eccleſiaſticas, imprimis ſub Imperio Francorum geſtas, admodum illuſtrant.

Nec

PRÆFATIO

Nec mirabitur certe, quod tanta sit penuria vetustiorum Sueviæ & Alemanniæ Scriptorum, si quis priorum temporum ruditatem imperitiamque & negligentiam in consignandis rebus memorabilibus vel modice perpenderit. Veteres enim SUEVI æque ac alii Germaniæ populi, *dum gloriam suam factis potius quam dictis prodere malebant* (ut verba sunt, quibus jam olim usus est Conradus Salicus in Conventu Procerum, apud Wipponem in vita ipsius) Natales suos, fata ac gesta illustria literis tradere, memoriæque prodere parum curabant; cumque ita de monimentis fastis & Commentariis rerum suarum scribendis non admodum essent solliciti, unicum Annalium genus penes ipsos carmina erant & rythmi, quibus Bardi sui laudes & virtutes majorum ac fortia illustrium Virorum facta cum dulcibus Lyræ modulis cantando, in congressu prœliorum & festivis Conventibus celebrabant, quos autem invida ætas, rerum omnium edax, plane consumsit, longaque oblivione sepelivit. Neque etiam ex mediæ ætatis Scriptoribus, qui gesta Germanorum literis consignare cœperunt, multum subsidii habemus, ex quibus Suevicarum Gentium origines, migrationes, progressus, fata & facta secutorum quoque temporum illustrari possent, quin potius Monachi & Ascetæ illi, penes quos solos olim peritia Literarum residebat, pauca quæ forsan adhuc supererant veritatis vestigia, novis plane figmentis & fabulis obfuscarunt; contenti promiscue omnia ac nullo habito discrimine, ut quæque ad aures eorum pervenerant, in chartas retulisse.

tuliſſe. Annales quippe illorum frigidas plerumque incompoſitas & jejunas narrationes, rudemque & indigeſtam nullo nec ordine nec nexu cohærentem rerum geſtarum ſcriptionem, prodigia inſuper, oſtenta & conficta miracula, aniles quoque fabulas, & quæcunque ſuperſtitioſa credulitas maxime admirari ſolet, continent.

Superſunt tamen Virorum noſtris temporibus Celeberrimorum Commentationes varii argumenti, quæ ſub paucarum pagellarum forma, diſperſim & ſeparatim prodiere, res Suevicas non ex Græcis ſolum & Latinis ſeu Romanis, quibus unice debemus, quicquid de natalibus Gentis Suevicæ ejusdemque antiquitatibus ſcimus, ſed ex Scriptoribus etiam indigenis & domeſticis, qualescunque ſint, vetuſtioris vel medii ævii illuſtrantes. De his ſcriptis ſingularibus vel maxime diſperſis vel etiam aliis iisque ſumtuoſiſſimis Operibus intermixtis, quæ vix ac ne vix quidem ex loculis ſuis, ut pluriuum incognitis, eruere licebit, adeoque perraris, ut eodem fere pretio cum manu exaratis Codicibus æſtimari merentur, non ſine cauſa monet *Jo. Georg. Eccard.* P. P. Helmſtad. in Epiſtola ad Ill. Virum Burcard. Gotthelf. Struvium anno 1705. ſcripta: *Non eſſe contemnendas breves narrationes, pauciorum pagellarum Libellos, cito alias perituros, aliasque Diſſertationes Academicas, grandioribus ſape libris quoad argumentum & ſtudium elaborationis pretioſiores*; teſte Budero in Bibl. Script. Rer. Germ. Struviano Corpori Hiſt. Germ. præmiſſa.

Unde

Unde diu equidem dubitavit Vir amplissimus, cujus in fronte hujus Voluminis extat Nomen, ex aliis jam Lucubrationibus Historiam Patriæ & vel maxime Diplomaticam illustrantibus, haud sane incognitus, an operæ pretium foret, si Commentationes vel Dissertationes quasdam minores & selectas, per multa annorum intervalla collectas, cum indagatoribus rerum & antiquitatum Suevicarum curiosis communicaret. Egit tamen, ac publicæ etiam rei salutare futurum ratus, in manus nostras dedit Centuriam ejusmodi Dissertationum & Libellorum politissimorum, qui separatim & sparsim, sub variis quoque diversisque titulis typis antehac impressi, maximam vero partem pro deperditis habiti, ideoque valde expetiti, jam eo fine & scopo duobus vel tribus voluminibus conjuncti apparebunt, ut habeantur uno fasciculo, ordinis argumentique ratione, quantum id fieri licuit, habita, qualiacunque hæc opuscula, quæ antehac non sine tædio & sumtibus majoribus, imo sæpius frustra prorsus quæsita fuere.

Quod reliquum est, non parum studii & laboris impendere *M. Georg. Conradus Pregizerus*, Ecclesiæ Tub. Diaconus, & Perill. Dn. *Jo. Jac. Moser. a Filseck* in recensendis Scriptoribus rerum Suevicarum; ille quidem in Bibliotheca Suevo-Würtembergica, ordine Alphabetico adornata, & Parentis sui Jo. Ulrici Pregizeri Sueviæ & Würtembergiæ sacræ inserta; Hic vero in Bibliotheca Scriptorum de rebus Suevicis, quam Martini Crusii An-

nalibus Suevicis in vernaculam translatis ſubjunxit: Et qui eos anteceſſit *Jo. Chriſtian. Neu*, Hiſt. Eloq. & Poeſeos P. P. Tubing. in Acceſſionibus & Mantiſſa ad Degorei Wheari Relectiones hyemales, ubi ejusmodi Scriptorum plures quoque, imo plurimos annotavit. Sed tantum abeſt, ut recenſiones iſtæ omnibus ſuis numeris & partibus ſint abſolutæ, utpote quæ maximam fere partem non tam res Suevicas ex ultimo, medio & recentiori ævo, quam potius vitas & imagines illuſtrium aliarumque perſonarum ſingularium, laude vel virtutis vel eruditionis & famæ alias egregie conſpicuarum complectuntur, ut medendi potius huic defectui, quantum id fieri potuit, periculum factum ſit in auctiori & emendatiori Bibliotheca ſeu Recenſione Scriptorum de Rebus Suevicis tam communibus quam ſingulorum Statuum peculiaribus, Volumini priori præmiſſa. Atque his jam pro ratione inſtituti breviter expoſitis, ut benevoli Lectoris & æqui rerum Patriarum ſcrutatoris commodo & deliciis omnia cedant, vota nuncupantur ſinceriſſima. Lindaugiæ ad Lacum Acronianum Calend. May M.DCC.LVI.

BIBLIO-

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM RERUM SUEVICARUM
AUCTIOR ET EMENDATIOR
AD MEDIUM USQUE SECULI XVIII. PERDUCTA.

SECTIO PRIMA

DE

SUEVIA ANTIQUA
SEU
LIBERA.

SCRIPTORES GRÆCI ET ROMANI.

Dolendum ſane, complures Scriptores, & vel maxime Latinos de rebus Germanorum antiquiſſimis (quos inter Suevi & Alemanni, Rhæti & Vindelici, aliique populi finitimi ex Suevis oriundi, maximam tenebant partem) cum Romanis geſtis, injuria temporum ac negligentia hominum eſſe deperditos. Hiſce præprimis annumerandi ſunt ASINIUS QUADRATUS de Terra Germaniæ, teſtibus Strabone & Agathia Hiſtoriar. SYLLA, Q. CATULUS & ARCHIAS POETA de Bello Cymbrico. CATO de Germania. TITI LIVII Liber Hiſtoriar. centeſimus quartus. C. PLINII SENIORIS Lib. XX. de bellis Germaniæ. BASSI AUFIDII Libri belli Germanici. Ut reliquos taceam, de quibus conſulendus eſt Fr. Irenicus Germaniæ Exegeſeos Vol. I. Cap. I.

Inter eos autem Scriptores Romanos vel Latinos, qui hodienum extant, & res noſtras Suevicas aliquam partem attingunt, primum locum tenet, qui cum Germanis vel Suevis ipſis manus conſeruit, C. JULIUS CÆSAR in Commentariorum de bello Gallico Libris VII. quorum editiones multivarias recenſet Fabricius Bibliothecæ Latinæ L. I. C. X.

POMPONIUS MELA, cujus Cosmographiæ ſive de ſitu Orbis Libri III. res quoque noſtras paſſim tangunt, quoniam ſua & Cæſaris ætate Germania jam curatius innoteſcere cœperat. Fabric. ibid. L. II. C. VIII.

C. PLINIUS SECUNDUS sub Tiberio natus, in Chorographia Germaniæ, Thesauro Historiæ Naturalis ejusque L. IV. inserta.

STRABO AMASENUS, qui Augusti & Tiberii ætate floruit, Rer. Geographic. Libris XVII. de quo Ægidius Tschudus in Epistola ad Beatum Rhenanum in Philologicis Goldasti sententiam fert: *Strabo diligentius conscripsit Alpes, Alpinas gentes, Rheni ortum, Lacum Podamicum, Helvetiorum, Rhætorum, Vindelicorum atque aliorum populorum regiones, quam ullus fecerit Latinus Auctor, diligentissime singulorum populorum loca & situs commonstrans, non quod sua persona has regiones omnes lustravit, sed Germani quidam & Galli hæc omnia sibi suppeditaverunt, aut certe ingeniosi quidam milites, qui bellorum occasione omnes istas lustrarunt regiones. Vide quæso, quam oscitanter Cæsar describat ortum Rheni, & cursum ejus negligens, & Rhætos, apud quos oritur, & Lacum Podamicum, quem efficit. Tacitus quoque & Ptolomæus nullam faciunt mentionem de hoc Lacu, & Mela obiter meminit nominis ejus. At Strabo diligenter eum describit, referens etiam, qui populi et regiones ad illum usque pertingant.* Varia de Strabone memoranda ejusque Editionibus annotavit Jo. Albertus Fabricius in Bibliotheca Græca L. IV. C. I.

C. CORNELIUS TACITUS optimam de vetustis Patriæ rebus, quantum a peregrino homine fieri potuit, notitiam conservavit in aureo *de situ, moribus & populis Germaniæ* Libello; de quo ejusque Commentatoribus vid. Christianus Thomasius, acerrimi Vir judicii, in Dissert. de hominibus propriis & Liberis Germanorum §. VI. Halæ 1701. edit. Et Christ. Gottlieb Buder. in Bibliotheca Script. rer. Germ. §. VI. Corpori Struv. Hist. Germ. præmissa, & in Bibl. Hist. Struv. T. I. C. 16. §. 6.

AMMIANUS MARCELLINUS non parum inservit Geographiæ Allemannicæ illustrandæ, cum vixerit eo tempore, quo Franci & Alemanni aliique populi Germanici plurimum negotii facessebant Romanis in Gallia, Rhætia & Vindelicia. De Editionibus variis vid. alleg. Fabric. L. III. c. 12. §. 11.

His sunt aggregandæ, advertente ita Nic. Gesnero in Epistola de Historicis Germaniæ, in Opusculis ipsius p. 473. breviores narrationes aut notationes de Suevis, cujusmodi sunt apud Jul. Cæs. L. I. Vellej. Patercul. Tacitum in Historia Augusti & præsertim L. XII. Lucanum L. I. Silium Italicum L. II. Claudianum pluribus in locis, Ammianum Marcellinum, Arrianum, Justinum, Sidonium, Jornandum, Flavium Vopiscum, Ausonium & alios similes; Strabonem etiam, Plinium, Ptolomæum & ejusdem quoque generis reliquos jam allegatos, qui de situ & moribus Germanorum scripserunt.

TABULA, quæ ita dici consuevit, PEUTINGERIANA, in operibus Velserianis a p. 705. usque 785. De cujus appellatione, ætate, auctore, usu, fatis ac pretio amplior notitia prostat in Historia vitæ atque meritorum Conradi Peutingeri publice disputata a M. JO. GEORG. LOTTER. Augustano, Lipsiæ 1729. & in Dissert. de ipsa Tabula hac Peuting. ab eodem habita ibid. 1732. In qua plurima fere loca, Civitates, Urbes, Oppida, Pagi, Mansiones & Stationes, Flumina item & Viæ publicæ ac militares sub finem Seculi IV. in Suevia, Vindelicia seu Rhætia prima & secunda sita notantur & illustrantur. Ipsam vero Tabulæ Geographicæ ac Itinerariæ autographum,

phum, quod plus vice simplici inspiciendi manibusque terendi occasio contigit Authori, postquam squalore obductum & in obscuri cujusdam anguli latebris reconditum ex ædibus Peutingerianis A. 1714. ab Ill. Dn. Wolffg. Jac. Sulzero Duumviro Augustano p. m. tenebris exemtum, iterata vice in lucem prodiit, a Bibliopola P. Kühzio redemtum, & salubri admodum pretio C. aureorum A. 1717. ab Eugenio Celsissimo Sabaudiæ Principe vindicatum, post ipsius fata suprema in Bibliotheca Cæs. ac Regia Viennæ in hunc usque diem servatur κειμήλιον hocce præstantissimum. Accuratissima vero est omnium illa editio, quam nuperrime exhibuit FR. CHRISTOPH. A SCHEYB IN GAUBIKOLHEIM Patricius Constantiensis, cum inscriptione: *Peutingeriana Tabula Itineraria, quæ in Augusta Bibliotheca Vindob. nunc servatur, accurate exscripta, Numini Majestatique Mariæ Theresiæ Reginæ Augustæ dicata, in forma majori cum XII. Tabulis Geographicis, æri nitidissime insculptis. Ex officina Trattner. Viennæ* 1753.

ITINERARIUM ANTONINI AUGUSTI apud eund. Velser. a p. 347. usque 357. id quod post Marcellinum vel conscriptum vel interpolatum videtur, & varia quoque loca antiqua, Romanis haud incognita, in Rhætia prima & Vindelicia, quæ sunt *Augusta Vindelic. Guntia, Cambodunum, Vemania, Viacum, Arbor felix, Vitodurum, Brigantia* &c. indicat. vid. *Nic. Bergierius* dans l' histoire des grands Chemins de l' Empire Romain. L. III. C. 6. §. 4. seqq. T. I. p. 335. seqq. Edit. Brux. 1727.

Romanæ vetustatis monumenta, Lapides & Inscriptiones in Suevia & Vindelicia debemus Viris de antiquitatibus Suevicis egregie meritis, CUNRADO PEUTINGERO & MARCO VELSERO Augustanis, quæ extant in nominati Velseri Commentario de rebus Augustanis, inter Opera ejus, Christoph. Arnoldi studio ultimum edita Norimberg. 1682. in fol.

Et quæ in terris Würtembergicis olim eruta fuere, in *Jo. Ulrici Pregizeri* Suevia & Würtembergia Sacra congesta sunt sub titulo **der alten Heydnischen Schrifften und Bilder** p. 211. usque 229.

SCRIPTORES GERMANI.

Qui res Sueviæ antiquæ ex Romanis, Græcis & domesticis, quæ extant, monumentis illustrant.

Inter hos primo loco referendi sunt veteres aliquot Scriptores rerum Suevic. a MELCHIORE HAIMINSFELDIO GOLDASTO, Nobili Helveto, editi Francof. 1604. in 4. & secunda vice Ulmæ 1727. in fol. in quibus Suevorum Origo, Migratio, Regna, Principes, Bella, Fœdera, Religiones, Civitates, Comitatus &c. summa quidem fide & industria, pro ævi illius tamen eruditione, memoriæ mandantur, una cum annotationibus de Auctoribus eorumque Scriptis; nominatim

Scriptor anonymus de Suevorum Origine.

Vellejus Gallus in fragmento de bello Augusti Cæsaris contra Suevos, seu de victoria Suevorum contra Romanos.

Isidori Hispalensis Episcopi Historia Suevorum.

Joannis Boemi Aubani Suevia.

Henrici Bebelii Justingensis Epitome Laudum Suevorum.

Felicis Fabri Monachi Ulmens. Historia Suevorum, quæ maximam hujus Collectionis partem faciunt.

PHILIPPUS CLUVERIUS, natione Porussus, qui omnia, quæ ad Germaniæ & Sueviæ priscæ rationes collustrandas facere possunt, multo labore comparavit, operique suo ingessit, quod *Germania Antiqua* inscriptum est, quo de Patriæ finibus, populorum ortu, migrationibus, cultu, habitu, moribus, religione, re publica & œconomica, & quæ ad notitiam Gentis conducere videntur, III. exposuit Libris, multoties editis ex officina Elzevir. Lugduni Batavorum & ultimum A. 1630. Quibus etiam singulari titulo accessere *Vindelicia* & *Noricum*.

Nec minorem Lucem accendunt rebus Suevicis elegantissimæ illæ Dissertationes JO. STRAUCHII ICti Jenens. *De Indigenatu Germanorum. De modis acquirendi priscorum Germanorum. De Armis Germanorum, eorumque ad Rempublicam usu.* Quæ prodiere cura Hermanni Conring. Helmstad. Anno 1635. 1652. 1679. & 1687.

WOLFFGANG. LAZII Viennensis Medici & Regis Rom. Ferdinandi Historici, de Gentium migrationibus, sedibus fixis, reliquiis linguarum, initiis & immutationibus ac dialectis, Libri XII. quibus Francorum, Alemannorum, Suevorum, Marcomannorum, Bojorum &c. Tribus, primordia & posteritas singulorum, quæque ex his insigniores Principum Comitumque ac Nobilitatis totius pene Germaniæ stirpes processerunt, diligenti examine historiæ traduntur atque explicantur. Basileæ typis Oporin. 1557. in fol. Singulariter autem integro Libro VIII. quo Suevorum Gentis migrationes, reliquiæ, Posteritas, Principes, Duces, Comites aliæque Familiæ Nobiles a p. 443. usque 618. deducuntur.

MARTINUS CHRISTOPH. LAURENTIUS in Originibus Doringicis sive Monumentis Suevorum in Doringia vulgo Thuringia. Naumburg. 1706. in 4. ejusque Cap. VI. de μετοικεσία sive transmigratione Suevorum in Saxoniam, incolis vacuam. A. C. 568.

JOHANNIS NAUCLERI alias Vergenhans / Rectoris olim & Cancellarii Universitatis Tubing. Memorabilium omnis ætatis & omnium Gentium Chronici Commentarii, cum *Historia de Suevorum Ortu, Institutis ac Imperio.* Tubingæ 1516. in fol.

CHRISTOPH. FRID. AYRMANNI Hist. & Philosoph. P. P. Giessens. Theses Historicæ, de Originibus Germanicis, & vel maxime Suevicis, sive temporibus Germaniæ priscis, obscuris maximam partem & fabulosis. Giessæ 1724. Respondente Jo. Georg. Münch.

De

De Natalibus Suevorum Disputatio JO. PETRI MILLERI A. M. Pro-Rectoris, Hist. & Græc. Ling. P. P. O. & Reip. Bibliothecarii, in Gymnasio, quod Ulmæ floret, habita Anno 1752.

JO. CHRISTOPH. ARTOPOEUS P. P. Argent. de Originibus & Incrementis vetustissimæ Gentis Suevicæ. 1692.

JO. GEORG. WACHTER. Professoris Regii & Societ. Scient. Berolin. Socii, *Origines Alamannicæ*. in 4.

JO. NIC. HERTIUS P. P. Giessens. de Alemannorum Populo, in Notitia veteris Germaniæ Populorum P. III. C. I.

JO. DANIEL SCHOEPFLIN. Hist. & Eloquent. P. P. Argent. *Alemannicæ Antiquitates* sive integra veterum Alemannorum usque ad extinctam eorundem Rempublicam fata. Quæ Anno 1722. per modum Disputationis, in anno subsequenti per modum Tractatus sub eod. titulo prodiere Argentorati.

JO. CASPAR. BRECHENMACH. Augustani Notitia Sueviæ antiquæ, ortum & progressum Suevorum ad tempora infelicis cum Francis ad Tolbiacum commissi prœlii exhibens. Dissertatio sub Præsidio B. G. Struvii Jenæ 1716. habita, & eodem adhuc anno eademque forma, præfixo quoque Authoris nomine Augustæ Vindelic. recusa, posteaque Anno 1730. Struviano Corpori Historiæ Germaniæ coronidis loco subnexa.

Laudatissimus Author describendam quidem integræ Gentis nostræ Suevicæ historiam animo sibi sumsit, in quatuor partes, quicquid est hujus tractationis, distinguendam; Quarum I. ageret de Suevia Libera, & qualis sui juris olim fuit ab origine sua ad tempora infausti cum Francis ad Tolbiacum commissi prœlii. II. de Suevia Francica ad mortem usque Ludovici Infantis & extinctionem stemmatis Carolingici in Germania. III. de Suevia sub Ducibus, quibus morem gessit a Conradi primi Germaniæ Regis temporibus ad Interregnum illud magnum, & interitum Familiæ Hohenstaufficæ. IV. de illa Periodo, qua in varios Status & Respublicas divisa fuit Suevia. Primam Partem dum Jenæ musis adhuc litaret, & quæ notatu digna sunt, de origine, nomine, moribus & institutis Suevorum, de statu Sacrorum, Civili ac militari, de variis eorum migrationibus, bellis ac fatis, magna quidem cura ac diligentia ad finem perduxit, morte autem in Patria præmatura correptus, reliquas quod dolendum, partes in schedis tineis ac blattis reliquit.

JO. ULRIC. PREGIZER. Consil. Würtemb. & P. P. Tubing. in Diss. I. sub encomio: Regna Gentesque in Europa principes ex Suevis. Et Diss. II. sub titulo: Gentium & Regnorum Europæ ex Suevis continuatio. Tubing. 1684.

ADRIAN. STEGER. Philosoph. & J. U. D. de Viis militaribus Romanorum in veteri Germania, per Rhætiam, Vindeliciam &c. Lipsiæ 1738. in 4.

CHRISTOPH. CELLARIUS de Claudii Drusi expeditionibus, maxime Germanicis in Rhætos, Vindelicos, Suevos &c. Halæ Magdeb. 1701.

JO. ULRIC. PREGIZERUS modo laudatus in Prolegominis ad Sueviam & Würtembergiam ſacram, *de triſtiſſimo Statu Religionis in Suevia ante Chriſtianismum ſub Gentiliſmo.*

JO. JACOBI MULLERI Oratio in Altorffina habita Anno 1699. *de Suevia profana olim Deorum Cultrice.*

M. GEORG. JAC. MELLIN. Lindav. Acronian. Diſſertatio *de Suevia Gentili.* Jena. 1695.

JO. GOTTLIEB BOEHME Exercitatio prior & poſterior. Lipſiæ 1748. *de Iſide Suevis olim culta,* ad locum Taciti de moribus Germanorum. Cap. IX.

FONTEN. Diſſertatio ſub Rubrica: *Diverſes Conjectures ſur le culte d' Iſis en Germanie.* Et *Diſcours ſur Iſis adorée chez les Sueves ſous la figure d' un navire.* In Commentariis Academiæ Regiæ Inſcriptionum & elegantiorum Litterarum. T. V. p. 63. & p. 48. Edit. Pariſ.

De Dea *Iſide* conf. quoque COLER. in Obſervat. ad Taciti Germaniam C. IX. Edit. Gronov. SCHEDIUS de Diis Germanorum. p. 226. & WACHTER. in Gloſſario Germanico voc. *Iſis.*

Beati Rhenani Seleſtadienſis Rerum Germanic. Libri III. quibus de Provinciis Romanis, quas a ſiniſtra Rheni fluminis & a dextra Danubii ripa poſſedebant, earumque ſtatu, & quemadmodum, collabente jam Imperio Occidentali, non a Francis modo, ſed & ab Alemannis ſeu Suevis &c. ſunt occupatæ, & proinde etiam de populorum iſtorum migrationibus prolixius egit. Edit. Anno 1531. & 1610. tertium denique Ulmæ cura Jo. Ottonis 1693. in 4.

JO. HEROLDI Commentarius de Romanorum in Rhætia Littorali ſtationibus, ac ex eis vicorum, municipiorum & villarum originibus. Singulatim olim editus, inde Tomo I. Schard. fol. 585. innexus.

ÆGIDII TSCHUDII ad B. Rhenanum Epiſtola, quæ extat ibid. fol. 577. de Lentienſium Alemannorum populo, Auguſtæ Vindelic. Octoduri Veragrorum Equeſtris Coloniæ nomine & ſitu. Cum explicatione nominum aliorum quorundam in Germania Locorum.

MARCI VELSERI Patricii Auguſtani Libri VIII. Rerum Auguſtan. Vindelic. qui continent Rhætiæ & Vindeliciæ deſcriptionem ac utriusque nominis & populi originem, ſitum & hiſtoriam, ante & poſt coloniam Auguſtam, ad annum usque Chriſti DLII. In operibus ipſius 1682. edit.

MARTINUS CRUSIUS in Annalibus Sueviæ Francof. 1595. & 1596. in II. Volum. in fol. Complectuntur ex Latinis & Græcis aliarumque linguarum Authoribus ſcriptisque pluribus, monumentis & ſubſidiis, in Monaſteriis & undecunque congeſtis, quicquid de antiquiſſima & inclyta Gente Suevica perquiri potuit. *Cur Tu Cruſi!* ipſum olim alloquebatur Vir Clariſſimus, *deſcribis Græciam? cur non potius Sueviam noſtram?* Rem ergo aggreſ-

aggressus est Crusius, quamvis in climacterico LXIII. ætatis demum anno. Vid. Catalogus Librorum a Crusio Scriptorum Libello seu Orationi de oppido Calva Anno 1595. Tubingæ habitæ insertus p. 59. Sententias & judicia de hoc opere Crusiano Virorum doctissimorum refert *M. Conrad. Pregizer.* in Bibliotheca Script. rer. Suevic. & Würtemb. voc. *Crusius.* Cum vero rarissimi essent hi Chronicorum Libri, eosdem in vernaculam vertendos curavit, & ab A. 1596. ad annum usque 1733. continuavit, cum descriptione quoque Authoris vitæ nec non Bibliotheca seu recensione Sctiptorum rerum Suevic. locupletavit Vir Ill. JO. JAC. MOSER. sub titulo: Martin *Crusii* Schwäbische Chronick. Francof. 1733. in f. & 2. Volum.

JO. DAN. SCHOEPFLIN. Alsatia illustrata, Celtica, Romana, Francica. Pars I. Colmariæ 1751. in fol. Pars II. Historia Alsatica sub Regibus Germanicis. Pars III. Historia Alsatica Ecclesiastica & Litteraria, cum Diplomatica & Scriptoribus German. Quæ utique multum faciunt ob connexitatem terrarum Sueviæ ac Alsatiæ, quæ priscis temporibus unico Duci parebant, ad illustrandas res Suevicas seu Alemannicas.

JACOB DE RAMING A LIBLACHSPERG, Ditionis Lindav. olim S. R. I. Regnique Germaniæ Principum a Consiliis, in Opere, quod conscripsit, de rebus & antiquitatibus veterum Suevorum & Alemannorum Gentium, in vernacula, sub Titulo: Von den sachen/ alten geschichten und thaten der alten Schwäbischen und Allemannischen Völcker/ von ihrem Ursprung und altem Herkommen/ und von den Ländern und Landtsarten/ welche sie durchschweyfft und bewohnet/ und darinn sie sich endlich nidergethan und gesezt haben. It. von solcher Völcker und Landsarten nahmen/ vnd irer eygentlichen erklärung vnd auslegungen; desgleichen von solcher Völcker alten Sitten und gebräuchen/ auch rechten und gewohnheiten/ vnd dann von iren migrationibus vnd Kriegsthaten. Uber die 40. jahr mit grosser müh vnd arbeit/ auch vielfältigen nachreyßen und grossen aufgewandten expensen vnd kosten allenthalben hin und wider in gantzem Europa, wie auch inn und aus gar vielen Scribenten cum græcarum tum latinarum aliarumque linguarum Autoribus scripta gar fleißig gesucht/ gezogen und gesamlet/ in III. Tomis, quorum argumenta ob gravitatem ac illorum ordinem hic transcribere non abs re esse duximus. Et quidem agit Tomus I.

Im ersten Buch von den mehrerley unterschidlichen geschlechtern vnd nahmen der vralten Schwäbischen Völcker/ derselben allererften vnd vrsprünglichen ankunfft vnd vraltem herkommen.

Im andern Buch von den propagationibus vnd Merungen solcher vralten Schwäbischen Völcker.

Im dritten Buch von den Marcken und Grentzen derselben.

Im vierten von iren migrationen.

Im fünfften von iren Sitten/ gebräuchen/ kleydern/ recht/ gerechtigkeiten/ herkommen vnd gewohnheiten.

Tom. II. Im ersten Buch von geschichten und thaten der alten Schwäbischen und Allemannischen Völcker vor der Römer zeiten.

Im andern von ihren geschichten und thaten zu der Römer zeiten.

Im dritten Historien und Kriege zwischen den Römischen Keyßern und den Rhetischen / Windischen / Nordreychischen / Bodenseischen / Rheynischen und andern Schwäbischen und Allemannischen Völckern der Schwäbischen Oberland ꝛc.

Im vierdten geschichte und thaten der Könige der alten Teutschen / Ost-Francken mit den Schwäbischen und Allemannischen Völckern.

Im Fünfften von den Landhaubtleuthen und Hertzogen der Schwäbischen und Allemannischen Völcker under der Francken Könige Monarchia.

Im Sechsten Historien und thaten des ersten teutschen Keyßers Caroli M. und seiner Söhn und Nepoten.

Im siebenden von der Caroliner Obersten Landhaubtleuthen in Schwaben und Alemannia.

Im achten Geschichten und thaten der andern teutschen Könige von Conrado I. biß auf Conraden II.

Im neundten von Fürsten und Regenten geistlichs und weltlichs Standts der Schwäbischen vnd Allemannischen Völcker und Länder.

Im zehenten von Keyßer Conraden II. biß auf die Schwäbischen Freyherren von Hochen Stauffen.

Im eilfften von Keyßer Conraden III. biß auf den letsten Schwäbischen König Conraden.

Im zwölfften von folgenden Römischen Keyßern und Königen auch Schwäbischen und Allemannischen Geblüts biß auf Keyßer Maximilian den ersten.

Im dreyzehenden von der Stätt Krieg.

Im vierzehenden von den Landvogteyen / Land- und Marggraffschafften in Schwaben und Allemannien.

Tom. III. Im ersten Buch von Keyßern / Königen und Fürsten Schwäbischen geblüts und herkommens mit iren Genealogien.

Im andern von Fürsten und Fürsten-mäßigen Prelaten geistlichs Stands / Abten / Abtißin und Prelatin / Schwäbischen oder Allemannischen Geblüts. Ingleichen von den vier Erbämpter der Hochen Gestifft ꝛc.

Im dritten von Nidern Gestifft und Clöstern / und derselben fundationen in Schwäbisch- und Allemannischen Landen.

Im vierdten von Schwäbisch- und Allemannischen Graven und Herrn / Geschlechter und derselben Geschlechts-Register.

Im fünfften von der Reichs-Ritterschafft und Adel in Schwaben und Allemannia des nidersten stands und grads.

Im

Im sechsten von den Bisthumb Schwaben Landts und Allemannie/ als Chur/ Costanz/ Augspurg/ Straßburg/ Eychstätt und Spir.

Im siebenden von des H. R. R. teutscher Nation Frey und Reichs-Stätt in Schwaben und Allemannien/ und anderer Herrn Stätt/ Vestinen/ Schlösser und Burgstall.

Im achten von andern benachparten Stätt/ Märckt und Flecken.

Im neundten Land-Tabel und typographische Beschreibung aller Stätt/ Schlösser/ Märckt/ Dörffer und Flecken/ wie auch Monasterien/ Cemnien/ Cenobien und andern Gestifften in Schwaben.

Prodiit de hoc opere Historico Anonymi Typographi vel Librarii Catalogus argumentorum, seu Kurtz vergriffene ordentliche Erzehlung oder Summarischen Inhalt und Bericht aller Bücher des vorhandenen herrlichen löblichen Wercks/ intitulirt von den ursprünglichen sachen ut sup. Anno MDLXXX. cum Corollario ipsius Authoris. Sed dolendum sane, egregium & operosissimum hunc Codicem lucem nunquam aspexisse, vel ob penuriam Mœcenatum, qui suo impendio typis exarandum curarent, vel ob præfestinatum ipsius Authoris obitum. Ideoque etiam tenebris & latebris obductum, vel alio quodam periisse fato suspicari licebit, cum nec vola nec vestigium supersit de eo, nec in apparatu integro ejusmodi MSCtorum Uffenbach. aliorumque, nec inter monumenta & scripta Historicorum Germanorum inedita, quæ longa serie recensentur a Joach. Frid. Fellero in Trimestri 1. N. 5. Jenæ 1718. edit. nec in aliis quoque Librorum vel sacris, quantum constat, Codicum & Epistolarum Scriniis Suevicis. Nisi quod unicus *Crusius* Codicis hujus meminerit in Annalibus Suevicis L. III. P. II. C. 7. initio p. 84. in verbis: *Docuit me Nobilissimus Vir, antiquitatis Suevicæ per quam peritus, Godefridus de Rammingen, cujus Pater Jacobus, cum præclarum opus de Sueviæ rebus per annos circiter XL. collectis editurus fuerit, præreptus morte est ætate septuagenarius.* De aliis tamen ipsius lucubrationibus prostat adhuc Tractatus ut ut rarissimus von der Haußhaltung der Regiment/ Land und Leut/ und dann der liegenden güter/ und iren rechten und geniessen. Augspurg 1566. in 4.

Quemadmodum etiam M. Georg Conrad Pregizer in Bibliotheca Suevo-Wirtembergica sub Lit. P. testatur, in scriniis adhucdum latere opus egregium Parentis sui *Jo. Ulrici Pregizeri* manu exaratum von den alten Innwohnern des Hertzogthums Würtemberg/ den alten Celten und andern Völckern/ samt dem zustand dieses Landts unter König Ariovisto, König Maroboduo, unter den Allemanniern und derselben Königen biß auf das Fränckische Reich und biß auf Kayser Carolum M. &c.

Ad collustrandas Res & antiquitates Suevicas haud parum quoque conducunt Scriptores priscarum & Alpinarum Gentium Rhætiæ & Helvetiæ, quæ olim Suevicis & Alemannicis accensebantur Partibus. Inter quos primario memorandi veniunt:

HENRICUS GLAREANUS in Descriptione Helvetiæ cum Commentario Osvualdi Molitoris Lucerini. In Schardii Tom. I. f. 598.

Ejusd.

Ejusd. Panegyricon in Laudem IV. Pagorum & XIII. Urbium Helvetiorum cum ejusdem Molitoris Commentario. Ibid. fol. 618.

FELIX MALLEOLUS vulgo HEMMERLIN, in Dialogo de Suitensium ortu, nomine & quibusdam gestis. In Thes. Hist. Helv. Edit. Tiguric. 1735.

FRANCISCUS GUILLIMANNUS Aventico-Friburgensis, de rebus Helvetiorum, ex variis scriptis, tabulis, monimentis, lapidibus, optimis plurium linguarum auctoribus. Quibus Gentis illius antiquitas, origo, mores, leges, uno verbo omnes belli pacisque artes historica fide eruuntur & breviter exponuntur. Friburg. 1598. in modo alleg. Thes. Helvet.

JO. BAPTISTA PLANTINUS in Helvetia antiqua & nova, qua Helvetiorum antiquitates, origines, nomina, mores, lingua antiqua, religio, Politia, virtus bellica, antiquiora Helvetiæ loca & populi Helvetiæ finitimi describuntur. Bernæ 1656. & in lingua Gallica sub titulo: Abrege de l' Histoire de Suisse avec une Description particuliaire de leur Pais. Geneve 1666. vid. in alleg. Thes. Helvetic.

JO. HENRIC. SUIZER. in Chronol. Helvetic. res gestas Helvetiorum a Gentis origine complectente. Hanoviæ 1607. & recus. in dicto Thes. Helvet.

JO. STUMPFIUS in historia Helvetiorum, alias Schweitzer Chronick/ quæ germanice scripta prodiit Tigurii 1548. & auctior ac emendatior ib. 1586. & 1606. in 2. Volum. Ob connexitatem rerum gestarum cum finitimis gentibus & præprimis Suevicis maxime commendanda.

Quoad res & antiquitates Rhæticas primum locum tenet apud Helvetios Vir clarissimus

ÆGIDIUS TSCHUDUS Claronensis de prisca ac vera Alpina Rhætia, cum cœtero Alpinarum Gentium tractu. Basil. 1538. & 1569. in 4. Cui accessit regula investigationis locorum antiquissimorum in Helvetia, Rhætia prima & secunda, per Conradum Lycosthenem Rubeaquensem. Apud Schard. Tom. I. p. 519.

FRANCISCUS NIGER Bassanensis, in Rhætia, metrice descripta, ad Reverendiss. Dominum Lucium Iterium Episcopum Curiensem. Basileæ 1547. Quo Carmine rarissimo veteres fines ac mores Rhætorum graphice describuntur.

HULDARICI CAMPELLI Ausführlich- und wahrhaffte Beschreibung der Löbl. Grauen Pündten und anderer Rhätischen Völcker / samt etlichen neuen Landtaffeln / Wappen und Bildnussen; herausgeben von Joh. Gulern von Weineck. Zürch. 1616. in fol. Constat Libris XVI. quorum X. priores res gestas veterum Rhætorum commemorant.

Joh.

Joh. Georg Schlehen von Rottweyl Historische Relation und eigentliche Beschreibung der Undern Rhætia oder der Landschafft underhalb St. Lucis Staig und dem Schallberg beyderseits Rheins biß an den Bodensee. In welcher nicht allein die fürnehmsten Stätt und örther der gantzen Gegend daselbst herumben / sondern auch derselben Herrschafften und Innwohner mancherley sitten / art / gebräuch / herkommen und wappen beschriben werten. Getruckt in dem Gräfflichen Marckt Embs Anno M. DC. XVI.

FORTUNATUS SPRECHER. A BERNECK Davosianus Rhætus, J. U. D. & Eques auratus, in Pallade Rhætica armata & togata, ubi primæ ac priscæ Inalpinæ Rhætiæ verus situs, bella & politia cum aliis memorabilibus ex optimis Scriptoribus & monumentis adumbrantur. Basileæ A. 1617. & Lugduni Batav. 1633. in 4. Postmodum vero in lingua vernacula sub Titulo: Rhetische Chronick oder kurtze und wahrhaffte Beschreibung Rhetischer kriegs- und Regiments-sachen von den ersten Alpischen Rhetien / herkommen / Landtsart / Regiment / Thaten und Geschichten / von ihrem Ursprung an. Von dem Authore selbsten noch von neuem übersehen / corrigirt und vermehrt. Chur 1672. und Basel 1617.

GABRIEL BUCELIN. Imperialis Monasterii Weingart. Ord. Bened. Asceta Theologus & Prior S. Johannis Bapt. in Veldkirch. In Rhætia Ethrusca, Romana, Gallica, Germanica, Europæ Provinciarum situ altissima. Aug. Vind. *1666.* Quæ Commentatio in III. Partes divisa, nempe in Rhætiam Topographicam, Rhætiam Ethruscam, Gallicam, Germanicam ad annum usque 1614. & Rhætiam stemmato-graphicam Familiarum Romano-Rhæticarum vetustissimarum.

De Alemannorum & Suevorum origine, migratione, nomine ac bellis multa quoque & egregia pertractarunt

D. Johann Jacob Mascov in I. Volum. quod inscripsit: Geschichte der Teutschen biß zu anfang der Fränckischen Monarchie. Leipzig 1726. in 4. maj. Opus sine pari & æternæ laudis, quod Itali, Batavi & Angli linguis suis vernaculis decorare non sunt dedignati.

Item Perill. HENRICUS DE BUNAU in seiner teutschen Kaysers- und Reichs-Historie; quæ prodiit Lipsiæ 1728. 1732. 1739. 1743. in IV. Partibus ad annum usque 918. ac de Suevia & Alemannia, antiqua Rhætia & Vindelicia a primis originibus res insignes ex ipsis fontibus & vetustissimis Scriptoribus exhibet, singulariter in P. I. Lib. 1. 2. & 3. P. II. Lib. 1. & 2. P. IV. & passim.

In hac denique Classe silentio obliterandi haud sunt:

PHILIPPI MELANCHTHONIS *Encomium Suevorum*, in selectarum Declamationum, quas conscripsit, & partim ipsemet in Schola Witeberg. recitavit, partimque aliis recitandas exhibuit. Tom. I. Edit. Argentorat. 1564. in 8.

Itemque HENRICI BEBELII Justing. & P. P. Tubing. *Epitome laudum Suevorum*, in ipsius Opusculis Argent. 1513. edit. apud Schard. Script. rer. Germ. T. I. p. 135. & Goldast. in sup. laudata Collect. aliquot veterum Script. Suev.

Biga Declamationum in Laudem Sueviæ. Ulm. 1675. in 4.

SECTIO SECUNDA

DE

SUEVIA FRANCICA.

JO. PETRI MILLERI reconditæ Eruditionis Rectoris ac P. P. *de Initiis Sueviæ cultioris* Oratio habita in Sacris anniversariis Ill. Gymnasii Ulmensis. A. R. S. M. DCC. LV. Cujus copiam nobis fecit, desuper iterum atque iterum, pro exornanda Voluminis posterioris Collectione, ea qua decet humanitate efflagitatus Author celeberrimus.

MELCHIORIS GOLDASTI Rerum Alemannicarum Scriptores, qui maximam partem Ascetæ olim vel Cœnobitæ perinclyti & vetustissimi Monasterii S. Galli fuere, Alemannorumque, qui partim Suevis partim Helvetiis cesserunt, historias & antiquitates tam sacras quam profanas tradidere, adeoque etiam communibus Patriæ rebus vetustioribus, præsertim sub Imperio Regum Francorum gestis enarrandis inserviunt. Primum Anno 1606. Francof. iterumque 1661. in fol. & III. Tomis, cum ejusdem Goldasti glossis rerum & verborum difficiliorum in lucem producti. Jam vero cum nova eaque tertia editio, prioribus longe emendatior, cura Ill. L. B. de Senckenberg una cum Præfatione ipsius & Vita Goldasti Haiminsfeldii Anno 1730. Francof. repetita, in omnium sit manibus, qui memorantur Scriptores, speciatim adferre supervacaneum omnino videtur. Sufficit itaque dixisse, quod singulis Tomis præmissæ sint Annotationes de Auctoribus istis eorumque Scriptis, quæ quidem plurimum res ipsius Asceterii ejusque Præsulum historias concernunt, majorem vero in modum illustrant res & antiquitates Suevicas & Alemannicas, seculares & Ecclesiasticas. Tomus quippe I. ejusque Pars I. complectitur res in Alemannia gestas a C. N. 600. ad annum usque 1250. & Pars II. selectas Sanctorum historias, qui apud Alemannos inclaruere. Tomo II. traduntur Alamanniæ, quæ nunc a Suevis & Helvetiis colitur, Antiquitates. Et T. III. continet *Joachimi Vadiani* Cos. Sanctgallensis Farraginem antiquitatum Alamannic. sive de Collegiis & Monasteriis Germaniæ veteribus, ut in Regno Francorum & insecutorum Principum aliquot seculis habuerunt; cum Additionibus *Bartbol. Schobingeri* ICti.

Id. VADIANUS de primitivæ Ecclesiæ statu seu Christianismi ætatibus; Liber imperfectus. Ibid. Tom. III. p. 117.

JO. ULRICI PREGIZER. J. U. D. Consist. Würtemb. & P. P. Tubing. *Suevia & Würtembergia sacra*, sive Status Christianæ religionis in his regionibus post extirpatum Gentilismum, juxta seculorum seriem, servato Annalium ordine.

ordine. Opus posthumum a B. Authoris filio M. Georg. Conrado Pregizer. Ecclesiæ Tubing. Diacono. Edit. Tubing. 1717. in 4.

In hac Classe locum quoque merito assignamus vetusto Chronico Sueviæ a THOMA LYRERO RANCKWILENSI concinnato, & primum typis impresso a Conrado Dinckmut Ulmæ A. C. 1486. cum formis ligno incisis admodum rudibus & tormentis bellicis, quibus arces & castella jam ante mille & quod excurrit annos verberata esse fingit, ornamentis. Postmodum vero A. 1500. in 4. minori absque dictis formis Argentorati uff Grüneck per Jo. Knoblauch. ad S. Barbarnm sub Titulo: **Cronica von alten Künig und Keisern von anfang Rom. Auch von viel geschichten biß zu unsern zeiten die geschehen seint.**

Chronicon hocce dividitur in II. Partes, quarum prior continet rapsodicas, aniles & inconditas narrationes, nullo plane ordine vel temporis ratione rerumque gestarum habita, de Cæsare quodam Kurione ad fidem Christianam converso, ejusque posteris Ducibus & Comitibus in partibus Rhætiæ & superioris Alemanniæ aut Sueviæ, monasteriis, Castellis, Pagis ac Civitatibus ab ipsis fundatis & exstructis, de quibus testatur, quod omnia ipse viderit, vel ab aliis fide dignis hominibus audiverit, in verbis: **Ich Thoman Lirer gesessen zu Ranckweil das do gehört zu dem schloß vnd Herrschafft Felltkirch habe diese ding den merern tail gesehen. vnd auch vil an frumen leuten erfragt vnd erfarn an warhafften Herrn Rittern vnd Knechten die mich des gar warlich vnderricht habent. Dann / ich auch meins gnädigen Herren von Werdenberg knecht bin gewesen / vnd mit ym außgefaren gen Portigal vnd mit ym wider haimkumen ꝛc.** Pars altera vero Chronicon parvum a mundo condito ad annum usque post C. N. 1462.

De ipso Authore certo non constat, qua ætate vixerit. Quamvis enim in fine prioris Tomi dicatur: **ist das Buch zum ersten abgeschrieben worden in dem als man zalt von der Geburt Cristi XI hundert vnd im XXXIII jar an Sant Oswaltstag.** Recensetur tamen in eodem Libello historia de nefando parricidio Comitis Ægidii a Kelmünz, quem gener Comes Hartmannus de Dillinga occidendum curavit, id quod anno demum 1258. accidisse Brusch. in Tr. de Monaster. sub voce **Seflingen** fol. 148. & Crus. Annal. Suevic. P. III. L. II. C. X. p. 88. testantur. Ne quid dicamus, quod annexum Chronicon parvum ultra medium Seculi XV. sese extendat, etsi ab eodem Authore ambo Chronica esse compilata videantur. Quare Libellus iste vel non tantæ vetustatis, qualem se mentitur, vel ab interpolatore descriptus & continuatus omnino censendus est, idque vel maxime quod in vernacula scriptus sit, quæ nec tantam vetustatem, nec ævum Imperatoris seu Regis Conradi III. redolet.

Quemadmodum tamen non omnino spernendum, nec omni fide historica privandum sit Chronicon hocce Suevicum, maxime in rebus, quæ vel in vita ipsius vel non adeo longe ante ipsius ætatem in Suevia gesta sunt, & cum aliis quoque Scriptoribus & Annalibus pro ratione temporis & circumstantiarum conveniunt, sed hodienum inter libros rarissimos vel plane deperditos connumerandum sit, quod nec facile in tabernis librariis, nec Bibliothecis publicis & privatis, nec in Collectione quadam Scriptorum medii ævi deprehendatur, editionem posthac curabimus cum aliis ejusdem commatis Libellis Chronicis, & probatissimorum quoque Historiographorum Judiciis de fide Lyreri

 ejus-

ejusque memoratorum, *Goldasti* nempe T. II. script. rer. Alamannic. p. 142. *Felicis Fabri* in Hist. Suevorum L. I. C. XX. & XXI. *Crusii* in Annal. Suev. P. II. L. IX. C. 16. *Stumpf.* in Chronico Helvetic. L. V. C. XIX. & XXVI. Et L. X. C. XVI. *Seb. Münster.* in Cosmograph. L. V. C. 191. *D. Heider.* in actis Lindav. Lit. aaa. p. 611. *Jo. Jac. Moser.* in Bibliotheca Script. rer. Suevic. voc. Schwaben. p. 55. &c.

Succedunt FELICIS FABRI Monachi Ulmens. *Historia Suevorum* inter Goldasti rerum Suevic. script. nov. Edit. de Anno 1727. Paucos quidem nactus est laudatores Monachus ille Conventus olim Prædicatorii in Ulma, Vir eruditione & una atque altera Hierosolymam peregrinatione non incelebris, de quo extat Dissertatio Historica, sistens vitam ipsius, Itinera & Scripta *Fr. Dominic, Hæberlin.* Götting. 1742. Exscriptores vero plurimos. Conf. *Münster.* in Cosmogr. *Brusch.* in Monasteriol. *Stumpf.* in Chron. Helvet. *Crus.* in Annal. Suev. P. III. L. II. C. 8. Mirum tamen, ut utamur verbis Goldasti, potuisse eum in tanta barbarie omniumque adeo rerum ignoratione tantum præstare, quantum præstitit ante se nemo unus. In Libri I. Cap. I. describitur terra & Provincia Teutonica cum Natione Sueviæ. Cap. II. agitur de Danubio. Cap. III. de Rheno. IV. de nominibus. V. de Alemannia. VI. de ratione nominis Germaniæ. VII. de Theutonia. VIII. de Franconia. IX. de Cymbria. X. de Suevia. XI. de Suevorum ad fidem Conversione. XII. de Frid. I. Imperatore. XIII. de origine Comitum de Habchspurg, & sic porro de diversis Imperatoribus & Ducibus Austriæ, eorumque bellis cum Suiceris. In Libro vero II. de Civitate Ulmensi, diversisque Monasteriis conterminis. vid. Bibl. Hist. Hamb. Cent. 8. p. 246. **Ulmische zufällige** Relat. **erste Samlung** p. 37.

HENRICUS BEBELIUS JUSTING. in speciali Dissertatione *de Pagis Sueviæ*; quæ extat in Miscellaneis ejus anno 1510. in f. edit. in Goldasti autem vel Schardii aut aliorum Collectionibus frustra quæritur. Et quamvis complures alii disquisitionem hanc *de Pagis Germaniæ* ad pleniorem argumenti Diplomatici ac Geographici intelligentiam maxime necessariam, lucubrationibus suis illustrarint, *Freberus* scilicet in Originibus Palat. C. V. *Meibom.* Senior T. III. rer. Germ. *Paullini* in Syntagm. de Reb. & antiquitat. Germ. *Knauth* in Tr. de antiquitatibus Pagorum Principatus Anhalt. *Juncker.* in Geographia medii ævi, aliique; Freheri autem Catalogus plurimis in locis majori indigeat explanatione, Meibomii & Knauthii imo & Paullini descriptiones particulares solummodo Germaniæ Provincias extra Sueviam respiciant, Junckerus itidem Pagos complures in vetustis monimentis obvios vel plane omiserit, vel diversos alios vel dubios vel obscuritati involutos reliquerit;

GODEFRIDUS ABBAS celeberrimus integrum totius Germaniæ fere Pagorum Catalogum, quos in tam multivariis chartis & Codicibus detexit, in splendidissimo opere suo, quod inscripsit CHRONICON GOTUICENSE Lib. IV. exhibuit, & plerosque si non omnes Pagos vel Govas in Ducatu Sueviæ & Alemanniæ sitas elucidavit.

Idem *de Palatiis, Villis ac Curtibus Regiis,* maxime *in Suevia* & *Alemannia* sitis; Commentatione peculiari, eidem Chronico inserta, non minus ad plenam argumenti diplomatici perfectionem, quam ad Regni Teutonici & Regionum Suevicarum splendorem; cum aliorum quoque observationes, utpote Leuberi, Fritschii, Ockelii, Hertii, Freheri, Huberti ad hanc de Palatiis

latiis Regiis tractationem parum aut nihil conducant, vel levi saltem digito attacta fuerint.

M. GEORG. JAC. MELLIN. Lindav. de Antiquitatibus Lacus Bodamici cum specimine Historiæ Lindav. Dissertatio sub Præsidio *Caspar. Sagittarii* SS. Theol. D. Jenæ 1693. habita. Qua non solum statum antiquissimum Regionis circa Lacum Acronium vel Bodamicum sub Rhætis, Vindelicis, Helvetiis, Suevis & Alemannis, sed etiam vel maxime sub Merovingorum, Carolingorum, Saxonicorum & Suevorum Imperio ad tempora usque Rudolphi Habsburgici collustrat.

JO. GEORG. TIBIANI Panegyricon super Laudibus Acronii Lacus in Alemannia & ejusdem Civitatum metrice conscriptum, in Goldast. script. rer. Alamannic. T. I. p. 98.

GASPAR. BRUSCII Idyllion Heroicum ejusdem argumenti ad Reverendiss. Dn. Christoph. Mezler. Episcopum Constant. & Renatum Hener. Lindav. In Monasteriologia Ingolstad. 1551. edita ejusque Append.

JO. GODOFRED. GREGORIUS, qui varios Libellos sub Melissantis nomine edidit, in Descriptione Arcium motanarum aliarumque vel dirutarum jam vel adhuc extantium. Francof. 1721.

JO. ERNESTI A PFLAUMERN ex sec. XVI. & XVII. & ex nobili Sueviæ Familia orti (de qua Bucelin. in Germ. Topo-Chrono-Stemmatograph. sacra & profana P. III.) *Metamorphosis Arcium & Castrorum Sueviæ*, cum X. diplomatibus & aliis intermixtis monumentis. MSCtum latens in Bibl. Krafft. & Uffenbach. vid. Catalog. T. III. P. II. sect. 2. n. 53. p. 314. in MSCtis Hist.

ULRICI OBRECHTI Argumentum: Alsatiam sub Merovingis Francorum Regibus Ducatui Alemanniæ attributam fuisse: sub Carolinis peculiarem Ducatum constituisse: Et post horum decessum cum Alemanniæ sive Sueviæ Ducatu iterum esse unitam; in Prodromo rer. Alsatic. Volum. I. Cap. X. Edit. Argent. 1681. ex antiquis Historiæ monumentis, ipsorum Ducum Litteris aliisque publicis & privatis instrumentis solidissime exponit. Librum hunc esse perrarum, paucisque cognitum, cujus quippe plurima exemplaria Regis Gallorum jussu suppressa fuere, in vulgus notum est. vid. Tenzel. Colloquia menstrua de Anno 1691. p. 994. Baring. in Clave Diplomat. p. 57.

D. Joh. Jacob Mascou Volum. II. cum Inscript. Geschichte der Teutschen biß zu abgang der Merovingischen Könige. Leipzig 1737. in 4. maj. Cum priori in linguam Toscanam, Hollandiam & Anglicanam translatum.

RHEINFELDEN.

IDEM voc. Rheinfelden Stadt & Rheinfelden *Castrum*. *Meriani* Topographia Sueviæ. *Straussii* Dissertatio de Rudolpho Suevico §. 1. & 16. *Urstisii* Chron. Basil.

SECKINGEN.

ISELIN. cit. loc. voce Seckingen Stadt / *Sacconium*. & Seckingen ein uraltes Adeliches Frauen-Stifft in Articulo copiosiori. *Stumpf.* d. l. Lib. XII. C. IX. *Münsterus* in Cosmogr. Lib. V. C. 203. p. 948. cum Catalogo Abbatissarum ab ævo Caroli M. ad annum usque 1593. Conf. etiam *Urstisii* Chronic. Basil. & *Legenda S. Fridolini*. *Ægidius Tschud.* Annal. Helvet. in MSCto. & *Stumpfii* Documenta MSCta ex Archivo Secking. &c.

LAUFFENBURG.

ISELIN. in duobus separatis Articulis, multo studio exaratis, voce Lauffenburg Stadt / und Lauffenburg Habsburg.

MUNSTERUS in Cosmograph. Lib. V. C. 207. p. 948. *Theatr. Europ.* *Zeiler.* in Topographia Alsatiæ. *Urstisius, Stumpfius* & *Ægid. Tschud.* dictis locis.

WALDSHUT.

ISELIN. d. l. voc. Waldshut / *Waldshuta*, alias *Custodia Sylvæ*. *Münsterus* in Cosmograph. Lib. V. C. 24. p. 947. *Tschud*, *Stumpf*, *Zeilerus* aliique.

VILLIN-

VILLINGA.

MERCURIUS VILLINGANUS i. e. Wahrhaffte Relation, was sich in dem Teutschen Schwedischen Krieg mit Villingen/ einer Oesterreichischen Stadt vorm Schwartzwald gelegen / so wohl in Geist- Weltlich- als in Kriegs-Sachen, anno 1632. und 1633. zugetragen. Durch *Joh. Baptista Steidlin*, Phil. & J. U. D. 1634.

LYDIUS AUSTRIACUS i. e. Wahrhaffte historische Relation und gründlicher Bericht / was mit Villingen dermahlen vorgegangen. Rottweil 1634. in 4.

Conf. ISELIN. c. l. voce Villingen. MUNSTERUS in Cosmogr. Lib. V. C. 159. p. 1010. *Zeiler*, in Itinerar. Germ. &c. &c.

SECTIO SEPTIMA.

DE LIB. S. R. I. NOBILITATE IN SUEVIA.

DE Rebus inclyti Corporis Equestris S. R. Imp. Germ. IN SUEVIA, FRANCONIA, ET IN PARTIBUS RHENI, exhibet præcipua Documenta & Acta publica JO. CHRISTIAN. LUNIG. in Archivo Imp. Germ. ejusque Parte spec. Cont. III. a pag. 1. usque 22. Itemque Privilegia Cæsarea, Confirmationes, Pacta, Ordinationes, aliaque Documenta & Acta publica, ORDINEM EQUESTREM SEU NOBILITATEM IMMEDIATAM SUEVICAM in specie concernentia, ibidem im Ersten Absatz / und I. II. III. und IV. Fortsetzung / cum Appendice a pag. 22. usque 688.

COPIA etlicher der vornehmsten von Röm. Kaysern und Königen der Freyen Reichs-Ritterschafft in Schwaben ertheilter und confirmirter Privilegien und Freyheiten. Eßlingen 1673. in 4.

Scriptores de Nobilitate imprimis Germanica recenset B. G. STRUVIUS in Bibl. Jur. Selecta Cap. XVI. §. 77. Edit. septimæ a C. G. BUDERO emendatæ & copiose locupletatæ. Jenæ 1743. in 8. maj. Ii autem qui agunt de Nobilitate S. R. I. immediata in specie, seu *de Statu, Juribus ac Privilegiis Ordinis Equestris in Suevia, Franconia quoque & in Partibus Rheni*, a Viro Amplissimo STEPHANO BURGERMEISTERO, Reip. Ulmens. Consiliario, de rebus & juribus Nobilitatis præclare merito, maximam partem recensentur in Præfatione, Libro ipsius de Statu Equestri &c. præmissa; & a STRUVIO etiam cum ipsis Scriptis Burgermeisteri c. l. p. 78. & 79. commemorantur.

Ex SCRIPTIS hisce BURGERMEISTERIANIS, Res Nobilitatis Suevicæ vel maxime illustrantibus, primo loco venit: STATUS EQUESTRIS CÆSARIS ET IMPERII ROMANO GERMANICI, d. i. Des unmittelbaren

baren Freyen Kayserl. Reichs-Adels der drey Ritter-Creyßen in Schwaben/ Francken und am Rhein-Strohm Ursprüngliche Immedietät/ Prærogativen/ Immunitäten/ Antiquitäten/ alter Splendor, Zu- und Abnahm/ samt dessen zerschidenen Fatalitäten; Jam antehac in anno 1700. postmodum anno 1709. Ulmæ editus in 4. & tandem Thesauro Juris Equestris ejusque Part. I. Sect. I. anno 1718. insertus.

THESAURUS JURIS EQUESTRIS PUBLICI ET PRIVATI, duobus Voluminibus & Partibus. Ulmæ 1718. in 4.

BIBLIOTHECA EQUESTRIS seu Selecti Authores de Ordine Equestri, mit dem alten Thurnier-Buch. Ulm 1720. in 4.

MANUALE EQUESTRE oder Compendium der Reichs-Ritterschafftlichen althergebrachten Rechten/ Kayserl. Privilegien und Freyheiten. Ulm 1720. in 4. Item CONTINUATIO MANUALIS EQUESTRIS, nempe Codicis Diplomatici Equestris, cum Compendio Bibliothecæ Equestris. Ulm 1721. in 4.

Reichs-Ritterschafftl. CORPUS JURIS seu CODEX DIPLOMATICUS. Ulmæ 1707. in 4. Recentior autem ejusdem Editio extat sub Titulo: CODEX DIPLOMATICUS EQUESTRIS cum Continuatione, sive Reichs-Ritterschafftliches Archiv, duobus Voluminibus ibidem 1721. in 4.

Graven- und Ritter-Saal/ d. i. Gründliche Vorstell- und Ausführung/ welchergestalten des H. R. R. Graffen/ Herren und die andere Reichs-Ritterschafft mit ihren Aemtern/ Rechten/ Freyheiten und Gewohnheiten gegen und beyeinander gestanden. Franckfurt am Mayn 1721. in 4. Cui quidem Scripto eodem adhuc anno opponebatur: Vorläuffig- doch gründlicher Bericht vom Adel in Teutschland 2c. samt kurtzer Deduction von des hohen Reichs-Graffen- und Herren-Standes Würden und Gerechtsamen. ibidem in 4. Item Adeliches Ritterfeld oder Unpartheyische Gedancken von dermahligen Adels in Teutschland Anfang/ Wachsthum und gegenwärtigen Zustand. ibid. in 4.

Ejusdem BURGERMEISTERI Præliminar-Tumultuarische Beleuchtung des so übel genandten Berichts vom Adel in Teutschland/ wider den Grafen- und Ritter-Saal. Franckfurt und Leipzig. 1722. in 4.

De Jure Proœdriæ inter Lib. S. R. I. Nobilitatem & Civitates Imperiales controverso, jam olim prodiit Kurtz-gefaßte Vorstellung der Freyen Reichs-Ritterschafft an die auf dem Correspondentz-Tag zu Nürnberg versamlete Reichs-Stände/ warum dem Freyen Reichs-Adel die Præcedenz vor den Reichs-Städten gebühre. Anno 1619. Vid. Grundveste Europäischer Potenzen Gerechtsamen. Part. II. pag. 634. & *Limnæus* Tom. II. Jur. Publ. de Nobilit. Imp.

Infor-

Informatio der Freyen Reichs-Ritterschafft in Schwaben ꝛc. ihre Præcedenz vor den Reichs-Städten betreffend; in ejusdem *Limnai* enucleati Lib. III. p. 496.

Kurtze doch gründliche und unwidertreibliche Remonstration der Erbaren Frey- und Reichs-Städte / daß ihnen von der Freyen Reichs-Ritterschafft die Præcedenz ungebührlicher weise disputirlich gemachet werde / und der Vorzug derer Reichs-Städte vor der Reichs-Ritterschafft in allen Reichs-Constitutionen / der Billichkeit und dem Reichs-Herkommen gegründet seye. In supra alleg. Grundveste ꝛc. P. II. p. 636.

STEPHAN. CHRISTOPH. HARPPRECHT DE HARPPRECHTSTEIN Commentatio Academica de Jure Sessionis & Præcedentiæ Lib. & immediatæ Nobilitati præ Civitatibus Imp. competente. Hamburg. & Lipsiæ 1717. in 4.

JO. CHRIST. LUNIG. Part. spec. Archivi Imp. Germ. Cont. III. p. 56. 57. & PFEFFINGER. in Corp. Jur. Publ. Tom. III. Lib. III. Tit. 14. §. 6. in Not. ubi argumenta pro & contra adducuntur.

Item Friderich Carl Moßer in seinen kleinen Schrifften zur Erläuterung des Staats- und Völcker-Rechts / Zweyten Bands / Art. I. von gegenwärtigen Zustand der Reichs-Ritterschafft. Zweyten Anhang / ubi: Schreiben an Kayser Ferd. III. von den Generalen der Kayserl. Armeen, den Præcedenz-Streitt zwischen der Reichs-Ritterschafft und den Reichs-Städten betreffend / de anno 1646. Edit. Franckfurt am Mayn 1752. in 8.

Præ aliis, a supra laudato Struvio, Budero & Burgermeistero allegatis Scriptoribus de Nobilitate Suevica eminent; JO. CONRAD. KREIDENMANNI J. U. D. & Synd. Esling. Kurtzer Tractat von des Teuschen Adels sonderlich der Freyen Reichs-Ritterschafft in Schwaben Staat / Stand / Ehren / Würde / Freyheit / Recht / Gerechtigkeit und altem Herkommen / und dann wie dieselbe wider vordringende Beschwärd und Mißbräuch in bestand erhalten und fortgepflanzt werden können. Samt X. Kayserl. und Königl. Privilegien und Freyheiten. Revidirt und vermehrt Tübingen 1646. & 1673. in 4.

PHILIPP. KNIPSCHILD. Syndici Ord. Equest. Suev. Tractatus Politico-Historico-Juridicus de Juribus & Privilegiis Nobilitatis & Ordinis Equestris S. R. I. Liberi & Immediati, præprimis in Suevia. Campod. 1693. in fol.

REINHARD. DE GEMMINGEN Equitis Ordinis Equestris Sueviæ Discursus de Familiæ Gemming. Origine & Immedietate, ut & Libertate originaria Nobilium Imperii immediatorum, præcipue *Sueviæ* Districtus ad Craichgoviam, cum bonis Equestribus a jurisdictione Comitum Carolini Regiminis exemtis; item de incertitudine & vanitate Deductionum Genealogic. ultra quatuor Secula extensarum. Anno 1530. Extat in vernaculo sermone apud *Burgermeist.* in Bibl. Equestr. Tom. I. p. 571-618.

Item Adeliche Familien im Kraichgau durch Bernhard Hertzogen colligirt. in MSCto. Vid. Catalogus Bibl. Ufenbach. T. II. p. 376. GEORG. HELWICK. Genealogie des uralten Adelichen Ritterlichen Geschlechts derer Schwäbischen Graffen von Kronberg 1620. CALINI Theatrum Gentis Weissenwolff / sive Comitum Suevicorum de Weissenwolff. 1675.

L. Baronis GREG. VEHLEN. Patris quondam Benedictini in Ducali Monasterio Campid. Opus Genealogico-Historicum Nobilitatis imprimis Suevicæ; sed nondum, quantum constat, typis promulgatum.

WIGULEJI HUNDII Bayrischer Stammbaum / ubi non minus recensentur complures Familiæ illustres Suevicæ. Ingolstad. 1658. in fol. CYRIACI SPANGENBERG. Adelspiegel / in quo multa quoque memorabilia leguntur de Nobilitate Sueviæ. Schmalkalden 1591. in fol.

Præ aliis quoque Scriptoribus conferri merentur in hac classe JO. FRID. PFEFFINGER. in Corpore Jur. Publ. Tom. II. Lib. I. Tit. XX. de Nobilibus Imp. immediatis, præprimis Suevicis. §. 10. in Not. & Tit. XXI. de Equitibus & Equestribus Ordinibus Imp. Et JAC. CHRISTOPH. ISELIN. in Lexico Universali Hist. Geogr. Art. Ritterschafft. &c. &c.

SECTIO OCTAVA

DE

SUEVIA LITERARIA.

PArtes primas & præcipuas haud immerito assignamus in hac Classe Scriptorum Celebriorum Polyhistori nostro Suevico, summe Venerando JO. GEORG. SCHELHORN. SS. Theol. D. & Superintendenti Memming. in AMOENITATIBUS LITERARIIS, quibus variæ Observationes variaque Virorum Literis illustrium & amœnioris argumenti Anecdota exhibentur in Tomis XIV. Edit. posterioris Francof. & Lips. 1730. in forma octuplicata. Quæ vero res Sueviæ Literarias singulatim illustrant Opuscula, vel ab ipsomet concinnata, vel primum edita, maxime notatu digna sunt:

Schediasma Historico-Literarium de EXIMIIS SUEVORUM IN LITERATURAM ORIENTALEM MERITIS. Memmingæ 1730. in 4. & in dictis Amœnit. Literar. Tom. XIII. Art. II. p. 197. seqq.

ANALECTA AD HISTORIAM CONFESSIONIS TETRAPOLITANÆ, quibus simul haud pauca Reformationis Ecclesiæ *Memmingensis* historiæ lucem adferunt. ibid. Tom. VI. Art. I. pag. 305. cum Appendice Documentorum p. 384. Conf. etiam Tom. VII. p. 294. EJUSDEMQUE Reformations-Historie der Kayserl. Freyen Reichs-Stadt Memmingen. Edit. 1730. in 8.

DE

DE VITA ET MERITIS JOANNIS HOMELII eximii quondam perinclutæ Academiæ Lipsiensis Mathematici, quem anno 1518. Memmingæ lucem aspexisse probat, in dictis Amœnit. Tom. XIV. Art. ult. pag. 403. &c.

ORATIO IN LAUDEM BARTHOLOMÆI BERTLINI Ecclesiastæ Memming. conscripta Anno 1563. Ibid. Tom. V. Art. X. pag. 221. de quo etiam conferendus est *Martinus Crusius* in Annal. Suev. ad annum 1551. & 1562.

MEMORIA Perillustris atque Generosissimi Domini RAYMUNDI KRAFFTII DE DELMESINGEN, Reipublicæ Ulmensis, cum viveret, Viri Consularis, de re Literaria imprimis Suevica immortaliter meriti. Ibid. T. XI. Art. V. pag. 253.

Ex ejusdem SCHELHORNII AMOENITATIBUS HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ ET LITERARIÆ, quæ duobus justis Voluminibus Francofurti & Lipsiæ Anno 1737. & 1738. in 8. prodiere, huc spectat ELOGIUM GEORGII HERMANNI A GUTTENBERG, KAUFFBURENSIS, eximii quondam Literarum ac Literatorum Patroni. Tom. I. pag. 693. seqq.

Item OBSERVATIO DE LEONHARDO WIDEMANNO, Abbate quondam Monasterii Ottoburani, Ord. Bened. Musarum Mœcenate, ejusque *Gymnasio Trilingui* Anno 1543. ipsius auspiciis instituto, nec non de *Typographia* in laudato Cœnobio erecta, *Librisque* in ea excusis. Ibid. Tom. II. pag. 591. seqq.

Schelhornio nostro succedit merito Rev. JAC. BRUCKERUS, Reg. Scient. Acad. Berolin. membrum dignissimum, & insigne Sueviæ nostræ Literarariæ Decus, in *Diatribe* de MERITIS SUEVORUM IN RENASCENTES LITERAS. IN Actis Societatis Latinæ Jenens. edit. ab ejusdem Directore *Jo. Ernest. Imman. Walchio.* Volum. IV. Part. IX.

Itemque JO. PETRUS MILLERUS Rector & PP. in Gymnasio illustri, quod Ulmæ floret, Reique Publicæ Bibliothecarius præcellentissimus, ex aliis jam Lucubrationibus egregiis in Orbe Literario perinclytus, cujusque vitam descriptam habemus interprete beato *Ant. Beckio* Prof. quondam Eloqu. Ulmano in Oratione Inaug. de anno 1741. DE INITIIS SUEVIÆ CULTIORIS, in Sacris anniversariis habita Oratio. Ulmæ 1755. in MSCto.

GEORGII SERPILII Theologi Ratisponensis præstantissimi & per Orbem quoque Literarium vel maxime conspicui, EPITAPHIA **oder Ehren-Gedächtnuß unterschidlicher** Theologorum, **die in Schwaben gebohren worden. Regenspurg in 8.** Prodiit quoque EJUSDEM **Erste Beylage zu dem Ehrengedächtnuß der Schwäbischen** Theologorum. Ibid. 1710. in 8. vid. B. G. Struv. in Supplem. ad Notit. Rei Litterar. ad Cap. VII. §. XI. pag. 90.

Wochentliche Relationes **von Schwäbischen Gelehrten Neuigkeiten. Tübingen 1721.** In 8. de quibus ipsius Auctoris JO. JAC. MOSERI Judicium **in denen unpartheyischen Urtheiln** x. Part. II. pag. 91. & in Bibl. Script. de Reb. Suev. Voc. **Schwaben.**

Tabulæ Hebdomadales rerum novarum, quæ in Orbe Erudito geruntur, ab aliquot jam annis Tubingæ laudabili consilio & instituto divulgari solitæ (Tübingische Berichte von gelehrten Sachen) egregiè statum rei Litterariæ præsentem etiam in Suevia nostra illustrandum faciunt.

Proben der alten Schwäbischen Poësie des dreyzehentens Jahrhunderts / aus Manesischer Sammlung. Zürch 1748. in 8.

Johan Christian Klemmen D. & Prof. Theolog. Ord. Kurtze Beschreibung des Anfangs und Fortgangs der Edlen Buchdrucker-Kunst in Schwaben / und denen im ersten Jahrhundert nach ihrer Erfindung zu Augspurg / Ulm / Costanz / Reutlingen 2c. gedruckten Büchern. Tübingen 1740. in 4. Samt kurzer Nachricht von dem auf der Universitæt daselbst von der Buchdrucker-Gesellschafft solemniter gefeyrten dritten Jubelfest.

Prælaudati JACOBI BRUCKERI Programma von den Verdiensten des Hochgräffl. Fuggerischen Hauses um die Gelahrheit und deren Ergebene. 1732. in 4.

DE MERITIS REIPUBLICÆ AUGUSTANÆ IM REM LITERARIAM Differtatio JO. NADLERI Augustani sub moderamine *Jo. Christoph. Wendleri.* Jenæ. 1713.

AUGUSTA LITERATA. Præside eod. & Authore ac Respondente *Paulo Ambergero* Augustano. Jenæ anno eod.

Kurtze doch gründliche Historische Erzehlung von dem Ursprung / Einrichtung und Schicksalen des Gymnasii zu St. Anna in des Röm. Reichs Freyen Stadt Augspurg / und dem Leben und Schrifften der darin ehemals lehrender Professorum und Rectorum &c. von M. PHILIPP. JAC. CROPHIO Rectore & P. L. C. Augspurg. 1740.

EJUSD. HILARIA SCHOLASTICA in memoriam Festi Secularis secundi, Gymnasii Annæani, quod Augustæ floret. Aug. Vind. 1731. in fol. cum figuris æneis.

SPECIMEN HISTORIÆ LITERARIÆ MEDICORUM AUGUSTANORUM, sistens vitas ADOLPHORUM OCCONUM, primi, secundi & tertii, Medicorum & Polyhistorum Celeberrimorum. Præmissa est farrago antiquiorum Augustanorum & suffixa LUCÆ SCHROECKII HYGEIA AUGUSTANA. Lipsiæ 1734. in 4. cura *Jac. Bruckeri.* Vid. Gelehrte Zeitungen de dict. anno p. 347. & *Mofer.* in Bibl. Script. de Reb. Suev. Art. *Occones*.

MEMORIA WELSCHIANA Auctore *Luca Schrœckio* Aug. Vind. 1678. in 4. Et ipsius D. LUCÆ SCHROECKII MEMORIA. Altorff. 1733. in 4to.

CATALOGUS GRÆCORUM LIBRORUM MSS. AUGUSTANÆ BIBLIOTHECÆ, quem inclyta Respublica ideo edendum curavit, ut eos vel viris doctis interpretandos, vel diligentibus Typographis conferendos, modo

modo de iis fartis tectis suo tempore restituendis caveant, ad augendæ Rei Literariæ commoda communicaret. Aug. Vind. 1575. in 4. Editore haud dubie *Hieron. Wolfio*, tum Bibliothecæ Præfecto.

CATALOGUS GRÆCORUM CODICUM, qui sunt in Bibliotheca Reip. Aug. Vind. quadruplo quam antea auctior; studio *Dav. Hæschelii* Aug. Vind. 1595. in 4.

CATALOGUS BIBLIOTHECÆ REIP. AUG. utriusque tum Græcæ tum latinæ linguæ Librorum & impressorum & manu exaratorum. Aug. Vind. 1600. in fol. oblongo. Hunc *Georgii Henischii*, qui tunc temporis Bibliothecæ curam gessit, diligentiæ deberi, verisimile esse videtur.

CATALOGUS BIBLIOTHECÆ AUGUSTANÆ, studio & opera ELIÆ EHINGERI. Aug. VIND. 1633. in fol. Et ANTONII REISERI INDEX MANUSCRIPTORUM, cum Appendice duplici. Ibid. 1675. in 4. *Prior* eos complectitur Authores, quorum Scripta primis ab inventione artis typographicæ annis sunt impressa, usque ad initium Seculi post decimum sexti, ubi simul ea etiam exhibentur MSCta, de quibus haud constat, quo præcise anno sint exarata. Pag. 93. seqq. *Posterior* autem recenset, qui vel ortu, vel officio & munere publico Augustani in Patria & alibi scripta publicarunt. Item qui partim MSS. Codices è Bibliotheca ediderunt, partim typis Augustanorum sunt usi, pag. 119. seqq. Singularis quoque INDEX MSS. THEOLOGICORUM BIBLIOTHECÆ AUGUSTANÆ habetur in SPIZELII Sacris Bibliothecarum illustrium Arcanis retectis. p. 1. seqq.

ANTIQUORUM, quæ Augustæ Vindelicorum extant, MONUMENTORUM à Viro summo & de re Literaria meritissimo MARCO VELSERO Duumviro Augustano ad calcem rerum Augusta Vindelicorum editorum SUPPLEMENTUM, ab ipso Authore collectum, jam primum ex Codice Velseriano editum à *M. Jac. Bruckero*. In Schelhornii Amœnit. Literar. Tom. V. Art. V. pag. 117. Itemque MATHIÆ FRID. BECKII MONUMENTA ANTIQUA JUDAICA, ibidem reperta. 1686.

Dissertatio Epistolica, qua Descriptionis vitæ magni olim Augustanorum Polyhistoris HIERONYMI WOLFII, ab ipso Celeberrimo Philologo confectæ, nec dum editæ, Synopsin exhibet JAC. BRUCKER. Aug. Vind. 1739. in 4. Item Dissertatio Epistolica, qua DE MERITIS IN REM LITERARIAM, præcipue Græcam DAVIDIS HOESCHELII, Rectoris quondam Gymnasii ad D. Annæ Aug. Vind. & Reipublicæ Bibliothecarii, quædam exponit IDEM BRUCKER. Aug. Vind. 1738. in 4. Utraque Dissertatio recusa est in Viri Celeberrimi *Miscellaneis Hist. Philos. & Liter.* & altera quidem cum Accessionibus. Extat etiam in laudatis Miscellaneis p. 291. & seqq. Observatio DE DAVIDE DE AUGUSTA, Ord. FF. Minorum Monacho, ex tenebris Seculi XIII. eruto teste veritatis.

Commentatio DE VITA ET SCRIPTIS celebris Viri ELIÆ EHINGERI, qua haud pauca historiam Literariam præsertim Augustanam illustrantia adducuntur. Cui accedunt ex Schedis ejus nondum editis additamenta quædam cura prælaudati *Jacobi Bruckeri*. Aug. Vind. 1724. in 8. Et in Amœnit. Literar. Tom. VIII. Art. X. p. 646.

EPI-

EPISTOLA MATTHIÆ SCHENCKII, A. C. 1517. Constantiæ in Suevia nati, Lycei Augustani Rectoris ad Hieronymum Wolfium, qua vitam suam ipsemet descripsit. In cit. Amoenit. Liter. Tom. X. Art. II. pag. 1047. Cum Analectis *M. Jac. Bruckeri* ibidem Tom. XI. Art. IX. p. 362.

Idem BRUCKERUS de VITA ET SCRIPTIS ACHILLIS PIRMINII GASSERI LINDAVIENSIS, Med. D. & Poliatri Augustani. ibidem Tom. X. Art. I. p. 987. EJUSDEMQUE ELOGIUM VIRI ILLUSTRIS LUCÆ SCHROECKII Med. D. S. R. I. Nobilis, Medici Cæs. Academiæ Imp. Nat. Cur. Præsidis, Reip. Augustanæ Physici primarii &c. ibidem Tom. XIII. Art. I.

M. JO. GEORG. LOTTERI Ord. Philos. Assessoris & Regiæ Societ. Scientiarum Berolin. adscripti, *HISTORIA VITÆ ET MERITORUM CONRADI PEUTINGERI* Augustani. Lipsiæ 1729. in 4. *EJUSDEM* Dissertatio de *TABULA PEUTINGERIANA*. ibidem 1732. Itemque Epistola ad Virum Clarissimum *Jo. Georg. Schelhorn.* qua de consilio suo publicis usibus evulgandi Opuscula Conradi Peutingeri exposite disserit. 1731. in 4.

MARCI VELSERI, Duumviri Augustani, Literarum Mœcenatis, vita, genus & mors, a *Christoph. Arnoldo* descripta, & præmissa Illustris Viri Operibus. Norib. anno 1682. in fol. junctim editis.

D. Leonh. Huteri Oratio Parentalis de vita, rebus gestis & obitu magni Theologi *D. GEORG. MYLII* Augustani. Witteb. 1607. in 4. *Marci Prusinippei* Cento Virgilianus de vitæ cursu & supremo fato *GE. MYLII.* Witteb. 1608. in 4. *Jo. Martini Rauscheri* Laudatio funebris *D. JAC. REIHINGI* Augustani, ex Jesuita Theologi Tubing. Tubingæ 1628. in 4. *D. JOH. SCHMIDII* Oratio Parentalis memoriæ & honori *D. THOMÆ WEGELINI*, Augustani Theologi, Argent. habita 1630. in 4. *VITA JO. CONRADI GOEBELII* Senioris Augustani, laudata a *D. Jo. Valent. Andreæ* Norib. 1642. in 12. *Jo. Bernh. Lubnii* Dissertatio continens memoriam *MATTHIÆ FRID. BECKII*, Theologi & Philologi Augustani, vita munereque functi. Witteb. 1703. in 4.

JEREMIAS NEUHOFERUS Collegii Evangelici Augustani Ephorus, *DE VITA ET MERITIS IN REM PATRIÆ EVANGELICAM JO. DAV. HERWARTI*, Patricii Augustani. Anno 1749. *IDEM* in Programmate *DE FATIS COLLEGII EVANGELICI* tempore Reformationis Augustanæ ab anno 1619. ad annum 1648. Aug. Vind. 1748. in 4.

FR. DOMINICI HÆBERLINI, cujus Ulmæ Literatæ faventem Lucinam apprecamur, Dissertatio Historica, sistens Vitam, Itinera & Scripta *FR. FELIC. FABRI*, Monachi Prædicatorii Conventus Ulmani, ad illustrandam Historiam Patriam. Götting. 1742. *EJUSDEMQUE* Dissertatio de *CONRADO KOLLINO*, Origine Ulmensi, Ord. Prædic. Theologo Coloniensi, Jo. Reuchlini & D. Martini Lutheri Antagonista. *IDEM HÆBERLIN. DE SCHOLIS LATINIS ET GYMNASIO ULMANORUM.* Cum Præfatione *Antonii Beck.* in Gymnasio Ulmano. Ulmæ 1737. in 4.

Histo-

Historia JO. ALBERTI WIDMANSTADII Nallinga-Ulmensis, cui primam Novi Testamenti Syriaci editionem acceptam fert Orbis eruditus, a Viro Clarissimo *And. Gottl. Masch.* egregie descripta exhibetur in Nova Bibliotheca Lubecensi, Volum. VI. Art. IV.

D. BALTH. MEISNERI Oratio Parentalis de vita & obitu D. LEONH. HUTTERI Ulmensis. Witteb. *1617*. in 4. & AMBROSII RHODII Programma in ejus funere scriptum. ibidem *1616*. in 4.

JO. BALTH. SCHUPPII Panegyricus in D. CONRADI DIETERICI, Superint. Ulmensis memoriam. Marpurg. 1640. in 4. *Abrahami Freinshemii* Laudatio postuma JO. FREINSHEMII, Ulmensis. *Eberh. Rudolphi Rothii* Memoria D. ELIÆ VEJELII, Superint. Ulmensis. Ulmæ 1707. in 4.

DANJ. EVERH. DOLP. Archivarii, jam Syndici & Consiliarii Nördl. Gründlicher Bericht von dem alten Zustand und erfolgter Reformation der Kirchen / Clöster und Schulen in des H. R. R. Stadt Nördlingen / und ihrem angehörigen Gebiet rc. Nördlingen 1738. in 8.

Theobald Gerlachers / genannt BILLICANI, ersten Evangelischen Predigers und Reformatoris der Reichs-Stadt Nördlingen an EE. Rath verfaßtes Bedencken vom Schulwesen / samt zweyen Schreiben Phil. Melanchthonis und Melchior Fenden / die Bestellung des ersten Rectoris der Lateinischen Schul daselbst M. Wolffgang Voglers von Gotha betreffend / aus den Originalien mit Anmerckungen von M. I. D. H. P. E. S. (M. Jo. Danj. Haken Past. Et Superint.) Nördl. 1700. in 4.

JO. HENRIC. SEUFERT. Scholæ Heilbronnensis Rector in Programmate DE MONUMENTIS ROMANO-HEILBRONNENSIBUS. Anno 1714. Item JO. GEORG. SCHELHORN. de Monumentis Heilbronnensibus in agro Cisnicrano inventis, cum Commentario Celeberrimi & Doctissimi JO. JAC. BREITINGERI. In ejusdem Amoenit. Literar. Tom. X. Art. VII. p. *1206*. & Art. VIII. pag. *1209*.

MARTINUS CRUSIUS in GERMANO-GRÆCIA Lib. V. p. *188*. & *216*. ubi de Eruditis Memmingensibus. Laudantur quoque Viri quidam præclari Memminga oriundi a sæpius celebrato SCHELHORNIO in der Reformations-Historie der Reichs-Stadt Memmingen p. *110*. sqq.

JO. GEORG. HERMANNI illustris Lycei Memming. Rectoris, optime meriti, Ehrengedächtnuß Herrn Christoph Schorers Phil. & Med. D. Physici & Mathematici Memming. Memmingen 1755. in 4.

Lindauische Prediger- und Schul-Historie / von der heilsamen Reformation an biß auf gegenwärtige Zeiten / aus glaubwürdigen Urkunden zusammen getragen von M. BONAVENTURA RIESCH. Rev. Minist.

Sen. 1739. in MSCto Bibliothecæ Lindav. Publicæ dedicato. Vid. Author Actorum Hist. Eccles. Tom. III. pag. 583. Tom. V. pag. 878. & Tom. VII. pag. 245.

Kurtze Nachricht von der Lateinischen Schule der Reichs-Stadt Lindau am Bodensee / und der daselbst neuerlich / im Jahr 1741. begangenen Schul-Feyer. In iisdem Actis Hist. Eccles. Tom. VI. Part. XXXII. Art. VI. pag. 241. sqq.

JO. HENRIC. FELS. Lindav. Dissertatio Inauguralis Historica, omni scientiarum genere ac laudis excellens, *de varia Confessionis Tetrapolitanæ fortuna, præsertim in Civitate Lindaviensi.* Götting. 1755.

D. ELIAS VEJEL, Theologus Ulmensis, in Dissertatione DE MERITIS URBANI REGII, magni illius Theologi, qui in Pago Montfortico, *Arguna* seu *Longa Arga* dicto, lucem aspexit, Lindaviæ autem moderante postremo Civitatis Parocho Pontificio *D. Jo. Fabro* Ludum Literarium frequentavit; quem tunc temporis & Præceptorum doctrinis & optatæ Pubis affluentia celebratum fuisse, scribit *D. Vejel.* Et ejusdem insignis Theologi biographiam luculentam quoque dedit *Ant. Gottfrid. Schlichthaberus* **in dem Evangelisch-Lutherischen Mindischen Prediger-Gedächtnuß.** Part. I.

DE VITA ET SCRIPTIS JOH. FABRI, Leofanensis, & Parochi quondam Ecclesiæ Lindav. posteaque Episcopi Viennensis, Authoris Libri, *Malleus Hæreticorum*, inscripti; Dissertatio a *M. Car. Ern. Kettnero* Gedanensi habita Lipsiæ 1737. Conf. *D. Iselin.* in Lexico Univers. Hist. Geogr. voce **Faber / Johannes. Chr. Sigm. Liebens Lebens-Beschreibung der** Theologorum, **so den Reichstag zu Augspurg** anno 1530. **besucht.** Pag. 62. sqq. Et alii.

MARTINI BREMII nativitate Isnensis, Scholæ autem Latinæ Lindav. Rectoris Clarissimi, ELOGIUM PARENTALE A MARTINO CRUSIO, Commilitone suo, in forma Epistolari ad *M. Neukom.* sub dato 21. Febr. 1606. exaratum, ipsiusque Concioni funebri subnexum, Thesauro quoque Bibliothecali paucis abhinc annis Norimbergæ edito Tom. IV. p. 198. ex integro insertum. Quo simul patet, irrepsisse errorem ex incuria Typographi vel oscitantia Revisoris, tam in ipsius *Crusii* Annal. Suev. Lib. XI. Part. III. pag. 676. Edit. Lat. quam in *Moseri* versione Germanica, & exinde in *Seyfridii* Dissertatione de Vita & Moribus Pauli Fagii, in quibus *Martinus* ille *Bremius* inter claros *Fagii* discipulos *Martinus Brentius.* sed falso nominatur, veluti ex Libro ipsius Bremii adhuc extante de Fagii Tob. Ebr. & Sententiis Ben-Siræ constat, quem notis nonnullis sine dubio ex ore Fagii illustravit *Bremius* manu propria.

Ex Classe aliorum de re Literaria, maxime Suevica, meritorum vel nativitate vel officio & munere Lindaviensium prostant: ORATIO PARENTALIS D. DANJELI HEIDERO, Imperialis Civitatis Lindaviæ Advocato ac Jurisconsulto celebratissimo dicta a *Jac. Ilino* Ludi ibidem Literarii Rectore. 3. Non. Jun. MDCXLVII. Edit. Ulmæ 1648. in 4. Cum Epitaphio & Threnodia *M. Balth. Philgi* & *Jo. Werlini.*

Lessus

Leſſus ac Threni in memoriam *VALENTINI HEIDERI*, Danjelis filii, Reip. Lindav. Syndici, cum pia ipſius memoria a *Jacobo Enderlino* Lindaviæ celebrata. Ulmæ 1656. in 4.

Ut taceamus Programmata & alia in obitum *M. VALENTINI ERITHRÆI*, alias *ROTH* dicti; *D. JOH. MARBACHII* & *D. JOH. PAPPI*, Lindavienſium. Item *D. SEBAST. SCHMIDII*, Rectoris quondam Lycei & Antiſtitis Eccleſiæ Lindav. Orationem quoque de ortu, vitæ curſu ac obitu *NICOLAI VAHRENBUHLERI*, JCti Lindav. a *Joh. Harpprecht.* habitam. 1604. &c. &c.

VITA PAULI FAGII, alias *BUCHLIN* dicti, Ludimagiſtri olim & Miniſtri V. D. Isnæ in Algoia, pietate atque linguarum cognitione Viri Excellentiſſimi, per Miniſtros aliquot Eccleſiæ Argentinenſis deſcripta. Cui acceſſit Hiſtoria de accuſatione, condemnatione, exhumatione, atque combuſtione tam *D. Martini Buceri* quam ipſius *Fagii*: Una cum Catalogo ſeu Inſcriptionibus Librorum, & præprimis eorum, quos *Fagius* opera *Eliæ Levitæ Judæi* doctiſſimi, Venetiis ad ſe accerſiti, ex officina Typographica Hebraica, impenſis *Petri Buffleri* pro eximia ſua liberalitate inſtituta in Urbe Isnenſi, in lucem edidit, & qui maximam partem in Bibliotheca publica ibidem adhucdum ſervantur. Prodiit hic Libellus de vita *Fagii* æque ac præfati *Buceri* ſumtibus Jo. Oporini Argentinæ 1561. in 8.

Tentamen Hiſtoricum *DE VITA ET MERITIS PAULI FAGII.* Auctore & Reſpondente *CHRISTIANO SEYFRIDIO* Iſnenſi, Antiſtite nunc Kauffburano, & Præſide *Jac. Guil. Feuerlino*, P. P. Altorff. 1736.

DE VITA ET MERITIS PETRI BUFFLERI, prædivitis Mercatoris & conſpicui Senatoris Isnenſis, deque ejus impenſis ac ſtipendiis, in rem Litterariam conditis, *ELOGIUM MARTINI CRUSII*, in Annal. Suevic. Part. III. Lib. XI. Cap. IX. p. 626. Item *Melch. Adami* in vitis Politic. p. 39.

Chriſtiani Eberhardi Weiſsmanni ſeu potius *Hieronymi Merzii* Hiſtoria vitæ et controverſiarum *VICTORINI STRIGELII KAUFFBEURENSIS*. 1732. in 4. Oratio Funebris de vita & morte *JOH. BRENTII* SS. Theol. D. præſtantiſſimi, ortu *SUEVO-HALLENSIS*, habita ab *Erbardo Cellio* Poeta & P. P. Tubing. Anno 1597. in 4. *Henrici Boceri* Oratio de ortu, vitæ gradibus & diſceſſu *JO. HOCHMANNI*, *BIBERACENSIS*, JCti Tubing. cum duplici Programmate. Tubing. 1604. in 4. *D. Jac. Schopperi* Oratio de vita & obitu ejusdem *HOCHMANNI*, publice recitata in Academia Altorphina: Cui acceſſit Hiſtorica Narratio de vita & obitu *JACOBI SCHOPPERI BIBERAC.* Senioris & Concionatoris ibidem Tubing. 1605. in 4.

Tandem nobis commemoranda veniunt tria fulgentiſſima Sueviæ Literatæ Sydera, principe loco digna. Triumviri nempe maximi nominis, qui ſinguli nacti ſunt Biographos dexterrimos. Primus eorum eſt *JOANNES CAPNIO*, ſive *REUCHLINUS*, Pforzhemii in Marchionatu Bada-Durlacenſi in lucem editus, primus in Germania Hebraicarum Græcarumque & aliarum bonarum literarum inſtaurator, immortali memoria dignus, cujus vitam copioſe deſcriptam Durlaci evulgavit Anno 1678. in 8. *Jo. Hennius Majus*, illius Civis, in qua pag. 68. ſqq. alii etiam Viri Celebres, Pforzhemii nati, laudantur.

Alter est *PHILIPPUS MELANCHTHON*, Musarum Ocellus, *Bretta*, Greichgoæ oppido, quod olim Marchiones Badenses tenuere, nunc vero Electores Palatini possident, oriundus. Quidni enim Virum summum Sueviæ nostræ vindicare liceat, cum ipsemet se *Suevum* diserte professus sit? Inter Epistolas nimirum illustrium Virorum ad *Jo. Reuchlinum* exaratas, & Hagenoæ anno 1519. in 4. typis excusas, Lib. II. plag. c. 3. b. legitur una illius, hac epigraphe insignita: *Philippus Melanchthon Brettanus SUEVUS Joanni Reichlino Cognato suo salutem.* Jure igitur Suevia nostra hoc incomparabili Cive, ceu insigni ornamento, superbit, cujus vitam resque gloriose gestas luculenro Commentario primum Lipsiæ typis Vœgelinianis anno 1566. in 8. exscripto, ac dein plus simplici vice recuso, enarravit *Joachimus Camerarius.*

Tertius est *DAVIDES CHLYTRÆUS Ingelfingæ*, Sueviæ Oppidulo, altero a Salinis Suevicis lapide distanti, natales suos debens, & inter præstantissimos sui ævi Historicos ac Theologos referendus, cujus vitam *OTTO FRID. SCHUTZIUS* quatuor Commentariorum Libris, ex editis pariter ac ineditis monumentis, ita concinnatam Hamburgi anno 1720. 1722. & 1728. in 8. publicavit, ut sit Annalium instar & Supplementorum Historiæ Ecclesiasticæ & Literariæ Seculi XVI. speciatim rerum in Lutherana Ecclesia & Academia Rostochiensi gestarum.

Plura Scripta horum Triumvirorum historiam illustrantia longo ordine enarrantur a Viro Clarissimo *MICHAELE FRANCKIO* in Catalogi instructissimæ Bibliothecæ *Bunavianæ* Tom. I. Volum. II. & quidem quæ spectant ad *Reuchlinum* pag. 1552. seqq. quæ ad *Melanchthonem* pag. 1432. seqq. quæque ad *Chythræum* pag. 1156. seq.

Huic Virorum summorum Trigæ adjiciendus quoque est *ANDREAS ALTHAMMERUS* alias *PALÆOSPHYRA*, gente *Suevus*, Patria *Brentius*, ex Pago & Castro Brentio ad amnem Brentium prope Giengam, Urbem Imperialem, ortus, cujus Vita a *JO. ARNOLDO BALLENSTADIO* conscripta prodiit Wolffenbutelæ anno 1740. in 4. Accesserunt huic biographiæ I. Althameri Historia Monasterii Etat. Item Biga Epistolarum, & *de Sueviæ Laudibus* epistola. II. Jo. Hornburg. *de Situ Gundelfingæ*. III. Epistolæ XXX. ad Althamerum. Meminit Clar. *Ballenstadius* pag. 16. Althamerum jam Lipsiæ, ubi juvenis literarum studiis operam locabat, colligere cœpisse *res gestas & antiquitates Suevorum* atque Germanorum, titulumque operi *Antiquitatum Germanicarum Thesauri* inscripsisse, ac in his miscellis, ceu alias etiam opus hoc nominare visum fuit auctori, agere instituisse: Cap. I. de Situ. II. de Origine. III. de Appellatione. IV. de Antiquitatibus. V. de Regionis fertilitate. VI. de ingeniorum ubertate. VII. de Suevorum peculiaribus studiis. VIII. de Pietate & Cultu Divino. IX. de insignibus oppidis. X. de fluminibus & ripis. XI. de Pagis. XII. de fortitudine. XIII. de mansuetudine & laboribus. XIV. de humanitate erga peregrinos. XV. quam lata olim fuerit Suevia. XVI. de montibus. XVII. de sylvis. Ex opere hoc, quod ipsius *ALTHAMERI* manu scriptum in Bibliotheca Augusta Guelpherbytana asservatur, speciminis loco Caput VI. *de Ingeniorum ubertate* decerpsit, quod & nos, utpote huc spectans, hic exhibebimus:

Inter

Inter multijuga Deorum dona neque hoc posterius est, quod SUEVIA semper doctissimos progenuit viros jam per multos annos. Olim enim solum Marti studuerunt, non multum literis in Germania operæ adhibitum, ut testatur *in Germ. Cornel. Tacitus: Literarum*, inquit, *secreta Viri pariter ac fœminæ ignorant.* At modo exculta est, ut vel una Suevia tot Eruditos producat, quot nulla Germaniæ pars, ne dum Italia. Quod ex uno CAPNIONE liquet, tot linguis prædito, tam docto, ut multa secula doctiorem neutiquam habuerint. Ast hunc dedit *Suevia in Phorcen* progenitum. Nulla parte sua laude fraudandi sunt cœteri. ALBERTUM MAGNUM, Logingensem (*Lauingensem*) ex familia *Bolstetter*, Episcopum Ratisb. Philosophum tam acerrimum, ut ignores, quem plus Philosophum dicas, Aristolem an Albertum? Transilire non possum HENRICUM BEBELIUM, poetam, oratorem & Historicorum absolutissimum, qui multa pro Germania, multa pro Suevia desudavit. Subsequitur PHILIPPUS MELANCHTHON, Brettanus, GEORG. SIMLER, Wimpinensis, *Jacobus Philomusus*, Etingensis, *Joannes Oecolampadius*, Winsbergensis, *Jo. Pinicianus*, *Jo. Nauclerus*, Chronographus, *Hieron. Emser*, *Alex. Brassianus* cum patre *Joanne*, *Urbanus Regius*, *Ulricus Zasius*, *Philippus Engendinus*, *Conr. Peutingerus*, *Mich. Hummelberg. Jo. Eckius*, *Barthol. Stella*, *Nic. Gerbelius*, *Jo. Stonfler*, *Fr. Irenicus*, *Jo. Conr. Hiphaticus*, *Casp. Pangeus*, *Jo. Clavius*, *Jo. Setzer*, atque consanguineus meus, *Jo. Pellio*, Gundelfingensis &c.

De laudato ALTHAMERO conferantur etiam **die unschuldige Nachrichten** de anno 1713. pag. 733. sqq. & anno 1715. seqq. nec non *Frid. Jacobi Beyschlagii* **Versuch einer vollständigen Lebens-Beschreibung** Jo. Brentii, **des ältern**, pag. 13. seqq.

SCRIPTA DE HISTORIA LITERARIA SUEVO-WURTEMBERGICA recensentur longa serie in JO. JAC. MOSERI *Bibliotheca Scriptorum de Rebus Würtembergicis* Cap. XL & *in Bibliotheca Scriptorum de Rebus Sueviecis*, voc. **Würtemberg.** Sect. VI. **von Schrifften / so die Würtembergische** Historiam Literariam **angehen.** Item in M. GEORG. CONR. PREGIZERI, Ecclesiæ Tubing. Diaconi, *Bibliotheca Suevo-Würtemberg.* tam Parte I. quam II. & in Suplementis, Parentis sui JO. ULRICI PREGIZERI *Sueviæ & Würtembergiæ Sacra* subnexis.

Et qui speciatim ex ordine Theologorum Würtembergic. Historiæ Literariæ, vel maxime Würtembergicæ de lumine suo lumen accenderunt, profert & recenset CHRISTOPH. MATTHÆUS PFAFFIUS, SS. Theol. D. & Cancellarius in illustrissima Eberhardina, Libro Commentario *de Actis Scriptisque publicis Ecclesiæ Würtemb. Actorum ipsorum Prodromo.* Tubing. in 4.

Jungantur & conferantur quoque FISCHLINUS in Memoria Theologorum Würtemberg. resuscitata. Ulmæ 1709. in 8. EJUSDEMQUE vitæ præcipuorum Cancellariorum & Procancellariorum Ducatus Würtemb. Lipsiæ 1712. in 8. JO. JAC. MOSERI Vitæ Professorum Tubing. Ordinis Theologici. Decad. I. anno 1718. Et EJUSDEM **Erläutertes Würtemberg rc. Erster und Zweyter Theil. Tübingen 1729. in 8.** Scripta alias ad Academiæ Tubing. historiam pertinentia insigni quoque numero recensentur a MICH.

FRANCKIO in Catalogo incomparabilis, Bibliothecæ *Bunavianæ* Tom. I. Volum. I. pag. 951. sqq.

Sub finem Sectionis hujus octavæ & ultimæ silentio non prætereundum esse duximus, variorum quoque Virorum Celebrium, e Suevis originem ducentium, Elogia exhiberi in Ven. BRUCKERI *Pinacotheca Virorum nostra ætate Literis illustrium* Aug. Vind. anno 1741. & sequentibus in fol. excusa; Cujus jam decem extant Decades; Et in dem Ehren-Tempel der Teutschen Gelehrsamkeit / quod præclarum Opus Augustæ Vind. anno 1747. in 4. maj. edi cœptum, quinque Decadibus absolvitur.

SUPPLEMENTUM
SCRIPTORUM RERUM SUEVICARUM.

Ad Sect. III. p. XXI. *Remi* Oratio de Frid. I. sub hac Inscriptione prostat: GEORGI REMI JCti, Dissertatio, *qua commentum esse putidum, calcasse collum Imp. Friderici Primi Ahenobarbæ, Cæsaris, Alexandrum tertium Pontificem Romanum, ostenditur.* Habita Altorphi Norimb. in Actu Doctoreo solemni, Eidib. Juniis Anno MDCXXV. Norimb. ex Typographeio Abrahami Wagenmanni in 4. Refutatio ejusdem vid. in *D. Jo. Gerhardi* Dedicat. ad Lib. II. Confess. Catholicæ Part. spec. I.

Ad fin. ejusdem Sect. III. p. XXIV. Add. ANONYMI **Historie der letstern Fürsten in Schwaben.** Franckfurt 1599. in fol.

Ad Sect. VII. Cap. 2. p. LX. JACOBI MERCKII Chronicon Constant. hoc insignitum est Titulo: Chronick des Bistumbs Costantz / d. i. Kurtze Beschreibung aller Costantzischen Bischöffen / wie und wann jeder Bischoff regieret / was sich auch unter Jedes Regierung denckwürdiges zugetragen hab ꝛc. Durch M. Jacobum Merck, SS. Theolog. Baccalaureum und Pfarrherrn zu Sigmaringen. Costantz am Bodensee 1627. in 8.

Ad Sect. VI. Cap. II. p. LXXV. Ohnumstößliche Sätze über den richtigen und legalen Hergang der Incorporation der Abtey Reichenau an den Hochstifft Costantz / und derselben von allen seiten und zu allen zeiten beschehene nachtrucksamste Unterstützung. Distrib. in Comitiis Imp. mense Jan. 1756.

Ad Sect. VI. Cap. III. pag. XXXIII. FRIDERICI HENRICI GEORGI Consiliarii Ducis Würtemb. Anmerckungen über Herrn von Icksttatts so genandte Würtembergische Grundveste ꝛc. in fol.

Ad Sect. VI. Cap. III. p. XCVIII. SERIES COMITUM DE MONTFORTT, eorumque Gesta ab anno 935. ad annum usque 1374. vid. in sup. memorati *Jo. Georgii Pruggeri* Chronico Veldkirchensi Part. I. §. 3. a pag. 13. usque 26. *De Simone Comite Montfort. in Gallia* certiores nos quoque fecit JAC. MERCKIUS in Chronico Constant. supra pag. LX. cit. in Annotat. ad pag. 193. ubi: Es ist ein Irrung / wann gesagt wird / daß in Gallia kein Geschlecht sey / welches von alten zeiten hero Montfort tituliret worden.

worden. Dann Petrus Cisterciensis Ordinis In dem Closter Vallis Sarnensis genant / thut in Historia Albigensium meldung Cap. XVII. fol. 50. Daß SIMON Graff von Montfortt wider die Albigenser ein Krieg geführet anno 1209. und daselbsten in der Vorred bezeugt Nicolaus Camuzatius Tricassinus, daß ernanter Obrister Graff Simon anno 1209. wider die Albigenser als deß wahren Glaubens Feind dapfer gestritten / biß auf das 1218 jahr / in welchem er vor Tolossa mit einem grossen stein getroffen / glorwürdig tods verblieben. Dessen Herkommen entsprungen vom Almarico, welcher des Christlichen Königs Roberti Sohn gewesen. Und liset man zu end obbesagter Vorred / daß nicht weit von dem Closter Vallis Sarnensis des gedachten Graffen Simonis Castell gelegen / welches genandt war Castell Montis Fortis oder Montfort Almarici. Dahero aber habe Graff Simon sich von dem Castell Montfort geschrieben / weil er aldort Graf und Herr war. Das Castell aber habe den nahmen Almarici auch gehabt / weil selbige Graffen von dem Almarico herkommen / welcher der Erstere ihres Geschlechts war.

Ad Sect. VI. Cap. IV. pag. CXIX. HOCKERI Antiquitäten-Schatz & Bibliotheca Heilbronnensis non spectant ad *Heilbronnam* Civitatem Imperialem in Suevia, sed ad antiquum *Cœnobium Heilbronnense*, Cisterc. olim Ord. jam Museum Evangelic. prope Norimbergam in Circulo Franconico.

Reliqui Scriptores rerum Suevicarum, qui nobis innotescerent, reservantur ad Suplementa Voluminis II. & III.



ELEN-

ELENCHUS DISSERTATIONUM SELECTARUM

VOLUMINIS PRIMI.

I.

De Natalibus Suevorum Disputatio, in Gymnasio, quod Ulmæ floret, habita a JO. CHRISTOPH. KRAFFT. Patricio Ulmensi, sub Præsidio JO. PETRI MILLERI, A. M. & tunc temporis Pro-Rectoris, Hist. & Græc. Ling. P. P. Reipublicæ Bibliothecarii, & in Academia Lipsiensi Ordin. Philos. Adsessoris. Anno 1752.

II.

Origines Alamannicæ, Auctore JO. GEORG. WACHTER. Professore Regio & Societ. Scient. Berolin. Socio. In Gundlingianis, quæ Halæ prodiere, Part. XXX. pag. 373.

III.

De Originibus & Incrementis vetustissimæ Gentis Suevicæ. JO. CHRISTOPH. ARTOPOEUS P. P. Argentorat. Respondens Gustav. Herrenschmidt Ulmensis 1692.

IV.

De Alemannorum Populo JO. NIC. HERT. P. P. Giessens. In Notitia veteris Germaniæ Populorum. Part. III. Cap. I.

V. Ale-

V.

Alemannicæ Antiquitates, ſive integra veterum Alemannorum usque ad extinctam eorundem Rempublicam, Fata. Authore JO. DANJ. SCHOEPFLIN. Hiſt. & Eloq. P. P. Argent. Anno 1722. primum per modum Diſſertationis, inſequenti autem anno in forma Tractatus editæ.

VI.

Notitia Sueviæ antiquæ, ortum & progreſſum Suevorum ad tempora infelicis cum Francis ad Tolbiacum commiſſi prœlii exhibens; In Diſſertatione a JO. CASP. BRECHENMACHERO Auguſtano habita ſub Præſidio B. G. STRUVII Jenæ 1716. & eodem adhuc anno eademque forma, præfixo Authoris nomine Auguſtæ Vind. recuſa, Struviano quoque Corpori Hiſt. Germ. Coronidis loco ſubnexa.

VII.

Regna Gentesque in Europa Principes ex Suevis. Præſide JO. ULRICO PREGIZERO P. P. & Reſpond. WOLF. JAC. FORSTNERO. Tubing. 1684.

VIII.

Gentium & Regnorum Europæ ex Suevis Continuatio. Præſide eod. PREGIZERO & Reſpond. PHILIPPO HENRICO A GOLNIZ IN WALDENSTEIN. Tubing. 1684.

IX.

Antiquitates Lacus Bodamici, cum Specimine Hiſtoriæ Lindav. Authore M. GEORG. JAC. MELLIN. Lindavia-Acroniano, ſub Præſidio Caſp. Sagittarii SS. Theol. D. & P. P. Jenæ 1693.

X.

De Viis Militaribus Romanorum in veteri Germania, per Rhætiam, Vindeliciam &c. Authore ADRIANO STEGER. Phil. & J. U. Doct. Lipſiæ 1738. in 4.

XI.

De Claudii Drufi Expeditionibus maxime Germanicis, in Rhætos, Vindelicos, Suevos &c. Præfide CHRISTOPH. CELLARIO P. P. & Refpond. AND. JUL. DORNMEYER. Lauenftad. Hannov. Halæ Magdeb. 1702.

XII.

De Suevia Profana olim Deorum Cultrice Oratio a JO. JAC. MULLERO Auguftano, Phil. & Theolog. Studiofo in Celeberrima Altorfina publice habita Anno 1699.

XIII.

De Suevia Gentili Differtatio Hiftorica M. GEORG. JAC. MELLINI Lindavia Acroniani in Alma Salana habita, anno 1695.

XIV.

De Ifide Suevis olim culta, ad locum Taciti de moribus Germ. Cap. IX. Exercitatio prior JO. GOTTLOB. BOEHME A. M. Lipfiæ 1748.

XV.

De Ifide Suevis olim culta, Exercitatio pofterior. Ejusd. pro loco. Ibid. 1749.



DISSERTATIO I.
DE
NATALIBUS SUEVORUM.

Q. D. B. V.

I. MAgnarum gentium & fluviorum, plures diversasque regiones permeantium, simillima interdum ratio videtur. Cursum cernere cuivis datum; fontes vero, unde derivantur, adcuratius signare sæpius ne ii quidem possunt, qui locorum situs quoquo studio pervestigarunt. Interim experimenta persequi nonnumquam expedit: nec adeo putamus fraudi fore, si origines Suevorum varia caligine opertas a) fateamur, easdemque indagare nihilominus instituamus.

a) B. G. STRUVIUS, in Suevia antiqua, §. IV. *nihil certi ex veterum scriptis de origine gentis nostræ hauriri potest.* Hæc si vera videantur, nostra quoque ponas infra certitudinem, dummodo non infra probabilitatem.

II. Et fuerunt sane, qui fingendi potestatem nacti tenebras feliciter, si diis placet, dispulerunt. Inter hos exempli caussa duos tantum nominasse satis erit. Prior est JOANNIUS Viterbiensis, Ord. Prædic. a) qui Suevorum priscos reges, atque alia permulta ab antiquis ignorata, ordine percensens, impudentius rem egit, quam ut fraus latere diu potuisset. Posterior OLAUS RUDBECKIUS, medicus Upsaliensis sane quam eruditissimus, b) sed qui patriæ præpostero amore concitatus plerarumque gentium celebriorum cunas in arctoas veterum Suecorum terras intulit, eoque nimium ingenio & anteceptis hypothesibus servire visus est.

a) In BEROSI *V. libris antiquitatum*, ab ipso, ut videri voluit, e MSt. erutis, & commentario illustratis. Prodiit adulterinus liber, una cum diversis aliis ejusdem furfuris opusculis, Romæ 1495. fol. ac deinde alibi locorum sæpius. Neque dicam, quam insigniter is eo scripto imposuerit istius & sequentis ævi eruditis, NAUCLERO, AVENTINO, ALTHAMERO, WIL-

LICHIO, MUNSTERO, CRUSIO, aliisque: istud vero meminerimus, superesse tamen operis Berosiani aliqua fragmenta, quæ ill. I. I. SCALIGER operi *de emend. temporum* subjecit; ac deinde multo majori numero iterum in lucem edidit I. A. FABRICIUS, *Bibl. Gr.* Lib. VI. cap. 12. tomo XIV. pag. 175. seqq.

b) In *Atlantica, sive Manheim, vera Japheti posterorum sede ac patria*; de quo libro videsis JO. MOLLERI *hypomnemata ad* JO. SCHEFFERI *Sueciam literatam*, pag. 416. seqq.

III. Videlicet divinæ paginæ nos fallant, si hic fidem mereatur. Nam ex hisce manifestum est, Noachum, unum illum ex priori mundo cum familia superstitem, cessante cataclysmo, pedem arca sua extulisse, neutiquam ad septem, ut adpellitant, triones: sed in Ararat, a) hoc est, ut mirifica consensione veteres plerique b) produnt, in Armeniorum regione: idque vel in Gordyæis, ubi fere Tigridis a PTOLEMÆO c) fons statuitur; vel ad montes Tauri altissimos, qui imminere campis Ararat ab HIERONYMO d) dicuntur. Igitur hanc & vicinam terram Sinear, e) Noachidæ tam diu coluerunt, usque dum primores populi; fortassis ne quotidiani, quum familiarum, tum possessionum auctus turbarentur, nec non aliis de caussis satius existimarent, patulas partiri f) regiones, distinctisque finibus seorsum habitare. Quumque res sic se haberet, Sem, cujus posteros æternus DEUS in peculiarem gentem adsciturus erat, terras, quas sol oriens illustrat, colere suscepit; Cham meridianas plagas cœli sibimet delegit; Japhet vero, natu maximus, quidquid reliqui ad occidentem & septemtriones situm, sibi vindicavit.

a) Vi *Genes.* VIII. 4. b) Loca diligentius ostendunt S. BOCHARTUS, *in geogr. sacra*, P. I. L. I. c. 3. p. m. 18. seq. & C. CELLARIUS, in *notitia orbis ant.* T. II. L. III. c. 11. p. m. 382. seq. c) *Geogr.* L. V. c. 13. d) In *Jesaiæ* C. XXXVII. e) *Genes.* XI. 2. f) Generatim hæc accipiendas ac de vetustissima divisione. Nam quæ postea per gentium quarumdam demigrationes immutari potuere, hic non attendenda arbitramur. Quodsi vero explanatius tot populorum ortus ex Noachi domo comperire velis, post divinum MOSEN, *Gen.* X. vide sis *Histor. univers.* ab eruditis Anglis concinnat. Tom. I. §. 353. seq. & qui velut in tabella potiora quæque sistit JAC. CAPPELLUM, *observ.* in Genes. c. X. & XI.

IV. Jam si nihil in historiarum monumentis exstat, quare vel a Semo, vel a Chamo, a) nostros illos deducamus, *audax Japeti genus* b) in præsenti unice considerandum erit. Hujus vero plures filii a Mose referuntur, c) qui, ut nomen promittebat patris, sedibus latissime extensis, insulas & continentem paullo post replere d) inceperunt.

a) BOCHARTUM, qui majores nostros ex Aegypto ductu Herculis cujusdam in Germaniam venisse somniat, d. l. P. II. L. I. c. 23. p. m. 505. non moramur, quum & ipse meliora jam docuerit P. I. L. III. c. 1. p. 167. *Præter Asiæ partem*, inquiens, *non contemnendam Japheto Europa obtigit.* b) Ita satis congrue HORATIUS, I. od. 3. 27. quamquam in poëtico errore c) *Genes.* X. 2. d) *Genes.* IX. 27. & X. 5.

V. Atque in his Gomer principe commemoratur loco, cujus inclyta progenies tam numerosa fuit, ut Scytharum gentem pariter complexa multis videatur. Sed non discedendum a JOSEPHO a) arbitramur, qui Gomerios (seu Celtas) a Gomero, Scythas a Magogo, oriundos prodidit. Inter hæc non diffitendum, utriusque gentis expeditiones & res gestas, pridem adeo misceri consuevisse, ut errorem vix vitari posse crederent antiquiores, ni Celto-Scytharum nomen, novum sane atque priscis inauditum, velut in subsidium adhiberetur.

tur. Testem excito STRABONEM b), qui ingenue, inquit, *Ex Græcorum veterum sententia perhibeo, ut gentes aquilonem versus cognitæ uno nomine sunt appellati Scythæ aut Nomades, sicut ab Homero; post hac autem cognitis etiam occiduis regionibus Celtæ & Iberi, aut mixtis vocabulis Celtiberi & Celtoscythæ dicebantur, sub uno nomine singulis gentibus ob ignorantiam comprehensis*, &c. Sed si parum isti distinxerunt gentes, nostrum erit, tanto diligentius videre, an non paullo luculentius duplex hæc familia discriminari possit.

a) *Antiq. Iud.* L. I. c. 7. Ruinoso quidem fundamento hæc JOSEPHI dicta esse superstructa Vener. S. PELLUTERIUS existimat. *hist. des Celtes*, L. I. c. 13. p. 132. Sed non credam, nominum Gomeri & Germani convenientia inductum talia narrasse optimum scriptorem, quippe de Germanis οὐδὲ γρῦ hoc loco referentem. b) De situ orb. L. I. p. m. 30. (al. p. 58.) Consimilia habet PLUTARCHUS, opp. Tom. I. p. m. 441. D.

VI. Scythis autem quomodo antiquitatem inter gentes summam vindicare queant, viderint, qui nimium JUSTINO a), & narratiunculæ istius tribuunt. b) Nomen certe vel HOMERO est recentius, utpote qui populorum sui temporis apprime gnarus Scythas nuspiam commemorat, & ne Nomadas quidem; id quod pace laudatissimi STRABONIS c) dicimus. Magogas, seu Magogios d) initio vocatos, propius ad veri speciem accedit. Si rem ipsam nosse velis, diu isti non tam populus, quam multitudo vaga & incondita fuere; siquidem non prius in rempublicam & corpus unum coierunt, quam Israelitæ ab Aegyptiis extremam servitutem paterentur. Scilicet sic ipsi Scythæ ad HERODOTUM e): *νεώτατον ἁπάντων ἐθνέων εἶναι τὸ σφέτερον, suam gentem esse omnium novissimam:* declarantes etiam, ex eo tempore, quo primum exstiterunt, usque ad Darii adversus ipsos transitum, annos omnino mille, neque amplius, exactos. Atque intra tempus illud factum est haud dubie, ut propter summam in sagittis emittendis artem & peritiam f) a Græcis Scythæ g) vocarentur, quum se ipsi antehac Scolotos adpellassent. Habitatio non semper eadem. Prima, quod sciamus, sedes atque velut patria trans Volgam fuit, quem Araxen veteres dixere; secunda in Cimmeriorum terris, qui tum super Ponto, quem Euxinum nominant, incoluerunt; tertia intra Tanaim Borysthenemque, ad 45. & 57. fere longit. itemque 47. & 55. gr. latitud. si dimensiones cæli spectes. Atque hic eorum regnum prope ad Valeriani Cæsaris ætatem stetit. h) Colonias narrare velle, audax atque temerarium putamus. Deductas tamen aliquas fuisse facile largimur, quum jam olim TIMONAX i) Scytharum gentes quinquaginta numeraverit. Plerarumque sedes adcuratius descripsit vir hoc litterarum genere haud mediocriter excellens, T. S. BAYERUS k), qui, quum omnia non obiter, sed quavis cura, perlustrasset, ad extremum Lituanos & veteres Prussiæ incolas, tum Curones, Livones, Aestios, Fennos & Lappones, Scythicam pronuntiavit esse prolem; inter ista autem, quod ad gentem Suevicam referret, nil invenit.

a) Hist. L. II. c. 1. b) Ita inter alios b. B. G. STRUVIUS, in *notit. Suev. ant.* §. VI. Scytharum gentem omnium mortalium antiquissimam adpellat; cui jungendus I. G. WACHTERUS, in *glossar. Germ. præf. ad Germ.* §. XI. c) Locum vide supra §. V. d) JOSEPHUS d. l. e) L. IV. c. 5. & 7. f) Ea enim adeo excelluerunt, ut Cyaxares, Medorum Rex, eis filium instituendum traderet. vid. HERODOT. L. I. 73. & LUCIAN. in *Toxar.* p. 37. ed. I. G. GRÆVII. g) *Scythan* enim veteri Scytharum lingua denotabat *jaculari*; vid. WACHTER, in *glossar.* voc. *schiessen*. Atque PLINIUS, hist. nat. L. VII. c. 56. omnino Scythen arcus & sagittæ inventorem tradit. h) Vid. ZOSIMUS, hist. L. I. c. 32. i) Apud Scholiast. APOLLONII RHODII L. IV. n. 321. k) In *commentar. acad. scient. Imperial. Petropol.* Tom. I. p. 416. seqq. consulendus etiam de aliis huc pertinentibus Tom. III. & V.

VII. Diximus de Scythis: jam Gomerios videre par est. Eadem hic difficultas, & fortasse major; sed fastigia sequentu populorum, quos caliginosa nox jam diu premit, absoleta quoque non sordebunt. Primum domicilium S. BOCHARTUS, quum difficile sit expedire, paullulum cunctantius definit, etsi non inscite reputans, Phrygiam intelligi debere. Et concedimus jam, missa ratione ejus a), in opinionem illam tanto confidentius, quanto certius existimamus, filium Gomeri, Ascenas, in locis istis & vicinis, sui nominis vestigia haud ita contemnenda reliquisse. Quid enim *sinus*, *lacus*, atque *amnis* in Bithynia, *Ascanii* jam olim omnes adpellati? b) quid porro *urbs*, & *regio*, & *insulæ Ascaniæ* in Phrygia minori? nisi dicas, posteros parentis atque conditoris sui piam apud se memoriam his monumentis conservare voluisse? Accedit, quod & ipse Pontus *Ascenas*, a Græcis ἄξενος, vocatus fuerit, vocabulo haud satis intellecto, quem deinceps εὐφημίας caussa in *Euxinum* c) converterunt. Itaque hoc maneat, Gomerios jam ab initio his locis habitasse. Sed quousque; dixerint, qui a veteribus non dicta tamen edocent. Nobis inter ista perquam simile videtur, eos decantatum illud: *fuimus Troes*, *fuit Ilium*, d) sæpissime exorsos, & in fuga latius dispersos, novas fortunarum sedes circumundique spectasse, & nonnullos quidem regionem aliquam vicinam occupasse, plures autem in longinquiores terræ partes hac & illac, uti casus tulerat, delatos.

a) Nimirum quod is d. l. P. I. L. III. c. 8. de Ebr. גמר & Gr. Φρύγιοι disputat, ut rationem utriusque nominis eamdem monstret, eruditius quam probabilius existimamus. Nec HERODOTUS nos in transversum aget, qui L. VII. 73. Brigas, finitimos Macedoniæ, transgressos in Asiam, fuisse Phrygas dictos, adserit: quamquam ei adsentiri cernimus EUSTATHIUM ad DIONYS. *perieg.* n. 323. Vellemus vero etiam, WACHTERUS d. l. *præf. ad Germ* §. XIX. paullo dilucidius probasset, Thraces ipsos Phrygum esse vetustissimos colonos. Nam in Orphicis carminibus, Stephanianis pariter ac Eschenbachianis id, quod ipse voluit, non invenimus. b) PLIN. L. V. c. 32. c) OVIDIUS, *Trist.* L. IV. el. 4. v. 55. seq. & L. III. el. 13. v. 27. s. d) Vid. VIRGIL. Aen. II. 325.

VIII. Scrupulum hic ipse ingerit BOCHARTUS, a) qui, ne torqueat progredientes, eximendus erit. Ait enim, hodie plerosque nomine *Gomer* Cimmerios intelligere, qui ultra Pontum Euxinum, aquilonem versus, habitaverint; & EZECHIELEM, b) virum spiritu divino plenum, Gomeritas quidem ponere ad aquilonem Judææ, sed Cimmerios fuisse tamen adeo remotos, ut vix putet, hominum istorum famam ad Judæam usque emanasse. Enimvero salva res est, dummodo HERODOTUM c) in partes advocemus. Ille vero Scythas, refert, quum ab Issedonibus a tergo urgerentur, sedes fugientium Cimmeriorum occupasse; & Cimmerios in Cherrhonesum, ubi Græca urbs Sinope, concessisse, cepisseque Sardes, evertendos tamen iterum possessione, & ab Alyatte repellendos. Itaque Cimmerios habemus, iterum in Ponto commorantes, circiter sex sæculis, priusquam Soter mundi nasceretur. Et hi quidem anni parum sane ab ætate, qua EZECHIEL in Babylone illud vaticinium edixit, d) differunt.

a) d. L. b) c. XXXVIII. 6. c) L. I. 15. 16 103. & IV. 1. 11. 12. d) Vid. THOMÆ GALEI *Chronolog. Herodoti*, hujus historiis subjectam, ed. Gronov. p. 750. coll. Ven. I. G. CARPZOVII *introd.* ab lib. bibl. V. T. part. III. p. 201. s.

IX. Quamquam vero Aquilonios Cimmerios propheta forte non respexit: nostra tamen, eos paullo propius spectasse, referet. Nec enim dubitare quemquam arbitror, quin idem populus sit Gomer, ac Cimmerii. a) Quo usque autem facta & conversiones hujus gentis comperire datum, eos variis for-

tunæ

unæ casibus jactatos deprehendimus. Forma rei publicæ, ut puto, similis istius, quæ in Scythis stetit. Reges enim, eosdemque plures habuerunt, quum Scytharum fugerent impressionem, b) id quod gentem in familias & tribus varie partitam, varieque nominatam arguit. Fuerit proinde pars Cimmeriorum, ubicunque commodum inveneris: modo simul detur, partem, & fortasse maximam eorum, intra Imaum incoluisse. Istas quippe terras dudum, & a gentibus diversi nominis possessas, veterum memoriæ ostendunt. Scythas etiam hos omnes vocitatos, STRABO c) profitetur: Scythas vero proprie sic dictos, inibi locorum non fuisse, ex superius adlatis intelligitur. Et Magogii, quod sciam, nominis ibidem nec vestigium nec vola reperitur, quum Gomerus facile adpareat scrutanti. Numquid enim certius requiras argumentum terræ a Gomeriis infessæ, quam *Comaros* d) prope *Ascatancam* habitantes, atque illos quidem in Gomari patris, hunc in Ascenasi filii memoriam sic adpellatos. Cæterum quum usque huc venerimus, agedum, progredere ad limen. Habes illic recta ad septemtrionem via quum Syebum montem, tum *Syebos* homines & *Suobenos*, qui si forte *Suevi* sive *Swoben*, veteri ipsorum idiomate non videantur, Suevos, TACITO e) auctore, per me vermium ad istar terra erepsisse dicas, contendasque.

a) Conf. quæ infra adnot. §. XII. not. b) HERODOT. IV. 11. c) Vid. supra §. V. d) PTOLEMAEUS, *geogr.* Lib. VI. c. XIII. & XIV. e) Lib. de Germania, cap. 1.

X. Superavimus non modo Caucasum & Ascataneam & Syebum montes, sed & ipsum pæne hyperboreum, ut vocant, jugum; jam si commodum est, exitum dispiciamus. Silent hic scriptores Græci, & silere istos non miramur, utpote qui suis rebus exquirendis vix sufficientes, Hyperboreos curare supervacuum ducebant. Inter ea certum manet, populos ex Asia venisse, qui Europam, atque partem ejus aliam post aliam, coluerint. Nec omnino desunt, qui istorum iter indaganti lampada præferre velint. Audiamus ergo, quid Aquilonales doceant. Hi enim *Eddas* se habere profitentur, historiarum vetustissimarum rerumque plane singularium conservatrices. Hi Othinum quoque, locum, e quo venit, atque tempus, quo coloniam ex Asia ad occidentem & septemtriones duxit, sciunt explicare Ac de *Edda* primum video dicendum. SNORRO autem STURLÆSONUS est, Islandorum Nomophylax, qui e monumentis gentis ejus vetustissimis ineunte sæculo post C. N. duodecimo, hoc penu popularibus instruxit: quamquam ei alteram vetustiorem SÆMUNDI SIGFUSONII, vulgo *Froda* dicti, longe præferendam STEPH. JO. STEPHANIUS a) contendit. Utut erit, ex utraque, vel alterutra, res suas hauriunt, qui longam illam seriem Danorum regum recitant, primamque omnium migrationem populi Gomerii e Scythia in Cimbriam in annum a M. C. 1850. rejiciunt. Si specimen habere gestias, exemplo sit JO. SUANINGIUS b) qui fragmentum, lingua atque characteribus, ut ait, priscis Gothicis exscriptum, & ab ipso magni habitum, hoc profert: *Japhet, filius Noachi tertius, sustulit filium nomine Gomerum, qui Wallandiam usu suam fecit. Thogarma autem, filius Gomeri, in Asiam minorem, quæ olim Phrygia vocabatur, transiit, vocavitque itineris sui socios Tygranos. Contigit migratio hæc anno a C. M. 1830. vivo Sarucho, Abrahami avo. Postea Gomerus II. Thogarmæ filius maritimo itinere commigravit in Europam, tertiam orbis habitabilis partem, consedítque aliquamdiu in regione Scytharum, prope paludem magnam, Oceani genetricem. Elapsis autem a creatione mundi annis 1850. coloniam duxit Gomerus junior e Scythia per varias provincias in septentrionem, excoluitque terram Vitilandiam, quæ hodie Jutia vel Cimbria nuncupatur, mari boreali affinem.* Diceres, hunc Gothum ab historia scri-

benda Gomeriis in Europam transmigrantibus fuisse; ita non personas tantum, atque loca, sed & tempora distinguit; nisi eum ipsemet narrandi modus multo juniorem declararet. Sed & vir ingenio & eruditione singulari præstans G. HICKESIUS, c) Anglus, nescio quam prompta ac mirabili facilitate Principis GEORGII, Daniæ hereditarii, excelsum genus ad Othinum refert, quem Gomero ortum, & regnorum Gothicorum conditorem prædicat: tametsi ignorare non potuerit, plures ejus nominis in monumentis veterum commemorari, ac de prisco illo, quem ut deum coluere, talia referri, quæ ne bonum virum, nec prudentem populi ductorem decent. d) Addo, quod V. Cel. T. S. BAYERUS e) exquisita ratione evicisse videatur, Othinum, si quis umquam eo nomine illustris, populique alio proficiscentis dux & princeps fuit, demum tempore Pompeji M. Getis, qui tum in cervicibus Scytharum erant, præfuisse, eosdemque in septemtrionem atque occidentem deduxisse. At hoc ævo, quisque novit, Suevos in Germania jam consedisse.

a) In *Notis* ad SAXON. GRAMMAT. *hist. Dan.* L. III. p. 93. Plura quoque hujuscemodi monumenta historica populorum borealium commemorat V. E. LOESCHERUS, *in literat. Celta*, th XXXIV. p. 62. b) In *Chronolog. Dan.* proleg pag. 6. f. c) In *Dedicat. Thesauri linguar. veter. septentr.* ed. Oxon. 1705. d) SAXO GR. c. I. p. 44. f. e) d. l. Tom. V. p. 325. seqq.

XI. Spe excidimus, quam illi ad septemtrionem injecerunt. Videamus, quid præsidii in nomine Celtarum insit. *Celtas*, ait vir cl. I. G. WACHTERUS, a) *hodie totus mundus crepat; - - sed quinam illi fuerint, aut qua de caussa sic dicti, etiamsi omnes sibi incognitum imputent, singuli tamen videntur ignorare.* Imo enimvero discere avemus, itaque exponito. Scilicet, ut postmodum b) declaras, *Cil* in hodiernum usque diem Cambris significat secessum, recessum, fugam; & *Ciliad* sive *Cylidd*, (quod omnino nomen esse dictitas Celtarum) profugum, item fugatorem: uterque autem sensus conveniebat illis populis, qui, dum Græcos fugiebant, sæpe alios vicissim fugabant, ut fieri solet in migrationibus. Absit, uti nos, qui suo sensu unumquemque abundare patimur, præclaro viro istud εὕρημα invideamus: etiamsi nihil novi dicat, c) atque insuper duplex hujusmodi significatus, quorum alter alterum conficere videtur, paullo insolentior in linguis esse soleat. Et fugerunt sane Phryges, quum Græcorum astu ac virtute superatos se viderent; partem vero Iliorum statim post metropolin excisam, Tutiscone duce, in Germaniam venisse, aliis probandum esse argumentis reor, quam traditione veteri in gente nostra jugiter recepta, quæ majores nostros a Trojanis oriundos perhibet. d) Cæterum si sentiendi ac dicendi æqua omnium potestas, Celtæ nomen ipsum esse Celticum e) existimo. CÆSAR: f) *qui ipsorum lingua Celtæ, nostra Galli adpellantur.* Et PAUSANIAS: *Ut Galatæ* (vel Galli) *appellarentur, non nisi sero usus obtinuit. Celtas enim quum ipsi se antiquitus, tum alii eos nominarunt.* Videlicet sic Græci primum *Celtas* modica mutatione vocis *Galatas* vocarunt, & e Galatis Romani *Gallos* effecerunt. Hinc & APPIANUS: h) *Eam partem incolunt Celtæ, qui nunc Galatæ & Galli nominantur.* Etsi vocula ab ipso usurpata, ὅσοι, nos docere posse videatur, Celtas non in universum, sed ex parte tantum, Galatas vel Gallos adpellari temporis successu incepisse. Et omnino quidem Celtæ appellationem patuisse latius existimamus, quam vel Galatæ, vel Galli. EPHORUS, quem STRABO i) excitat: *Partem*, inquit, *quæ subsolanum spectat, Indos habitare; ad austrum vero Aethiopas, ad occidentem Celtas, ad aquilonem Scythas.* Ita ille quidem vastioribus terrarum spatiis celebriores populos definit, nimium profecto generaliter, sed procul fraude; siquidem divisio hæc adeo vetusta est, ut alia antiquior in Græcis non superfit. Eam ergo si eatenus sequamur, Celtæ

fuerint

fuerint necesse est non tantum in Illyrico & Hispania, sed & in Germania, Britannicisque insulis, verbo, in Europa pæne universa; nisi quod, quum Sarmatarum gens diversa esse intelligeretur, ii posthac segregati a Celtis sub Scytharum nomine constiterint. k) Ratio in linguæ, dialecto tantum variantis, l) & institutorum in tot regionibus similitudine haud dubie quærenda, quæ & stirpem omnium illarum gentium eamdem prodit, & sententiam confirmat, Europæos, antequam cum aliis, ut fieri ætate solet, gentibus commiscerentur, majorem partem in Gomeri posteris fuisse numerandos. Gomerum dico, quum adserere vix atque ne vix quidem audeam, ab Ascenaso eos singulos fuisse ortos. De Germanis quidem minimum ambigere poterimus, quum & prisca Judæorum scripta, *Ascenas*, Germaniam interpretentur; etsi rideat BOCHARTUS, m) cujus ratio amittit robur, simul atque Gallos ex Europa denuo in Asiam profectos cogitamus. Ascenasum vero ipsum in Europam has colonias duxisse, ob id ipsum, quoniam vix quisquam serio adfirmat, non refellam.

a) d. l. *præf. ad Germ.* § XXIV. b) Ibid. §. XXVI. c) Vid. I. D. SCHOEPFLINUS in *Alsatia illustrata*, opere, quod Musæ suum facile agnoscant, p. 96. d) c. l. §. XXV. not. (q.) e) Consentit ill. G. G. LEIBNITIUS, *in collect. etymol.* P. I. p. 104. vocem Keltæ atque Galatæ eamdem putans. Idem vero nominis notationem addit, quam STRABONI non fuisset adscripturus, si illius verba L. IV. p. m. 18. reperiunda, paullulum penitius inspicere dignatus esset. Alii originationes alias dederunt; sed prudenter olim vir, quum gente sua, tum doctrina nobilissimus, M. VELSERUS: *earum ut una aliqua vera sit, fieri fortasse potest; ut certa & comperta nobis habeatur, fieri, quantum video, non potest.* Rerum Boicar. L. I. ineunte. f) *De bello Gall.* L. I. 1. g) L. I. c. 3. extr. h) *De bello Hisp.* mit. i) L. I. p. 31. al. p. 59. k) Si qua alia in re, certe in Celtarum sedibus definiendis, maxime dissentiunt scriptores. Ut enim alii Celrarum nomine nunc omnes, nunc plerasque Europæas gentes comprehendunt; ita alia ad Gallos tantum & Germanos, vel ad solos etiam Germanos, eam adpellationem pertinere arbitrantur. Nomina & rationes, quibus suam quisque roborat opinionem, nostra pagina non capit. Ab his vero omnibus discedit Cel. SCHOEPLINUS, d. l. p. 109. seqq. utpote qui solis Gallis Celticum adscribit nomen, & sententiæ peculiaris argumenta minime spernenda promit. Quodsi ergo nec sententias eorum diversissimas conciliare, nec judicium omnino cohibere licet; dicemus breviter, Celtas, proprie sic adpellatos, eos quidem populos videri, qui Alpibus, Rheno, Oceano, Pyrenæis montibus, & mari mediterraneo circumscripti habitarunt; inter ea tamen temporis successione factum, ut ad alios complures, quorum lingua, mores, instituta, parum inter se differre, quique proin ex eodem sanguine prognati videbantur, nomen hoc extenderetur, ac scriptores Græci & Latini, quibus cæteri non æque, ut Galli Trans-Alpini, atque ii, qui Italiam superiorem circa Padum occuparant, noti erant, hoc vocabulo ad omnes prope Europæos, Boreæ viciniores, designandos uterentur; verum ita tamen, ut quo rectius eorum aliquis discrimina terrarum atque populorum cognovisset, eo etiam distinctius & pressius de iis scriberet. l) *Vid.* PHIL. CLUVERII *Germ. ant.* L. I. c. 5. seq. m) c. l. P. I. L. IV. 38. p. 356.

XII. Superest, ut universe atque generatim dicta ad præsentem quæstionem conformemus. Observatum supra fuit, populum Cimmerium eumdem esse, atque posteros Gomeri. De Cimmeriis hæc autem DIODORUS SICULUS: a) *Qui temporibus vetustis omnem Asiam incursionibus turbaverant, Cimmerii tum quidem adpellati, iidem sunt, ut referunt nonnulli, qui nunc, voce per ætatem paullulum corrupta, Cimbri* (b *nominantur. Ex antiquo latrociniis dant operam, non,* &c. Scimus, quid in his sequentibusque DIODORI verbis celeb. G. WERNSDORFFIO c) haud ita pridem displicuerit, quare etiam is multo eruditæ lectionis adparatu utitur, ut a sinistra explicatione vindicet scriptoris men-

mentem. Nobis autem DIODORUS nihil quidquam voluisse aliud videtur, quam Cimmerios & Cimbros, & Senones Gallos, & Galatas seu Gallogræcos, e sententia quorumdam, ratione ortus sui unam esse eamdemque gentem, quæ diverso tempore & loco sub nominibus diversis, quum in Asia, tum in Europa, bellica ferocitate atque potentatu suo inclaruerit. Et hoc quidem modo neque DIODORUS fallitur, nec ii, qui sub nomine Celtarum omnes illos populos promiscue & una complectuntur. Interim hic meminerimus, gentem latrociniis, cujusmodi tum temporis honesta habebantur, suetam, atque nunc pellentem alios, nunc pulsam, sedes non quas maxime optabat, sed quas obtinere poterat, tam diu coluisse, donec multitudo ingravescens vel inferre populis vicinis arma, vel in loca longius remota immigrare necessarium arbitraretur. Quinam primi inter istos in Europam se contulerint, ambiguum perpetuo futurum reor. Si Cimbros adpellavero, alii haud ægre addent, alii, ingenio diverso usi, dement vel negabunt fidem. Illud autem veri perquam simile videtur, demigrationes illas pedetentim, prout locus, tempus, atque attributa rerum alia, suaserunt; d) tum a pluribus fortasse, sed non ideo ab omnibus, de patria decedere volentibus, simul susceptas; denique & terras Europæas aquilonem versus paullo citius ab iis advenis fuisse occupatas, quam interiores Germanorum, ut nunc adpellantur, regiones. Isthic enim antiquissima videri monumenta licet; quæ opinionem summæ vetustatis inter gentes illas sane quam mirifice confirmant. Ecquid ergo dubitemus, populos angustiæ, terræque forsitan haud adeo frugiferæ pertæsos, sicut aliis ex locis, ita etiam ab Ascatanea & Syebo, recta occidentem versus demigrasse, quumque bonis avibus Codanum sinum e) attigissent, alios eorum Scantiam, seu Scandinaviam, ad dextram delegisse incolendam; ad sinistram vero alios, cumprimis autem Suevos nostros litora & continentem occupasse maris ejus, quod & ipsum, argumento non infitiando, quod dominium illius regionis primi capessiverint, *mare Suevicum*, ut flumen, undas suas hic emittens, *Suevum*, ex antiquo suo nomine vocarunt? Et hic quidem eos alia, si DEUS volet, opportunitate revisemus.

a) *Biblioth. hist.* L. V. p. m. 309. b) Si quid cernimus, non major hic corruptio aut immutatio, quam dum Græci pro μεσημερία, & γαμυρὸς facta syncope, μεσημβρία & γαμβρὸς dixerunt. Eodem vero pertinet, quod Cambri, qui nunc Vallienses in Britannia vocantur, & antiquæ dictionis suæ tenacissimi feruntur, ipsi semet *Kumero*, *Cumeri*, aut *Cymro*, hodienum appellare soleant. Vid. W. CAMDENI *Britannia* pag. 14. & *Hist.* univers. ab Anglis scripta, Tom. I. §. 380. Cæterum si ea ratio est nominis Cimbrorum, patet sane, aut PLUTARCHUM (loco statim indicando) nimis credulum fuisse, qui *latronum*, Germanorum lingua *Cimbrum* adpellari retulit; aut Cimmerios Cimbrosue, latrociniis sic adsuevisse, ut, si latro aliquis celebrior adesset, Cimber iste quidem per adsimilationem diceretur. c) *De republica Galatarum*, c. II. p. 87. seq. d) PLUTARCHUS *in vita Marii*, p. 411. inter alia, quæ Græce non exscribum, de Cimbris, qui a Mario prostrati sunt: *Nonnulli Galliam* (κελτικὴν) *longitudine regionis & laxitate ab oceano & septemtrionalibus plagis ad orientem versus lacum Mæotim vergere, & ad Scythiam Ponticam perhibent pertinere, atque inde illas commistas gentes. Has domo egressos non uno neque perpetuo impetu, verum quoque anno semper porro progredientes, sub ver arma circumferendo peragrasse continentem Europæ. - - - Alii autumant Cimmerios, qui primi a Græcis quondam cogniti sunt, partem exiguam fuisse universi, tantum catervam quamdam profugorum vel seditiosorum a Scythis compulsam, a Mæotide palude in Asiam duce Lygdamio trajicere; maximam eorum multitudinem & bellicosissimam in ultimis oris ad oceanum habere sedes; regionem incolere ob profundas & densas silvas, quæ ad silvam Hercyniam introrsum pertineant, &c.* Hæc ille Chæronensis, quem audire visum est, ne novam forte hanc sententiam putares, qua Cimmerii & Cimbri tamquam ex eadem stirpe nati referuntur; nec non ut exemplum aliquod habe-

haberes, quonam modo prisci demigrationes suas instituerint. e) Ita mare Balticum adpellat PLINIUS, *hist.* nat. L. IV. 13. & POMPON. MELA, *de situ orbis*, L. III. c. 3.

DISSERTATIO II.
ORIGINES ALAMANNICÆ.

I. Nomen ALAMANNICUM sub Antoninis clarescere cœpit, nec ante CARACALLAM, qui primus illud assumsit, literis proditum est. Spartianus in Carac. cap. 10. *Quum Germanici & Parthici & Arabici, & ALEMANNICI nomen adscriberet. Nam ALEMANNORUM gentem devicerat.* Hæc est prima & vetustissima nominis ALAMANNICI in Historia Rom. mentio, unde ipsius populi novitas recte colligitur, etiamsi extra dubium sit, nomen illud mentione sua vetustius esse.

II. De origine & appellatione ALAMANNORUM variæ & mirificæ opiniones ab eruditis proditæ sunt. Nos hoc loco verisimiliores tantum recensebimus. B. Rhenanus Lib. I. Rer. Germ. Gentem Alamannicam ex SUEVIS TRANSALBIANIS, uti vocat, & aliquot ulterioribus nationibus componit. *Suspicor*, inquit, *quum Germani illi septentrionales ex magna parte SUEVI TRANSALBIANI cum aliquot ulterioribus Nationibus, mutare sedes, & opportuniora ad deprædandas Romanorum Provincias occupare loca constituissent, (namque illinc præ multitudine potentissimorum populorum, hinc Francorum, illinc Suevorum, Quadorum, Marcomannorum, vix ullus incursioni patebat aditus) imitati priores Germanos, qui transito Rheno primi sibi hoc nominis indiderunt, & ipsi novo vocabulo se ALAMANNOS appellarunt, glorioso quidem nomine, sed formidabili consanguineis populis ac miseris provincialibus, nempe quod fortissimi bellatores essent, & VIRI OMNES.*

III. ALAMANNOS a Suevis originem accepisse, (quamvis non solis) & hinc Germanico nomine SUEVOS appellatos esse, postea demonstrabitur. Sed hos Suevos bellandi aut prædandi causa novas sedes quæsivisse, suspicio est, falsæ nominis ALAMANNICI interpretationi superstructa, quod in lingua vetere *Alaman* nec gloriosum nec formidabile est. Nam apud priscos Alamannos (quantum ex Glossario KERONIS Monachi S. Galli aliisque monumentis antiquis Teutonicis perspicere licet) MANN nomen hominis est, non viri fortis, aut bellatoris.

IV. Clariss. Hertius, qui populos veteris Germaniæ commentationibus eruditis illustravit, ALAMANNOS sic dictos censet, quasi *Allerleymannos*, id est, homines varios, quod scil. ex variis Germaniæ magnæ nationibus foederatis essent compositi. *Nimirum plures*, inquit, *Germaniæ Nationes, vel ad inferendam Romanis vim, vel ad eos repellendos in FOEDUS coivisse videntur. Etenim iam Antonino Philosopho imperante, ut autor est Capitolinus in ejus vita cap. 22. GENTES OMNES AB ILLYRICI LIMITE USQUE GALLIAM CONSPIRAVERUNT, UT MARCOMANNI, NARISCI, HERMUNDURI, QUADI, SUEVI, SARMATAE, LATRINGES ET BURI. Et Germani compluribus tristibusque experimentis didicerunt, dum singuli pugnarent, universos vinci. Quæ ratio etiam Nationes ex altera Germaniæ parte*

mentem. Nobis autem DIODORUS nihil quidquam voluisse aliud videtur, quam Cimmerios & Cimbros, & Senones Gallos, & Galatas seu Gallogræcos, e sententia quorumdam, ratione ortus sui unam esse eamdemque gentem, quæ diverso tempore & loco sub nominibus diversis, quum in Asia, tum in Europa, bellica ferocitate atque potentatu suo inclaruerit. Et hoc quidem modo neque DIODORUS fallitur, nec ii, qui sub nomine Celtarum omnes illos populos promiscue & una complectuntur. Interim hic meminerimus, gentem latrociniis, cujusmodi tum temporis honesta habebantur, suetam, atque nunc pellentem alios, nunc pulsam, sedes non quas maxime optabat, sed quas obtinere poterat, tam diu coluisse, donec multitudo ingravescens vel inferre populis vicinis arma, vel in loca longius remota immigrare necessarium arbitraretur. Quinam primi inter istos in Europam se contulerint, ambiguum perpetuo futurum reor. Si Cimbros adpellavero, alii haud ægre addent, alii, ingenio diverso usi, dement vel negabunt fidem. Illud autem veri perquam simile videtur, demigrationes illas pedetentim, prout locus, tempus, atque attributa rerum alia, tulerunt; d) tum a pluribus fortasse, sed non ideo ab omnibus, de patria decedere volentibus, simul susceptas; denique & terras Europæas aquilonem versus paullo citius ab iis advenis fuisse occupatas, quam interiores Germanorum, ut nunc adpellantur, regiones. Isthic enim antiquissima videri monumenta licet; quæ opinionem summæ vetustatis, inter gentes illas sane quam mirifice confirmant. Ecquid ergo dubitemus, populos angustiæ, terræque forsitan haud adeo frugiferæ pertæsos, sicut aliis ex locis, ita etiam ab Ascatanea & Syebo, recta occidentem versus demigrasse, quumque bonis avibus Codanum sinum e) attigissent, alios eorum Scantiam, seu Scandinaviam, ad dextram delegisse incolendam; ad sinistram vero alios, cumprimis autem Suevos nostros litora & continentem occupasse maris ejus, quod & ipsum, argumento non infitiando, quod dominium illius regionis primi capessiverint, *mare Suevicum*, ut flumen, undas suas hic emittens, *Suevum*, ex antiquo suo nomine vocarunt? Et hic quidem eos alia, si DEUS volet, opportunitate revisemus.

a) *Biblioth. hist.* L. V. p. m. 309. b) Si quid cernimus, non major hic corruptio aut immutatio, quam dum Græci pro μεσημερία, & γαμικὸς facta syncope, μεσημβρία & γαμβρὸς dixerunt. Eodem vero pertinet, quod Cambri, qui nunc Vallienses in Britannia vocantur, & antiquæ dictionis suæ tenacissimi feruntur, ipsi semet *Kumero*, *Cumeri*, aut *Cymro*, hodienum appellare soleant. Vid. W. CAMDENI *Britannia* pag. 14. & *Hist.* univers. ab Anglis scripta, Tom. I. §. 380. Cæterum si ea ratio est nominis Cimbrorum, patet sane, aut PLUTARCHUM (loco statim indicando) nimis credulum fuisse, qui *latronum*, Germanorum lingua *Cimbrum* adpellari retulit; aut Cimmerios Cimbrosue, latrociniis sic adsuevisse, ut, si latro aliquis celebrior adesset, Cimber iste quidem per adsimilationem diceretur. c) *De republica Galatarum*, c. II. p. 87. seq. d) PLUTARCHUS *in vita Marii*, p. 411. inter alia, quæ Græce non exscribum, de Cimbris, qui a Mario prostrati sunt: *Nonnulli Galliam* (κελτικὴν) *longitudine regionis & laxitate ab oceano & septemtrionalibus plagis ad orientem versus lacum Mæotim vergere, & ad Scythiam Ponticam perhibent pertinere, atque inde illas commistas gentes. Has domo egressas non uno neque perpetuo impetu, verum quoque anno semper porro progredientes, sub ver arma circumferendo peragrasse continentem Europæ. - - - Alii autumant Cimmerios, qui primi a Græcis quondam cogniti sunt, partem exiguam fuisse universi, tantum catervam quamdam profugorum vel seditiosorum a Scythis compulsam, a Mæotide palude in Asiam duce Lygdamio trajicere: maximam eorum multitudinem & bellicosissimam in ultimis oris ad oceanum habere sedes, regionem incolere ob profundas & densas silvas, quæ ad silvam Hercyniam introrsum pertineant, &c.* Hæc ille Chæronensis, quem audire visum est, ne novam forte hanc sententiam putares, qua Cimmerii & Cimbri tamquam ex eadem stirpe nati referuntur; nec non ut exemplum aliquod habe-

haberes, quonam modo prisci demigrationes suas instituerint. e) Ita mare Balticum adpellat PLINIUS, *hist.* nat. L. IV. 13. & POMPON. MELA, *de situ orbis*, L. III. c. 3.

DISSERTATIO II.
ORIGINES ALAMANNICÆ.

I. NOmen ALAMANNICUM sub Antoninis clarescere cœpit, nec ante CARACALLAM, qui primus illud assumsit, literis proditum est. Spartianus in Carac. cap. 10. *Quum Germanici & Parthici & Arabici, & ALEMANNICI nomen adscriberet. Nam ALEMANNORUM gentem devicerat.* Hæc est prima & vetustissima nominis ALAMANNICI in Historia Rom. mentio, unde ipsius populi novitas recte colligitur, etiamsi extra dubium sit, nomen illud mentione sua vetustius esse.

II. De origine & appellatione ALAMANNORUM variæ & mirificæ opiniones ab eruditis proditæ sunt. Nos hoc loco verisimiliores tantum recensebimus. B. Rhenanus Lib. I. Rer. Germ. Gentem Alamannicam ex SUEVIS TRANSALBIANIS, uti vocat, & aliquot ulterioribus nationibus componit. *Suspicor*, inquit, *quum Germani illi septentrionales ex magna parte SUEVI TRANSALBIANI cum aliquot ulterioribus Nationibus, mutare sedes, & opportuniora ad deprædandas Romanorum Provincias occupare loca constituissent, (namque illinc præ multitudine potentissimorum populorum, hinc Francorum, illinc Suevorum, Quadorum, Marcomannorum, vix ullus incursioni patebat aditus) imitati priores Germanos, qui transito Rheno primi sibi hoc nominis indiderunt, & ipsi novo vocabulo se ALAMANNOS appellarunt, glorioso quidem nomine, sed formidabili consanguineis populis ac miseris provincialibus, nempe quod fortissimi bellatores essent, & VIRI OMNES.*

III. ALAMANNOS a Suevis originem accepisse, (quamvis non solis) & hinc Germanico nomine SUEVOS appellatos esse, postea demonstrabitur. Sed hos Suevos bellandi aut prædandi causa novas sedes quæsivisse; suspicio est, falsæ nominis ALAMANNICI interpretationi superstructa, quod in lingua vetere *Alaman* nec gloriosum nec formidabile est. Nam apud priscos Alamannos (quantum ex Glossario KERONIS Monachi S. Galli aliisque monumentis antiquis Teutonicis perspicere licet) MANN nomen hominis est, non viri fortis, aut bellatoris.

IV. Clariss. Hertius, qui populos veteris Germaniæ commentationibus eruditis illustravit, ALAMANNOS sic dictos censet, quasi *Allerleymannos*, id est, homines varios, quod scil. ex variis Germaniæ magnæ nationibus fœderatis essent compositi. *Nimirum plures*, inquit, *Germaniæ Nationes, vel ad inferendam Romanis vim, vel ad eos repellendos in FOEDUS coivisse videntur. Etenim iam Antonino Philosopho imperante, ut autor est Capitolinus in ejus vita cap. 22. GENTES OMNES AB ILLYRICI LIMITE USQUE GALLIAM CONSPIRAVERUNT, UT MARCOMANNI, NARISCI, HERMUNDURI, QUADI, SUEVI, SARMATAE, LATRINGES ET BURI. Et Germani compluribus tristibusque experimentis didicerunt, dum singuli pugnarent, universos vinci. Quæ ratio etiam Nationes ex altera Germaniæ*

parte in fœdus ac nomen FRANCORUM composuit. Eosdem & Suevos dictos opinatur Vir doctus, *forte quoniam hi inter illos prævalebant.*

V. Verum hanc conspirationem Germanorum novo populo originem dedisse nec Capitolinus, nec alius veterum memoriæ prodidit. Similiter Constantino M. imperante conspirarunt in unam belli societatem *Bructeri, Chamavi, Cherusci, Vangiones, Alamanni, Tubantes.* An putabimus novam Remp. inde natam esse? Nihil minus. Nam hac conspiratione sua nihil aliud profecerunt, quam ut una & compendiosa victoria simul omnes vincerentur. Idem sub Antonino accidit, qui bellum Marcomannicum ipsis Germanorum auxiliis extinxit, teste Capitolino cap. 21. *Emit & Germanorum auxilia contra Germanos.* Nondum enim Germani intellexerant, dum singuli pugnarent, universos vinci. Denique omnes populi a Capitolino memorati, & inprimis MARCOMANNI & QUADI, post auditum nomen ALAMANNORUM, clarent adhuc in historia, ut genres separatæ, nullumque vestigium transitus sui in nomen & Remp. Alamannorum relinquunt. Interim ALAMANNOS non unius generis homines fuisse, sed ex variis Germaniæ nominibus & nationibus coaluisse (si Galli non excludantur) facile admittimus, quamvis aliud apud eos significante vocabulo. Nam si de nomine ALAMANNICO ex lingua Alamannica sententia ferenda est, *Allemann* est unusquisque, non varius aut diversus. KERONI certe in Glossario Alam. *all* significat *omnis*, non *varius.* Eidem *varius* & *diversus* dicitur *missilich*, non *all.*

VI. Sed missis aliorum opinionibus nostram nunc exponamus. MAROBODUUS Rex (nam ab ovo incipiendum est) novum regnum procul a Romanis conditurus, MARCOMANNIS suis persuasit, ut pulsis Boiis sedes eorum in saltu Hercynio occuparent. Quorsum Boii migraverint, & unde, aut quando in regionem, quam hodie incolunt, pervenerint, incertum. Illud vero certissimum, Marcomannos relicto solo patrio Boiohemum occupasse, & novum ibi regnum, ipsis Romanis formidandum, condidisse. Id enim scriptores rei gestæ vel penitus, vel prope coævi, Strabo & Vellejus, & post illos Tacitus, memoriæ prodiderunt. De primis sedibus Marcomannorum nulla est discordia. Convenit enim inter omnes, illos, antequam in interiora Germaniæ secederent, totum illum terræ tractum, qui est inter Danubium, Rhenum, Mœnumque, incoluisse. Isque tractus a Marcomannis, natione Suevica, antiquitus nomen SUEVIAE obtinuit. Nam *fontes Istri sunt prope Suevos,* id est, prope Marcomannos, juxta Strabonem in Geograph. Lib. 4. pag. 207. In iisdem finibus patriam & initia ALAMANNORUM quærenda esse, omnes consentiunt, & pluribus probant Cluverius German. Ant. Lib. 3. cap. 3. & 4. Bucherius Belg. Rom. Lib. 1. cap. 21. Cellarius Geograph. Ant. Lib. 2. cap. 5. Nec repugnat Clariss. Hertius, de populo Alaman. sic scribens: *Primis temporibus inter Danubium, Rhenum & Mœnum habitavit, idque a plerisque veterum Historicorum interpretibus notatum.* Quo ipso manifestum est, ALAMANNOS fuisse Marcomannorum veterum in solo derelicto successores. Restat ergo, ut videamus, quinam fuerint novi isti veteris Marcomanniæ coloni, undenam oriundi, & qua de causa sic dicti?

VII. Marcomannis a Danubio & Rheno digressis (quod juxta Cluverium XV. ante Christum natum anno contigit) regionem vacuam diuque incultam, dum & Romani omittunt, & Germani non audent vindicare, GALLI quidam, sed pauperes & miseri, occupare cœperunt. Solum ipsum post Marcomannorum excessum erat *dubiæ possessionis,* & hinc novelli coloni cogebantur modo Romanis, modo Germanis decimas solvere, prout hi, vel illi prævaluerant.

luerant. Hoc ALAMANNIÆ initium clare describit Tacitus de mor. Germ. cap. 29. *Non numeraverim inter Germaniæ populos, quanquam trans RHENUM DANUBIUMQUE* (in regione puta Marcomannorum) *consederint, eos, qui Decumates agros exercent. Leviſſimus quisque GALLORUM, & inopia audax, DUBIÆ POSSESSIONIS ſolum occupavere.*

VIII. Hactenus ALAMANNI non erant Germani, ſed Galli & Germanorum finitimi. Nomen certe Gallicum eſt, non Germanicum, quicquid dicant alii, qui ut plurimum veteres linguas ignorant, ſine quibus tamen nihil recte in hiſtoria diſcitur. Nam *all* Dialecto Gallica eſt *alius*. Teſtis ſit vetus ſcholiaſtes ad Sat. 8. Juvenalis: *Allobrogæ Galli ſunt. Ideo autem dicti Allobrogæ, quoniam BROGÆ Galli* agrum *dicunt, ALLA autem* aliud. *Dicti igitur, quia ex alio loco fuerant translati.* Quem locum fruſtra oppugnat Bochartus, quod ἄλλος Græce ſit *alius*, non Gallice. Nam hac ratione poterat etiam argumentari, quod ἄλλος Græce ſit *alius*, non Latine. Conſentiunt autem ſcholiaſtæ hodie Cambri, veteris linguæ Gallicæ una cum Armoricis cuſtodes, quibus *all* alius, *arallu* alterare, *allvvlad* advena *alltud* alienigena. Eadem Dialecto, teſte Boxhornio in Vocabulario Antiquo - Britannico, Alamannus & quivis peregrinus vocatur ELLMYN, ab *all* alius, alienus. Alamannis & Francis *all omnis* eſt, ſed adoptione alius. Hinc *aliunde* Alamannis dicitur *allaſuuanan*, apud Keronem in Gloſſ. *extraneus*, *elelendig*, apud Lipſ. in Gloſſ. Nobis *exilium* hodieque vocatur Elend / quaſi terra extera, a Gallico *ell*, *all*, alius, alienus, & Land / regio. Galli itaque prædicti, cum cepiſſent agros Marcomannorum deſertos occupare, & vomere exercere, ſciſcitantibus hinc Germanis, inde Romanis, cujates eſſent, reſponderunt lingua ſua, id eſt, Gallica, ſe non eſſe Romanos, nec Germanos, ſed *Ellmyn*, id eſt, alienigenas & peregrinos. Quæ res nomini ALAMANNICO originem dedit.

Confirmat hanc Etymologiam, quod ALAMANNI apud Dionem in Excerptis appellantur Ἀλαμβάνοι, & contracte Ἀλβάνοι, id eſt, exteri, peregrini, quem ſignificatum diſcimus ex chartis antiquis apud *Ducangium* in Gloſſario, ubi omnes promiſcue peregrini & adventitii vocantur ALBANI. Idem cognoſcitur ex veteri ſermone Franco-Gallico, in quo peregrinus dicitur *Aulbain*, & Jus Regis in bona peregrini defuncti *Droit d' aulbaine*. Dubium autem non eſt, *Albanos* æque ac *Aulbains* factos eſſe ex *Alamannis*, litera M. in B. converſa, ut ex σίμμι *ſtibium*, ex *marmore*, *marbre*. Poſtera ætas truncando literam L. ex *Aulbain*, originem vocis mire obfuſcavit. Eosdem vero homines eſſe, *Albanos*, *Alambannos* & *Alamannos*, vidit ante omnes Vir in Antiquitatibus illuſtrandis acutiſſimus H. Valeſius in not. ad Excerpta Dionis, & poſt illum, quamvis nulli ſecundus, Ezech. Spanhemius in laudatiſſimo opere de uſu & præſt. Numiſmatum.

X. Hæc Gallorum convena multitudo, cum Taciti ævo nondum valde populoſa eſſet, non multo poſt in juſtum populum excrevit acceſſu Germanorum, qui ſe primitiis illis in eodem terræ ſinu (quod, utpote res nullius, occupanti cederet) conſociarunt. Sicque novitas nominis ALAMANNICI ad univerſam plebem coaleſcentem pervenit, ita ut non ſolum Galli, ſed etiam Germani, quamvis major pars populi, a Romanis dicerentur ALAMANNI, id eſt, *convenæ*, & peregrini. Enim vero Germanos in iſta peregrinorum concurſione numerum haud contemnendum compoſuiſſe, & hinc nomen ALAMANNORUM conſecutos eſſe, autor eſt Agathias Lib. I. qui ſuum viciſſim autorem habet: *ALAMANNI autem*, inquit, *ſi Aſinio Quadrato*,

Viro Italico, *fides præstanda*, *qui res GERMANICAS diligenter perscripsit*, *CONVENÆ sunt*, *& mixti homines*, *quod & eorum nomine præfertur.* Convenæ autem sunt omnes peregrini, qui ex diversis gentibus in unam sive gentem sive civitatem conveniunt, non bellandi, sed habitandi, & agros colendi causa. Ubi cavendum, ne (quod Cluverio accidit) scriptor Italicus ab Agathia laudatus cum Asinio Strabonis & Suetonii confundatur, qui cum vetustior sit Alamannis, de illis scribere non potuit. Veram Quadrati ætatem determinavit Vossius in Historicis Græcis, quem vide.

XI. Ex hac demonstratione patet, ALAMANNOS esse Remp. fortuito natam, quæ ex variis Galliæ Germaniæque convenis in solo dubiæ possessionis evaluit, non quod collectitia quædam manus a Germanis eo missa sit, ne Romanis incursionibus per Decumates agros in posterum pateret aditus (quod simulatum magis quam verum est) sed quod ex omnibus magnæ Germaniæ oris globi quidam juvenum audacissimorum confluxum Gallorum auxerint.

XII. Itaque gens ALAMANNICA, si tenera initia spectes, originem refert ad Gallos, si magnitudinem & incrementa, ad Germanos. Estque omnino convena quædam multitudo, ex acerrima Gallorum & Germanorum juventute congregata, prorsus ac plebs Romana, quæ ex diversis Italiæ convenis initio coaluit. Unde mirum non est, ALAMANNOS, cum fuerint mixti homines, & Resp. quædam GALLO-GERMANICA, jam haberi pro Gallis, jam ab illis distingui.

XIII. Prius docet Tacitus, posterius Agathias. Utriusque vero testimonium, sicut per se fide dignum, ita incredibile robur & pondus accipit a natura & constitutione LINGUÆ veteris ALAMANNICÆ, quæ certe Germanica est, sed ita, ut, si vel ex uno KERONIS Monachi Glossario Alamannic. æstimetur, a contagio linguæ Gallicæ haud omnino libera sit, & præterea ex omnibus Germaniæ dialectis manifesto componatur.

XIV. Faciamus periculum per singula, incipiendo a vocabulis GALLICIS: Horum alia sunt pure Gallica, ut *cucal*, cuculla, & fortasse etiam *chnuat*, natura, alia ex Callicis & Germanicis composita, ut *allasuuanan* aliunde, *mitiuuare* mites, *mondob* tantum: de quibus in notis ad glossas Keronis diximus, quantum satis est. EGOTHICIS alia sunt Pontho-gothica, alia Sueo-gothica. Ad priorem classem referenda sunt, *tult* festivitas, *anst* gratia, *fruati* prudentia, *Ker* gravitas, *scalch* servus, *vuihan* benedicere, consecrare, *suuerban* tergere, *keaugan* ostendere, *kalidan* discedere, & alia quam plurima. Ad posteriorem spectant, *truhtin* Dominus, *tiurida* gloria, *spaher* sapiens, *skammer* brevis, *runstaba* scipio runicus, *Ker* Eulogia, *slethiu* blandimenta, *achust* vitium, *notur* jumentum, *dikan* petere. Omitto, quæ utrisque Gothis communia sunt, quorum numerus haud exiguus est. SAXONICA, aut a Saxonicis oriunda sunt, *katilinga* parentes, *chind* filius, *hiuuiske* familia, *ortfroma* auctoritas, *eht* substantia, opes, *racha* res, causa, *secho* rixæ, *elliuuodes* æmulationes, *ekiso* terror, *furipurt* abstinentia, *huuassi* sagacitas, *lauga* flamma, *theonon* servire, *flizzan* contendere, litigare, *spahnan* hortari, *intlobban* aperire, *kerisit* condecet, *kepurit* contingit & alia quam plurima. FRANCICA sunt, *chuning* Rex, *euart* sacerdos, *listi* ars, *abahe* perversus, *abulki* ira, *fillo* verbera, *emezzico* frequenter, *deismin* fermentum, *menden* gaudere, *kamachon* conjungere, *kalimfan* competere, *pilinnam* cessare, & alia sine numero. Ad BELGICA refero *vualm* fervor, *prodii* fragilitas, *smalasat* legumina, *spildanter* prodigus, *minnon* amare, *duuingan* coercere, & alia permulta. Verum

rum ut hæc rite intelligantur, KERO noster consulendus est. Et patebit, quod ex omnibus istis, quas nominavimus, Germaniæ dialectis, nulla omnino sit, quæ non aliquam vocabulorum sylvam e prædicto GLOSSARIO vindicare sibi possit. Ut adeo eos, qui ALAMANNOS ex variis Germaniæ populis nobiscum componunt, opinionis suæ præsidium in ipsa lingua habere, negari vix possit.

XV. Idem cognoscitur ex natura & constitutione veteris Reip. ALAMANNICÆ, quæ non uni Regi, sed pluribus Regibus eodem tempore paruit, manifesto indicio, populum universum non ex una natione confluxisse: Non quod multi Reges in unum nomen, unumque corpus coiverint; sed quod singuli pagi aliquem ex nobilioribus sibi præfecerint, cujus prudentia & autoritate in isto hominum confluxu regerentur. Hinc apud Alamannos, quot pagi (pagus autem proprie societatem vicorum, vicus congeriem villarum significat) tot regna & populi numerantur. Amm. Marcellinus Lib. 20. cap. 4. *post Alamanniæ quadam REGNA prostrata.* Idem de multitudine Regum apud Alamannos sæpe mentionem injicit Lib. XIV. cap. 10. Duo nominantur Reges Alamannorum, *Gundomadus* & *Vadomarius* fratres. Ibidem Legati Alamannorum sic introducuntur loquentes: *Alamannorum REGES ET POPULI formidantes, per Oratores, quos videtis, submissis cervicibus præteritorum concessionem poscunt & pacem.* Lib. XVII. cap. 1. narratur, TRES immanissimos REGES Alamannorum ad Julianum Cæsarem venisse. Lib. XIIX. cap. 2. plurium Regum diversis pagis præfectorum fit commemoratio. Denique Lib. XVI. cap. 12. SEPTEM Alamannorum REGES nominantur *Chnodomarius, Vestralpus, Urius, Ursicinus, Serapion, Suomarius, Hortarius.* Quorum nomina ita comparata sunt, ut in quibusdam sermonis Germanici, in aliis linguæ Gallicæ, aut certe utriusque idiomatis vestigia reperias.

XVI. VESTRALPUS haud dubie componitur a *Fastr* & *Alf* (quod Alamannis effertur *Alp*) nominibus hodie quidem desuetis, sed olim usitatis. In cippis Runicis *Fastr* non solum seorsim occurrit, sed etiam in compositis, cujusmodi sunt *Gutfastr, Thurfastr,* quæ vide apud Ol. Wormium in monum. Danicis p. 217. & 522. *Fastr* Wormio exponitur *fidelis.* Potest etiam exponi strenuus, fortis, qualis hodie dicitur Vester. In iisdem monumentis occurrit *Alf* in composito *Thuralf* p. 324. & fortasse *Alf* idem est quod *Aulf* p. 178. *Alaf* pag. 496. *Alb* pag. 516. Ipsius vero nominis *Alf* quanta fuerit olim in septentrione celebritas, idem doctissimus Autor in laudatissimo opere p. 194. exponit his verbis: *ALF, priscum fuit nomen Magnatum apud nos proprium, sed ex eo genere, qua primitiva censemus, quæque aliam nullam apud nos obtinent significationem.* Id quod ibidem ex Saxone, historiæ Danicæ conditore, demonstrat. Mihi persuasum est, omnia nomina propria ab initio appellativa fuisse, nullumque eorum reperiri, quod significationis prorsus expers sit. Quid obstat, quo minus ALF *genium* denotet? Nam geniis locorum id nomen tributum invenio apud veteres. Certe in lingua Anglo-Saxonica Dæmon aquaticus dicitur *Water-alf,* montanus *Dun-alf,* campestris *Land-alf,* teste Somnero Diction. Anglo-Sax. Imo etiam hodie gravis ille somnus, qui vocis spiritusque liberum meatum intercludit, generali nomine appellatur Alp/ id est, spiritus, quod vulgo persuasum sit, ab incubo quodam spiritu dormientibus infesto nocturnam illam oppressionem fieri. Hinc *Vestralpus* haud absurde significabit *genium fortem* & strenuum. Quod si tamen hæc nimis remota videntur, *Vestralpus* poterit etiam denotare *Alba occidentales.* Est enim *Alba* (die Alp) pars Sueviæ inter Nicrum & Danubium, eodem nomine multisque civitatibus hodieque insignis, ut in Annal. Alamannorum ostendimus,

 Quic-

Quicquid vero sit de nominis hujus interpretatione, quam difficilem esse non diffitemur, illud certe extra dubium est, nomen ipsum, quocunque polleat significatu, Teutonicum esse, si vel a septentionalibus ad Alamannos profectum, vel a regione desumtum, quæ ab *Albanis* (quos cum *Alamannis* eosdem homines fuisse vidimus) *Aba* nomen videtur obtinuisse.

XVII. SERAPIONIS nomen græcum est. Non defuit tamen alterum nomen Serapipioni. Hunc enim lingua patria AGENARICHUM dictum, Marcellinus prodit Lib. XVI. cap. 12. *Latus dextrum SERAPIO agebat, etiam dum adulta lanuginis juvenis, efficacia præcurrens ætatem, MEDERICHI fratris CHNODOMARI filius hominis, quoad vixerat, perfidissimi, ideo sic appellatus, quod pater ejus diu obsidatus pignore tentus in Gallia, doctusque græca quædam arcana, hunc filium suum, AGENARICHUM genitali vocabulo dictitatum, ad Serapionis transtulit nomen.* Est autem AGENARICHIUS proprie dives & potens peculio. Nam dives, pollens, potens Alamannis & Francis dicitur *rich*, Saxonibus *ric*. Peculium vero & quodvis *proprium* in Gloss. Alam. Keronis dicitur *eikan, aigan*, Saxon. *agan*. Ab eodem sensu non procul abest nomen MEDERICHI Patris, quod significare potest vel *divitem pascuis*, si vox Saxonica *mæde* (pascuum) compositionem ingrediatur, vel *divitem bonis*, si origo sit a Gallico *mad* bonus, quod Cambris hodie usurpatur.

XVIII. HORTARIO nomen est vel ab *hort* thesaurus, vel ab *hurt* clypeus, vel a *chort* grex, turma, quæ Germanica & Alamannica esse nemo antiquitatibus nostris vel leviter initiatus ignorare potest. MAR in *Chnodomarius* & *Suomarius* vox Celtica est, Germanis Gallisque communis, utrinque Præfectum significans, oriturque ab adverbio *mer*, magis, *plus*, amplius, quod ubi abit in substantivum, naturaliter hunc significatum producit. Superat Cambris in *maer*, Anglis & Franco-Gallis in *maire*, Germanis in Marschalck / quatenus præfectum servorum aulicorum significat. URIUS & URSICINIUS originem Gallicam testantur. Gallis enim & hodie Cambris *Ur* virum denotat.

XIX. Tantum de regibus. In civibus autem seu personis Reip. nihil occurrit, quod Germanorum vel virtutibus & vitiis, vel moribus & religioni oppositum sit. Erant enim robustiores & celsiores militibus Romanis, grandissimisque corporibus freti, & præterea ebrietati & auspiciis dediti, libertatis vero ita studiosi, ut rem Romanam sine fine & modo affligerent. Quæ omnia cum jam a celeberrimo J. Nic. Hertio in *Sect. de Alemannis* observata sint, non opus est hic repetere.

XX. Errat Cluverius igitur, Vir alias summus & ornandæ patriæ natus, quod ALAMANNOS, quibus nimiam vetustatem tribuit, colluviem Gallorum opinatur, nullis Germanicarum nationum adventibus aut hospitiis mixtam. Nec satis sibi constat, quando Gallis nomen Germanicum imponit, tandemque in causa reddenda, cur nomen illud ambulatorium a Gallis rursus ad Germanos redierit, & universæ genti hæserit, plane deficit.

XXI. Inprimis vero Cluverii sententiam evertit nomen SUEVICUM, (quo non Germanius ullum,) Alamannis tributum, & quod in historia & Geographia medii ævii SUEVIA & ALAMANNIA eandem regionem significent. Procopius Cæsariensis, Seculi VII. Scriptor Hist. Goth. Lib. I. interprete Grotio pag. 174. *Super Thuringos SUEVI & ALAMANNI nationes valida agunt, vetustis in finibus ac libertate.* GREGORIUS Turonensis, ejusdem seculi Scriptor Lib. II. cap. 2. *Vandalos secuti SUEVI i. e. ALAMANNI, Galliciam apprehen-*

prehendunt. Geographus Ravennas, scriptor seculi VII. Lib. 4. Geograph. §. 26. Citante Cl. Hettio: *Propinqua ipsius Thuringiæ adscribitur SUAVORUM, quæ est ALAMANNORUM patria.* Paulus Diaconus Scriptor seculi VIII. de gestis Langobard. Lib. III. cap. 18. *Iste ex SUEVORUM h. e. ALAMANNORUM gente oriundus, inter Langobardos creverat.* Walafridus Strabo Scriptor seculi IX. in prologo ad vitam S. Galli: *Cum duo sint vocabula, SUEVIA & ALAMANNIA unam gentem significantia, priori nomine nos appellant circumposita gentes, quæ Latium sermonem habent.* Aimoinum, aliosque recentiores nunc omitto.

XXII. Ex his aliisve veterum testimoniis manifestum est, priorum temporum ALAMANNOS, qui nominis SUEVICI hereditatem posteris suis reliquerunt, majore & valentiore sui parte, non Gallos, sed Germanos fuisse, & Suevos ex Germanis. Nemo interim miretur, unam eandemque gentem Gallice *Alamannos*, Germanice *Suevos* appellatam esse. Nam in ista hominum & linguarum diversitate necessitas vocabulorum provida exigebat, ut Resp. ex duabus nationibus composita, totidem quoque nominibus insigniretur.

XXIII. Utrum vero ex nomine SUEVICO genus & prosapia Suevica recte inferatur, de eo quidem valde dubito. Poterant enim ALAMANNI se SUEVOS appellare, etiamsi Suevi non essent, nec ulla cognatione Suevos attingerent, sive quod agri sui prisco *Suevorum* nomine cuperent inclarescere, sive quod circa affectationem nominis *Suevici* cum cæteris Germanis æque ambitiosi essent. Dio de Germanis Lib. LI. p. 460. *SUEVI si accurate loquamur, trans Rhenum incolunt, quanquam multi quoque alii SUEVORUM nomen sibi sumunt.* Quis nobis sponsor erit, Alamannos ex eorum numero non fuisse? Certe Taciti ævo omnis fere Germania titulo Suevico superbiebat. *Suevorum non una, ut Cattorum, Tencterorumve gens. Majorem enim Germaniæ partem obtinent, propriis adhuc nationibus, nominibusque discreti, quamquam in commune SUEVI vocentur.* Cap. XXXIX. Et nihilominus in ista gentium Suevicarum multitudine pauci erant *Suevi cognatione*, plurimi *imitatione* tantum. Distinctionis hujus autor est ipse Tacitus loco citato: *Sic in aliis gentibus, seu COGNATIONE aliqua SUEVORUM, seu (quod sæpe accidit) IMITATIONE, rarum & intra juventutis spatium apud Suevos usque ad canitiem horrentem capillum retro sequuntur, & sæpe in ipso solo vertice religant.* Quibus verbis simul caussam prodit, cur nomen Suevicum antiquitus tam late fuerit extensum, ut etiam populos, nulla cognatione Suevis conjunctos, ambitu suo comprehenderit.

XXIV. Operæ pretium est, rem ab origine repetere. Caussa nominis SUEVICI a nemine (quod sciam) hactenus investigata est. *Ipsum SUEVORUM nomen*, inquit Cluverius, *unde originem ceperit, item qua occasione vel caussa tot vastissimo terrarum spatio nationes in unum corpus unumque nomen coiverint, plane incertum est.* Quidam Suevos interpretantur vagabundos, quod **schweiffen** in hodierna lingua Germanica sit vagari, quasi hanc animo concepissent opinionem, veteres Suevos fuisse Cyngarorum & Tartarorum similes, sedibus instabiles & modo hac, modo illac errantes. Verum horum sententia, cum nobilissimæ & potentissimæ genti probrosa sit, & præterea historiæ antiquæ contraria, merito repudiatur. Constat enim, veteres Suevos centum pagis habitasse, eosdemque circa mare Suevicum Reges & Regna habuisse, teste Cæsare & Tacito. Neque ut illos errones fuisse credamus, verbum **schweiffen** efficere potest, cujus verum & antiquum sensum (a quo hodiernus plane deflexit) mox investigabimus.

XXV. Mi-

XXV. Miror interim, Viros doctissimos non attendisse ad illud INSIGNE GENTIS, quod Tacitus cap. XXXIIX. de moribus Germanorum describit hisce verbis: *Insigne gentis obliquare crinem, nodoque* (in vertice) *substringere. Sic SUEVI a ceteris Germanis, sic Suevorum ingenui a servis separantur.* Nam ab hoc INSIGNI potius, quam ab ulla alia re SUEVOS nomen accepisse, omnino verosimilie est, si modo nomen rei in antiqua lingua Suevica inveniri possit, quod sane facillime potest. Nam Suevi antiquitus usi sunt lingua Saxonica. Quod vel hinc patet, quoniam ANGLI (qui postea a brevibus gladiis *Saxones* & *Anglo-Saxones* dicti sunt) a Tacito inter nationes Suevicas numerantur cap. XL. A Suevis igitur est nomen, & genus, & idioma Saxonicum, Anglicum, & Anglo-Saxonicum, si quid Tacito credimus. Atqui Anglo-Saxonibus *Sweopan* est *verrere*, juxta Somnerum in Dictionario. Hinc schweiffen pro verrere antiquum censeri debet, eoque magis, quod eodem significatu in derivatis hodienum supersit. Nam a schweiffen verrere, cauda animalis nobis dicitur Schweiff / quia humum verrit, cauda equina, Roß-Schweiff. Ob eandem rationem *lacinia vestimenti* Schweiff am Kleide / quia incessu vestigia verrit. Quid obstat, quo minus INSIGNE illud gentis a vertice pendulum, ob manifestam ejus cum cauda animalium similitedinem, eodem vel simili vocabulo antiquitus insignitum putemus, præsertim cum res ipsa mire respondeat vocabulo? quo semel admisso, dubitari amplius non potest, unde SUEVORUM nomen originem cœperit? Manifestum enim est ex concessis, SUEVOS a signo illo gentilitio, quod postremam & pendentem partem animalis referebat, dictos esse lingua sua, i. e. Saxonica *Swesas*, sive *Sweopas*, i. e. caudas.

XXVI. Hæc interim etymologia, sicut reconditum sensum nominis Suevici ex penetralibus historiæ sola recludit; ita sola nos docere potest, cur idem nomen tot vastissimo terrarum spatio nationibus fuerit commune. Nam ex quo omnis fere Germania a mari Suevico ad Rhenum usque & Danubium imitatione Suevorum capillos retro secuta modum in vertice religavit, fieri aliter non poterat, quam ut nomen Suevicum cum ipsa cauda capillari ad innumeras gentes, quamvis a Suevis alienissimas perveniret. Quæ res postea Tacito occasionem præbuit, ut universam Germaniam in duas partes prorsus inæquales divideret, *Suevos*, inquam, *cognatione* & *Suevos imitatione*, quorum illi minorem, hi majorem Germaniæ partem tenebant, propriis adhuc nationibus ac nominibus distincti, quanquam in commune Suevi vocati.

XXVII. Hæc ideo examinanda fuerant, ut de SUEVIS ALAMANNICIS, eorumque progenitoribus judicium ferri posses. B. Rhenanus videtur illos ex Suevis *sola cognatione* composuisse, qui legerat, Alamannos sæpe Suevos appellari. Verum sicut ex nomine Suevico cognatio & gentilitas Suevica consequentia non satis tuta infertur; ita lingua Alamannica, quæ, secundum superius observata, ex omnibus Germaniæ dialectis composita est, neutiquam patitur, ut Alamannos a Suevis unice oriundos credamus. Nos sicut nobile Suevorum genus a confluxu Alamannico non excludimus; ita an cæteris prævaluerint nec ne, ignoramus. Multos fuisse certissimum est. Atque ut numerum eorum amplificemus, Bucherii quoque conjecturam, qui populum Alamannicum aliqua sui parte ex reliquiis Marcomannorum compositum suspicatur, lubentes admittimus.

DISSERTATIO III.

DE

ORIGINIBUS ET INCREMENTIS VETUSTISSIMÆ GENTIS SUEVICÆ.

§. I.

POstquam de Suevis, amplissima inter Germanos gente conscribere quædam constitui, atque in Disputationis Academicæ formam redigere, ratio instituti mei requirit, ut primo de *Origine;* secundo de *Antiquis sedibus atque institutis;* tertio de *Mutationibus*, quæ circa gentem istam contigerunt, observata temporum serie agam. Quo in negocio priscorum seculorum ruditas, cum vetera nostrorum acta a nemine conscriberentur, aut tamen per Romanos, tunc hostes, vel fabulosos monachos consignarentur, non parum inpedimenti nobis injiciet. Malui tamen conari quantum possum, quam in patriæ meæ & gentis ignoratione omnimoda versari, quo nomine, si non semper assecutus veritatem fuero, veniam a benevolo Lectore promtam paratamque mihi polliceor.

II. Primum itaque nationis Suevicæ conditorem Suevum esse, ex Annii Viterbiensis Beroso statuunt *Martinus Crusius, Job. Nauclerus, Job. Aventinus, Beatus Rhenanus* & alii, eundemque Octavum Tuisconum Regem fuisse scribunt, filium Gambrivii, Anno mundi 2178. atque Imperii annos illi concedunt 46. Nomen vero Schwab habere ferunt a Schweben vel Schweiffen / quod ille regiones regni sui diligenter obiens bonis legibus ac disciplina temperavit. Sed vero *Philippus Cluverius* multique alii malunt a Suevo fluvio, qui hodie est Viadrus sive Odera, gentis nomen deducere: Ptolomæus enim Semnones, Suevorum nobilissimos, ultra Albim orientem usque ad Suevum fluvium coluisse docet. Attamen probabilius est, cum flumen, tum id, quo alluitur is tractus mare, Suevicum a gente sequioribus temporibus appellatum esse, quam gentem a fluvio: quandoquidem gentem tam amplam, quæ exigua sui parte id flumen olim accoluit, universam inde denominatam esse, vix quisquam asseruerit. Malo igitur Etymologiam prædictam approbare, ut a Schweiffen / non quidem Rex aliquis, aut gentis auctor, sed ipse populus, die Schweiffen a cæteris Germanis dicti sint, quam vocem Romani suo more inflectentes, Suevos nominavere. Hoc enim etymon cum re ipsa accurate convenit. Quia enim Suevi pascua mutare, immetatos agros habere, vicinas regiones incurrere, late vastitatem circa se facere, centena millia quotannis in militiam mittere sunt soliti, uti mox e Cæsare ac Tacito demonstrabimus, recte a vaga ista vivendi ratione, die Schweiffen sunt appellati. Sicut Arabum quædam nationes propter eundem morem per pascua vagandi, a Græcis Nomades, &

mox a Romanis Numidæ dicti sunt. Ad discriminationem vero Suevorum cæteri Germani, qui stabiles sedes habuerunt, partim Ingevones, partim Istevones sunt appellati, cum Suevi ipsi Hermiones, i. e. Hermänner / vocarentur; quod discrimen Tacitus ex ipsa Germanorum relatione statim a principio libelli sui indicat, quamvis denominationis rationem ignoret, quam ex ingenio suo probabiliter commentus est. Unde post fabulator Annius Viterbiensis desumpsit, inque Berosum suum transtulit.

III. Cæterum Suevos indigenam esse Germaniæ populum non abnuerim. Non eo sensu, quo se Athenienses αὐτόχθονας esse quondam jactaverunt, i. e. ex ipsa illa terra, quam incolebant, enatos, quo nomine Diogenes salse hos irrisit, dicens, quod cum fungis hoc commune haberent: Sed sensu isto, quo primi cujusque terræ coloni eorumque posteri indigenæ; qui vero postea superveniunt, advenæ vocari solent, quales in Germania fuere Saxones, Gothi, Mysi, Lusatii &c. Quin igitur inter posteros Gomeri fuerint Suevi, qui migratione prima, post divisionem terrarum has in sedes commigrarint, nullis antea populis habitatas, vix est dubitabile: Certe non constat de aliis prioribus, nisi quibus illac iter fuit, ad ulteriora progredi volentibus. Quod de Germanis in universum his verbis *Tacitus* asserit: *Germanos indigenas crediderim, minimeque aliarum gentium adventibus & hospitiis mixtos, nec terra olim sed classibus advehebantur, qui mutare sedes quærebant. Quis vero præter periculum horridi & ignoti maris Asia aut Africa relicta, Germaniam peteret, informem terris, asperam cælo, tristem cultu aspectuque, nisi patria sit.* Quæ Taciti rationes, etsi de Suevis nostris non negamus indigenas esse, per se tamen invalidæ sunt; cum multæ sint caussæ, quibus impelli gentes possint, ut sedes mutent, meliores deterioribus, uti suo loco videbimus, qui vero qualesque populi Germanorum vagandi morem habuerint, ac proinde Suevorum communi appellatione censi sunt, cum centum habitasse pagis a Cæsare dicantur, (quanquam Tacitus solos Semnones Suevorum nobilissimos centum pagis habitasse, cæteris non connumeratis, dicat) e quibus singulis quotannis millenos militatum miserint, non constat, totidem vero nominibus distinctam gentem fuisse probabile est. Tacitus hæc sola recenset: Semnones, Longobardos, Burgundiones, Marcomannos, Quados, Nariscos, Reudingos, Aviones, Eudoses, Suardones, Nuithones &c. qui omnes populi quomodo in unam civitatem, unamque rempublicam convenerint, nunc disquirendum est.

Videtur autem Germanicas Celticasque gentes plerasque ea usas forma Reipublicæ, quæ Democratiæ proxima per Magistratus & Judices a se lectos constituta esset, sic, ut pagi singuli suos haberent ejusmodi Magistratus, qui controversias minuerent singulorum, quoties vero alia incideret causa, quæ ad gentem pertineret universam, convenirent simul omnes certo loco, ac de republica quid factu opus esset, constituerent. Ita cum Rhenum Cæsar apud Ubios transire vellet, hæc ab Ubiis cognovit: Suevos *postquam per exploratores pontem fieri comperissent, more suo concilio habito, nuncios in omnes partes dimisisse, uti de oppidis demigrarent; liberos, uxores suaque omnia in sylvas deponerent; atque omnes qui arma ferre possent, unum in locum convenirent: hunc esse delectum medium fere regionum earum, quas Suevi obtinerent: hic Romanorum adventum expectare, atque ibi decertare constituisse.* Ita fiebat, cum gens tota comitia celebraret. Alioqui, teste Tacito, in *iisdem conciliis eligebantur & Principes, qui jura per pagos & vicos redderent centeni singulis ex plebe comites, consilium simul & authoritas adsunt. Hoc est,* ait *Lipsius* in nota ad h. l. *quod in lege Alemannorum prisca lego. Conventus autem secundum consuetudinem aliquam*

aliquam fiat, in omni centena coram comite aut suo misso, & coram centenario quum placitum fiat. Eandem Reipublicæ formam plerisque aliis Germaniæ populis fuisse iidem authores passim ostendunt: nisi quod alicubi etiam regnatum est, quod ipsum paulo post Cæsaris tempora Suevorum etiam parti accidit, qui Maroboduum Regem nacti libertatem pristinam amiserunt, sponte sua, an oppressi ab illo, non satis ex Vellejo discimus. Ipsum vero finitimis quoque suis servitutis jugum intentare voluisse idem satis clare docet l. 2. Hermunduri & Marcomanni & Narisci sunt cum Quadis, quos a Suevorum reliquo corpore Maroboduus avulsit, quæ prima, quantum e Scriptoribus cognitum est, Suevorum Reipublicæ mutatio fuit, quæ de gentis potentia multum detraxit: nunquam enim postea cum cæteris Suevorum gentibus amplius coaluere.

V. Antequam vero de reliquis, quæ genti huic acciderunt, mutationibus aliqua dicamus, de Suevorum moribus antiquis ex Cæsare ac Tacito, quæ præcipua sunt afferemus. Cæsar l. 4. c. 1. *Suevorum*, ait, *gens est longe maxima, & bellicosissima Germanorum omnium. Ii centum pagos habere dicuntur, ex quibus quotannis singula millia armatorum, bellandi causa, suis ex finibus educunt, reliqui domi remanent: pro se atque illis colunt. Hi rursus invicem anno post in armis sunt: illi domi remanent. Sic neque agricultura ratio, neque usus belli intermittitur: sed privati ac separati agri apud eos nihil est; neque longius anno remanere in uno loco, incolendi causa, licet. Neque multum frumento, sed maximam partem lacte atque pecore vivunt, multumque sunt in venationibus. quæ res & cibi genere, & quotidiana exercitatione & libertate vitæ (quod a pueris nullo officio aut disciplina assuefacti, nihil omnino contra voluntatem faciant) & vires alit, & immani corporum magnitudine efficit, atque in eam se consuetudinem adduxerunt, ut locis frigidissimis neque vestitus, præter pelles, habeant quidquam, quarum propter exiguitatem, magna est corporis pars aperta; & laventur in fluminibus. Mercatoribus est ad eos aditus, eo magis ut quæ bello ceperint, quibus vendant, habeant; quam quo ullam rem ad se importari desiderent. quin etiam jumentis, quibus maxime Gallia delectatur, quæque impenso parat precio, Germani importatis non utuntur; sed quæ sunt apud eos nata prava atque deformia, hæc quotidiana exercitatione, summi ut sint laboris efficiunt. equestribus præliis sæpe ex equis desiliunt, ac pedibus præliantur; equosque eodem remanere vestigio assuefaciunt; ad quos se celeriter, quum usus poscit, recipiunt. neque eorum moribus turpius quidquam, aut inertius habetur, quam ephippiis uti, itaque ad quemvis numerum ephippiatorum equitum, quamvis pauci adire audent. vinum ad se importari non sinunt, quod ea re ad laborem ferendum remollescere homines, atque effeminari arbitrantur. publice maximam esse laudem putant, quam latissime a suis finibus vacare agros: hac re significari, magnum numerum civitatum suam vim sustinere non potuisse: itaque una ex parte a Suevis circiter millia passuum DC. agri vacare dicuntur.* Hæc porro Tacitus habet, quæ partim cum cæteris Germanis Suevis sunt communia, partim his propria, *lib. de mor. Germ.* ubi de universa Suevorum natione loquitur, *Majorem*, inquit, *Germaniæ partem obtinent, propriis adhuc nationibus nominibusque discreti, quanquam in commune Suevi vocentur. Insigne gentis obliquare crinem, nodoque substringere. sic Suevi a cæteris Germanis, sic Suevorum ingenui a servis separantur.*

VI. Sacra & religionem Suevorum veterum quod attinet, eadem fuit quæ Germanis omnibus, descripta summatim a *Cæsare Comm. 6. c. 21. Deorum*, inquit, *numero eos solos ducunt, quos cernunt, & quorum opibus aperte juvantur, Solem & Vulcanum & Lunam: reliquos ne fama quidem acceperunt*, quanquam

Tacitus penitius cognovisse Germanorum mores visus, cum reliquis Germanis tum Suevis imprimis, certos quosdam Deos, Græcis etiam cognitos tribuit, quos inter *communiter* ait *Hertham*, i. e. Terram, (Græcis Ceres est vel Pluto; Gallis Dis pater) *matrem colunt, eamque intervenire rebus hominum, invehi populis arbitrantur.* Eodem loco de Semnonum stato festo, quo hominis sacrificio in *luco auguriis Patrum & prisca formidine sacro litatur*, commemorat. Longobardis, qui & ipsi Suevi erant, alioquin *Wodan* Deum, quem Mercurium interpretantur, fuisse cultum, Paulus Diaconus refert. Pleraque alia morum, cultus, institutorum sacrorumque cum cæteris Germaniæ populis, prisci Suevi commune habuere. Cæterum Germani ipsi huic genti prærogativam fortitudinis ultro concessere, cum apud Cæsarem l. 4. *de bello Gall. c.* 7. Usipetes ac Tenchteri *unis se Suevis concedere* fateantur, *quibus ne dii quidem immortales pares esse possint.* Omitto, quibus elogiis passim hanc gentem *Strabo* l. 4. *Plutarchus* in vita Cæsaris. *Florus* l. 4. & alii insignire sint soliti. Suevos haud dubie intellexit *Horatius Oda* 24. *l.* 3. *carminum*, vivendi morem horum cum Romanorum vitiis comparans. *Campestres*, inquit, *melius Scythæ vivunt & rigidi Getæ, Immetata quibus jugera liberas Fruges & Cererem ferunt: Nec cultura placet longior annua: Defunctumque laboribus, æquali recreat sorte vicarius. Illic matre carentibus Privignis mulier temperat innocens, Nec dotata regit virum Conjux, nec nitido fidit adultero. Dos est magna parentium virtus, & metuens alterius viri certo fœdere castitas: Et peccare nefas, aut precium est mori.* Quæ quidem Elogia pleraque ad omnes Germanos referuntur.

VII. Immutata quidem sunt Suevorum instituta pleraque, postquam, ut prædiximus, Reipublicæ forma mutata est apud eos populos, qui adstrictiori imperio Regum sub Maroboduo & successoribus ejus sunt gubernati. Quæ mutatio accidit temporibus Cæsaris Augusti. Tunc enim credibile est, Bojos a Suevis Hermunduris, eorumque sociis Marcomannis expulsos, istorumque domicilia ab his occupata fuisse, qui deinceps fixas in Bojohemo sedes posuerint, evagandi licentia coercita, præsertim cum Boji in provinciam Romanam transgressi, Romanis se subjecissent. Et Maroboduum quidem paulo post sub amicitiæ specie in Italiam evocatum detinuit Tiberius, Regnique ejus successores sibi obnoxios fecit, uti Vellejus docet l. 2. c. 108. his verbis: *Nihil erat jam in Germania quod vinci posset præter gentem Marcomannorum; quæ Maroboduo duce excita sedibus suis, atque in inferiora refugiens, incinctos Hercinia silva campos incolebat. Nulla festinatio hujus viri mentionem transgredi debet. Maroboduus genere nobilis, corpore prævalens, animo ferox, NATIONE magis quam ratione barbarus, non tumultuarium, neque fortuitum, neque mobilem, & ex voluntate parentium constantem inter suos occupavit principatum, sed certum imperium, vimque regiam amplexus animo, statuit avocata procul a Romanis gente sua, eo progredi; ubi cum propter potentiora arma refugisset, sua faceret potentissima. Occupatis igitur quos prædiximus, locis, finitimos omnes aut bello domuit, aut conditionibus juris sui fecit. Corpus suum custoditum, imperium, perpetuis exercitiis, pene ad Romanæ disciplinæ formam redactum, brevi in eminens, & nostro quoque imperio timendum perduxit fastigium, gerebatque se ita adversus Romanos, ut neque bello nos lacesseret, & si lacesseretur, superesse sibi vim, ac voluntatem resistendi declararet. Legati quos mittebat ad Cæsares, interdum ut supplicem commendabant, interdum ut pro pari loquebantur. Gentibus hominibusque a nobis descíscentibus erat apud eum perfugium, totumque ex male dissimulato agebat æmulum, exercitumque quem septuaginta millia peditum, quatuor equitum fecerat, assiduis adversus finitimos bellis exercendo, majori, quam quod habebat, operi præparabat. Eratque etiam eo timendus, quod cum Germaniam ad*

lævam

lævam & in fronte; Pannoniam ad dextram; a tergo sedium suarum haberet Noricos; tanquam in omnes semper venturus, ab omnibus timebatur. Nec securam incrementi sui patiebatur esse Italiam: quippe cum a summis Alpium jugis, quæ finem Italiæ terminant, initium ejus finium haud multo plus ducentis millibus passuum abesset. Et c. 129. de Tiberio loquens: *Qua vi consiliorum suorum, ministro & adjutore usus Druso filio suo, Maroboduum inhærentem occupati regni finibus, pace majestatis ejus dixerim, velut serpentem abstrusam terræ, salubribus consiliorum suorum medicamentis coegit egredi? quam illum & honorate, nec secure continet.* E quibus Velleji verbis, cum novitatum regni illius Marcomannici, quodque vi occupatum retentumque sit temporibus Augusti Tiberiique, & qua ratione obnoxium Romanis factum sit, cognoscere possumus. Eadem & Tacitus Annal. II. c. 44. & seqq. commemorat, ubi & caussam dissidii Suevorum inter se, & quare pars ista quæ cum Maroboduo faciebat, ad Romanorum auxilia confugerit, exponitur. Verba ista sunt: *Suevi, prætendebantur, auxilium adversus Cheruscos orantes. Nam discessu Romanorum, ac vacui externo metu, gentis assuetudine, & tum æmulatione gloriæ, arma in se verterant. vis nationum, virtus ducum in æquo: sed Maroboduum regis nomen invisum apud populares; Arminium pro libertate bellantem favor habebat. Igitur non modo Cherusci sociique eorum, vetus Arminii miles, sumpsere bellum: Sed e regno etiam Marobodui Suevæ gentes Semnones ac Longobardi, defecere ad eum, quibus additis præpollebat, ni Inguiomerus cum manu clientum ad Maroboduum perfugisset; non aliam ob causam, quam quia fratris filio juveni, patruus senex parere dedignabatur. Diriguntur acies pari utrimque spe, nec, ut olim apud Germanos, vagis incursibus, aut disjectas per catervas: quippe longa adversus nos militia insueverant sequi signa, subsidiis firmari, dicta imperatorum accipere. Non alias majore mole concursum, neque ambiguo magis eventu, fusis utrinque dextris cornibus. Sperabaturque rursum pugna, ni Maroboduus castra in colles subduxisset. Id signum perculsi fuit: & transfugis paulatim nudatus, in Marcomannos concessit, misitque legatos ad Tiberium oraturos auxilia. Responsum est, non jure eum adversus Cheruscos arma Romana invocare, qui pugnantis in eundem hostem Romanos nulla ope juvisset. Missus tamen Drusus, ut retulimus pacis firmator.* E Strabone porro, cur invisus apud suos Suevos æque ac cæteros Germanos Maroboduus fuerit, cognosci potest, qui l. 7. hæc habet. *In hac Germaniæ parte est etiam Hercynius saltus, & gentes Suevorum: quorum aliæ ipsam incolunt sylvam, ut Colduli, in quibus est & Bojebemum, Marobodui regia. In quem locum cum alios quam plures transtulit, tum populares suos Marcomannos. Occupavit enim dominationem privatus, post reditum suum Roma: ubi juvenis vixerat, & beneficiis ab Augusto affectus fuerat: Reversus autem regnavit, & subjecit sibi, præter dictos, Lujos* (omnino scribendum Lygios, quæ præcipua Suevorum gens Tacito) *magnam nationem Zumos, Butones* (legerim Gutones) *Mugilones, Gibinos, & inter ipsos Suevos, magnum populum Semnones.* At vero qui Marobodui finis fuerit, Tacitus eodem libro Cap. 62. recenset. *Erat,* inquit, *inter Gotones, nobilis juvenis nomine Catualda profugus olim vi Marobodui, & tunc dubiis rebus ejus ultionem ausus. Is valida manu fines Marcomannorum ingreditur, corruptisque primoribus ad societatem, irrumpit regiam, castellumque juxta situm. veteres illic Suevorum prædæ, & nostris e provinciis lixæ ac negociatores reperti, quos jus commercii, dein cupido augendi pecuniam, postremo oblivio patriæ suis quemque ab sedibus hostilem in agrum transtulit. Maroboduo undique deserto, non aliud subsidium, quam misericordia Cæsaris fuit. transgressus Danubium, qua Noricam provinciam præfluit, scripsit Tiberio, non ut profugus, aut supplex, sed ex memoria prioris fortunæ. nam multis nationibus clarissimum quondam regem ad se vocantibus, Romanam amicitiam prætulisse. Re-*

sponsum a Caesare tutam ei honoratamque sedem in Italia fore, si maneret; sin rebus ejus alind conduceret, abiturum fide qua venisset. Et Maroboduus quidem Ravennae habitus, si quando insolescerent Suevi, quasi reditnrus in regnnm ostentabatur, sed non excessit Italia per duodeviginti annos, consenuitque multum imminuta claritate, ob nimiam vivendi cupidinem. Idem Catualdae casus, neque aliud perfugium. pulsus haud multo post Hermundurorum opibus, & Vibilio duce; receptusque forum Julinm Narbonensis Galliae coloniam mittitur. Barbari utrumque comitati, ne quietas provincias immixti turbarent, Danubium ultra inter flumina Marum & Cusnm locantur, dato rege Vannio gentis Quadorum. Hinc discimus, unde illa Romanorum ac Hermundurorum amicitia fuerit orta, de qua *Tacit.* l. de *Mor. Germanorum* c. 41. *Propior Hermundurorum civitas fida Romanis, eoque solis Germanorum, non in ripa commercium, sed penitus, atque in splendidissima Rhetiae provinciae colonia. passim & sine custode transeunt, & cum caeteris gentibus arma modo castraque nostra ostendamus, his domos villasque patefacimus, non concupiscentibus.*

VIII. Sic Tiberius primo per Maroboduum Suevorum gentes, aemulatione accensas, inter se discordes reddidit, mox eundem Maroboduum, per Catvaldam & Gothinos subvertit, hunc per Hermunduros, non inusitata magnorum principum arte, qui discordia vicinorum suam potentiam vel quaerunt vel stabiliunt. Nec dubito Hermunduros primam Suevorum gentem fuisse, quae transito Danubio in Romana provincia consederit, eo ipso loco quo nunc Suevia est, sic tamen ut ripam Germanicam non desererent, quam ipsam etiam cum caeteris Suevorum nationibus usque ad Dacos Sarmatasque impleverunt. Ubi vero Romana potentia post Trajanum coepit imminui, Marcomanni Quadique, qui & ipsi Suevi erant, horumque socii Jazyges, in Romanam provinciam transgressi sunt, non amplius ut amici, sed hostilem in modum, ipsi etiam Italiae formidolosi, & aliquandiu quidem sub M. Antonino nonnullisque aliis Impp. repressi sunt: Superante vero tandem horum multitudine, tota illa provincia, in quam Boji ex Bojohemo profugi, jam ante sese sub Romana turela receperant, a Suevicis his nationibus occupata Romano imperio subtracta est, Germaniaeque in posterum connumerata: quanquam priores etiam Norici incolas, antequam sub Romanorum potestatem temporibus Augusti Caesaris redigerentur, Germanos fuisse, *Caesar in Comment.* dubitare nos non sinit, exceptis Rhaetis, quos originis Italicae esse pro indubio habetur. Testatur id etiam *Horatius Oda 14. l. 4. Carm.* de Augusto sic canens: *Maxime Principum, quem legis expertes Latinae Vindelici didicere nuper, quid marte posses: milite nam tuo Drusus Genaunos implacidum genus, Brennosque veloces, & arces Alpibus impositas tremendis dejecit acer plus vice simplici.*

IX. Haec itaque prima est de qua ex authoribus constat, in Suevorum amplissima pridem gente reipublicae mutatio, qua Hermunduri, Marcomanni, Quadi, Narisci, Gothones, &c. a reliquo Suevicarum nationum corpore avulsi primo sub regium Marobodui imperium concessere, mox in Romanum solum transgressi sunt, factique Romanorum hostes perpetui, sub Antoninis, caeterisque qui secuti sunt imperatoribus, donec tandem praevaluerunt, totaque provincia Romanos expulerunt, imo ulterius progressi, Galliam Pannoniamque invaserunt, quin & in Italiam penetrarunt, usque ad Ravennam teste *Orosio* l. 7. a quibusdam Scriptoribus Alani, per errorem vocati, cum Alemanni dicendi essent, quorum nomen ante ista tempora ignorabatur, utpote quos neque Caesar neque Strabo, & ne Tacitus quidem nominat, quorumque *Flavius Vopiscus in vita Probi*, quantum mihi constat, primus fecit mentionem.

X. Dixi

X. Dixi Alemannorum & populum novum & nomen esse, ex Suevorum potissimum nationibus coalitum. Cum enim primum Boji ex Bojohemo pulsi, ut supra diximus, in Bavariam sub Romanam ditionem se recepissent, Noricis Vindelicisque commixti, qui ipsi Suevicam originem habebant, lingua & natione Germani, Hermundurique initio ut amici, mox ut hostes, Marcomannis Quadisque popularibus suis juncti, in Romanam illam provinciam ingressi essent, expulsuri Romanos, quos post diuturna bella denique exturbarunt; terra illa omnibus his populis (quibus etiam Rhæti inalpini se conjunxerunt) communis patria esse cœpit, & quasi publica, in qua habitandi, & quam colendi omnibus æquum jus erat. Traxit itaque regio hæc nomen a Germanica voce **Allmann / das Allmann / das jedermann bawen und bewohnen darff.** Bellis enim per aliquot secula gestis, pene deserta reddita, colonos variarum gentium, qui tamen omnes e transdanubianis Suevorum gentibus immigrarunt, recepit: ac proinde **Allmann-Landt / Allmangia /** & contracte **Allgäu** nominata est; ut non sit probabile terram a populo **Allerleymann /** aut **Allemänner /** sed populum a terra **dem Allmann oder Allmendt /** apud exteros nomen accepisse, cum a se ipsis Suevi, pars etiam Boji, alii Vindelici &c. fuerint nominati: Neque hi duntaxat, qui in ripa Danubii dextra, sed & qui sinistram usque ad Mœnum fluvium & Cattos habitarunt, a se ipsis Suevi fuerunt appellati. Id quod inde licet cognoscere, quod neque hi, qui in hunc usque diem in Germania habitant, Alemannos se nominant, sed vel Suevos, vel recentiori tempore inventis nominibus, Suitenses, Brisgojos, Alsatos, Wirtenbergenses, Palatinos se vocant; neque illi qui per Galliæ provinciam, facto itinere cum Gothis & Wandalis, in Hispaniam usque penetrarunt, ubi novum aliquod Suevorum regnum constitutum, per ducentos ferme annos, usque ad Vitizæ filiorum discordias duravit, unquam hoc nomine censi sunt.

XI. Interea cæteræ etiam Suevorum nationes, quæ Marobodui dominationi nunquam sese submiserant, & ipsæ nescio an sponte an aliqua necessitate, sedes suas pleræque etiam mutarunt, Burgundiones in Sequanorum ac Heduorum terras, qui veteris Galliæ populi erant, immigrarunt. Longobardi duce Alboino, primum in Pannoniam, mox in Italiam transiverunt, regno illic constituto, quod ducentis annis stetit, donec a Francis esset eversum. Rugii Herulique Odoacro duce in eandem Italiam paulo ante profecti, finem Romano imperio Occidentali priores fecerant, Augustulo superato & Roma capta, quos mox Gothi subverterunt. Soli Suiones & Æstii, qui trans mare Suevicum habitabant, sedes suas videntur tenuisse in hunc diem, nisi quod & horum pars terræ occupata a Gothis est, incertum quo tempore. Sed de prioribus, qui citra mare habitant, Suevorum nationibus, ac Danubium Rhenumque ex utraque ripa accolunt, potissimum nobis institutum est dicere. Quanquam hi quoque populi non omnes hodie Suevorum nomine censeri solent. Censebantur autem tunc cum nova Suevorum sive Alemannorum Reipublicæ mutatio esset facta. De qua mutatione in posterum nobis sermo futurus est.

XII. Erant post Gothos, a quibus Oriens atque Occidens pariter vastatus est, duæ potissimum Germanicæ nationes, quæ in Galliam assiduos incursus fecerunt. Ipsi nimirum Alemanni i. e. Suevi, qui transito Rheno in Germania prima & per Helvetios, nec non Sicambri, invento sibi novo nomine, Franci a se ipsis vocati, qui per eundem Rhenum ejusque ripam inferiorem in Germania secunda Gallias invadere satagebant. Et isti quidem post Burgundionum in Sequanos adventum, ab his prohibiti sunt, ne ulterius progredi possent: ante id temporis vero sub Juliano Apostata & mox Valentiniano I. varie cum his certa-

certatum est a Romanis, donec, uti prædiximus sub Honorii principatu Alemanni prævaluerunt, & per Helvetios Galliæque provinciam facto itinere usque in Hispaniam penetraverunt, Franci autem cum diu circa Rheni trajectum cum Romanis luctati essent, eadem tempestate nudatam præsidio ripam Gallicam sub Pharamundo rege suo, & mox sub Clodio, & Meroveo transiere, stabilesque in Gallia sedes posuere; qui tamen post Attilæ irruptionem, pace cum Romanis facta imo & cum Gothis communem hostem propulsare satagebant potius, quam inter se belligerari, donec hoc pulso & Romanis per Odoacrem in Italiam revocatis, soli Franci, Burgundiones & Gothi totam Galliam inter se partirentur, inter quos tamen Franci denique cæteris prævaluerunt, Burgundionibus prioribus, sub Clodovæo M. Gothis demum sub Carolo M. prorsus subjugatis. Sic aucti opibus ac potentia Franci suum imperium etiam in Germaniæ gentes transrhenanas latissime extenderunt, ita ut Saxones, Tyrigetas, Alemannos, immo Hunnos in Pannonia, Longobardos in Italia sub ditionem suam redigerent; atque ita Suevorum illæ nationes, quæ circa Danubium & Rhenum sedes habuerant, & hactenus liberæ & sui juris fuerant, tum primum sub alienam, id est, Francorum ditionem redacti sunt, & per præfectos ab his impositos gubernatæ, quin imo temporibus Carolinis, cum nondum satis domiti viderentur Alemanni & ferocius agerent, quam pro obsequii jure debebant, Tassiloni Bojorum Duci adhærentes, qui rebellaverat Carolo, undecim illorum millia, in Aquitaniam trajecta sunt, ut & ipsi distraherentur a suis, & simul Aquitanos compescerent.

XIII. Sub hac vero Francorum dominatione, victi & victores pari jure sunt gavisi, neque libertati populorum aliquid decessit, nisi quod communem Dominum victi victoresque haberent deinceps. Franci enim, ut ipsis Gallis Saxonibusque Leges suas & instituta reliquerunt; ita & Alemannis, sic ut hodieque in Imperio Romano-Germanico, alibi Saxonicum jus, locis aliis Alemannicum vigeat. Præterea qui a Francis præfecti victis gentibus dabantur, cum plerumque hæreditariæ essent eorum præfecturæ, nisi quod Regi subessent, tanquam inter suos agebant, atque ita coalescebant cum gente quisque sua, ut ejusdem sanguinis, non Francici crederentur, prorsusque & Franci, & Saxones atque Alemanni, unam in gentem coalescerent, principalesque familiæ affinitatibus consanguinitatibusque discrimen victoris & victi, servientis atque dominantis prorsus abolerent, & re ipsa eveniret, quod apud Curtium l. 10. c. 3. habuisse se in consilio Alexander commemorat: *Ipse*, inquiens, *Oxathris filiam mecum in matrimonium junxi, non dedignatus e captiva liberos tollere, mox deinde, quum stirpem generis mei latius propagare cuperem, uxorem Darii filiam duxi, proximisque amicorum auctor fui, ex captivis generandi liberos, ut hoc sacro fœdere omne discrimen victi victorisque excluderem. Proinde genitos vos esse mihi non ascitos milites credite. Asiæ atque Europæ unum atque idem regnum est. Macedonum vobis arma do. Inveteravi peregrinam novitatem, & cives mei estis & milites, omnia eundem ducunt colorem. Nec Persis Macedonum morem adumbrare, nec Macedonibus Persas imitari, indecorum est. Ejusdem juris esse debent, qui sub eodem Rege victuri sunt.* Prorsus nimirum eodem modo, in Francorum gentem Alemanni, atque in Alemannorum Franci transiere, qui & jus Alemannicum receperunt, non hi illorum. Quod inprimis de Francis iis est verum, qui in Orientali, ut vocant, Francia, inter ipsos Alemannos sedes occupaverunt. Et Ludovicus quidem Pius, Francorum Rex & Imperator Romanus, Suevam conjugem habuit, & Sueva matre est creatus, cujus filius Ludovicus Bojariæ Rex; nepos vero Carolus Crassus, Rex Sueviæ, quam Franciæ maluit vocari, quod idem factitarunt præfecti illi omnes, quos Francorum Reges,

ges, victis a se gentibus primitus rectores imposuerunt, ut facti reguli illius gentis mallent his ut suis popularibus imperare, quam alienigenis, seque gentium talium duces, quam præfectos Francicos appellare, libertatemque suæ quisque regioni quantamcunque potuerunt, asserere, id solum Francorum regibus obsequii fideique tribuentes, quod Dominis vasalli præstare solent, debentque. Sic gens Alemannorum Suevorumque non secus ac aliæ sub Francorum regno, plenam libertatem, suaque jura cum exigua Reipublicæ mutatione ad hoc usque tempus continuaverunt.

XIV. Non sane Suevis hæc qualiscunque Reipublicæ mutatio pœnitenda fuit. Primum enim divina providentia Francorum Regum hanc curam excitavit, (postquam initio Clodovæus M. voti sui per victoriam de Alemannis partam damnas factus, religionem suscepit Christianam, atque a Remigio Rhemorum Episcopo cum tota sua gente baptizatus esset) ut gentes etiam cæteras ditioni suæ subjectas, ad Christianam fidem paulatim adducerent. Dagobertus imprimis restauravit Christianum cultum, quæque Ecclesiæ Barbarorum, id est, ipsorum Francorum atque Alemannorum, irruptionibus pridem vastatæ erant, non solum restituit per Gallias & Germaniam primam, sed & trans Rhenum novas fundavit, circa annum Christi 630. Sequenti vero seculo, sub stirpe Regum Francicorum secunda, Pipino & Carolo annitentibus, cum jam tota gens Alemannorum perdomita esset, tunc opera imprimis Bonifacii Episcopi Moguntini, qui pridem Abbas Fuldensis fuit, & pene totius Germaniæ Apostolus, constituti sunt per Noricum & Franconiam Episcopatus sex; non vi & gladio utentis, sed constituentis viros pietate & exemplo singularis sanctimoniæ juxta cum salutari doctrina paulatim & placide adducentes populum rudem ad agnitionem veritatis. Quoniam vero traditionum humanarum rituumque multitudine obsita pene tota tunc temporis doctrina Christiana fuit: uti patere potest vel e solis illis Epistolis, quæ a Bonifacio ad Gregorium & Zachariam Romanos Episcopos, & vicissim ab his ad ipsum perscriptæ sunt, in veteri collectione Decretorum Synodalium Pontificiorumque Anno 1530. Coloniæ ingressis: fieri aliter non potuit, quam ut similibus tenebris obfuscatam Evangelii lucem tunc etiam Suevi cognatæque gentes acciperent, quæ suo tamen tempore, plenius clariusque, pulsa barbarie superstitioneque, rursus eluxit. Neque vero etiam tunc non celebrandi quidam viri inter Suevos fuere, qui pietate vera, meliorique doctrina prælucerent, uti fuit fine noni seculi S. Udalricus Episcopus Augustanus, de cujus & sanctitate, & veritatis lumine, testatur Epistola ab ipso scripta ad Pontificem Romanum.

XV. Neque porro pœnitenda Suevis fuit hæc translatio gentis suæ sub Francorum imperium, propter ipsum dignitatis characterem, quem inde consecuta est. Neque enim pauciores ignobilioresve, quam ullæ aliæ Germaniæ nationes, Romano imperio Principes dedere Suevi. Postquam enim Ludovici Pii filii, diviso Francorum imperio, Ludovico secundogenito ex Fratribus tranwhenanam Germaniam in portionem hæreditatis reliquissent, & Lotharii posteritate extincta, hujus pleræque ditiones, Ripuarii imprimis, sive bello, sive successionis jure, sive pactis ad Germaniæ regnum accessissent; tum Francia Orientalis ab Occidentali sic est avulsa, ut nunquam deinceps in unum regnum coalescerent: Siquidem ne stirpe quidem Carolina in Germania deficiente, cum adhuc in Gallia Carolus Simplex esset superstes, Germani illum Dominum recipere voluerunt, sed primo ad Conradum Francum confugerunt, mox in Saxonum Ducem Henricum Aucupem, cujus stirps cum defecisset in Ottone Tertio, Henricum Sanctum ex Bavaris Imperatorem elegerunt; quem Con-

radus Salicus, ac tres alii Henrici ex Francis Orientalibus exceperunt, cum mox ad Suevorum gentem, Conradumque Suevum corona imperii delata est, quam quidem præripuit huic Lotharius Saxo, sic tamen, ut in dissidio quod S. Bernhardus Clarævallensis iterum composuit, suum hunc successorem cogeretur agnoscere.

XVI. Sub horum Imperatorum Germanicorum Imperiis Suevorum gens suos habuit duces, plerisque sive Francorum, sive Saxonum, sive Bojoariorum gentis Ducibus arcta sanguinis necessitudine innexos, quos Martinus Crusius, in Annal. Suev. L. III. p. 2. hoc ordine recenset.

1. Burcardus, Anno Christi 916.
2. Hermannus I. Landgr. Franconiæ & Saxoniæ 927.
3. Luitholphus Saxoniæ Dux, Othonis Cæs. F. 948.
4. Burcardus II. primi Burcardi filius. 957.
5. Otho I. Luitholphi ducis Alemanniæ filius 973.
6. Conradus. 982.
7. Hermannus II. 997.
8. Hermannus III. præcedentis filius. 1004.
9. Ernestus Austrius. 1012.
10. Ernestus II. prioris fil. 1015.
11. Hermannus IV. frater præcedentis.
12. Henricus Conradi II. frater. 1039.
13. Otho II. de Witelspach. 1045.
14. Otho III. Marchio Schvvinfurtensis. 1048.

Sequitur Comes Rheinfeldensis, anno 1057.
Postea Fridericus Suevus, Baro de Hohenstauffen, dictus antiquus. 1081.

Ex quo deinde Suevica Imperatoria familia, de qua cœpimus dicere, orta est. Nec historiam hic volumus contexere, breviter tamen de singulis dicendum aliquid est. Et Conradus quidem, cum adhuc inter ipsum & Lotharium de Imperio disceptaretur, cedere, uti prædiximus, coactus est; Æmulus enim ejus potentior erat, & amicos habebat Papam, Saxoniam, Misniam, Thuringiam, comparataque manu impetum fecit in Sueviam, multasque suæ potestati subjecit urbes, tandem, ut quidam annotavit; ruckt der Keyser auch für das trutzig Stättlein Ulm/ die von Ulm schlossen ihr Pfort/ gaben die Antwort/ die Statt gehört nicht den Saxen/ noch den Walschen/ so auß des Papsts Zusatz und Hülff da waren/ sondern dem Hertzog in Schwaben/ den sie für ein Römischen König hielten. Obsedit ergo Lotharius Ulmam, & primo suburbium incendit, deinde machinis muros concutiens, civitatem destruxit, & multis interfectis, plures ex civibus cepit, aliis fugatis. Verum defuncto post Lothario, & Conrado succedente, civitatem reædificari præcepit suam, civibusque multa privilegia contulit. Mox Henricum Superbum nolentem reddere Imperatoria insignia, quæ penes se ex soceri hæreditate retinuerat, proscripsit, & ditionibus suis amplissimis, Saxonia Bavariaque spoliavit, mox Henrici fratrem Welphonem, Bavariam occupare conantem, Winspergæ in Franconia obsessum, in potestatem redegit, ubi generositatis suæ nobile hoc edidit specimen, cum deditio fieret, his conditionibus, ut mulieribus concederetur liber discessus, & potestas ornamentorum suorum, quantum quæque posset portare, ex oppido efferendi: Welphonis uxore, cæterisque nobilibus fœminis suos maritos efferentibus, non solum Imperator id ratum habuit, sed & mulieres propter hanc pietatem collaudatas, cum viris suis convivio excepit, & reliqua, quæ ad ipsas pertinebant, concessit, Welphonique

Bavariæ

Bavariæ partem ultro reddidit. Secuta est expeditio in terram sanctam, quam suscepit suasu S. Bernhardi, belli socio & comite Ludovico VIII. Galliæ Rege. Sed cum Bosphorum Thracium superassent, fraudibus Græcorum, cum Turcis conspirantium vexati, sine operæ precio redire coacti sunt. In hoc etiam generositatem suam testatus est Conradus, quod cum Filium haberet, cui hæreditarium tunc Imperium potuisset transmittere, maluit id transferre in Fridericum nepotem ex fratre, filiumque suum huic in tutelam dare. Indolem enim ejus magnam rerumque summarum capacem agnoverat.

XVII. Sub hoc Friderico haud dubie cum res Imperii Romano-Germanici, tum etiam Suevicæ nationis florentissimæ fuerunt. Bella ab isto gesta plura fuere, quam quæ possint hoc loco commemorari omnia. Hoc tantum dicam, quod sub hoc Friderico Barbarossa Danorum, Polonorum, Hunnorum sive Reges, sive tunc adhuc Duces, Imperium nostrum non solum comiter observarint, sed & tributum Imperatoribus pependerint annuum. Bohemiæ vero Rex, cui primus Fridericus titulum Regium in perpetuum concessit, & Rex Burgundiæ sive Arelatensis provinciæ, pleno tunc jure Imperio subjecti, etiam in comitatu aulico ipsius fuerunt, cum caussa coronationis Romam esset profectus; Longobardi rebelles vi ad obsequium coacti; Italia reliqua & ipsa Roma, Pontifice in Galliam profugo, hunc Cæsarem venerata est; Gibellinis ab ipso denominatis, summo etiam amore prosequentibus, etsi Welphi contra terrore armorum essent coercendi. Hic Græciæ, hic Turcarum, hic Saracenorum terror fuit: atque ut cognoscatur, quales tantus Imperator habuerit milites, audiatur *Nicetas Choniates*, qui de expeditione ejus loquens, quam suscepit in Orientem, l. 2. de Isacii Angeli Imperio hæc habet: *In hac expeditione ferunt Alemannum quendam corpore ingenti, & robore invicto præditum, populares suos longo intervallo secutum, pedetentim incessisse, equum trahentem ex itinere fatigatum, Ismaelitas vero circiter 50. viros fortissimos, suis stationibus evagatos, illum undique sagittis petiisse. Cæterum eum lato scuto tectum, & firmitate thoracis fretum, alacrem perrexisse, nihilo magis barbarorum telis commotum, quam si rupes esset, Unum autem cæteris jactantiorem, abjecto inutili arcu, longum ensem strinxisse, & concitato equo cominus illum ut promontorium aut æream columnam gladio percussisse. Alemannum vero gladio, qui heroicam dextram deceret, ambos anteriores pedes hostilis equi tanquam fœnum amputasse, qui cum in genua prolapsus nihilominus sessorem in sella sustineret, ensem in medium Persa caput ita impegisse, ut equite in duas partes dissecto, etiam jumenti tergum sella quoque dissecta vulneraret. Eoque spectaculo Persas attonitos non amplius esse ausos, unum eum lacessere, qui nihil accelerato itinere pedetentim vesperi in castra suorum pervenerit.* Ne vero quis ad unum aliquem Heroem pertinere hoc putet, paulo ante p. m. 166. de multis adeoque de toto exercitu sic loquitur. *Ut ad Philadelphiam accessit, neque per urbem transiit, ejus incolæ simulata amicitia, in regis discessu, in inimicitias erumpentes; partem exercitus per latrocinium sunt adorti: ut vero res parum successit, sed ferreas statuas, aut gigantes sibi oppugnare videbantur, terga dederunt.* Tales tunc Alemanni fuerunt. Ipsius Friderici elogium a Choniata illi datum, etsi alioqui Germanis minus æquo, maxime insigne, quia prolixius est, hic non repeto. Notum alioqui est, quod illa ipsa expeditione in Cydno Ciliciæ fluvio Fridericus sive suffocatus undis, sive sagittis hostium an Guelphorum insidiis occisus perierit, Tyrumque Palæstinæ urbem deductus, ibidem sepultus sit. Successor ejus filius Henricus VI. qui Rogerii Siculi filia uxore ducta, utriusque Siciliæ regnum in dotem accepit, Suevorum nomen etiam per Græciam celebre fecit, quippe tributum dare coactam, quod, eodem Niceta teste, Alemannicum a Græcis vocatum est. Sub

ipso potentia Suevorum maxima fuit, quippe quæ a Balthico mari ad Lylibæi promontorium, a Mosa Rhodanoque ad Vistulam usque se extendebat. Elogium ejus apud Brunnerum l. 13. tale est. *Maximi animi Princeps, & Germaniæ imperium, si vita longior obtigisset, in eodem gloriæ fastigio repositurus, quo Caroli M. immortali virtute ascenderat. Jam Orientem quoque sui nominis fama compleverat; quicquid terrarum Epidamnum & Thessalonicam interest, ab Alexio Commeno ausus reposcere & si pacem vellet, eidem imperare tributum,* Alemannicum *ab indignabunda Græcia dictum, ad cujus summam conficiendam neque regum tumulis Alexius pepercit.* Summum Reipublicæ studium *Nicetas Choniates* in eo commemorat, cui *dies totos* ita impenderit, *vix ut spatium curandi corporis* sibi relinqueret, *raroque prandentem quisquam videret:* Quas tam sobrias ejus curas cum interpolare amici conarentur, *importunos invitatores* plane regia sententia refutavit, *homini privato nullum esse intempestivum convivium,* dictitans; *Regibus, si suo satisfacere nomini velint, satis esse debere, si eos resp. a se ad cœnam dimittat.* Expeditionem in orientem, non suo quidem ductu fecit; classem tamen 60000. exercitum continentem in Palæstinam misit. Filiolum ex Constantia susceptum Fridericum Imperatorem designavit, consentientibus Germaniæ Principibus: qui vero cum mortuo patre infans adhuc esset, tutorio nomine Patruus Philippus Suevus interim imperavit, & ex pacto Otto Brunsuicensis a Welphis contra Philippum excitatus. Postquam vero Otto in Pontificis odium incurrisset, Fridericus demum II. Imperium sibi debitum adeptus est, Maximus & Victoriosus Imperator, qui Hierosolymam, Christianis a Soldano Ægyptio paulo ante rursus ereptam, suscepta in Orientem expeditione, reddere coegit. Adversus Anticæsares, quos Pontifices Romani & Guelphi suscitaverant, stetit invictus, quos partim per se ipsum, partim per filium Conradum cedere imperio coegit, tam charus omni Germanorum populo, & in Italia Gibellinis, ut mortuus cum fuisset, credere nemo vellet, sed comparituram iterum sperarent, & restituturum omnia in melius, cum tunc res in Imperio propter bella hæc civilia valde turbatæ essent. Unde proverbium natum est, **Er wartet auff den alten Keyser / Er macht Schulden auff den alten Keyser /** quo usi sunt illi, qui vanam hanc simplicis popelli spem irriserunt. Nam etsi Filius ejus Conradus IV. Imperator non minus vir fortis atque Pater Fridericus fuit, tamen in Germaniam ei venire non vacavit, quod satageret expediendis Regni Neapol. negociis, quod cum ex hæreditate paterna sibi deberetur, a Manfredo fratre & Pontifice diripiebatur, & ipse brevi, non sine suspicione veneni dati mortuus esset. Hujus Filium Conradinum Carolus Andegavensis, cum exercitu Germanorum repetentem avitas ditiones, victum captumque gladio carnificis Neapoli interemit, inaudito tunc temporis inter Christianos exemplo; atque sic stirpem non Regum duntaxat Neapolitanorum, sed & Sueviæ Ducum atque Imperatorum extinxit. Quorum temporibus Germanicum Imperium amplissimum pariter atque potentissimum extitit.

XVIII. Incidit hic Suevicæ nationis status in tempus Interregni, quo totos octodecim annos Germania Rege atque Imperatore uno caruit: donec Rudolphus Habsburgensis electus Imperator Sueviam, ut Imperii feudum, alteri filio suo Friderico concessit, sicut Alberto Austriam, (eodem tempore destitutam principe, quippe cui eadem calamitas, quæ Conradino accidit) dedit in feudum. Nunc vero cum Marchiones Badenses, tum Duces Wirtembergenses, utrique ex antiqua stirpe Ducum Zaringiæ orti, ut & Domus Austriaca cum Episcopis & nonnullis comitibus Suevicum circulum hodie constituunt. Urbes tamen liberæ, quarum magnus numerus est, quippe qui cæterarum omnium numerum aut æquat, aut superat, concessa libertate & privilegiis ab ipsis Suevici

vici

vici sanguinis Imperatoribus utentes, multum quoque roboris opumque in publicum conferunt, quibus libera & immediata nobilitas merito accensetur. Uti vero olim Spartha & Athenæ duo Græciæ oculi fuere, sic de Augusta Vindelicorum atque Ulma, dulcissima patria mea, inter Suevorum urbes idem judicium ferri posse nemo diffitebitur.

XIX. De moribus & cultu gentis hodierno, ut pauca adjiciam prædictis, hac ipsa etiam parte non pœnitenda fuit Suevis ea, de qua supra dictum fuit, reipublicæ mutatio, qua sub Francorum imperium redacti, pari deinde cum ipsis Francis libertate, in unum Germanici imperii corpus coaluere. Hoc enim factum est, ut bonæ literæ, præsertim post pulsam barbariem, ad ipsos satis cito pervenerint, imo citius quam ad plerasque alias Germaniæ aut etiam Galliæ regiones, cum ipsos restauratores bonarum literarum Suevia genuerit, quos inter Capnio & Melanchton non vilia nomina sunt. Quot hactenus Viros in omni genere studiorum illustres Suevia protulerit, enumerare supersedeo, veritus ne si quos omitterem, his injuriam fecisse viderer. Neque vero sibi tantum illos retinuit, sed ex abundantia sua aliis quoque regionibus concessit. Laudat illustre Argentoratum, studiorum alioqui & mater & Alumna celeberrima, Marbachium, Pappum, Wegelinum, Dannhavverum, quos Lindavia, Augusta Vindelicorum, Kindringa Brisgojæ sibi generavit Theologos insignes; laudat eadem curiæ suæ quondam lumina Bechtium, Imlinum, Ottonem, JCtos, quos Hailbronna partim, partim Ulma sibi submiserit. Taceo alias regiones & urbes, minus mihi cognitas (nam & quæ de Argentoratensibus dixi, ex Argentoratensibus patronis nisi didicissem, ignorare mihi licuisset) quæ sua decora Suevorum genti debuerunt. De iis vero qui in ipsa Suevia aut vixerunt olim, vel nunc vivunt, viris doctissimis consulto taceo. Porro cæterarum artium, ad vitæ humanæ usum & commoditatem pertinentium, nulla est, quam Suevi non excolant, Pannificio imprimis & linteorum conficiendorum arte magnas etiam opes comparantes, quæ videlicet multis regionibus subministrare Suevia solet.

XX. Non facerem satis instituto meo, nisi tandem etiam quosdam exprobrari solitos genti nostræ morum ingeniorumque nævos diluerem. Noló quidem quibus vulgus gentis nostræ ægrotavit & huc usque ægrotat labes, (quæ enim gens est, in qua non aliqui ex imprudentibus, quorum ubique plures sunt quam prudentium, familiaribus quibusdam vitiis laborant) vel excusare vel negare: attamen illa quæ falso aliqui objiciunt toti genti, amoliri a nobis, inque ipsos retorquere fas sit. Primum locum obtinet ebrietas, de qua Tacitus l. c. *Suevos*, inquit, *diem, noctemque continuare potando, & quod pessimum, inter vinolentos oriri rixas, quæ raro conviciis, sæpius cæde transiguntur.* Hoc vitium ebrietatis & hodierno die Germanis, & in specie quoque Suevis ab exteris malo vertitur, quippe illorum carmina nemini ignota sunt, duo tantum adjungam disticha, quæ in contemtum Germanorum cecinit Ovvenus, qui ipse tamen sæpius Londini in diversoriis, quam domi visus est, quod probatæ fidei quidam vir de illo testatur.

Mors, inquit Seneca, est non esse, Polyniee: contra
Germanus mortem non bibere esse putat.

Et rursum ad verba Plinii *in vino veritas.*

Si latet in vino verum, ut proverbia dicunt,
Invenit verum Teuto, vel inveniet.

Et *Antonius Campanus* Italus contra Germanos ebrietatem.

Germani possunt cunctos tolerare labores,
O utinam possent tam bene ferre sitim.

Verum enim vero ad hæc carmina vel potius scommata jam dudum ab eruditis est responsum, neminemque illud contra Italos distichon fugere existimo:

Ut nos sæva sitis, sic vos Venus improba vexat.
Lex Veneri posita est Julia, nulla mero.

Interea exteri veteres evolvant historias, & videbunt, a quibus hæc verba *græcari* & *pergræcari*, Sauffen und immer wohl leben orta sint.

XXI. *Munsterus* in sua Cosmographia, & *Felix Faber in hist. Suev.* l. 1. c. 10. Veneri deditos Suevos exclamant: F. Fabri enim verba ita se habent, *Fæmineum genus apud Suevos delicatum & formosum adeo multiplicatur, ut pene in omnibus regionibus evagentur mulieres ex Suevia servientes hominibus in cura domestica, & maxime in cultu veneris.* Ad verba Fabri vero respondendum, concedendo nimirum Suevicarum mulierum copiam, nec minus & hoc quod passim aliis serviant in cura domestica, quod vero servitus venerea admodum illis communis sit experientiæ contrariatur, & a particulari ad universale concludere inconsequens est. Potius laudi illis tribuitur, quod sint laboriosæ, & in educatione liberorum severæ, virisque fideles. vid. *Cruf. in Annal.* p. 1.

Suevas fuisse amabiles viris & applicabiles,
Prolem educasse sedulas, curasse pensa strenuas.

Porro *Lazius in migratione gentium*, l. 8. Suevos arrogantes & gloriabundos fuisse & hodie esse dicit, adducens exemplum a superba oratione Ariovisti ad Cæsarem: a singulari vero hoc exemplo totum populum arrogantem pronunciare, inconsequens est, quanquam si verum fateri volumus æquissima fuit Ariovisti responsio, etsi superbæ præsumtioni Romanorum ac Cæsaris minus esset accommodata, quippe qui sibi solis licere, quod aliis non liceat, cum contemptu cæterarum gentium, quos Barbaros vocabant, superbissime iniquissimeque postulaverunt. Sed manum de tabula. Deus Optimus Maximus Sueviam, & in ea dulcissimam Patriam meam Inclytam Ulmam, cum omni posteritate florentem clementissime conservet!



DISSER-

DISSERTATIO IV.
DE
ALEMANNORUM POPULO.

§. I.

Alemannorum (qui & Alemani, Alamanni, Allemanni promiscue scribuntur) nomen primum apud historicos sub Caracalla, qui anno a Christo nato CCXI. imperium iniit, memoratur. Nam Aurelius Victor de Caracalla: *Alemannos, gentem populosam, ex equo mirifice pugnantem, prope Manum amnem devicit.* Confer Ælium Spartianum *in ejusdem vita c. 10.* & Dionis Coccejani excerpta ab Henrico Valesio edita. Quanquam Germani propterea appellari non desierunt. Ut apud historicos passim observare est & apud Flav. Vopiscum, qui in Proculo scribit: *Alemannos tunc adhuc Germanos dictos.* Interdum quoque *Suevi* sive *Suavi*, forte quoniam hi inter illos praevalebant, dicti. Procopius I. histor. Goth. *Super Thuringos Suavi & Alemanni nationes validae agunt, vetustis in finibus ac libertate.* Paulus Warnefridus l. 3. de gestis Longobardorum c. 18. *Iste ex Suavorum, hoc est, Alemannorum gente oriundus.* Ante l. 2. c. 15. dixerat. *Inter hanc* (Liguriam) *& Suaviam, hoc est Alemannorum patriam, quae versus septentrionem est posita, duae provinciae, id est, Rhetia prima & secunda inter Alpes consistunt.* Apud Gregorium Turonensem l. 2. histor. Francor. c. 2. *Suevi, id est, Alamanni.* Abbas S. Galli Gualfridus apud Pontanum: *cum duo sint vocabula Suevia & Alemannia, unam gentem significantia; priori nomine nos appellant circumposita gentes, qua Latium habent sermonem.* Anonymus Ravennas, qui circa seculum VII. vixit, l. 4. Geograph. §. 26. *Propinqua ipsius Thuringiae adscribitur Suavorum, quae & Alemannorum patria.* Chronicon vetus Francorum ad A. DCCXLI. de Pippino: *Primogenito suo, Carolomanno nomine Auster & Suaviam, qua nunc Alamannia dicitur, & Thuringiam tradidit.* Notandum autem, cum Suavis hisce non confundendos Savienses sive provinciae ad Savum incolas, qui & ipsi Suavi nominabantur, quod fecit Jornandes *de rebus Getbicis c. 53.* ut erudite ostendit Hadr. Valesius *l. 3. Rerum Francic. ad Ann. CCCCXXIX.*

L. 2. de Origin. Francor. c. 2. in fine.

II. Alemannorum, sive Ἀλαμβανῶν, ut Dio vocat, nomen quidam * a lacu Lemano perperam derivant. Alii eos dictos volunt ** ab Alemanno fluvio, qui juxta Kelhemium Danubium intrat, ortus a parte Germaniae Boreali, Almul hodie accolis dictus, plane ut Suevi a Suevo fluvio, Alani a Lano, qui ultra Danubium fertur, Indiani ab Indo vocitari. Quod non improbabile visum Joanni Isaacio Pontano, emendanti locum Isidori, ubi fluvius Lemanus legitur. At Agathias Scholasticus, Mauritii Tiberii Aug. aequalis, aliam Alemannorum nominis originem l. 1. histor. prodidit, verbis hisce: *Alemanni, *** si Asinio Quadrato fides, viro Italo & Germanicarum rerum exacto scriptori, convenae sunt ex variis Nationibus collecti, idipsum apud eos significante vocabulo,* hoc est, allerley Männer vel Allmænner. Quae derivatio non displicuit Cluverio & Petro Lambecio. Nimirum plures Germanicae nationes, vel ad infe- rendam

L. 2. Origin. Francicar. c. 2. in calce.

L. 3. G.A. c. 4.

L. 2. Biblioth. Caesar. c. 6. p. 503.

rendam Romanis vim, vel ad eos repellendos, in fœdus coiviſſe videntur. Etenim jam Antonino Philoſopho imperante, ut auctor eſt Capitolinus in ejus vita c. 22. *Gentes omnes ab Illyrici limite usque Galliam conſpiraverunt, ut Marcomanni, Nariſci, Hermunduri & Quadi, Suevi, Sarmatæ, Latringes & Buri.* Et Germani compluribus triſtibusque experimentis didicerant, dum ſinguli pugnarent, univerſos vinci. Quæ ratio etiam nationes ex altera Germaniæ parte in fœdus ac nomen Francorum compoſuit. An autem Alemanni unam civitatem aut rempublicam conſtituerint, non audemus definire. Nam apud Ammianum Marcellinum l. 14. c. 10. Conſtantinus Aug. ajebat: *Alemannorum Reges & populi formidantes per oratores, quos videtis, ſummiſſis cervicibus conceſſionem prateritorum poſcunt & pacem*, & l. 17. c. 1. memoratur, *ad Julianum Cæſarem tres Alemannorum immaniſſimos Reges veniſſe.* c. 10. *Ita Reges illi tumentes quondam immaniter, rapiniſque diteſcere aſſueti noſtrorum, Romanæ potentiæ jugo ſubdidere colla jam domita, & velut inter tributarios nati & educati obſecundabant imperiis ingravate.* l. 18. c. 2. plurium Regum fit mentio, & quidem diverſis pagis præfectorum. l. 20. c. 4. eſt: *poſt Alamanniæ quædam regna proſtrata.* Unde colligas, plura in Alemannorum nationibus perinde ut initio apud Francos, fuiſſe regna.

* A lacu Lemano perperam derivant) v. Lambecius d. l.

** Ab Alemanno fluvio) *Almona* vocatur a Poeta Saxone de geſt. Caroli M. l. 2. ad A. DCCXCIII.

*** Si Aſinio Quadrato fides) Ex hoc loco concludit Cluverius d. l. multisque pertendit, Alemannos Alemannorumque vocabulum eſſe antiquiſſimum, & ante geographica Strabonis, utpote Aſinium nominantis, celebratum. Enimvero Aſinius ille, cujus meminit Strabo, eſt potius Pollio, etiam Suetonio *in Julio Cæſar. c. 30. & 50.* memoratus. Cur enim Strabo Alemannorum nullam mentionem feciſſet & tam nobilem gentem commentariis ſuis non inſeruiſſet? ut ſecte notavit Pontanus *in ſylloge deſcript. chorograph. præfat. ad lectorem.* Certe Aſinium Quadratum Alexandri Severi, aut potius Philippi Arabis temporibus vixiſſe, ex Suida & Stephano Byzantio voce Κλῦθοι diſcimus, quorum ille Romanam hiſtoriam χιλιετηρίδα, hic ῥωμαικὴν χιλιάδα inſcripſiſſe memorat.

III. Populus hicce primis temporibus * inter Danubium, Rhenum & Mœnum fluvios habitavit; idque a plerisque veterum hiſtoricorum interpretibus notatum, teſte Cluverio. Quanquam fines eorum per intervalla temporum, præ- (d. l. 3. G. A. c. 4. p. 516.) ſertim labaſcente Romanorum Imperio, latius porrecti. Verſus enim ſeptentrionem ad Loganam, Cattorum amnem, eos extenderunt. A meridie non contenti Sueviæ & Rhætiæ parte majore, tranſito Rheno, in finibus Galliæ, quam incurſionibus ſæpe vaſtaverant, conſedere, agrumque Helvetium monte Jura ab Sequanis, lacu Lemano a Sabaudia & provincia Viennenſi diviſum, armis occupavere, Allemanniamque appellavere. Sidonius Apollinaris in panegyrico Avito ſocero dicto:

Francus Germanum primum Belgamque ſecundum
Sternebat: Rhenumque ferox Alemanne bibebas,
Romanis ripis & utroque ſuperbus in agro
Vel civis vel victor eras.

& in Majoriani panegyrico:

. . . . Conſcenderat alpes
Rhætorumque jugo per longa ſilentia ductus;
Romano exierat populato trux Alemannus.
In prædam centum novies demiſerat hoſtes.

Hinc

Hinc Isidorus, Hispalensis Episcopus, in Originum l. 9. *populi*, inquit, *habitantes juxta Lemanum fluvium Alemanni vocantur.* Quæ verba & apud Servium Honoratum Grammaticum *in Georgic. l. 4.* (qui Flavio Honorio imperante vixit) leguntur. Quanquam Lucanus lacum Lemanum, non fluvium ullum memoret, nec Alemannos, quippe qui à lacu Lemano dicti non sunt, ut rectè notavit Hadrianus Valesius. Præterea Jornandes de rebus Geticis c. 55. *Regio*, inquit, *illa Suevorum*, ** *ab oriente Bajobaros habet; ab occidente Francos;* *** *a meridie Burgundiones; a septentrione Thuringos. Quibus Suevis tunc juncti Alemanni etiam aderant, ipsique alpes erectos omnino regentes. Unde nonnulla fluenta Danubio influunt, nimio cum sono vergentia.* Walafridus Strabo, Abbas Augiensis, Ludovici Pii Imp. æqualis, in præfat. librorum de vita S. Galli Abbatis: *Igitur, quia mixti Alemannis Suevi partem Germaniæ ultra Danubium, partem Rhætiæ inter Alpes & Histrum, partemque Galliæ circa Ararim* (Arolam) *obsederunt; ab incolit nomen patriæ derivemus, & Alemanniam vel Sueviam nominemus.* Idem Strabo lacum Tigurinum in Alemannia ponit.

Notit. Galliar. voce Alamanni Gallicanis conf. l. 5. Rer. Franc. ad An. 487.

* Inter Danubium, Rhenum & Mœnum) tertiam Germaniæ veteris partem comprehendisse, testatur Hieronymus *in vita S. Hilarionis.*

** Ab oriente Bajobaros) Lechum [amnem] Bajoarios ab Alemannis divisisse, scribit Eginhardus in vita Caroli M. idemque est in Annal. Francor. apud Reuberum ad An. DCCLXXXVII. Quod intelligendum de illis Alemannis, qui inter Brigantinum lacum & Lycum Rhætiæ primæ tractum obtinebant.

*** A meridie Burgundiones) Alemannos confines fuisse Burgundis, notavit etiam Ammian. Marcellinus *l. 18. c. 2.* Salinarum finiumque causa Burgundos Alamannis sæpe jurgasse idem scripsit *l. 28. c. 5.* Quas salinas, ut hoc obiter dicamus, ad fluvioli Salæ fontem fuisse putat Ægidius Bucherius *l. XI Belg. Rom. c. 11. §. 8.* qui in Hassia sub monte Vogelsberg apud vicum Saltz oritur, & cum amne Kintz mistus, perque opida Salemünster Salefeld & Hanoviam fluens, Mœno paulo infra Francofurtum confunditur. conf. Cluverius *l. 3. G. A. c. 4. p. 519.* Habuit ibi Carolus M. palatium, cujus situm indicant Annales Francorum à Reubero editi & Poëta Saxo ad An. DCCXC. ubi de Carolo M. loquens ait:

Est aggressus iter Mœnum navale per amnem,
Ascenditque per hunc donec prope mœnia venit,
Magna palatinæ sedis Saltz nomine dicta.
Nascenti vicina Salæ: nam fluminis hujus
Rivus adhuc modicus hæc ipsa palatia cingit,
Vix pauca per saxa ciens resonantia murmur.

Curtem, quæ dicitur, Saltz vocant Annales Fuldenses ad An. DCCXLVII. & Capitulare ad Saltz datum An. DCCCIV. apud Steph. Baluz. *tom. 1. Capitul. p. 415. sequ.* Quanquam palatii hujus hodie ne vestigium quidem superest.

§. IV.

Finem eundem, quem Germani veteres habuerunt. Ammianus Marcellinus l. 28. c. 5. *Alemanni*, inquit, *sine fine & modo rem Romanam inquietis motibus confundentes. Immanis enim natio jam inde ab incunabulis primis varietate casuum imminuta ita sæpius adolescit, ut fuisse longis seculis æstimetur intacta.* Ante dixerat l. 17. c. 10. *Romanorum rapinis ditescere assuetos.* & c. 12. *Barbaris jus in viribus esse adsuevit.* l. 21. c. 3. *Prædatorias manus* vocaverat. Hinc Reges eorum interdum malè habiti à Romanis. Chroco Alemannorum Regi, maximo Galliarum prædatori, postquam captus per varias urbes, quas vastave-

rat, ignominiosè circumductus & variis suppliciis affectus esset, collum præcisum, memorat Gregorius Turonensis *l. 1. hist. Fr. c. 30. & 32.* Regis Alemannorum, patibulo suffixi, meminit Ammianus Marcellinus *l. 27. c. 2.*

§. V.

Nec ratione civium sive personarum quicquam occurrit, quod à veterum Germanorum moribus discrepet. Eos perinde, ut Germanos veteres, auspiciis deditos fuisse, ex Ammiano Marcellino *l. 14. c. 10.* & Agathia *libro 2.* colligere est. De iisdem, cum jam sub Francis essent, scribit Agathias l. 1. histor. *Alemannis arborum cultus & amnium, colliumque & vallium. Hac numina placant equis aliisque animalibus.* Fidem eorum inde æstimes, quod Romani honoratioris militiæ curam iisdem commisere, ut idem Ammianus d. l. prodit. Quod igitur Idacius Episcopus Chronico Olymp. 311. *Suevos promissionum suarum ut semper fallaces & perfidos vocat,* 1) odio adversus externos tribuendum. Ebrietatem eorum notavit Salvianus l. 4. de Gubernat. Dei. *Nunquid*, inquiens, *tam reprehensibilis ebrietas Alamanni, quam ebrietas Christiani?* Animositatis eorum insigne exemplum consignavit Dio Coccejanus in excerptis ab Henr. Valesio editis. *At Cattorum*, inquiens, *& Alemannorum uxores & si quæ aliæ capta fuerunt, nihil servile pati sustinuerunt, sed interrogatæ ab Antonino* (Caracalla) *num venundari, quàm occidi mallent, hoc praoptarunt; postea verò sub corona vendita cum fuissent, non modo omnes sibi manus attulerunt, sed quædam etiam filios jugularunt.* Orosius L. 1. c. 9. *ferocissimam validissimamque gentem*, Ammianus Marcellinus l. 16. c. 12. comparans eos cum Romanis militibus, *robustos & celsiores, feros & turbidos,* 2) *grandissimisque corporibus fretos* dixit. Equestrem eorum virtutem commendat Claudianus de tertio consulatu Honorii Augusti, in verbis *Frena Suevi.* Ex equis mirificè pugnasse, jam supra ex Aurelio Victore audivimus. Populosos valde fuisse, indicio est, quod Orosius *l. 7. c. 25.* à Constantino Cæsare sexaginta millia Alemannorum cæsa, & *c. 33.* à Gratiano Imperatore triginta millia in prælio interfecta, nec tamen inde minutos fuisse referat. Quomodo Hispaniam ingressi, in Callæcia sive Gallicia regnum condiderint, quod ab An. CCCCIX. ad An. DLXXXV. continuatum, Leuuigeldus, Vesigothorum Rex, tandem destruxit, narrat Gregorius Turonensis *l. 2. histor. Francor. c. 2.* In pagos fuisse divisos, patet ex Ammiano *l. 14. c. 10. l. 15. c. 4. l. 18. c. 2. l. 29. c. 4. in calce*, ubi meminit *pagi Bucinobantum*, quam contra Moguntiacum gentem Alemannam esse scribit, à quibus fortè Butisbacum, etiam instrumento Pacis Westphalicæ notum Wetteraviæ opidum, nomen accepit. Nec civitates iis defuere. Nam ab Anonymo Ravennate, qui seculo circiter septimo scripsit, *l. 4. Geograph. §. 26.* juxta Rhenum Alemannorum civitates memorantur 3) *Gormetia, qua confinalis est cum Maguntia civitate Francorum,* 4) *Altripe, Sphira,* 5) *Porca, Argentaria, qua modo Stratisburgo dicitur,* 6) *Brececha, Bazela,* 7) *Augusta, Carstena, Cassangita,* 8) *Wreacha, Constantia, Rugium, Bodungo,* 9) *Arbore felix,* 10) *Bracancia;* 11) *item juxta supra dictam civitatem Stratisburgo, id est, civitas, quæ dicitur* 12) *Alaja,* 13) *Chorust,* 14) *Liaberna,* 15) *Frincina, Aon,* 16) *Laguirion, Brara,* 17) *Albisi, Ziurichi, Duebon,* 18) *Crino, Stafulon, Cariolon,* 19) *Theodoricopolis,* 20) *Vermegaton.* Quarum civitatum pleræque à Romanis conditæ fuerunt.

§. VI.

1. Odio adversus externos tribuendum) Præsertim cum Romani ipsi adversus externos iniquo essent animo. v. l. 5. §. 2. *D. de captiv. & postlim. reversis.*
2. Grandissimisque corporibus fretos) l. 16. c. 12. describitur Chnodomarius Rex, *fidens ingenti robore lacertorum.*
3. Gormetia) hodie Worms v. supra part. 1. cap. 1. §. 5. in not.

4. Altripe) hodie Altrip, olim Alta Ripa, cujus meminit *l. 4. C. Theodosian. de reparat. appellat.* Distat altero milliari ab Heidelberga, haut longè supra confluentes Nicri.

5. Porca) Hodie Pfortzheim in Marchionatu Badensi, patria quondam Reuchlini.

6. Brececha) Veteribus etiam Braccum Saccum v. Valesius *notit. Galliar. voce Braccum Saccum.* Hodie Brisach. Brisaci jam fit mentio in *l. 8. C. Theodos. de privilegio eorum qui in sacro palat.* & in itinerario Æthici inter Rauracos & Argentoratum.

7. Augusta) Hodie Augst.

8. Wreacha) Hodie Aurach.

9. Arbore felix) Hodie Arbon.

10. Bracancia) Sive Brigantium, hodie Bregentz, quod viginti passuum millibus ab Arbore Felice distat. v. Guillimannum de *reb. Helvet. L. 1. p. 94.*

11. Item juxta supra scriptam civitatem) Id est, cis Rhenum intuitu Romanorum.

12. Alaia) Hodie Altzen.

13. Chorust) An hodie Kyrn?

14. Ziaberna) Hodie Zabern Elsass.

15. Frincina) Hodie Freinsheim in Palatinatu.

16. Laguirion) An Labersheim?

17. Albisi) Hodie Albich, non procul Altzen.

18. Crino) An hodie Grünstad, quod opidum ad Illustrissimos Comites Leiningenses spectat? an potius Grünau?

19. Theodericopolis) Hodie Dietenhofen. An potius Todenhofen non procul Spira?

20. Vermegaton) An Germersheim?

§. VI.

Quæ forma fuerit Reip. Alemannorum, vix quisquam explicabit. Reges eos habuisse & quidem uno tempore plures, diversis pagis præpositos, jam suprà diximus. Hos successione, non electione, ad imperium pervenisse inde colligitur, quod Guadomadus & Vadomarius fratres, Alemannorum Reges, memorantur ab Ammiano Marcellino l. 14. c. 10. & Vithicabius Rex Vadomarii filius l. 27. c. 10. Præterea Principes regiæ stirpis, * dicti Regales ab eodem l. 16. c. 12. ubi scribit: *Hos* (Regem Chnodomarium & fratris filium Serapionem) *sequebantur potestate proximi Reges numero quinque, Regalesque decem & optimatum series magna.* Confer de Regalibus hisce l. 17. c. 13. l. 18. c. 2. Regibus quoque his plures fuere comites, ut ex eodem Ammiano discimus l. 16. c. 12. ubi mentio fit comitum ducentorum.

* Regales dicti) Nam vetus Grammaticus de differentiis vocum: *Inter Regem,* inquit, *& Regalem hoc interest; quod Regis puer Regalis est: Rex qui regnum regit.* Eorum etiam fit mentio in *l. 9. C. Theodos. de re militari,* ubi videatur J. Gothofredus *in commentario.*

§. VII.

Ceterum populus hicce sui juris esse desiit, postquam Clodoveus Francorum Rex An. CCCCXCVI. 1.) ingenti strage Alemannos 2.) ad Tolpiacum (hodie Zulpich sive Zulch, qui locus in Ducatu Juliacensi non procul distat Colonia Agrippina) fudit & fugavit, 3.) interfecto ipsorum Rege. Quo factum, ut pars populi profuga 4.) sub Ostrogothorum in Italia tutelam & imperium concederet, 5.) frustra pro iis deprecante Theodorico Ostrogothorum Rege: 6.) remissi demum post quadraginta annos à Vitige Rege. Reliqui autem, & quidem pars major, in Alemannia & Suevia, à Logano ad alpes Rhæticas usque, qui se Clodoveo dediderant, quique domi remanserunt 7.) Francorum Regibus paruere.

ruere. Ex quo tempore 8. Ducem, à Francorum Rege constitutum, habuere. Et 9.) cum Francorum coloniæ in insignem Alemanniæ partem, circa ripas Mœni & Nicri jacentem, mitterentur, ea abhinc Franconiæ sive Franciæ nomen accepit, ut alio loco fusius demonstrabitur. Nec dubitamus, cum Franci eo loco, ubi nunc Francofurtum est, (in veteribus Francorum Annalibus Franconofurt, Franchonofurth, Franconoford, Francnoford, Franconford, Franckenevurt, & Franckeneford dictum) cum magnis copiis Mœnum transirent 10.) eam nobilissimam urbem Carolo M. ejusque posteris gratissimam sedem, 11.) magnificentissimoque palatio exornatam, inde nomen sortitam. *Furt* enim linguâ Teutonicâ *vadum* notat. Ex dictis etiam intelligitur, quàm parum aptè vir doctus scripserit, Alemanniam tunc fisco regio immediatè adscriptam fuisse. Accepit enim utique Duces & Comites ex Francorum genere, qui proinde, ut in aliis provinciis, cum Episcopis & Abbatibus ad placita regni veniebant. Ekkchardi locus, quo utitur, ad tempora pertinet, quæ post secula quinque vel sex fuere. Sanè Alemanni æquè ac Bajoarii sub Francis proprias leges habuere. Eos non deterioris conditionis, quàm ceteros Germanos fuisse, documento inter alia esse potest 12.) vetus ac peculiare Suevorum privilegium, ut in omni expeditione Regis Teutonici ipsi aciem præcedere & primi prœlium committere deberent.

1. Ingenti strage Alemannos fudit) Theodoricus Ostrogothorum Rex ad Chlodoveum Franc. Regem apud Cassiodorum scribit, *innumerabilem Nationem partim ferro, partim servitio subjugatam*, & paulo ante. *Memorabilis triumphus est, Alemannum acerrimum sic expavisse, ut tibi eum cogas de vitæ munere supplicare.*

2. Ad Tolpiacum) Cujus jam meminit Tacitus IV. *hist.* 79. §. 3. v. Hadr. Valesius *notit. Gall. voce Tolpiacum castrum.*

3. Interfecto ipsorum Rege) sive is Gibuldus Alemanorum Rex, ab Eugippio *in libro de vita Severini c.* 19. memoratus, sive quis alius fuit: nam nomen Regis historici non prodidere. Idem Eugippius c. 22. meminit etiam Chunimundi, quem Hunimundum Regem Suevorum vocat Jordanes.

4. Sub Ostrogothorum in Italia tutelam & imperium concederet) Quomodo intelligendus Ennodius in panegyrico: *A Theodorico Alemanniæ generalitatem intra Italiæ terminos sine detrimento Romanæ possessionis inclusam.*

5. Frustra pro iis deprecante Theodorico Ostrogothorum Rege) Cujus extat epistola apud Cassiodorum *in libro 2. ep. 41.*

6. Remissi demum post quadraginta annos à Vitige) Ita intelligendus Agathias. v. Hadr. Valesius *l. 6. Rer. Francic. ad An. CCCCXCVI. & l. 8. ad An. DXXXV.*

7. Francorum Regibus paruere) Guillimannus l. 2. rer. Helvetic. c. 10. & l. 3. c. 6. *Tota*, inquit, *Alemannia partim fisco, partim belli Ducibus & iis, quorum operam præcipuam Clodoveus eo bello expertus fuerat assignata. Omnibus etiam non magnis ejus partibus, quò magis in officio continerentur, Comites dati. Qui verò cunctis in universum præesset, Dux nominatus, quandoque Alemanniæ, quandoque Sueviæ, propterea, quod maxima inter Alemannos Suevorum pars à scriptoribus & in instrumentis dicitur. Curialis sedes Alemanniæ Rancvillæ posita: ibi qui judiciis præessent, Comites sexdecim constituti.*

8. Ducem, à Francorum Rege constitutum habuere) Ducum illorum seriem, & quomodo circa principatum Chlotarii junioris aut Dagoberti, ex parte veteris ac proprie dictæ Alemanniæ circa ripas Nicri aut Mœni jacente, nova facta provincia, quæ hodie Franconia dicitur novusque Dux ei præpositus, explicat Hadr. Valesius *l. 24. Rer. Franc. p. 476. seq.*

9. Cum Francorum coloniæ in insignem Alemanniæ partem circa ripas Mœni & Nicri jacentem, mitterentur) Id quod egregie confirmatur ex Ottone Frisingense

gense *libr. IV. chronic. c. 32.* scribente: *Nobilissimos Francorum, qui Salici dicuntur, hodieque lege Salica uti.* Nimirum qui nobilitate inter Francos, cum Orientales, tum Occidentales, excellebant, lege Salica Francicaque utebantur, eamque jam pridem exoletam ac ferè ubique abolitam ambitiosè servabant, tamquam certum originis suæ & vetustatis familiæ argumentum. Ut optimè observavit Hadr. Valesius *Notit. Gall. voce Francia.* Unde etiam causam intelligimus, quamobrem Conradus II. Imperator, ex Franconia oriundus, Salicus fuerit cognominatus. Quem & patruelem ejus Chunonem *nobilissimos Francorum* vocat Wippo.

10. Eam nobilissimam urbem Carolo M. ejusque pósteris gratissimam sedem) Hinc in Annal. Fuldensibus ad An. DCCCLXXVI. *Franconofurt principalis sedes Orientalis*, Regni Francorum scilicet appellatur.

11. Magnificentissimoque palatio exornatam) v. Mabillonius *l. 4. de re diplom. n. 60.* ubi Franconofurt ad Mœnum inter vetustissima Regum Francorum Palatia numerandum putat, tametsi nulla ejus mentio fiat apud rerum Francicarum scriptores antiquos ante annum DCCXCIV.

12. Vetus ac peculiare Suevorum privilegium) De quo testatur Lambert. Schaffnaburgensis *de reb. Germ. ad An. MLXXV.* & Jus Provincial. Alemann. *c. 19. c. 44.* Addatur Königshoven *Chron. cap. 5. §. 142.*



DISSERTATIO V.

ALEMANNICÆ ANTIQUITATES SIVE INTEGRA VETERUM ALEMANNORUM USQUE AD EXTINCTAM EORUNDEM REMPUBLICAM FATA.

CAPUT I.

DE ORIGINE, SITU ET MORIBUS ALEMANNORUM.

Vicina olim, Triboccis, hodiernæque adeo Alsatiæ natio, Alemanni, rerum gestarum magnitudine inter præcipuas Veteris Germaniæ gentes jam pridem relati. Eorum fata longe illustrissima integram trecentorum circiter annorum historiam memorabili plane periodo complectuntur. Victor sæpe per Galliam Germaniamque populus de ipso tandem Galliæ imperio cum fortissimis gentibus, magna virium suarum potentiæque fiducia, certare videbatur. Franci, qui novi in illis partibus Regni funda-

 menta

menta jecerant, non tam Romanorum, quibus terras illas eripuerunt, quam Alemannorum, quod maxime mireris, arma reformidavere. Ipsa antiquissima Franciæ Regum ad Christianorum sacra initiatio; ipse Christianismi per totam mox Galliam latius propagandi felicior progressus; ipse Reges hodieque in Gallia sacrandi ritus; ipse denique splendidissimus, quo Galliæ Monarcha insignitur, CHRISTIANISSIMI REGIS titulus, ex reportatis Francorum contra Alemannos bellantium victoriis, prævalentibusque Clodovæi armis passim derivantur. Implicita subinde bellicis his Alemannorum turbis finitima quoque ARGENTORATENSIUM Civitas; quæ Romano olim Imperio subjecta, inde ab Alemannis per aliquod temporis spatium occupata; & Franciæ tandem Regum Majestatem venerata, illius jam tum Regni primordia coluit, ad cujus imperium, cum per tot Secula ab eo distracta fuisset, ante hos quadraginta annos rediit. Hujus ergo, qui Franciæ Genti tot decora attulit, populi res atque fata paucis si perstringerem, operæ pretium facturum me esse putavi; quod ex ipsis solidioribus veterum Scriptorum documentis nunc quoque præstare conabor.

ALEMANNIA a) Vetus, Rheno, Danubio, Mœnoque fluminibus distincta, b) magnam olim Magnæ Germaniæ partem ambitu suo comprehendit. Sed quod populis, quorum præcipua in bellis ratio, plerumque contingit, mutati subinde ejus termini, nunc ad amplius, nunc ad strictius terrarum spatium redacti: c) quibus tam variis finium accessionibus diminutionibusque factum, ut Alemanniam sæpius in ipsa fere Alemannia quæras. Mœnum certe à Septentrione limitem, indignata ferox natio haud exiguam Mattiacorum, Cattorumque agri partem, incertum quando, subegisse, Lanumque in Cattis amnem, vel populorum potius adjacentium metum sibi terminum constituisse videtur. Senescente vero paulatim Occidentali Romanorum Imperio, cum fines ejus incursionibus gentium undique paterent, Alemanni Rheno superato, d) Maximæ Sequa-

---

a) Promiscue apud Scriptores occurrit *Alemanni, Allemanni, Alamanni*, Græcis scribuntur Ἀλαμαννοὶ, Dioni Coccej. Ἀλαμβαννοὶ. Desideratur Liber, quem de hujus gentis historia promisit Melchior Goldastus.

b) Concluditur hoc passim ex collatis inter se variis Scriptorum Veterum locis præcipuè Ammiani Marcellini, vid. Cluver. Germ. Antiq. L. 3. c. 4. adeoque sine dubio peculiaris fuit gens & certis limitibus ab aliis distincta. Notandum tamen, Scriptores varios varie hoc Alemannorum nomine uti, nec eandem semper intelligi gentem. Nicephorus Gregoras Lib. 7. Alemanniam veteri lingua censeri Galliam Occidentalem auctor est. Pro generali fere Septentrionis Gentium nomine vocem hanc sumsisse videtur Arnobius Lib. I. Imo ipsi speciatim Germaniæ nomen illud postea tributum, annotante Ottone Frisingensi, in vita Friderici I. Lib. I. c. 8. quam vocis significationem Galli & Itali hodieque servant. Alemanni quoque vocantur SUEVI non apud Ausonium & Claudium modo, sed & apud Historicos, Ammianum Marcellinum, Gregorium Turonensem, Paulum Diaconum &c. Quia vero Alemanni Magnæ Germaniæ finibus inclusi erant, promiscue quoque Germani vocantur.

c) Pontani Orig. Francic. Libr. 2. Cap. 2.

d) Apollinaris Sidonius in Panegyr. Avito Augusto dicto, sive Carmine 7. vers. 374. seqq. & Sirmondus ad hunc loc. Hinc Anonymus Ravennas Rhenum per Almanorum terram venire scribit Lib. 4. c. 24. vid. Theodoricum Ruinartum in Not. ad Gregor. Turon. Vitas Patrum Cap. I. pag. 1146.

Sequanorum, Galliæque adeo Belgicæ partem armis occupavere: unde e) Alemannia versus Meridiem per Helvetiam ad Lacum, ut videtur, Lemannum extensa. f)

Atque uti hæc certo satis firmoque nituntur fundamento, ita, si de origine gentis dispicias, dubia fere cuncta & obscura deprehendes. Qui in evolvendis Veteris Germaniæ originibus spuria Pseudo-Berosi documenta secuti sunt, illi Alemannicæ gentis nominisque primordia ad remotissima antiquioris ævi tempora rejiciunt. g) Quodsi enim his fidem adhibeas, sub Mancaleo, decimo quarto Assyriorum Rege, vel Diluvii Deucalionæi tempore, apud Tuiscones regnavit Hercules Alemannus, Teutanis filius, apud Celtas Lugdus; unde exorta provinciis populisque nomina. h) At mirandum, Viros illos haud exiguæ famæ, qui in aliis rebus acutissime viderant, in tradendis gentium antiquitatibus ab explosis hodie Annii Viterbiensis mendaciis tam turpiter deceptos. Sed uti nos illa, ab Annio tradita, inter somnia fabulasque reputamus, ita non minus eorum sententias rejicimus, qui vel à Manno Tuistonis filio, i) vel à Lemanno Lacu, k) vel à Limmaha amne, qui è lacu Turegiensi profluit, l) vel ab Alemanno, m) aut Lemanno n) fluvio, vel ab Hebraica voce Elam, o) vel ab Alanis nominis Alemannorum originem derivare sunt ausi. In tanto ipsius Germaniæ Veteris circa res suas silentio, ad Græciam Latiumque confugimus, ubi certissima tum literarum artiumque sedes, quibusve silentibus, tenebræ plus quam Cimmeriæ in universa fere historia regnarent. Ergo longe certioris conjecturæ fundamentum nobis præbet haud contemnendæ auctoritatis Scriptor, Agathias Scholasticus, qui nomen Alemannorum exortum tradit, p) quod convenæ ex variis nationibus collecti, vel viri ex omni gente convenientes populum illum ab initio constituerint; atque hunc ejusdem vocabuli apud ipsos quoque Alemannos sensum esse, simul subjungit. q) Floruit quidem Agathias, Justi-

e) Unde Walafridus Strabo, Abbas Augiensis Ludovici Pii Imp. æqualis Lacum Tigurinum in Alemannia ponit, & in Præfat. Libri de vita S. Galli disertis verbis tradit; mixtos Alemannis Suevos non modo partem Germaniæ & Rhætiæ, sed etiam partem & Galliæ circa Ararim (ita tum Arolam vocabant in Rhenum influentem, qui fluvius hic necessario intelligendus) obtinuisse. Goldastus in Script. Rerum Alemann. T. I P. II. p. 143.

f) Isidorus Originum L. 9. p. 1042. ubi per fluvium Lemannum Lacus Lemannus intelligendus; Lucanus enim; quem citat, de Lacu Lemanno sine dubio loquitur, Pharsal. L. I. add. Serv. in Virgil. Georgic. L. 4. v. 278.

g) Aventinus Annal. Bojor. L. I. c. 6. *Spangenberg Sächsische Chronick* cap. 16. p. 21. aliisque.

h) Anni Viterb. Berosus. p. 82.

i) Apud Münster. Cosmograph. L. 5. c. 6. p. 604.

k) Isidorus Hispalensis in Originibus L. 9. p. 1042.

l) Apud B. Rhenanum Rer. Germ. L. 1. pag. 70.

m) Joh. Isaacius Pontanus Origin. Francicar. L. 2. c. 2. hodie accolis dicitur Almul, ortus à parte Germaniæ Boreali juxta Kelhemium Danubium intrat. Hert. Not. vet. Germ. P. III. c. 1 §. 2.

n) Otto Frising de R. G. Frider. I. L. 1. c. 8. Notandum, quod afferente Gotofredo Viterb. in Pantheo, Rhenum quoque Vetustas Lemannum dixerit.

o) Apud Carionem in Chron. L. 3. p. 431.

p) De Imperio & rebus Gestis Imp. Justiniani L. 1. p. 12.

q) Diceres, *Allerley Männer, Allmänner vel Allemann*, homines miscellanei, vel multitudo hominum undique collecta. Falluntur ergo, qui ex loco hoc male intellecto Græcam vocem *ἀλώμενος* (errones) auctorem indigitare voluisse putant, ut Cario in Chron. L. 3. p. 430. Origo enim vocis est Germanica, afferente id clarissimis verbis Agathia. Neque etiam se vocavere *Allmann*, quasi *omnes viri*, à virtute bellica, ut terrorem vicinis incuterent; quod vult Urstisius in Chron. Basil. L. 2. c. 2. quam sententiam quoque relatam video apud Mezeræum in Historia Franciæ ante Clodovæum, quam Gallice edidit, L. 2. pag. 179.

Justiniano demum & Justino Juniore Orientis Imperatoribus; at nititur testimonio vetustioris Historici, Asinii nempe Quadrati, Itali & exacti, quem vocat, rerum Germanicarum Scriptoris. Hunc manifesto errore Cluverius celeberrimum illum Asinium Pollionem esse existimat, qui Julii Cæsaris tempore vixit, & sub ipso militavit, cujus ad Ciceronem hodieque epistola extat, qui princeps Orator & Civis à Plinio vocatur, cujus nomini Virgilius Eclogam inscripsit, quique acerrimi & severi Critici elogio passim Antiquitati notissimus, in ipso quoque Tito Livio quandam inesse Patavinitatem r) docuerat. Quod si hic Asinius Pollio Alemannos jam memoraret, sine dubio hujus gentis origo longe illa tempora transcenderet, quæ plerorumque hodie Historicorum sententia ipsis assignat. Sed cum Strabo accuratissimus gravissimusque Augustæi Seculi Scriptor, cui Asinius Pollio diligenter lectus, nullibi plane Alemannorum mentionem injiciat, cumque adeo isti proximæque ætati populus ille fuerit ignotus, minime contra Cluverium asserere dubitamus, Asinium Agathiæ memoratum, non esse illum Pollionem, sed alium longe posteriorem, qui imperantibus demum Romæ Philippis historiam conscripsit, eamque ad annum usque Millesimum V. C. perduxit, à Stephano quoque Byzantio non semel allegatus. Quicquid vero ex Græca & Latina vetustiorum Geographorum antiquitate nobis superest, Alemannos silentio transit. Ignorat eos præter Strabonem, Claudius Ptolomæus: ignorat Cæsar, Plinius, & diligentissimus rerum populorumque Germaniæ enarrator, Tacitus; manifesto evidentique indicio, nomen istius gentis, ne ad tempora quidem Antoninorum assurgere.

Prima Alemannorum mentio circa tertii post Christum natum Seculi primordia occurrit, sub Romano Imperatore Bassiano Caracalla, s) in Excerptis ex Dione Coccejano ab Henrico Valesio editis, t) referentibus quoque Ælio Spartiano u) & Sexto Aurelio Victore. x) Tradunt hi, Bassianum Alemannos prope Mœnum amnem memorabili devicisse victoria, indeque Alemannici cognomen reliquis ejus titulis quoque adjunctum. Uti vero hac ratione Germaniæ vocem longe antiquiorem dixeris, quam Alemanniæ, ita Francicum vicissim Alemannico nomine posterius esse nemo negabit; quandoquidem sub Gallieno demum Imperatore prima Francorum fit mentio à Trebellio Pollione, qui post medium Seculi tertii Francicis ac Celticis auxiliis contra insurgentes hinc inde tyrannos adjutum esse Gallienum testatur: explosa jam pridem & falsitatis convicta, derivata illa Francorum a Trojanis origine; & emendato illo Ciceronis loco, y) in quo Francorum mentio facta à nonnullis eximiæ alias doctrinæ viris z) credebatur; correcto etiam illo Strabonis loco a) quem Pontanus integritati suæ restituit. His ita jam stabilitis vel vicinos in unum coalescentes populos Alemannorum nomen accepisse, vel veteres illius regionis incolas novo hoc denotatos nomine credendum est, vel novus

---

r) Quintilianus in Inst. Orat. L. 8. c. 1.
s) Errat ergo Goldastus in Dedic. Script. Rerum Alemannicar. qui sub Francorum demum Regum imperio primo natum atque inventum Alemanniæ nomen asserit. Errat & Cario qui in Chron. L. 3. pag. 431. sub Imper. Probo demum Alemannos primùm nominari credit.
t) Ex Lib. 77. p. 749. & seqq.
u) In vita Caracallæ c. 10.
x) De Cæsaribus c. 21.
y) Epist. ad Attic. L. 14. epist. 10. vid. Joh. Isaaci Pontani Orig. Franc. L. 2. c. 4. Cointius in Annal. Franc. ab initio.
z) Carolus Molinæus de Orig. & Progressu Monarch. Franc. num. 65.
a) Lib. 4. Geographiæ.

vus ille plane circa ista tempora advena populus dicendus. Existimavere nonnulli, b) præferendam esse primam ex hisce sententiam; quod scil. plures Germaniæ nationes, vel ad inferenda Romanis arma, vel reprimendæ eorum potentiæ, vindicandæque adeo libertati Germanicæ, in arctius fœdus coiverint. Quemadmodum eadem ratio, eademque consilia alias Germaniæ nationes in fœdus ac nomen Francorum compulerunt; accedente præsertim Julii Capitolini c) auctoritate, qui imperante Antonino Philosopho gentes omnes ab Illyrici limite Galliam usque inter se conspirasse, manifeste testatur. Verum enimvero cum hæc iis, quæ ab Agathia modo tradita enarravimus, non satis conveniant; cum alia conjectura longe probabiliora suggerat, nos in tanta antiquitatis caligine, tam distractis recentiorum Scriptorum opinionibus, postremam ex allatis sententiam esse veriorum, Alemannosque adeo novum in illas partes advenam fuisse populum, confidenter pronunciamus.

Occupaverant Divi Julii temporibus magnam terrarum inter Rhenum Danubiumque partem potentissimus Germaniæ populus, Marcomanni; quorum sine dubio Dux fuit fortissimus ille Ariovistus, Cæsari d) Rex Germanorum appellatus. Præfuit illi bellicosæ genti Maroboduus, e) eximiæ prudentiæ fortitudinisque Princeps; qui vim regiam complexus animo, excitam sedibus suis totam vastissimamque Marcomannorum gentem in incinctos Hercyniæ sylvæ campos, f) sive in Bojohemum imperante Augusto deduxit, ut in remotioribus à limite Romano locis non tumultuarium neque fortuitum, sed certum aliquem firmumque inter suos sibi pararet Principatum. Nec spem eventus fefellit; cum enim illa, quæ diximus, loca vi armisque occupasset, finitimos circumcirca gentes aut bello domuit, aut ita in potestatem suam redegit, ut regnum istud brevi ad invidendum gloriæ & potentiæ culmen conscenderit. Deserta à pristinis habitatoribus inter Rhenum Danubiumque loca, novas mox incolas accepere; cum ex Taciti g) testimonio, levissimus quisque Gallorum & inopiâ audax dubiæ possessionis solum occupasset. Quis enim negaret, Decumates illos agros, h) de quibus hæc Tacitus tradit, esse illas ipsas à Marcomannis desertas regiones, cum eosdem, intra quos Marcomanni prius habitaverant, terminos, Rhenum scilicet, Danubium Cattosque, qui Mœno terminabantur, vicinos agris illis evidenter assignet: cum nulla insuper alterius in his partibus populi migratio, qua dubiæ possessionis solum exoriri potuisset, in illius temporis historia memoretur. Itaque videntur hæc parva illa Alemanniæ exordia; quæ posterioribus Seculis paulatim aucta, donec in formidandas vicinis opes populus ille excresceret. Et cum his adprime conveniunt ea, quæ de origine appellationeque gentis memoratus jam Asinius Quadratus apud Agathiam tradit. Quamquam enim maximam eorum, qui vacuos agros occupaverant, partem Gallos (& quidem ex Sequanis, Rauracis, Helvetiis præcipue) fuisse existime-

b) Franciscus Guillimannus de Rebus Helvet. L. 2. cap. 3. Hertius Notit. Veteris Germ. pop. P. III. c. 1. §. a. eandem conjecturam refert Mezeray in Histoire de France avant Clovis L. 2. p. 179.
c) In Anton. Philosopho. c. 22.
d) L. 1. de bello Gallico c. 31.
e) Vellejus Paterculus L. 2. c. 108.
f) Strabo Geogr. L. 7. p. 330.
g) Germ. c. 21.
h) Diversæ sunt Eruditorum de his agris sententiæ, inter quas illam Lipsii in Commentar. ad hunc locum minime probamus, qui militibus datos fuisse à Romanis hos agros statuit. Rectius dicitur, quibuscunque colonis sub Decumarum onere Romanos eosdem agros concessisse.

ſtimemus, minime tamen dubitamus, ex aliis quoque gentibus Rhætiæ, Pannoniæ, Germaniæque novos hinc inde acceſſiſſe colonos; multitudinemque adeo i) hominum collectam & paulatim in unum coaleſcentem iſtius populi conſtituiſſe primordia. Gallicæ tamen præſertim originis fuerunt Alemanni. k) Strabo certe Gallicas gentes inter Rhenum Danubiumque collocat, l) quod manifeſto faceret errore, ſi hæc Gallorum in Marcomannicas ſedes ſucceſſio, unde Alemanni exorti, non admittitur. Confirmant hanc eandem gentis originem, quotquot Alemannos à Germanis diſtinguunt, maximæ auctoritatis Scriptores, ut Stephanus Byzantius, m) Euſtachius, n) Flavius Vopiſcus, qui, dum Alemannos Germanis fuiſſe finitimos, unanimi conſenſu pronunciant, hoc ipſo non ex Germanica gente eos prodiiſſe fatentur.

Collectus hic ex variis gentibus populus mox certam Reipublicæ formam ſibi induxit, & quidem diſcrepantem omnino à plerisque Germaniæ Galliæque populis. Seculo certe jam tertio, imperantibus Romæ Valeriano & Gallieno, memoratur apud Gregorium Turonenſem, o) Chrocus quidam Alemannorum Rex: & Sulpicius Alexander p) Seculo quarto, cum Francorum Regum mentionem feciſſet, Alemannicos quoque Reges allegat, q) nominatque mox Reſpendialem, niſi tamen fortaſſis poſteriore loco *Alanorum* pro *Alamannorum* legendum, uti Valeſius & Cointius arbitrantur. Sub Juliano Cæſare plures ſimul commemorantur Alemannorum Reges, Chnodomarius, Veſtralpus, Urius, Urſicinus, Serapio, Suomarius & Hortarius, r) manifeſto indicio, non uni capiti gentem illam fuiſſe ſubjectam, ſed pluribus ſimul Regibus eos paruiſſe, qui diverſis uno tempore pagis præfuerant. Nec dubitaverim, Reges hos exemplo magis quam imperio præfuiſſe, ipſisque adeo minime infinitam aut liberam fuiſſe in ſubjectos populos poteſtatem. Hi ipſi tamen Reges ſive Principes non libera populi electione, ſed ſanguinis jure ſibi invicem ſucceſſiſſe videntur. Memoratur certe ab Ammiano Regis Vadomarii ſ) filius Vithicabius, & ipſe Rex. Memorantur Regii fratres, Alemannorum Reges. t) Memorantur Regales, u) quos eruditorum conjectura ex ipſa Veterum auctoritate interpretatur Regiæ ſtirpis Principes, filios, agnatos, regali ſtemmate ortos x) Quæ ſi non omnino ex ſanguinis jure ſucceſſionem in Alemanno-

i) Mezeray Hiſt. de France avant Clovis Lib. 2. p. 178.
k) Cluverius Germ. Antiq. L. 3. c. 4.
l) L. 7. princip. p. 329.
m) In voce Αλεμαννοι.
n) Ad Dionyſium. Alex.
o) L. 1. c. 30. & 32.
p) Quem Autorem, ejusque hiſtoriam non aliunde quam ex Gregorio Turonenſi cognoſcimus.
q) L. 2. c. 9. p. 60.
r) L. 18. c. 2.
ſ) L. 27. cap. 10.
t) L. 14. c. 10. & L. 16. c. 12.
u) L. 16. c. 12. L. 17. c. 13. L. 18. c. 2.
x) Frequens Regalium mentio, non apud Ammianum modo, ſed & apud Gregorium Turonenſem L. 2. c. 9. ex Sulpicio Alexandro, ut & in Codice Theodoſiano L. 7. T. I. de re militari occurrit. Dubitat Gregorius, utrum per Regales ipſi intelligendi ſint Reges, an illi, qui vices Regum tenuerunt. Et hanc ſanè vocem, *Regales*, frequenter Reges denotaſſe Valeſius Lib. II. Rer. Francic. & in Not. ad Ammianum L. 16. c. 12 contendit; uti etiam in Addendis ad Tom. I. obſervat, Attilam & Bledam,

lemannorum olim Principatibus obtinuisse demonstrant, magnam certe Regiæ familiæ rationem in electionibus, si illæ quidem invaluerunt, habitam fuisse ostendunt. Splendorem Regum Alemannorum haud levem fuisse, vel ex eo patere potest, quod præter magnam Optimatium seriem, ducentis quoque Comitibus inveniuntur stipati; y) quos subinde satellites historia vocat; z) communeque adeo hoc Alemanni cum Germanis habuere, quorum Principibus magnum fuisse Comitatum Tacitus docet. Uti vero hanc Comitis dignitatem illustrem prorsus proximamque à Principum fastigio, & omnibus al is bellicis muniis ac dignitatibus superiorem fuisse minime diffitemur, ita in eo manifesto errare Cluverium arbitramur, quod Romanos nomen Comitum Ducumque à Germanis demum, qui in Palatio Cæsarum versabantur, habuisse existimat. a)

Cæterum Alemannia, Regia, uti vidimus, potestate olim conspicua, in varios diversosque pagos quoque fuit subdivisa, b) quibus vel singulis vel pluribus simul Rex præerat. Referuntur speciatim Pagi Lentienses, c) & Bucinobantum d) pagus contra Mogontiacum, cui Fraomarius peculiaris Rex datus. Per illos vero Alemannorum pagos exortæ successu temporis non paucæ civitates, si fides Anonymo Ravennatensi, haud inepto Veteris Geographiæ Scriptori, e) qui majori fere quam in reliquis Germaniæ partibus numero Alemannicas juxta Rhenum præsertim civitates recenset, & plerasque quidem à Romanis conditas: Sunt illæ Gormetia, quæ confinalis est cum Maguntia civitate Francorum, Altripe, Sphira, Porca, Argentaria, quæ modo Stratisburgo dicitur, Brececha, Bazela, Augusta, Carstena, Cassangita, Wrcacha, Constantia, Rugium, Bodungo, Arbor Felix, Bracantia. Item juxta supra scriptam civitatem Stratisburgo, id est civitas quæ dicitur Alaja, Chorust, Ziaber-

Hunnorum Reges à Prisco nonnunquam Regales appellari; consentiente ipso quoque Jacobo Gothofredo in Comment. ad Codicem Theodosianum loc. cit. At interdum quoque per Regales intelligi Regiæ stirpis Principes docet Vetus quidam Grammaticus *de Differentiis vocum* apud Butschium p. 2205. ubi dicitur: Inter Regem & Regalem hoc interest, quod Regis puer Regalis est; Rex, qui regit regnum. Certe in locis ex Ammiano Marcellino modo allegatis, Regales subjunguntur Regibus, Reguli Regalibus; uti & sub Regulos Regulis subordinatos fuisse minime dubitandum: subinde tamen quoque hæ voces miscentur. Græci *βασιλικὰς* dicerent. Sic Eustathius in Iliad. 10. Astyanactem Hectoris filium *βασιλικὸν* appellat, & in Iliad. 8. Teucrum quoque ita vocat, ex Hesiona Priami sorore genitum. Lucianus de saltatione *τῶν γὰρ ἐκ τοῦ πόντου βαρβάρων βασιλικός τις*. Priscus in Historia Byzantina *τοὺς βασιλικοὺς σκύθας* passim nominat, id est Regales, tradente Valesio in Not. ad Ammianum loco citato.

y) Ammianus Marcellinus L. 16. c. 12.
z) Ammianus Marcell. loc. cit. & Lib. 29. & 31. Procopius Vandalicorum Lib. 2.
a) Germ. Antiq. Lib. 1. c. 48. p. 375.
b) Ammianus Marcellinus Lib. 14. Cap. 10. L. 18. Cap. 2.
c) Lib. 15. Cap. 4. Libro 31. Lentiensis Alemannicus populus tractibus Rhætiarum confinis dicitur. Lindenbrogius conjicit esse locum, quem hodie Germani vocant *das Linckgauw*, sive juxta Guillimannum de rebus Helveticis. L. 2. C. 4. *Linzgeuu* ad Lacum Constantiensem.
d) L. 29. C. 4. unde Butisbacum, Wetteraviæ oppidum, nomen accepisse conjicit Hertius Not. Veter. German. P. III. Cap. 1. §. 5.
e) L. 4. §. 26. in editione Gronoviana Pomponii Melæ.

berna, Frincina, Aon, Laguirion, Brara, Albisi, Ziurichi, Duebon, Crino, Stafulon, Cariolon, Theodoricopolis, Vermegaton &c. f) Quamvis vero allegatus Geographus integro demum post devictam à Francis Alemanniam Seculo fere vixisse credatur, nonnullæque adeo ex his civitatibus, libera & florente Alemannia, fortassis nondum floruisse videri possint, notandum tamen Scriptorem hunc antiquiori nixum esse auctoritate, Anaridi scil. cujusdam & Eldebaldi, quos Gothicæ gentis Philosophos vocat, quique temporibus illis propiores fuerunt. Hoc autem minime diffitemur, aliquando latius Alemanniæ terminos extendisse Geographum, dum aliquas cis Rhenum civitates in isto quoque laterculo comprehendit: sed respicit sine dubio Scriptor tempus, quo hanc Galliæ Belgicæ partem Alemanni Rheno trajecto, non semel copiis suis inundavere, cum non solum Germaniam Primam, sed ipsam quoque Alsatiam, & Maximæ Sequanorum partem armis suis aliquandiu occupassent. Lupodunum vero g) vetustissimum Alemanniæ oppidum, cujus apud Ausonium h) mentio, omisisse videri posset Ravennas Geographus, nisi Bodungo civitas, quam memorat, heic intelligenda. Atque hæc ipsa pagorum oppidorumque Alemanniæ copia populosissimam olim istam fuisse gentem facile arguit. i) Arguunt idem numerosi illi exercitus, quos frequentes contra Romanos Francosque, hostes suos, eadem Alemannia produxit. Arguunt tandem tot millia eorundem diversis in prœliis occisa, cum novi tamen non minore numero exercitus subinde redirent. Formidabiles autem istas fuisse copias minime mireris; cum grandissimis, excelsis, robustisque corporibus conspicui fuerint Alemanni, ex communi cum Germanis climate, communi quoque corporis habitu præditi. Quam Germanorum corporum magnitudinem, si reliqua taceret historia, k) vel solus ille Romani exercitus terror ostenderet, qui audita ex Gallis ingenti illa Germanorum proceritate, sub magno quamvis Cæsare partim militiam deserere, partim suæ sortis miseriam infelicitatemque deplorare cœpit; l) unde nec hoc mirum, plurima & longe illustrissima virtutis, fortitudinis, animositatis, pertinaciæ, ferociæque Alemannorum in bello præliisque passim comparere vestigia. m) Ex equis vero præsertim mirifice eos pugnasse à Veteribus proditum est;

f) Horum locorum nomina nostris temporibus accommodavit Hertius in Notitia Veteris Germ. populor. loc. cit. *Gormetia* hodie Worms: *Altripe* hodie Altrip, olim Alta Ripa. *Porca* hodie Pfortzheim in Marchionatu Badensi: *Brececha*, Veteribus etiam *Braccum Saccum*, hodie Brisach: *Augusta* hodie Augst. *Wrcacha* Aurach: *Arbor Felix* hodie Arbon: *Bracantia* sive *Brigantium* hodie Bregentz, quod viginti passuum millibus ab Arbore Felice distat: *Alaja* hodie Altzen. *Chorust* an hodie Kyrn? *Ziaberna* hodie Zabern Elsass. *Frincina* hodie Freinsheim in Palatinatu: *Albisi* hodie Albich, non procul ab Altzen: *Crino*, an hodie Crünstad, quod oppidum ad illustrissimos Comites Leiningenses spectat. *Theodoricopolis* hodie Dietenhofen.

g) Freherus in Origin. Palatinis P. II. C. 5. & in peculiari Libro de Lupoduno, quo B. Rhenanum & Ortelium refutavit, statuitque oppidum, quod hodie vocatur *Ladenburg*: sed refutatus vicissim à Cluverio Germ. Antiq. L. 3. c. 4. qui interpretatur arcem *Lupf*, septem millibus passuum à fonte Danubii versus Occidentem dissitam.

h) Mosella v. 423.

i) Aurelius Victor de Cæsaribus Cap. 21. Alamannos *gentem populosam* vocat.

k) Tacitus in Germania C. 4. & 20. in Agricola C. 11. & Hist. Lib. 5. c. 18.

l) Cæsar de bello Gallico L. I. c. 39.

m) Excerpta Dionis Cassii apud Valesium p. 749. & seqq.

est; n) quas virtutes & ipse sequior sexus cum viris communes habuit; communibus iterum cum reliqua Germania moribus: siquidem Germanorum uxores, cum viris in prœlia profectæ, bellicorum etiam periculorum laborumque sociæ fuerunt; quod ipsa quoque dos, quam maritus uxori obtulit, frenatus equus, scutum, framea, gladiusque, munera minime ad delicias muliebres quæsita demonstrabat. Nec minus singulari fide probitateque conspicui, ipsisque adeo Romanis probati fuerunt Alemanni; quod honoratioris militiæ locus in castris exercitibusque non raro ipsis assignatus demonstrat. Uti vero virtutibus hisce simillimi Germanis erant Alemanni, singulari quoque præsertim hospitalitatis elogio condecorati, o) ita vitiis paritrr haud omnino ipsis dissimiles dixeris. Quod si enim de Veteri jam olim Germania Tacitus retulit, sitis minime patientes fuisse ejus incolas, eosdemque mox ebrietatis, mox vinolentiæ arguit, idem certe vitium Massiliensis Seculi quinti Episcopus Salvianus in Alemannis quam maxime notavit. p) Religionem tandem si spectes, hos ipsos Alemannos in iis, quæ ad Deum pertinent, ex Agathiæ q) relatu, à Francis discrepasse minime miramur; cum Francos eo, quo Agathias scripsit, tempore Christiana jam sacra amplexos fuisse, in tanto Scriptorum consensu nemo dubitet. r) At cum Germania certe Magna, maximam tum partem adhuc gentili, communem fere superstitionem habuisse videntur. Ille arborum quarundam, ille collium, ille saltuum cultus, quem Alemannia fovisse scribitur, s) nonne lucos illos, nonne alta Germanorum nemora redolet. Illa equorum & aliorum animalium, ipsorumque, ut apparet, hominum resectis capitibus immolatio, nonne apud Germanos quoque usitata, qui concessis animalibus Herculem ac Martem placaturi, Mercurio certis diebus humanis quoque hostiis litare, fas esse crediderunt. t) Hoc maxime miror, dubitasse Agathiam, an ipsis saltibus & lucis, an vero certis per eos numinibus illum exhibuerint cultum Alemanni, quem minime fugere debuerat, eos nemora ista consecrasse Diis, quorum nominibus appellaverant secretum illud, quod sola reverentia videbant. Illæ tandem Vatum Alemannicorum prædictiones atque vaticinia, u) illa ab iisdem capta auspicia, x)

 quid

n) Aurel Victor. de Cæsar. Cap. 21.

o) Salvianus de Gubernatione Dei L. 7. p. 273. edit. Rittershus. nisi forte ibi *Alanorum* legendum.

p) De Gubernatione Dei L. 4. p. 141.

q) Agathias in Hist. Justiniani. L. 1. pag. 12.

r) Alemanni vero serius Christianismum sunt amplexi, & quidem per Francos inducti, ceu tradit Agathias. vid. B. Rhenan. Rer. Germ. Lib. 3. p. 118. à Columbano & S. Gallo, Seculo VI. demum conversi.

s) Agathias loc. cit. Antiquissimus Arborum nemorumque cultus. *Altam quercum* Jovis apud Celtas simulacrum esse Maximus Tyrius Serm. 38. memorat. Vittis & Lucernis hinc eas colebant; Prudentius II. contra Symmachum. Vota ad eas nuncupare & tabellas appendere, Ovid. Metam, L. 8. hostiumque spolia ad eas deponere solebant; Lucanus L. 1. Apul. Flor. 1. adde Plinium Lib. 12. C. 1. *Tribochos* vero, sive Triboccos, quasi Treybuchios, à tribus fagis antiqua religione sacris nomen accepisse, ut à nonnullis, & a Schadæo quoque in Descript. Summi Argent. Templi pag. 1. traditur, non firma satis auctoritate niti credimus.

t) Tacitus Germ. C. 9.

u) Agathias. L. 2. qui eos χρησμολόγους Ἀλαμαννικοὺς vocat. Cum enim Buccellinus in Italia cum Narse pugnaturus consisteret, Vates Alemannorum, ne eo die prœlium commiteret edixerunt, alioqui exercitum intercione deletum iri.

x) Ammianus L. 14. C. 10. Incantationum ab Alemannis adhibitarum mentionem faciunt Eclogæ Dionis Peirescianæ p. 751.

quid aliud ſunt, quam illæ ſortes atque auguria, quibus certatim quoque olim dedita fuit gentilis Germania. y) Quodſi Herculem illum Alemannum, z) quem recentior enfixit ætas, genuina quoque admitteret hiſtoria, Deaſtrum illum, quem ſuperſtitioſa olim ARGENTINA *Krutzmanni* nomine coluiſſe fertur, nomen eſſe ab Alemannis acceptum diceres, niſi idoli verius Romani & Græci, quam Germani imaginem eadem exprimeret ſtatua. a) Unde de tota hac traditione caute pronunciandum.

Sed cum nulla quoque Reſpublica, nulla natio ſine jure & legibus ſubſiſtere poſſit, nullum plane eſt dubium, quin & Alemanniæ populi ab ipſis Reipublicæ ſuæ incunabilis ſuo quoqte Jure ſint uſi. Et hoc ipſum fuiſſe, quod poſtea, Alemannia à Francis ſubacta, Theodoricus colligi & in ſcripturam redigi, Childebertus emendari, Chlotharius perfici, & Dagobertus denique renovari curavit, b) nulli dubitamus: perinde uti Ripuariorum, Bajuvariorum, aliarumque ſibi ſubjectarum gentium jura iidem Francorum Reges ſucceſſu temporis collegerunt; quod Capitularia Reges Francorum, in quibus leges illæ comparent, c) evidenter teſtantur. Denique uti in plerisque cum reliquis Germaniæ populis convenerunt Alemanni, ita ipſa quoque lingua ab iisdem non fuerunt alieni; quanquam ex variis, uti ſupra annotatum eſt, gentibus & quidem Gallicis præſertim exorti. Recepti ſcilicet in commune cum Germanicis populis ſolum, & cum iis commixti, facile viciſſim communis linguæ conſuetudinem receperunt. Nec dubitare nos hac de re ſinunt tam varia, quæ adhuc ſuperſunt, Antiquitatis Alemannicæ fragmenta, à Goldaſto, d) Frehero, aliisque producta; quibus accedit ipſa nominum, quibus Alemannici Reges in vetuſtis Scriptoribus inſigniti reperiuntur, ſignificatio, quæ Germanicam nimirum originem quam maxime redolent. Quarum omnium, quæ heic allatæ ſunt, rerum demonſtrationi diutius inhærerem, niſi in plerisque conſentientes fere Scriptorum ſententias deprehenderem.

CAPUT

y) Adeo ut etiam Virginum vaticiniis fidem adhibuerint, quod docet exemplum Veledæ apud Tacitum Hiſt. Lib. 4. C. 61. & de Mor. Germ. C. 8.

z) Elias Schedius de Diis Germanis.

a) Apud Schadæum in Deſcriptione Summi Argentoratenſium Templi pag. 5. Schilter in Obſervat ad Chron Kœnigshovii Obſ. 9. p. 550.

b) Conringius de Orig. Jur. Germ. Cap. 9. Schilterus in Præfatione ad Jus Feudale Alemannicum, ubi Alemanniam in peculiari plane ſenſu, pro Meridionali ſcilicet Germaniæ parte ſumit; quæ vernaculo *das Reich* κατ᾽ ἐξοχὴν appellatur, quæque adeo Germaniam, quam Romani vocarunt, Primam, Helvetiam, Rhætiam, Sueviam, Franconiam, Haſſiam, Bavariam Auſtriam &c. ambitu ſuo continet.

c) Vid. Baluzium in Capitular. Regum Francor. Tom. 1. p. 54. Add. Schilterum in Not. ad Chron. Königshovii, pag. 623.

d) Rerum Alamann. T. 2. pag. 134. & ſeq. & T. 3. pag. 34.



CAPUT II.

DE REBUS ALLEMANNORUM GESTIS USQUE AD EXTINCTAM EORUNDEM REMPUBLICAM.

Hic ergo tam bellicosis, tam vicinus Romano Imperio Alemannorum populus, non potuit non frequentibus cum eodem bellis collidi; labascente præsertim Romanorum potentia; cum vel turbis eorum intestinis, vel ipsa Principum socordia exterorum populorum bellandi cresceret libido. Gallia præsertim, ob insignem cœli clementiam, solique fertilitatem vel remotissimos Orientem versus Septentrionemque Germaniæ populos allicere sueta, frequentissimam migrationum, ortorumque adeo hinc bellorum occasionem suppeditavit. Quid mirum, si & Alemanni vel insigni quodam in patriam redeundi amore, vel eadem terræ ubertate allecti, Gallicum occupare agrum quovis modo sunt conati. Præcipua hæc sine dubio bellandi cum Romanis eorumque Imperatoribus materia. a)

Agebatur jam annus Vrbis Conditæ DCCCCLXIV. cum Romæ imperaret Antonius Bassianus, Princeps scelerum magnitudine notissimus. Is inter alios, quibus superbivit, rerum gestarum titulos, Germanici nempe, Parthici & Arabici, nomen quoque Alemannici b) sibi adscripsit; c) devictam à se gentem illam fuisse d) testatus. Silet hujus belli circumstantias historia, ita ut, nisi prope Mœnum amnem Alemannos vicisse Bassianum clare memoraret Aurelius Victor, e) dubitaremus fortassis, an unquam viderit Alemannos Caracalla. Assueta enim jam pridem erat Roma, simulatos falsosque, de Germanis præsertim, triumphos aspicere, Principumque suorum fictos celebrare titulos, f) cum tamen amissæ plerumque victoriæ nullum certius indicium esset, quam quod Romæ triumpharetur, quam quod similes tituli assumerentur.

Antoninus Caracalla. Chrift. CCXI. coll. cum Æra Capitol.

Sed longe gravius mox, rebusque Alemannorum illustrandis opportunum quam maxime bellum exortum est, imperante Romæ Alexandro Severo, Mammææ filio. g) Attriverat hactenus Romanorum vires periculoso cum Persis bello Severus, eo tamen cum eventu, ut ipsi quoque hostes belli pertæsi, jam

Alexander Severus. Æra Chrift. A. CCXXII.

jam

a) Ignorat enim fere Historia Alemannorum cum reliquis gentibus bella, quia scilicet Romani Scriptores, de rebus tantum suis solliciti, cætera omiserunt.

b) Cognomentum hoc vix in lapidibus, in nummis vero minime reperio; at cognomen *Germanici.* Vid. Cruf. in Annal. Suev. L. 4. P. I. Cap. 12.

c) Ælius Spartianus in Antonino Caracalla Cap. 10. ubi refert, Helv. Pertinacem occasione horum titulorum dixisse; adde, si placet, etiam *Geticus*, quod scilicet Getam occiderat fratrem.

d) Factum id videtur circa An. Chr. 213. aut 215. computante Ægidio Bucherio in Belgio Romano Lib. 6. Cap. 6.

e) De Cæsaribus Cap. 21. & Dio in Eclogis Peirescianis p. 748.

f) Tacitus in German. Cap. 37. Plinius in Panegyrico Cap. 11. De Caligula & Domitiano clare id tradunt Suetonius in Cajo Cap. 45. & Tacitus in Agricola Cap. 39.

g) Herodianus Lib. 6. Cap. 7.

jam quieturi viderentur, quum nihil tale metuenti optimo Principi nuncius Antiochiam affertur, Alemannos Rhenum Danubiumque transgressos, h) Romanorum fines hostiliter intrasse; oppugnari jam exercitus ripis insidentes; & conterminas Illyrico Italiæque nationes non parum periclitari. Territus hoc nuncio periculoque Alexander, & de ipsa jam Italia sollicitus, relicto Oriente Germaniam versus profectus est; ingentem sagittariorum numerum secum ducens, qui expediti levesque prægrandia Alemannorum corpora, veluti signum aliquod eminus facile contingerent. Itaque constrato mox navigiis Rheno, omnibusque ad bellum necessariis rite præparatis, acerrimum jam ultorem expertura videbatur Alemannia; cum, nescio qua consiliorum catastrophe, hostium prius animos sollicitare, missisque ad eos oratoribus, pacem mercari, pudenda plane ratione, decrevit Alexander; hoc ipso exitium sibi suum provocaturus. Alienati enim ab Imperatore, tam turpi facinore, exercitus animi; indignati, aurigationibus ac deliciis tantum intento opportunam rerum gerendarum occasionem eripi; negligi eximium istum, quo milites flagrabant pugnandi ardorem; tantamque Romani Imperii gloriæ maculam inuri. Sic proni ad res novandas exercitus animi, haud obscure jam suæ defectionis documenta edidere. Militaverat tum in exercitu Romano Maximinus quidam ex Thraciæ vico oriundus. Hic ex obscuris prorsus initiis ob corporis proceritatem militiæ adscriptus, ad summos paulatim rei militaris gradus conscendit; cumque magna apud exercitum gratia ob insignem, qua præstabat, virtutem bellicam floreret, decreta mox Alexandri morte, ab universo exercitu Maximinus Augustus renuntiatus; Alexander vero una cum matre, cujus nimiam apud filium gratiam Romani jampridem detestabantur, occisus est. i)

Maximinus Ær. Christ. A. CCXXXV. Translata itaque Alemannici Bellici summa ad invasorem Imperii Maximinum. Et ille sane majore, quam crederes, animo tam fatalis belli discrimen aggressus, pari quoque fortitudine felicitateque eidem finem imposuit. Profligatis enim prius, quæ contra illum passim exortæ fuerant, factionibus, in ipsam mox Alemanniam exercitum trajecit; tanta quidem cum velocitate, ut intra brevissimum temporis spatium latissime cuncta exureret atque vastaret. k) Confugerant ad consuetas Germanorum artes Alemanni, & relicta camporum planitie, in sylvis paludibusque delitescentes, Romanorum impetum expectare potius, quam aperto cum illis Marte pugnare decreverant; tanto sane cum successu, ut Romanis locorum ignaris periculosa illa paludum altitudo videretur, densitasque arborum, omnem sagittis jaculisque aditum præcluderet. Obtinuisset fortassis, quod intenderat, pervicax Alemannia, nisi Maximini virtus, quicquid periculorum, quicquid difficultatis objectum fuerat, uno quasi ictu dispulisset. Verentibus enim Romanis hostes, locorum opportunitate munitos aggredi, Maximinus equo paludem ingressus, tantum reliquo exercitui pudorem incussit, ut cœco mox impetu rueret in hostem, & ingentem ex omni parte Alemannorum stragem ederet; stagno cadaveribus passim repleto, & sanguine navalis cujusdam prœli faciem referente; si non ultra modum rem auxit Herodianus. Adeo certum est, fortitudini nullum locum asperum esse aut arduum, nullum hostem formidolosum. Virtus omnia domat. Non suffecerat Maximino laureatas literas, tantæ victoriæ nuncias Romam misisse; sed superbam

h) Germani enim inter Rhenum Danubiumque, de quibus Herodianus loquitur, non alii esse potuerunt quam Alemanni; qui scilicet terminis his, uti supra vidimus, inclusi erant.
i) Ælius Lampridius in Alexandro Severo Cap. 61. Herodianus Lib. 6. Cap. 9.
k) Julius Capitolinus in Maximino Cap. 12.

bam iisdem addidit ad Senatum Orationem, qua omnes Heroas veteres bellica hac laude superare se gloriatur; l) imo ipsis mox tabulis ex Curia Romana suspensis tam prosperos rerum successus, sibique quam maxime gloriosos, ad futurorum temporum memoriam depingi voluit. Tantum erat Alemannos vincere! Perculsi hac clade Barbari per aliquod temporis spatium quievisse videntur, ut tanquam ex specula quadam Romanorum fortunæ insidiantes suasque vires restauraturi, commodam vindictæ expectarent occasionem.

Et oblata sane illa, quam maxime opportuna, Imperante Romanis Gallieno, Principe voluptatibus deditissimo, rerumque Imperii plane incurioso. Vehementer turbatus tum fuit orbis Romanus, cum, deficientibus certatim ab Imperatore ducibus, variarum regionum exercitus illos triginta Tyrannos sive Anti-Cæsares Gallieno opposuissent, cum furentibus in sua viscera Romanis, vastissima Imperii compages non parum labefacta videretur. Itaque memores injuriæ sibi allatæ Alemanni, vastatis Galliis, in ipsam mox Italiam irruperunt; m) quod sub Rege Alemannorum Chroco factum esse scribit Gregorius Turonensis, n) tanta quidem cum sævitia, ut cunctæ per Galliam ædes sacræ ab eodem Rege funditus fuerint eversæ: secutura mox tantæ crudelitatis pœna atroci; Chrocus apud Arelatensium urbem deprehensus, diversisque affectus suppliciis gladio tandem percussus. o) *Gallienus. Æræ Christ. A. CCLIX.*

Derivatum fuit bellum hoc Alemannicum in Successorem Gallieni, Claudium, optimum moderatumque Principem, qui Gallieni morientis sententia Imperator designatus scribitur. Hic singulari contra Alemannos felicitate usus, tantam eorum multitudinem haud procul a lacu Benaco p) fudit, ut vix dimidia hostilis exercitus pars ex prœlio superesset; periculosumque adeo hostem ex tota ejecit Italia. *Claudius Æræ Christ. A. CCLXVIII.*

Nec tamen redeundi animum, imperante Romæ Aureliano, abjecere Alemanni, quos singularis tum Italiam invadendi ardor agitaverat, communi cum aliis Germaniæ populis fato. Perciti simili furore Marcomanni, quorum mentibus acceptæ ab Antonino Philosopho cladis memoria penitus adhuc insederat. Illi infestis armis Italiam petentes, omni malorum genere in ipsis imperii Romani visceribus grassabantur. Et collatis prima vice prope Mediolanum signis, tanta Romæ trepidatio secuta, ut accedente postea infelici ad Placentiam prœlio, dies ille maximo post homines natos Imperio prope postremus illuxerit. q) Quodsi Vopisco credimus, confugere tandem ad artes magicas Romani, nec nisi monstris quibusdam speciebusque impliciti Marcomanni vinci potuerunt. Feliciora contra Alemannos fata expertus est Aurelianus. Illi quidem, apud quos etiam nondum obliterata fuerat illatæ a Claudio injuriæ memoria, maculamque illam quovis modo deleturi, suis pariter Italiam incursionibus *Aurelianus Æræ Christ. A. CCLXX.*

---

l) Julius Capitolinus in Maximinis Cap. 13.
m) Eutropius L. 9. Aurelius Victor de Cæsaribus cap. 33. Paulus Diaconus in Historia Miscella Lib. 10.
n) Gregorius Turon. L. 1. c. 32.
o) Hist. Franc. L. 1. c. 30. ubi Ruinartus annotat, Chroci irruptionem alios Seculi demum quinti initio consignare.
p) Aurelius Victor in Epit. C. 34. Paulus Diaconus Hist. Miscell. L. 10. C. 34. Lacus est haud procul Verona ad Athesin: Mincius fluvius eum perlabitur.
q) Flavius Vopiscus in Aureliano Cap. 18. & 21. Velserus Rerum Bojicarum L. I. p. 66.

ſionibus vexavere; r) occupato rebus in Pannonia pacandis Aureliano. Imperator de conſervanda Italia præcipue ſollicitus, periculoſumque hoſtem ex ipſis Imperii viſceribus remoturus, modico in Pannonia præſidio relicto, Italiam verſus perrexit, & in extremis Iſtriæ partibus commiſſo prœlio multa Alemannorum millia delevit. s)

Probus. Æra Chriſt. A. CCLXXVI. At longe triſtiora fata experti ſunt cum aliis Germaniæ gentibus Alemanni, moderante orbem Romanum Aurelio Probo, Principe fortiſſimo pariter atque prudenti. Graſſabantur illi impune ab aliquo jam tempore per Germaniam Primam Galliamque, limiteque Imperii fracto, firmas in iis ſedes ſtabilituri videbantur; cum a morte Poſthumi, per eandem Galliam ſub Gallieno Tyranni, nec Claudius, nec ſequentes eum Cæſares pellere eos inde potuerint. Probus ergo & militum & Senatus judicio Imperator creatus nihil antiquius habuit, quam ut Galliam, vaſtiſſimam Romanæ ditionis provinciam, ad prius obſequium reduceret; comparatoque undique milite, contractis ex omni Imperio copiis, in eam progreſſus, tantaque felicitate cum barbaris prœliatus eſt, ut ſeptuaginta nobiliſſimas per Galliam Germaniamque Primam civitates, inter quas ſine dubio etiam ARGENTORATUM, cum reliquis ad Rhenum Urbibus ab iisdem reciperet; cæſis prope quadringentis Germanorum millibus, qui ſolum Romanum occupaverant, maximaque prædæ reportatarumque divitiarum copia glorioſus. t) Nec tum finis cædium factus. Oblati in ſingula barbarorum capita ſinguli aurei, tantum Romano militi ardorem injecerant, ut Alemanni cum reliqua Germania territi, jamjam in Provinciæ formam redigendi viderentur. Excitati tanto terrore, quem Probi virtus paſſim diffuderat, novem ex diverſis iſtius oræ gentibus Reguli, qui tremebundi ad Imperatoris pedes admoti, quicquid ipſis imperatum erat, obſidum, frumenti, aliarumque rerum promptiſſimi promiſerant. Delevit victor Probus ex eadem Alemannia ſedecim millia tironum, eosque per diverſas provincias ſparſit, militibusque hinc inde Romanis inſeruit, ut omnis rebellandi ſpes tam bellicoſis gentibus adimeretur. Hac tam illuſtri & inaudita victoria late promotus fuit Romani Imperii limes: remotis enim ultra Nicrum Albimque hoſtium reliquiis, Urbes Romanas & caſtra in ipſo Barbarorum ſolo poſuit Probus; hoc ipſo omnes Anteceſſorum ſuorum contra hanc gentem victorias longiſſime ſupergreſſus, aureas, quæ ab omnibus Galliæ civitatibus Probo oblatæ fuerant, coronas cum literis tot victoriarum nuntiis Romam miſit Imperator lætabundus; in quibus id ſibi quam maxime gratulatus eſt maximus Princeps, quod tam glorioſo ſpecimine Imperii a Senatu ipſi confirmati primordia fuerit auſpicatus. u) Gallis vero pro præſtitis

r) Aurelius Victor de Cæſaribus Cap. 35.

s) Zoſimus L. 1. c. 49. ubi loco Iſtri ſine dubio Hiſtria vel ſcribi vel intelligi debet.

t) Vopiſcus in Probo Capite 13.

u) Vopiſc. l. c. 15. literas has refert: *Ago Diis immortalibus gratias, Patres Conſcripti, quia veſtra in me judicia comprobarunt. Subacta eſt omnis qua tenditur late Germania, novem reges gentium diverſarum ad meos pedes, immo ad veſtros, ſupplices ſtratique jacuerunt. Omnes jam Barbari vobis arant, vobis jam ſerunt, & contra interiores gentes militant. Supplicationes igitur veſtro more decernite. Nam & quadringenta millia hoſtium cæſa ſunt, & ſedecim millia armatorum nobis oblata, & ſeptuaginta urbes nobiliſſimæ captivitate hoſtium vindicatæ, & omnes penitus Galliæ liberatæ. Coronas quas mihi obtulerunt omnes Galliæ civitates aureas, veſtræ, Patres Conſcripti, clementiæ dedicavi, & has Jovi Optimo Maximo,*

tis in hoc bello officiis concessit Imperator, ut vites consererent, vineas colerent, vinique adeo conficiendi rationem in suis quoque regionibus introducerent; x) cujus rei olim libertas lege Domitiana coercita, y) ita ut neque in Italia, neque in Provinciis vites plantandi, quantum quisque vellet, licuerit. Atque hæc vini colendi ratio ex Galliis ad Germanos transiit; quibus olim potui humor ex hordeo aut frumento, in quandam similitudinem vini corruptus erat: cum proximi tantum ripæ vinum mercarentur. z)

Mortuo Probo, sublatoque immani illo Alemannorum terrore, resumere vires animosque paulatim Alemannia cœpit; præsertim cum regente Imperium Romanum Caro, filiisque ejus Carino & Numeriano, fines ejus versus Orientem, Persarum quoque incursionibus debilitarentur. Rediere tum ad pristinos mores Alemanni, & sub Galerio Præside in Hispaniam penetrantes, Galliis attritis, in Italiam quoque irruperunt; a) Maximiano Herculeo amplissimam mox vindictæ occasionem præbituri.

Carus, Carinus & Numerianus. Æra Christ. A. CCLXXXII

Is a Diocletiano, variis bellis distracto, in societatem Imperii assumptus, Occiduas Romanæ ditionis provincias contra barbarorum incursiones præcipue defendendas accepit. Gallia erat, in quam surgentes tum passim Germaniæ populi, quodam quasi armorum consensu ferebantur; præludia insequentium seculorum; quibus excitati sedibus suis certatim Septentrionis populi Romanumque Imperium inundaturi, Galliam præsertim armorum suorum metam sibi constituerunt. Conjuraverant nempe in ultimam ejus perniciem imperante Diocletiano Alemanni; quos suum ultra Rhenum in Gallia quoque extendendi Imperium cupido jampridem invaserat. Itaque adscitis in societatem belli Burgundionibus Herulisque, trajecto repente Rheno, omnia cæde, vastatione atque incendio miscuerunt; b) Manibus popularium suorum, quos ferarum instar Romani haud ita pridem jugulaverant, sanguine Gallico parentaturi. At longe graviorem in hoc bello hostem quam Romanos experti sunt Alemanni. Fames primo atque sævior deinceps pestilentia inconditam multitudinem adortæ, magnam ipsi stragem intulerunt. c) Recepit tamen anno sequenti vires suas ferox natio, Rhenoque per hyemem denuo trajecto, Gallicos agros infestavit. Versabatur eo tempore Treveris d) Maximianus; qui, sumptis raptim armis, singu-

Maximianus Herculeus, Æra Christ. A. CCLXXXV

Maximo, ceterisque Diis Deabusque immortalibus, vestris manibus consecrate. Præda omnis recepta est, capta etiam alia & quidem major quam fuerat ante direpta. Arantur Gallicana rura Barbaris bobus, & juga Germanica captiva prebent nostris colla cultoribus: pascuntur ad nostram alimoniam gentium pecora diversarum: equinum pecus nostro jam fœcundatur equitatui: frumento Barbarico plena sunt horrea. Quid plura? illis sola relinquimus sola, nos eorum omnia possidemus. Volueramus, Patres Conscripti, Germaniæ novum præsidem facere, sed hoc ad pleniora vota distulimus, quod quidem credimus conferre, cum divina providentia nostros uberius fœcundarit exercitus.

x) Eutropius L. 9. c 19. Aurelius Victor de Cæsaribus c. 37.

y) Suetonius in Domitiano C. 7. dicit, *ne quis in Italia novellarte i. e. novas vites plantaret, utque in provinciis vineta succiderentur.* Eusebius ad Ann. 2108. Philostratus in Apollonii vita, 6. 17.

z) Tacitus in Germania Cap. 23.

a) Franciscus Tarapha de Regibus Hispaniæ, in Hispania illustrata Tom. I. p. 536.

b) Sigonius de Occidentali Imperio L. 1. ad annum 286.

c) Claudius Mamertinus in Panegyrico Maximiano Herculeo dicto Cap. 5.

d) Inter urbes Metropoles, civili dignitate præ reliquis superbiunt Augusta Trevirorum; sedes aliquando Imperatorum, ipsiusque Constantini, ex non una

singulari audacia hostes palatos ex improviso aggressus, præcipiti agmine trans fluvium referre se coegit. Imo tot incursionibus irritatus, in suis Alemannos sedibus opprimere, ad Probi Imperatoris exemplum, decrevit. Nec spem eventus fefellit. Confecto in Rhenum ponte, transmissoque per eum exercitu Alemannos, perpetuis victoriis ad caput usque Danubii debilitatos, ita opibus exhausit, ut non oratorie magis quam vere Mamertinus pronunciaverit; probasse Maximianum, Romani Imperii nullum esse terminum, nisi qui ejusdem esset armorum. Ita, trophæis in media Alemannia denuo erectis, per multos annos bellum istud quievit.

Constantius Chlorus. Æra Christ. A. CCXCI. Recruduit tamen mox Constantio Chloro a Diocletiano in Imperii Romani societatem assumpto. Facilis nimirum erat Alemannis in Galliam interiorem per Rauracos vel Triboccos irruptio; unde nova Romanis triumphandi materia. Constantius Cæsar circa Lingonas eodem die adversam secundamque expertus est fortunam; repulsus enim ab initio & adventante mox exercitu auctus, sexaginta fere millia Alemannorum occidit. e) Imo Panegyricus Constantino M. recitatus, dum de patre ejus Constantio loquitur, non modo Lingonicæ hujus victoriæ meminit, sed & alterius apud Vindonissam in Helvetiis adversus Alemannos obtentæ facit mentionem; illosque campos suo adhuc tempore ossibus completos enarrat. f) Quarum contra Alemannos victoriarum occasione Noviomagum Nemetum sive Spiram, ab Alemannis prius devastatam, a Constantio autem Chloro restauratam nunc fuisse ex monumentis Spiræ adhuc extantibus aliisque documentis putat Lehmannus. g) Quodsi Eumenio, Constantii Cæsaris Præconi h) fidem adhibemus, Rex ferocissimæ Alemannicæ nationis inter ipsas, quas moliebatur, insidias captus est, totaque a ponte Rheni, usque ad Guntiensem i) Danubii transitum devastata penitus Alemannia.

Constantinus Magnus. Æra Christ. A. CCCVI. Qui Constantium patrem in Imperio excepit Constantinus M. Regis Alemanorum Chroci, qui Constantium in Britanniam comitatus erat, consilio k) Imperium cepit. Sed nec ipsi tuta cum Alemannis pax fuit. Illi enim sigillatim primo mox conjunctis cum Bructeris, Chamavis, Cheruscis & Tubantibus armis, immani quadam societate conspirantes, bellum Constantino moverant. At singulari Constantini astu repressi, victorem eundem venerabundi agnoverunt; l) Regibus eorum captis, quos postea Constantinus, magnificum spectaculum editurus, belluis objecit. m) Constantini soboles maximi parentis in repel-

una inde lata lege in Cod. Theodos. Tum Lugdunum, Galliarum Caput; Vienna denique de Primatu certans cum Lugduno, postea & cum Arelate, ex quo hæc facta ab Honorio sedes Præfectorum Prætorio; sed dignissima omnium ac vetustissima Augusta Trevirorum, Metropolis seu Mater omnium Galliarum & quasi altera Roma sub Constantino; a Vandalis sub Honorio ac sæpius deinceps subversa: unde factum, ut Arelatem translata sit sedes Præfectorum Prætorio. Vid. Spanhem. in Geograph. Sacra & Ecclesiastica pag. 156. Blondel de la Primauté en l'Eglise pag. 715.

e) Paulus Diaconus in Hist. Miscell. L. 10. c. 42.
f) Beatus Rhenanus Rerum German. L. I. p. 75.
g) In Chron. Spirensi L. I. c. XXV.
h) In Panegyrico Cap. 2.
i) Varie legitur Continensis, Contiensis. Cellario ad Guntiæ confluentes ille transitus fuisse videtur: addatur Beatus Rhenanus Rer. Germ. L. 1. p. 74.
k) Aurelius Victor in Epit. Cap. 41. ubi Chrocum hunc Erocum vocat.
l) Nazarius in Panegyrico Constantino M. dicto, cap. 18.
m) Eutropius L. 10. c. 2. & Paulus Diaconus L. 11. c. 4.

repellendis hostibus virtutem minime assecuta est. Diviserat ille testamento inter filios orbis Romani provincias; ita quidem, ut Constantinus natu major, cum Constante minore Hispanias, Galliam, Italiam, Africam, Illyricum, Græciamque acciperet: Orientis vero Imperium Constantius, & ejus Caput Constantinopolim cum Thracia & Ægypto. Sed non longa fuit fratrum concordia. Orta inter Constantinum & Constantem de Italia controversia, Constantinoque apud Aquilejam interfecto, Constans, cujus fraude interierat, totius Occidentis Imperium adiit. n) Ille vero, cum nimia morum suorum licentia Magnentio Comiti rebellandi dedisset occasionem, vitam cum Imperio amisit; relicturus unicum in vastissimo Imperio successorem Constantium. Declaraverat interea Magnentius Cæsarem, Decentium fratrem; cumque illi Gallias imperio administrandas dedisset, o) Decentius cum Alemannis bello implicitus, & cum Chonodomario, p) eorum Rege, æquo Marte congressus, ab eodem superatus est; postquam plurimæ opulentæ clarissimæque per Galliam civitates prius vastatæ, extremo fere admotæ fuerant exitio.

Itaque Constantio, ad quem solum jam summa Imperii delata videbatur, arma in eandem gentem ferocissimam convertenda erant. Elati enim his tantis successibus Alemanni, sub Regibus suis, Gundomario & Vadomario, crebris excursionibus denuo Galliam, Sequanos, Rauracosque populati sunt. Insederat Rheni ripam Constantius, pontem navibus junctis, super Rhenum straturus, cùm subito multitudine telorum hostilium tanquam grandine quodam obrutus Romanorum exercitus, pontis conficiendi consilium mutare coactus fuit. Dubius ita propositi Constantius, ex indice vadosum quendam Rheni locum transituique opportunum intellexit: atque destinata haud duble perfecisset, nisi nonnulli ex Alemannica gente, quibus honoratioris militiæ curam Imperator commiserat, clam populares suos per nuncios de instanti periculo admonuissent. Barbari ergo, accedente auspiciorum auctoritate, quæ congressum cum hostibus prohibere tum visa, Optimates, delictorum veniam pacemque petituros, ad Constantium misere, qui, advocata in concionem multitudine, expositisque Alemannorum pacis ineundæ consiliis, concordiam inter utramque gentem reduxit; quæ solenni fœdere, ex gentium ritu confecto, mox confirmata: q) pacatis etiam eodem anno Lentiensibus, Alemannicis pagis, qui collimitia sæpe Romana infestaverant. Sed parum tuta atque diuturna fuit hæc pax, ex Alemannorum perfidia; qui Galliæ scilicet Imperium jam pridem animo agitantes nullam ejusdem occupandæ occasionem intermisere. Nec vero Alemannicis tantum armis exposita fuit Gallia. Franci eodem furore perciti, certatim vicinam provinciam, non minus infestis armis a Seculo jam tertio invasere. Unde Constantius animi anxius, cum nec cum hostibus se committere, nec florentissimas provincias prædæ relinquere cuperet, Julianum patruelem Athenis, ubi literarum studiis maxima cum laude operam dabat, arcessere, Galliæque Cæsarem præficere constituit; ut illa scilicet acerrimum contra hostes defensorem eundem experiretur.

Constantius Æræ Christ. A. CCCLI.

G 3 Quadra-

n) Zosimus L. 2. c. 39. sqq. Eutropius L. 10. cap. 5. Socrates Hist. Eccles. L. 2. cap. 25. Zonaras Annal. T. 3. pag. 10. Edit. Basil.

o) Aurel. Victor in Cæs. cap. 42.

p) Ammianus Marcellinus L. 16. cap. 12.

q) Ammianus Marcellinus L. 14. c. 10. & Franciscus Guillimannus de Rebus Helveticis L. 2. c. 4.

Julianus Cæsar. Æræ Christ. A. CCCLVI

Quadraginta quinque jam fitas ad Rhenum urbes r) ceperant Barbari, iisque prorsus devastatis, earum incolas cum immensa spoliorum copia secum abduxerant. s) Erant inter illas civitates, ARGENTORATUS, Brocomagus, t) Tabernæ, u) Saliso, x) Nemetes, Vangiones & Mogontiacum. y) Cæsar ergo militibus apud Rhenum in unum coactis, per Decem-pagos z) adversus Alemannos profectus est; itinere fere periculoso: hostes enim locorum gnari, duasque ejusdem legiones adorti, eas delevissent fere, nisi concitatus subito clamor sociorum auxilia advocasset. Itaque magna circumspectione providentiaque rem agendam ratus cunctator Julianus in Germaniam tandem Primam devenit, Brocomagumque urbem primam omnium occupavit; sollicitatusque ab Alemannorum manu, maxima eorum parte, partim deleta partim capta, reliquos celeri fuga salutem quærere compulit. a) Inde ad castigandos, qui cum Alemannis insolescere sueverant, Francos idem progressus Julianus, Coloniam Agrippinam ante ipsius adventum devastatam occupavit, perterritosque Francorum Reges ad firmandam pacem coegit. His vincendi primitiis lætus Cæsar, hyematurus apud Senonas Galliæ oppidum, per Treviros regressus est, receptarum sine dubio plerarumque ex supra memoratis urbibus gloria lætus. Sed longe major reportandarum ex Alemannis victoriarum seges Heroem juvenem jam tum exspectabat. Hæserat ille apud Senonas, cum subito hostilis multitudo oppidi capiundi spe accensa ipsum nec opinantem aggreditur. Terruisset alium tam subitus terror hostium. At Cæsar exiguis quamvis copiis instructus, audaciorque factus, & cum armatis dies noctesque inter propugnacula visus, tanta fortitudine urbem defendit, ut post tricesimum diem tristes barbari

---

r) Zosimus L. 3. c. 1. quadraginta tantum urbium meminit. Libanius vero in Oratione Consulari ad Julianum, quadraginta quinque urbes a barbaris captas esse dicit. Idem Julianus in Epist. ad S. P. Q. Athenienfem p. 279.

s) Hujus Galliarum vastationis causam Libanius in Oratione funebri ad Constantium confert; qui, ut Magnentium Tyrannum distineret, datis ad barbaros literis, adhortatus erat, ut Romanum limitem invaderent: quod & Zosimus L. 2. & Socrates, Sozomenusque confirmant.

t) Nonnulli Codices Brotomagum habent. A Ptolomæo Βρευκόμαγος nominatur in Triboccis. Vetus Peutingerorum Tabula Brocomagum eam appellat. Æthicus in Cosmographia locat Brocomagum inter Argentoratum & Concordiam: hodie *Brumat*, ad Sornam fluvium sita. vid. Hadrianum Valesium in Notitia Galliarum.

u) Tres numero Tabernæ recensentur; aliæ ad Rhenum, aliæ in Trebocceis sive Alsatia inferiore, tertiæ flumen Navam inter ac Noviomagum seu Nivomagum Mosellanum, dictæ Montanæ, *Rheinzabern*, *Elsaszabern* & *Bergzabern*. Montanæ vix apud Veteres reperiuntur; ut duæ priores notissimæ sunt Tabulis Theodosianis seu Peutingerianis. Ipsa quoque Notitia Imperii mentionem facit sub Dispositione Viri Spect. Ducis Mogontiacensis, Præfecti militum Menapiorum Tabernis; quæ ipsæ scilicet sunt Rhenenses Tabernæ, utpote ab Auctore post Saletionem positæ. Peutingerorum Tabula Tabernas Alsaticas inter Pontem Saravi & Argentoratum ponit. Itinerarium Antonini inter Argentoratum & Decem-pagos. An Rhenanæ, an Alsaticæ heic intelligendæ, infra annotabitur, cum easdem Tabernas postea restauraverit Julianus atque muniverit.

x) Quam eandem esse existimant Eruditi cum Saletione apud Æthicum. Saletio magnum quondam fuit castrum ad Rhenum inter Tabernas Rhenanas scilicet & Brocomagum; hodie vocatur *Seltz*.

y) Ammianus Marcellinus L. 16. c. 2.

z) Oppidum Vetus in agro Metensi hodie appellatur *Dieuse*; meminit hujus loci Tabula Theodosiana, Antoninus in Itinerario; Paulus item Warnefridus in Libro de Episcopis Metensibus.

a) Ammianus Marcellinus L. 16. c. 2.

barbari abeuntes, prudenter obfidionem illam fe fufcepiffe fuiffent credituri, nifi Julianum experti effent hoftem.

Exacta fic hyeme Cæfar, tantis fucceffibus elatus, affumpto fecum exercitus Rectore Severo, longo militiæ ufu exercitatiffimo, fortunam denuo cum Alemannis experiri decrevit. Miferat Conftantius Auguftus Barbationem cum viginti quinque millium armatorum exercitu, auxilia laturum Juliano. Julianus ad Rhemos, Barbatio in Rauracis fubftitit. Sed Alemanni, neglecto utroque Romanorum exercitu, Lugdunum b) usque perrupere; incautamque civitatem aggreffi, opulenta inde fpolia ad fuos retuliffent, nifi viis, per quas ipfis redeundum erat, obfeffis, Cæfar omni præda ipfis ablata, gladio omnes percuffiffet, exceptis iis, quos perfidus Barbatio, & gloriæ Juliani hoftis incolumes dimifit; ut fcilicet virtutibus Cæfaris apud Conftantium obtrectandi occafio ipfi fubnafceretur. c) Et invaluerat fane paffim per Galliam murmur, imparem effe reprimendis hoftium conatibus Cæfarem, minimeque ipfum fpei de ipfo hactenus conceptæ refpondiffe. Cæfar vero altius opus aggreffurus, ad reparandas Tres Tabernas d) animum convertit; ut ifto nimirum munimento ab ipfis Galliæ vifceribus arcerentur Alemanni. Contulit eo magnam ex barbaricis meffibus fructuum, commeatuum, aliarumque rerum copiam, ut nimirum neceffitatibus belli graviffimi providus Imperator diligentiffime profpiceret. Interea temporis Barbatio rerum fuarum incautior, ab Alemannorum manu fugatus ad Rauracos usque, ex quibus paulo ante difcefferat, fe recipere coactus fuit. Perrexit Cæfar in inftituto opere, quod fudes in oculis Barbarorum erat. Illi ergo ex Barbationis modo fuga elati, conjunctis popularium fuorum viribus, formidandi hujus caftri exftructionem impedire quovis modo conati funt. Collecti in unum feptem fortiffimi Alemannorum Reges, Chnodomarius, Veftralpus, Urius, Urficinus, Suomarius, Serapio atque Hortarius, unito virium fuarum robore, fupremo hoc quafi conatu, omne Romanorum in Gallia Imperium bellica hac inundatione deleturi.

Æra Christ. A. CCCLVII.

Confedit formidanda hæc hoftium multitudo ad ARGENTORATUM; ut folo nempe terrore vicinum Cæfarem in fugam verterent. Auxerat præfidentem Alemannorum ferociam Scutarius perfuga, qui commiffi criminis metu a Romanis ad Alemannos transgreffus, tredecim tantum armatorum millia totum Juliani exercitum conftituere ementitus fuerat. Minime turbatus hoc nuncio

b) B. Rhenanus Rerum German. L. I. exiftimat apud Marcellinum pro Lugduno forte legendum effe Ebredunum, quod oppidum non procul aberat a Rauracis.

c) Ammianus Marcellinus L. 16. c. 11.

d) Lehmannus in Chron. Spir. Lib. I. c. 27. Tres Tabernas has interpretatur de tribus illis diverfis locis, quæ hodieque nomen illud retinent: Cluverius de Rhenanis intelligit; fed rectius ad Alfaticas hæc trahuntur. Ammianus enim munimentum hoc oppofitum fuiffe dicit, ut a barbarorum incurfionibus etiam intima Galliæ prohiberentur; quo aperte fignificatur, non in ripa, ubi Rhenenfes, fed interiora verfus conditum fuiffe; ad radices nempe *Vofagi* montis. Apud Julianum enim in Epift. ad Senat. P. Q. Athenienfem p. 279. fine dubio pro *Barfego*, quæ vox nihili eft, fubftituendum *Vofegus* vel *Vofagus*. Præterea non potuit tum Cæfar reftaurare Tabernas ad Rhenum, cum totus ille Galliæ limes, Tractus Cis-Rhenanus ab Alemannis tum fuerit occupatus, qui Juliani poftea virtute ex illis locis depulfi. Cur vero hæ Tabernæ Tres vocentur ab Ammiano, fatetur Lindenbrogius non liquere: forfan ad imitationem *Trium Tabernarum*, loci in Italia ad viam Appiam haud procul Roma fiti, appellatæ.

cio Cæſar, in perficiendo Trium Tabernarum monumento quam maxime occupatus. Miſerant barbari, ſuperbia inflati, Legatos ad eum cum mandatis, ut terris illis abſcederet virtute ſibi quæſitis & ferro. Sed ille irriſa hoſtium inſolentia, detentiſque eorum legatis usque ad perfectum caſtrorum opus, ſuo conſtanter propoſito inhæſit. Tandem prælandum erat, percitis pugnandi quodam furore Romanorum animis. Fax atque tuba, totiusque belli agitator ex Alemannorum parte fuit Chnodomarius, qui præ reliquis Regibus, auctoritate rebusque ſecundis elatus, quod Decentium Cæſarem jam olim ſuperaverat, partam ſibi & nunc victoriam minime dubitavit. Cæſar autem, viſa exercitus ſui fiducia, obviam barbaris progreſſus eſt. Deſtinati tam raro belli ſpectaculo ARGENTORATENSIUM campi, in quibus uterque jam conſiſtebat exercitus. Inde Alemannos conſpiceres, robuſtos, feroces, grandiſſimis corporibus fretos; hinc Romanos longo militiæ uſu edoctos, cautos, animis fidentes, & omnia audendi paratos. Præerat ſiniſtro barbarorum lateri Chnodomarius, equo ſublimis, & armorum nitore conſpicuus; dextrum vero cornu agebat Serapio juvenis, audacia fortiſſimis haud impar. Hos ſequebantur poteſtate proximi Reges numero quinque, Regalesque decem, & Optimatum ſeries magna, armatorumque millia triginta & quinque ex variis nationibus quæſita. Ex altera vero parte Julianus, illuſtriſſimum nunc gloriæ documentum editurus, quicquid heroica eloquentia excogitare, quicquid magni Ducis prudentia providere, quicquid fortiſſimi militis virtus præſtare potuit, ſolus ipſe omnia complexus, ordines obequitando, per cornua diſcurrendo, laureas triumphosque Majorum oſtendendo, paratum jam ſponte exercitum ita impulit, ut nonniſi eum certiſſima gloriæ fiducia prælium ingrederetur. Magnis utrinque viribus concurritur; deſcendit equo, certus & ipſe victoriæ Chnodomarius cum reliqua Regalium Optimatiumque cohorte. Atrox ancepsque diu fuit prælium. Jamque cornu ſiniſtrum Alemannorum agmina rumpere videbantur, cum equites dextrum cornu tenentes, præter ſpem omnium inconditi fugere jam incipiunt. Inde ad peditum aciem converſi barbari, duriſſimum hoſtem experti ſunt. Stetit phalangis inſtar & caute firmior Cornutorum Braccatorumque exercitus; miles uſu præliorum diuturno firmatus. Redit interea ex fuga, magnanima Cæſaris oratione concitatus eques; accedunt celeri curſu Romanis opitulaturi Batavi, manus plane formidabilis. Itaque verſa mox prælii facies, & incredibili Cæſareani exercitus ardore animoſitateque pulſus tandem loco Alemannorum exercitus, vaſtiſſimam horribilemque longe lateque ſtragem expertus eſt. Inventa ſunt in ipſo prœlii campo ſex millia corporum hoſtilium proſtrata; c) plerosque ex fugientibus Rheni unda depreſſit; qui barbarico cruore decolor ſpumansque, inſolita hæc augmenta ſtupuit, & Simoentis olim ad Trojam

(c) Zoſimus L. 3. c. 3. plus æquo Juliani gloriæ ſtudens, cum infinitam Barbarorum multitudinem Rhenum transjeciſſe ſcripſiſſet; addit mox ampliſſima retuliſſe Julianum trophæa, ſexaginta millibus hominum in ipſo prœlio deletis, & aliis totidem in Rhenum præcipitatis. Itaque ad minimum exercitus centum & viginti millium Alemannorum inde exſurgeret: unde etiam victoriam iſtam non eſſe inferiorem illa Alexandri M. pugna adverſus Darium pugnata exiſtimat. Conſentit fere Aurelius Victor in Epit. c. 42. Cæſarem cum paucis militibus infinitas copias deleviſſe, acervos montium ſimiles cæſorum ſtetiſſe, cruoremque fluminum modo fluxiſſe ſcribens. Eutropius L. 10. c. 7. ingentes Alemannorum copias exſtinctas refert. At potiot habenda fides Ammiano: cui ſere conſentit Libanius in Orat. funebri in laudem Juliani, qui octo millia Alemannorum in acie ſcribit interempta, uti locum Libanii ex manuſcripto Codice Valeſius ſupplevit.

Trojam instar, correpta tot Heroum scuta, galeasque & fortia corpora se jam volvere miratus est. Cæsaris gloria ex eo quam maxime aucta, quod tam exiguo sanguine Romanis constitit hæc victoria, quorum vix ducenti & quinquaginta periere. Deprehensus in fuga Chnodomarius, f) qui per cæsorum strues elapsus, Rhenum navi trajicere decreverat; vincti cum eo ducenti Comites. Et ille quidem Cæsari oblatus, ab eodem mox ad Constantium missus, Romæque detentus est; in monte tandem Cœlio in Castris Peregrinis morbo veterni consumptus. Julianus vero ex tanta victoria amplissimum Augusti cognomentum, quo concordi totius exercitus acclamatione appellatus est, retulit. Tanta clade nobilitati ARGENTORATENSIUM campi g) frequentissimam Scriptoribus ejus celebrandæ occasionem dederunt: quo ipso quoque tempore ARGENTORATUM ex vico per Julianum in oppidi formam redactum esse, nonnulli Ausonii Carmine nixi conjiciunt. h)

Parta tam insigni victoria Julianus ad Tres Tabernas regressus est, præda & captivis in Mediomatrices dimissis. Magontiacum inde progressus fluvium ponte trajecit, & ferro flammaque in terris hostilibus grassatus est: adacti ad pacem Alemanni, veniam impetravere. Data in mensem decimum. Qua fiducia erecti tres Alemannorum Reges, qui præterito bello auxilia hostibus suppeditaverant, supplices & trepidi ad Cæsaris genua accidere, conceptisque ritu patrio verbis, nihil moturos juravere. Ita pace ad tempus firmata, restauratoque, quod Trajanus in Alemannorum solo construxerat olim, quodque jam

f) Zosimus L. 3. c. 4. per hallucinationem vocat hunc Vadomarium, qui a Chnodomario diversus plane fuit, de quo Ammianus.

g) Cluverius in Germania Antiqua L. 2. c. 12. p. 44. existimat, non prope Argentoratum, sed prope Concordiam esse pugnatum; pugnam autem istam cognominatam esse Argentoratensem, non quod sub ipsis Argentorati mœnibus facta sit, sed quia Argentoratum, quod XIV. hinc millia passuum dissitum, præcipua Urbs dignissima videretur, unde tam nobilis memorandaque pugna cognomentum ferret. At refragatur Historicorum auctoritas. Victoris Epitome c. 42. diserte in campis Argentoratensibus pugnatum esse scribit. Eutropius L. 10. c. 7. apud Argentoratum idem prœlium commissum esse refert. Nec dissentit Zosimus L. 3. c. 3. Ipse Ammianus variis in locis idem confirmat, ita L. 15. c. 11. Argentoratum Barbaricis cladibus notam vocat. Idem Argrntoratensem pugnam narrat L. 17. cap. 11. Quid clarius his testimoniis, quid evidentius? quæ objicit Cluverius, facile diluuntur.

h) Guillimannus de Rebus Helveticis L. 2. c. 4. & Josephus Scaliger in Notis ad Mosellæ Ausonii initium putant, Poetam initio elegantissimi hujus Carminis de hac Alemannorum clade ac Juliani victoria loqui; sed hallucinatur. Argentoratus enim jam tum clara Civitas fuisse videtur, deinde Itinerarium Antonini & Tabula Theodosiana aliud iter & stationes *Argentorato* (unde profectum esse putat Ausonium Scaliger) Treverim præscribit. Insuper, quomodo hæc verba Ausonii: *Æquavit Latias, ubi quondam Gallia Cannas:* huc quadrant. Nulla certe comparatio fieri potest inter Cannensem & Argentoratensem clades. In illa Romani victi fuerunt, in hac vero hostes. Tandem vox *quondam* longe antiquiorem, quam hæc Juliani, cladem Ausonium intellexisse ostendit. Fuit enim hic Ausonius sub Valentiniano I. Præfectus Prætorio Galliarum; unde Poeta illam cladem videtur intelligere, de qua Tacitus Historiarum L. 4. & loco Argentorati intelligendum hic videtur *Bingium* ex loco Marcellini, qui extat L. 18. vid. Freherum ad h. l. Ausonii, Cluverium in Germ. Antiqua L. 2. c. 11. Huic consentit Dionysius Petavius in Not. ad Epist. Juliani ad Athen. p. 101. Vinetus per vicum muris occasione hujus cladis circumdatum, nec Argentoratum, nec Bingium; sed Tres Tabernas intelligit; verum & hic male.

pridem dirutum fuerat, munimento, i) Parisios ad hyberna rediit Julianus. At Alemanni, cum quibus nunquam tuta pax, occasionibus intenti, occupatis Persico bello Romanis, obliti anno sequenti pacis fœderumque, denuo turbas dedere. Juthungi, k) Alemannica natio Italiæ contermina, Rhætias subito vastaverant, & majora jam minabantur, nisi valida manu submissus Barbano, barbaros subito disjecisset, redegissetque supplices ad prius redire obsequium. Cæsar vero, ut ipse quoque terrorem, barbaris superiore anno incussum, renovaret, compositis inferioris Germaniæ rebus, Rhenum rursus transiit, obviumque mox habuit Suomarium, ferocem sævientemque prius in Romanos Alemanniæ Regulum. Is ea lege veniam impetravit, ut captivis redditis, alimenta, quoties necesse foret, exercitui Romano suppeditaret. In eandem quoque formulam receptus in gratiam Hortarius, l) non minus antea in Romanos superbus. Sequenti anno Cæsar anxius semper de fide Alemannorum, Hariobaudem, spectatæ virtutis Tribunum, legationis specie ad Hortarium misit; consilia Regum in illis partibus investigaturum; Ipso interea reparandis oppidis castellisque occupato. Intellexerat ex Hariobaude dubias Alemannorum mentes, & ut consueta sua, qua Divum quondam Julium æquabat, velocitate eos præverteret, Rheno ad Mogontiacum trajecto, tam subito in hostium finibus comparuit, rapinis, cæde, incendiisque, tantum longe lateque terrorem diffudit, ut non duo tantum fratres, Macrianus atque Hariobaldus, sed & Urius, Ursicinus & Westralpus pacem deprecaturi, supplicesque mox comparuerint: in quos acrius fortassis sævitum fuisset, nisi Vadomarium, cujus Regnum versus Rauracos m) erat, & qui antiqua cum Romanis amicitia pridem notus, exoratorem invenissent. n) Ita pacata jam in illis partibus cuncta reputanti Juliano ex improviso affertur nuncius, ipsum Vadomarium, a quo nihil prorsus timebatur, Rhætias invasisse, & per Romanas provincias impune grassari. Majoris periculi res visa Cæsari, qui, ne hujus exemplum Reges cæteri imitarentur, incendium in ipso statim exordio restinguendum ratus, insidiis Vadomarium prehendere decrevit. Consilio respondit eventus. Missus in Rauracos Philacrius, qui tanquam rerum ignarus, Vadomarium specie amicitiæ circumveniret. Comparuerat in lautis solennibusque epulis Vadomarius, sed in iisdem re inopinata catenis oneratus, captivusque in Hispaniam missus est. Territi hoc exemplo barbari; sed gravior mox metus ipsis injectus; cum Julianus, ut ultimam victoriis ex Alemannia reportandis manum imponeret, viresque rebellandi hostibus adimeret, ferro, cæde, flammaque cuncta passim ibidem vastaret. Fama fuit non proprio ausu, sed ipsius Imperatoris Constantii literis sollicitatum fuisse Vadomarium, promissaque illi trahendi belli subsidia; ut his nimirum rebellionibus Cæsar, cui Constantius jam pridem illustria illa bellicæ gloriæ decora invidebat, distineretur. o) Tam

gloriofo

i) Coloniæ Trajanæ mentio in Itinerario Antonini. De cujus situ magna est inter Geographos controversia. Bilibaldus Pirckheimerus atque Ortelius oppidum Montensis Ducatus, *Keyserswert* interpretantur. Cluverius de vico, qui hodie vocatur *Kellen* L. 2. Germ. Antiq. c. 18. p. 92.

k) In Codicibus Ammiani vetustis varie scribitur. Sidonius in Carmine septimo v. 238. Vithungos vocat. Ambrosius vero, Idatius & Dexippus Juthungos rectius appellant. Iidem sub Valentiniano quoque rebellavecrunt, memorante Ambrosii Epistola 27.

l) Guillimannus de Rebus Helvetiorum L. 2. c. 4. Hortarium superiorem, Suomarium vero inferiorem Palatinum obtinuisse existimat.

m) In Brisgovia & circa Hercyniam.

n) Ammianus L. 18. c. 1.

o) Idem L. 21. c. 3. & 4.

glorioso exitu Alemannica bella Julianus finivit; summotis ex omni Gallia Barbarorum copiis, restitutis Romani Imperii finibus, novoque præsidio confirmatis, paceque undique comparata. Reliquerat Præfectum Prætorio Galliarum Sallustium, & cum in ipsa vastiorum consiliorum agitatione in Orientem proficisceretur, nuncium de Constantii morte accepit.

Evectus ergo ad Romani Imperii fastigium Julianus a bellis Germanicis quievit, gravissimo in Oriente bello mox implicandus; ubi, cum post aliquot annorum imperium occubuisset, successorque ejus Jovianus bonus magis quam strenuus Princeps, vix ultra annum imperasset, summa rerum ad Valentinianum I. delata, qui assumpto in societatem Imperii fratre Valente, quem Orienti præfecit, ipse Germanicis bellis invigilans, Juliani vestigiis gloriose institit. Perruperant sub ipso Valentiniani Imperii exordio Alemanni Germaniæ limites, levi ex causa. Missi ad Comitatum Imperatoris Alemannorum Legati. Iis cum leviora, quam a novo Principe speraverant, munera offerrentur, projecere oblata, & ab Ursatio officiorum tunc Magistro asperius tractati, justam hanc belli contra Alemannos movendi causam reduces apud populares suos exaggeravere. Primus belli furor in Rhætiam, Rauracos, Helvetiamque effusus est. Daglaipho ad restinguendum belli orientis incendium missus nihil, quod ad rei summam faceret, effecit. Carietto & Severianus Comites Alemannis obvii male accepti, auctumque sine dubio periculum fuisset, nisi Magister Equitum Jovinus nonnullis successibus rem prolapsam restituisset. p) Tumultuabantur interea & Franci, in quibus debellandis cum occupatus esset Valentinianus, Rando Alemannorum Rex hostilia arma induere & Mogontiacum prædari ausus fuit. Vithicabius quoque Vadomarii filius, ferox & turbulentus juvenis, inter infesta consilia a domestico trucidatus est. Itaque rebellem toties gentem eversurus ex Illyrico Italiaque confestim copias contraxit Valentinianus; Rheno trajecto, comiteque filio Gratiano, castra apud Solicinium q) posuit. At cum impune cuncta illius Tractus vastare videretur Valentinianus, occurrit ipsi Barbarorum manus, quæ æquo diu Marte cum Romanis pugnans, multo Romanorum sanguine effuso, & ipso quoque Valentiniano Imperatore gravissimum periculum subeunte, fugere tandem, montiumque latebras quærere cœpit. r) Nullum pertinaciorem sane hostem eo tempore Roma sensit Alemannis. Senserat id Valentinianus, qui abjecto hinc fere Alemannos subjugandi consilio, Romanis potius finibus tutandis solerter incumbere decrevit. Viderat ex sanguine Barbarico tam largiter effuso novos quasi hostes renasci. Omnem ergo a Rhætiarum exordio Rhenum ad Oceanum usque castris, munimentis, turribusque munivit; s) laudabili omnino & pari fere cum Drusi olim Germanici, qui quinquaginta amplius castella per Rheni ripam direxit, t) instituto: unde sine dubio successu temporis hinc inde urbes, oppida, pagi, vicique passim exorti. Idem ad Nicrum & contra Quados aliosque Barbaros ad Danubium providus Imperator præstitit. Sed nec hac ratione coercitæ Alemannorum gentes; instigante præcipue Rege Macriano, cujus hortatu Barbari magis magis-

Valentinianus Æræ Christ. A. CCCLXIV

p) Ammianus Marcellinus L. 27. cap. 1. seqq.

q) Guillimannus de Rebus Helvet. L. 2. c. 5. interpretatur de oppido *Sults* infra Rotvillam, sinistra Nicri ripa. Addatur Rhenanns Rerum Germ. L. 3. Crusius Suevic. Annal. L. 7. P. I. c. 2. p. 159. Solmensem, inter Maguntiam & Treverim, civitatem nonnullos hic intelligere refert.

r) Ammianus Lib. 27. c. 10.

s) Ammianus L. 28. c. 2. & Lib. 30.

t) Florus L. 4. c. 12.

que intumuere. Burgundionum erat natio, quæ in vicinia u) Alemannorum degebat, & salinarum finiumque causa non semel lites cum illis exercuerat. x) Hos Valentinianus muneribus promissis induxit, ut collatis in unum viribus ad octoginta millia Alemannis bellum illaturi comparerent; ipsisque adeo Romanis, qui in operibus ad Rhenum extruendis occupati erant, quorumque exercitus nondum collectus fuerat, formidandi viderentur. Sed cum frustra ad Rhenum hæsissent, Romanas copias expectantes, quæ communibus armis Alemannos aggrederentur, irati Imperatoris moram domum rediere Burgundi. Excitati tamen his eorum motibus quidam Alemanniæ populi, & Rhætias Helvetiamque ingressi, Magistro Equitum Theodosio, Magni Theodosii parenti, occasionem dedere, ut levibus congressibus præliisque eos aggrederetur, captosque ex iis in Italiam transmitteret, ubi ad Padum cultui agrorum destinati. Inter has Alemannorum turbas crevit Macriani Regis potentia; de quo extirpando sollicitus Valentinianus, clam & incredibili velocitate Rheno navibus juncto, copias ipsum oppressuras præmisit; & obtinuisset sane, quod intenderat Augustus, nisi nimio prædandi ardore inflammati milites, eo ipso de fuga Macrianum hortati essent. Ad quinquagesimum ergo lapidem hostiles agros cum vastasset Imperator, voti falsus, mœstusque Treverim rediit. y) Ut tamen bello civili istas regiones committeret, Bucinobantibus Regem Fraomarium in Macriani locum imposuit. Sed cum terræ illæ nupero Romanorum excursu plane devastatæ viderentur, eundem postea Fraomarium, ad Britannos translatum cum potestate Tribuni, Alemanicis copiis, multitudine viribusque tum florentibus, præfecit: quemadmodum etiam Vadomarium, a Juliano olim captum, exercitui Sapori Persarum Regi opposito Valentinianus nuper Ducem dedit. Evocavit quoque ad se in comitatum Valentinianus duos Alemannorum Reges, Hortarium & Bitheridem, quos variis militiæ honoribus condecoravit. Hortarius non diu in fide perstitit, proditusque a Florentio Magontiaci Duce clandestini cum Macriano aliisque Alemannorum Optimatibus commercii tormentis subjectus, flammisque combustus est. Sequenti anno novum a Valentiniano Alemannis oppositum est munimentum prope Basileam, quod ab accolis *Robur* dictum esse Ammianus tradit. z) Territus tandem Romanorum successibus Macrianus, a Valentiniano Magontiacum accitus, magnoque satellitio in colloquium progressus, oblatas fœderis conditiones accepit, easdemque constanter servavit. Finis hic Alemannicis bellis a Valentiniano magna cum nominis fama factus; quem Illyricæ turbæ alio vocaverant, suprema mox fata in illis partibus obiturum. Relictusque in Gallia Gratianus, quem militari arbitrio Augustum prius salutaverat. a)

Gratianus Æra Christ. A. CCCLXXV

Fatalis hæc Magni Imperatoris mors Romano Imperio videbatur. Surrexere passim in Oriente Barbaræ gentes, Alani, Hunni, Gothique; quorum exemplo Alemanni quoque excitati. Posthabito scilicet fœdere cum Romanis toties inito, vincula rursus rupit Lentiensium præsertim pagus, Rhætiæ finitimus.

u) Idem L. 18. c. 2. Procopius L. 1. Gothic. Mamertinus in Genethliaco ad Maximianum Herculeum.

x) Ammian. L. 28. c. 5. Quas salinas ad fluminis Salæ fontem fuisse existimat. Bucherius in Belgio Rom. L. 11. §. 8. quod flumen in Hassia apud vicum *Saltz* ortum habet.

y) Ammianus Marcellinus L. 29. c. 4.

z) L. 30. c. 3. quæ prima urbis Basiieæ mentio apud Veteres occurrit.

a) Idem L. 30. c. 5.

mus. Haud falsus inter Barbaros percrebuerat rumor, magnam Gratiani exercitus partem in Illyricum missam. Unde Alemannorum animi crevere, redactisque in unum diversorum Pagorum viribus, quadraginta vel juxta alios septuaginta millium collectus exercitus. Gratianus hoc nuntio accepto, præmissas in Illyricum gentes revocavit, & reliquas per Galliam dispersas conjunxit, vim vi forti animo repulsurus. Concursum est infestis armis ad Argentariam. b) Diversæ prius erant Ducum sententiæ, aliis bellum trahendum, aliis ruendum in hostes, neque adeo ardorem militum restringuendum esse, existimantibus. Prævaluere horum consilia; tantaque virtute felicitateque ex parte Romanorum pugnatum, ut ex tanto Barbarorum exercitu vix quinque millia evaserint; c) Priario quoque Rege ipsorum interfecto. Triumphum hujus victoriæ Ausonius in Mosella sua decantat. d) Auctus hac victoria Gratianus, de delenda universa Lentiensium præsertim gente toties rebelli consilia agitavit. Lentienses tanta clade fracti, & ad internecionem pene jam deleti, resistendique adeo impares, præruptorum montium cacumina petivere. Quos cum indefesso ardore persequeretur, fame tandem fatigatos in deditionem accepit, tanto sane cum successu, ut per aliquod inde tempus pacata denuo videatur fuisse Alemannia. e)

Rediit tamen ad arma Imperante Theodosio Magno, quem in avias solitudines Alemannos compulisse Pacatus docet. f) Unde minime mirandum, si nascente Honorio ferocem toto Rheno Germaniam intremuisse; si sub ipso Honorio supplicem nomen ejus implorasse Alemanniam; si Suevis g) jura dare Romanos *Theodosius M. Æra Christ. A. CCCLXXIX* *Honorius Æra Christ. A. CCCXCV.*

b) Tabula Theodosiana Argentuariam vocat. Æthicus nuncupat Argantouariam, quam plerique Eruditi in loco, ubi hodie vicus *Horburg*, sitam interpretantur. Simlerus & Cluverius pro ipsa *Colmaria* habent; quæ ipsa autem ex ruinis Veteris Argentariæ exorta demum postea videtur. Crusius Annal. Suevic. L. 7. P. I. c. 5. p. 156. in memoriam cladis hujus postea hanc Beati Rhenani Inscriptionem positam fuisse scribit. IN RUINIS VETERIS ARGENTUARIÆ, AB ALEMANNIS, IN HANC PROVINCIAM IRRUMPENTIBUS, FUNDITUS EVERSÆ (HARBURGUM IPSI DICTITABANT) QUAM GRATIANI AUGUSTI VICTORIA, CÆSIS HAUD PROCUL HINC XXV. ALEMANNORUM LENTIENSIUM MILLIBUS, ANNO A CHRISTO NATO CCCLXXX. UT D. HIERONYMUS AUTOR EST, CELEBRIOREM REDDIDERAT CIVITATEM: ANTONINO CÆSARI, PTOLOMÆO, MARCELLINO, ALIISQUE, *GOMMORATAM: IN EJUS RUINIS CLARISS. PRINCEPS GEORGIUS, COMES A WIRTEMBERGA, &c. HOC ÆDIFICIUM EXTRUI FECIT, ANNO SALUTIS MDXXXXIII. SANEQUAM MULTIS ROMANÆ VETUSTATIS MONUMENTIS, DUM FUNDAMENTA LOCANTUR, REPERTIS ERUTISQUE. Ammian. L. 31. C. 10. Miramur itaque Doctissimam Fœminam, Annam Daceriam ignotæ sibi urbis nomen hoc esse scribentem in Notis ad Victorem. Multo magis miramur Andream Schottum, qui oppidum in agro Lemovicum *Argentoa* intelligendum hic esse censet. *leg. commemoratam.

c) Hieronymus in Chron. ad annum 378. triginta circiter millia Alemannorum apud Argentuariam, oppidum Galliarum ab exercitu Gratiani strata esse censet. Consentit Aurelius Victor cap. 47.

d) Versu 422. & seqq.

e) Ammianus L. 31. cap. 18.

f) In Panegyrico Theodos. M. c. 5.

g) De Laudibus Stiliconis Lib. I. Per *Suevos* intelligi sæpe Alemannos præcipue apud Ausonium & Claudianum jam supra notavimus, revocato ex antiquitate

Romanos ſcribit Claudianus; h) ſi denique Stiliconem Rheni & Iſtri calcatorem vocat. i)

Valentinianus Æra Chriſt. A. CCCCXXV

Sed jam fatale illud Occidentali Romanorum Imperio imminebat tempus, quo Barbaricæ gentes inito quaſi inter ſe fœdere, diſtractisque maximis ejusdem Monarchiæ provinciis, novam univerſo Occidenti faciem inducere viſæ; Valentiniano III. infelici illo Imperatore. Creverat jam ab aliquo tempore Francorum in Germaniæ partibus potentia, qui Rheno tandem ſuperato k) non exiguam Galliæ partem armis ſuis occupaverant. Stimulati horum exemplo ſucceſſibusque Alemanni, Galliæ jam pridem inhiantes, & ad novam nunc fere ſpem erecti videbantur; duplicem vero hoſtem Romanos ſcilicet Francosque experturi. Intervenit hiſce conſiliis flagellum iſtud Occidentis Dux Hunnorum Attila. Illi ex Scythia oriundi l) inter Pontum olim & Caſpium mare habitantes, Valente Orientis Imperium occupante, ad Paludem usque Mæotidem acceſſere. Inde ulterius in Europam penetrantes, tranſito Danubio alterna viciſſitudine victi & victores, tandem in Superiore Mœſia ſedem regnumque conſtituunt. Devolutum poſtea ad Attilam m) regnum, qui fratre Bleda occiſo, proſperisque eventibus tumidus poſt Conſtantinopolim ad extrema actam, Romam quoque, Italiam, aliasque Occidentis provincias in prædam deſtinavit. Itaque per Pannoniam Germaniamque pleno tandem furore in Galliam ruebat. n) Vaſtatæ in ea immani crudelitate plurimæ civitates, actumque fuiſſet de tota Gallia reliquoque Occidentali Imperio, niſi Aetius, fortiſſimus Valentiniani Imperatoris Dux interveniſſet. Aſſumptis ille in ſocietatem Merovæo Francorum & Theodorico Viſigothorum Regibus, Attilam, qui per Celticam Belgicamque Gallias ſtrages & incendia late circumtulerat, tanto armorum niſu in campis Catalaunicis o) aggreſſus eſt, ut centum & octoginta hominum millia in prælio illo perierint. Et quamquam non evidens erat, unde victoria ſtaret, viſa tamen magis in Romanos inclinaſſe, cum reliquam Galliam e furentis belluæ faucibus rapuerint, eamque adegerint, conceptam rabiem alio convertere. p) Triſtis hic rerum Romanarum ſtatus potentiam ſuam

---

quitate nomine. Strabonis enim & Plinii ætate generaliori voce *Suevi* vocati ſunt populi, omnem eum Germaniæ Trans-Rhenanæ Tractum infedentes, qui ad dextram Rheni ſuperioris ripam ad Mœni Rhenique confluxum, & infra; in Orientem autem ad Albim usque & ultra extendebatur, ſi Straboni fides. Sed & ſpeciatim ſtrictiorique ſignificatu Rheno viciniores dicti ſunt *Suevi*.

h) In tertio Conſulatu Honorii,

i) De laudibus Stiliconis.

k) Uti Alemanni ex ſuperiore Germaniæ Trans-Rhenanæ parte, ita Franci ex inferiore tranſmiſſis Imperii limitibus orbem Romanum infeſtaverunt.

l) Jornandes de Rebus Geticis cap. 24. Franc. Foris Otro Koſci Orig. Hungar. P. I. c. 3. Rodericus Ximenius in Hiſt. Gothorum, Hunnorum & Vandalorum. Joh. Thurocius & Ant. Bonfinius in Chron. Hungar.

m) Priſci Fragmenta in Excerptis Legationum, add. Phil. Callimachi, & Nic Olahi Attilam.

n) Hac Occaſione Argentoratum, (cum prius *Silberthala* dicta fuerit) nomen accepiſſe *Strasburg*, quod mœnia in quatuor decuſſatim vias diruta fuerint ab Attila, trandente quamvis Cruſio in Annal. Suev. L. 7. Part. I. c. 10. inter fabulas reputamus.

o) Alii putant legendum *in Campis Secalaunicis*, en *Soulogne* prope Aurelianum. Vid. Mezeray Hiſt. de France ad A. 450.

p) Jornandes cap. 38. ſeqq. Paulus Diaconus L. 15. Rediit tamen Anno ſequenti Attila & Italiam miſere vaſtavit, Victor Tununenſis & Idacius in Chron. Nicephor. L. 14. c. 57.

suam longe lateque diffundendi Alemannis occasio fuit. Illi enim ex sepulchris quasi suis resurgentes magnis agminibus Attilam secuti sunt, & quicquid in proximis Rheno ab eo relictum, devastavere. q) Eversæ tum tota fere Germania Prima & Secunda, Maximaque Sequanorum. Colonia Agrippina, Noviomagus, Magontiacum, Borbetomagus, Saletio, Brocomagus, Argentoratum, Elcebus, Argentuaria, Augusta Rauracorum, Vindonissa, Vitodurum, Aventicum, multaque alia oppida funditus destructa creduntur; r) ne nimirum reversuri forsan armorum vi in hanc regionem Romani in iisdem oppidis, arcibus, munimentisque defensionem postea contra eosdem Alemannos invenirent. Accedente postea Aetii morte, quem Valentinianus III. occidi jusserat, certam ac duraturam provinciarum Galliæ possessionem sibi spondebant Alemanni. Itaque quicquid Galliæ Ripensis usque ad Burgundiones (qui paulo ante in Sequanos & Heduos e Germania transgressi, regnum ibi stabiliverant) s) extendebatur, occupatum. Trans Danubium vero, latissimam illam Rhætiam Primam, sæpe ante tentatam, nunc quoque tandem sibi vindicavere. Nunquam profecto florentiores fuere Alemannorum res, quam eodem tempore, tam late prolatis ditionis eorum pomœriis; mox tamen in Francorum potestatem deventuris. Continuati sunt tam prosperi rerum Alemannicarum successus imperante Romæ Majoriano, t) sub quo nimirum jamjam exspirare vastissimum illud Occidentis Imperium cœperat; ut illud scilicet, cujus furor toties in Alemannos grassabatur, nunc in ipso quoque occasu suo eorundem vicissim furorem experiretur. u) Sic tuta jam a Romanorum armis erat Alemannia; quibus cum irruentibus undique populis luctandum erat, quique in prædam potentissimis Francorum, Visi-Gothorum, Burgundionum, atque Alemannorum armis Galliam deseruere. Et compos fortasse votorum suorum facta fuisset ferox Alemannorum natio, nisi novum periculosioremque mox hostem esset experta.

Majorianus Æræ Christ. A. CCCCLVII.

FRANCI, unita ex variis Germaniæ populis natio, x) jam pridem sedes quoque in Gallia quæsiverant. Orta hinc frequentia eorum cum Romanis bella, quibus illi tandem ita prævaluere, ut sub Merovæo, fortissimo Rege, magnam Galliæ partem jam occuparent. Merovæi successor Childericus de promovendo ulterius regno sollicitus, ut cum aliis gentibus, ita cum Alemannis bello quoque haud infelici commissus est. Sed omnis tandem & quam maxime

REGES FRANCORUM.

Childericus Æræ Christ. A. CCCCLVIII

q) Colligitur hoc ex Sidonio Appollinari Carm. I. v. 374. & 889. & seqq. &c.

r) A Beato Rhenano & Crusio Annal. Suev. L. 8. P. I. cap. 5.

s) Nic. Vignierius Rer. Burgund. Chron. ad A. 409. Lazius de Migrat. Gentium Lib. 1.

t) Sidonius Apollin. cap. 5. vers. 375. & seqq.

u) Cæterum cum Romani toties bellis fuerint collisi cum Alemannis, mirandum, non sæpius in Nummis mentionem eorum fieri. Celebris tamen est Nummus Constantini M. in aversa parte exhibens trophæum, sub quo mulier sedens & lugens, capite in dextram suppositam inclinato, cum Inscriptione: GAUDIUM ROMANORUM, & infra ALEMANNIA. Item alius Constantini Junioris cum typo victoriæ alatæ & palmatæ, victum subjectumque hominem lævo pede calcantis, cum Inscriptione: ALEMANNIA DEVICTA, apud Bertium in Commentariis Rer. German. L. I. Cap. 12. pag. 97.

x) De cujus populi origine diversæ sunt Scriptorum sententiæ: inter quas illa de variis gentibus in unum fœdus trans Rhenum coeuntibus a Cluverio tradita, probabilissima est, a plerisque etiam Eruditis hodie approbata. vid. Monumenta Paderbornensia pag. 84.

maxime fatalis belli Alemannici moles in Clodoveum, Childerici filium atque
Clodoveus successorem derivata. Hunc inclytum sane fama & bellicis laureis conspicuum
Æræ Heroem armis impetere statim non ausi, in Sigebertum, Coloniæ Regulum,
Christ. A. Francum quidem, sed fama & potentia inferiorem, impetum vertunt. Nihilo-
481. minus Clodoveus Franci Principis & affinis periculo commotus, quod sibi quoque intentari videbat, junctis Francorum & Gallorum copiis, ad hostem contendit, & Sigebertum cum milite advenientem excipit. Tolbiacum y) pagus est haud procul Agrippina Colonia. Ibi pugna supra modum atrox inter fortissimas gentes conseritur. Anceps diu pendebat victoria. Sigebertus, peditum ductor, cruore saucius, magnam apud suos trepidationem concitavit. Omnis ergo prœlii vis in Clodoveum conversa; qui Alemannis undique urgentibus desperabundus, Christi tandem auxilium, quem toties prius contempserat, cujusque Numen Clotildis uxor ejus Christiana toties prædicaverat, implorasse scribitur. Atque tum magnam rerum catastrophen insecutam memorat Gregorius. Hærent Alemanni, trepidant, cedunt, terga vertunt. Magna strages victoriam insecuta, ipse eorum Rex occisus, nec ante finis cædium factus, quam pacta salute Alemanni Francis victoribus se dedidissent. z) Ita
Æræ tota fere Alemannia Francici juris facta. Pars istius populi ob metum Victoris
Christ. A. profuga sub Ostro-Gothorum in Italia tutelam imperiumque concessisse vide-
CCCCXCVI tur; frustra pro iis deprecante eorundem Rege Theodorico: a) remissi post quadraginta annos a Vitige eorundem Gothorum Rege. b) Reliqua autem & maxima pars eorum, qui domi remanserunt, Clodovæo sese tradentes, Francorum Regibus paruere. Atque hic finis libertatis potentiæque gentis tam ferocis & tam late olim contra Romanos Victoris. Populus ille, qui nihil nisi libertatem olim spiraverat, triste jam servitutis jugum subire coactus. c) Et ab eodem tempore Alemannia per Duces, a Francis Regibus constitutos, recta; unde DUCATUS ALEMANNIÆ primordia; qui ipsam quoque tractu temporis Alsatiam complexus est. Nos cum fine libertatis hujus populi hunc quoque Commentationi imponimus finem.

DISSER-

y) Sunt qui locum Gregorii Turonensis L. 2. Cap. 37. ubi *Tulbiacense* oppidum memorat, corruptum esse volunt, legendumque *Tulliacense* aut *Tullense*, cum Tullum urbem intelligendam putent. Sed non firmis satis rationibus id adstruunt. Henschenius bellum istud prope ARGENTORATUM confectum esse existimat. Vid. Ruinartum ad Gregor. Turon. loc. cit. & Olivarium Vredum in Flandria Christiana a princip. Valesium Rer. Franc. Lib. 6.

z) Secuta hinc post obtentam victoriam Clodovæi ad Christianorum Sacra conversio; baptismo a Remigio, Rhemensium Præsule, Rhemis peracto: qua occasione chrisma in ampulla e cœlo a columba allatum fuisse Hincmarus Seculi Noni Scriptor in vita S. Remigii tradit; tacente hoc miraculum Gregorio Turonensi. Vid. Flodoardum in Hist. Rhem. L. 1. Cap. 13. & Joh. Jac. Chifletium de Ampulla Rhemensi. Gregor. Turon. l. 2. Cap. 30. Fredegarius Scholasticus Cap. 21. Rorico de Gest. Franc. L. 2. Aimoinus L. 1. Cap. 16.

a) Causam eorum scripta ad Clodoveum Epistola egit Theodoricus apud Cassiodorum Variar. L. 2. Ep. 41. Imo eos in fidem receptos sedibusque donatos luculento Panegyrico Ennodius Ticinensis Episcopus Theodorico gratulatus est. Vid. Obrechti Prodromus Rer. Alsat. Cap. 10. p. 212. Atque hinc universam illam gentem a Theodorico subactam male collegit Agathias L. 1.

b) Id innuit Agathias.

c) Lehmannus in Chron. Spir. L. 2. c. XX, originem servitutis in Germania ad hanc Clodovæi victoriam refert.

DISSERTATIO VI.

NOTITIA SUEVIÆ ANTIQUÆ ORTUM ET PROGRESSUM SUEVORUM AD TEMPORA INFELICIS CUM FRANCIS AD TOLBIACUM COMMISSI PROELII EXHIBENS.

§. I.

Germania magna a Galliis olim Rhætiisque & Pannoniis Rheno & Danubio fluminibus, a Sarmatis Dacisque mutuo metu aut montibus separabatur, cætera Oceanus ambiebat, latos sinus & immensa spatia complectens. *a*) Hunc integrum & vastissimum tractum variæ gentes & innumeri populi inhabitarunt, inter quos celeberrima Suevorum natio vel ideo non ultimo ponenda loco, quod omnes reliquos & fide, & animi magnitudine, & bellica virtute, imo & numerositate longe superasse, ab omnibus, quotquot extant Historicis, dicitur. *b*) Unde gentis hujus origo, res dictu difficilis, omnia enim circa eam incerta & obscura, ac spissis nebulis & densissimis tenebris obducta, omnia in ambiguo posita, omnia innumeris fabulis & inanibus figmentis referta, & tanta denique incertitudine superstructa, ut verum a falso, maxima etiam adhibita diligentia, vix possit dignosci. Nec mirum, si quis ruditatem priorum temporum & negligentiam in consignandis rebus memorabilibus adhibitam vel parum perpenderit. Veteres enim Germani una cum Suevis dum gloriam suam factis potius, quam dictis, prodere malebant, *c*) origines suas gestaque egregia & fortia litteris tradere parum curabant, nec de monumentis scriptis, fastisque & commentariis rerum gestarum admodum erant solliciti, sed unicum annalium genus penes eos carmina & rythmi, *d*) quibus ante congressus præliorum inque publicis & festivis conventibus majorum laudes & virtutes celebrabant, eorumque memoriam ad posteros propagari omnium optime posse credebant. Et optandum, superessent modo adhuc ejusmodi carmina, nec spes majores nostros fefellisset; tunc enim multa circa origines eorum, quæ nos jam fugiunt, ex iis delibari, multaque obscura procul dubio illustrari possent: Ast proh dolor! invida ætas, quæ omnia consumit, diræque ruinæ submittit, nec ab iis abstinuit; omnia enim deperdita sunt, ac longæ oblivioni tradita, ita, ut præter dulcem eorum memoriam nihil plane nobis superstes remanserit: quæ enim communiter pro talibus venduntur, *e*) aut ab hominibus otiosis excogitata sunt, aut certa fide laborant, ita ut tuto eis inniti non liceat. Neque etiam apud mediæ ætatis scriptores, & quando scilicet Germani nostri gesta sua litteris consignare cœperant, aliquid subsidii hauriendum, ex quo Suevicæ gentis origo illustrari posset, quin potius inepti illi monachi, penes quos omnis tum eruditio residebat, pauca, quæ adhuc supererant veritatis vestigia, novis plane figmentis & fabulis obliterarent, ita, ut Herculeo fere labore opus, si quis Augiæ hoc stabulum

bulum expurgare anniteretur. Dum itaque nihil auxilii penes scriptores domesticos, jam exteri sunt consulendi, Græci scilicet & Romani, quibus unice debemus, quicquid in antiquis scimus. Sed dolendum, quod & Græci non nisi exilem *f*) saltim, Romani vero ampliorem quidem, sed seram *g*) admodum Germaniæ nostræ notitiam habuerint; inde enim factum, ut omissis antiquis & quæ originem gentis concernunt, non nisi gesta cum eis bella & nec hæc quidem debita semper consignarent fide, sua tantum extollentes in aliena injurii; & non raro quoque patriæ dignitate atque amore ducti, liberalius longe & effusius diffusiusque in illius laude recensenda, quam exterorum & hostium præsertim rebus gloriose gestis perstiterunt, quod vel innumera testantur exempla.

a) Ita enim fines Germaniæ magnæ sive veteris describit Tacitus de moribus Germ. c. 1. §. 1. a quo in tantum abit Pompon. Mela Lib. III. c. 3. de situ orbis, ut Germaniæ fines ad Alpes usque & Rheni fontem a meridie extendat; sed refutat eum & Tacitum defendit B. Rhenanus Lib. I. pag. 5. rer. Germ.

b) Sic Plutarchus in vita Cæsaris inquit: *Suevorum est primus inter Germanos locus*. & ipsi Cæsari Lib. IV. c. 1. de bello Gallic. dicuntur *gens longe maxima & bellicosissima Germanorum omnium.* Straboni Lib. IV. Geogr. p. 194. *potentia & hominum frequentia reliquos antecellens.* Floro quoque Lib. IV. c. 12. §. 23. *validissima natio* audiunt, & Orosius Lib. VI. c. 9. eam vocat *maximam, ferocissimam validissimamque.*

c) Verba sunt Conradi Salici in conventu procerum prolata apud Wipponem in vita.

d) Tacit. c. II. §. 3. c. l. Sic Herculem primum omnium fortium virorum in prælium euntes carminibus celebrarunt. id. c. II. §. 8. c. l. & de Arminio ait Lib. II. Annal. c. 88. §. 5. *canitur adhuc barbaras apud gentes.* Constituti ad hoc præcipue Bardi, ut fortia virorum illustrium facta heroicis composita versibus cum dulcibus lyræ modulis cantarent. vid. Ammianus Lib. XV. c. 9. rer. gest. Rom. & Strabo Lib. VII. pag. 197. c. l.

e) Laudat ejusmodi carmina Joh. Aventinus in Annal. Bojor. Lib. I. edit. Germ. tanquam in iis Tuistonis, Mannis Hermionis aliorumque Germanicæ gentis conditorum gesta, leges & Statuta comprehensa in Monasterio S. Emerani Ratisbonensi coram perlustrasset; & si Gesnero in Bibliotheca sua fides habenda, in Libr. I. Germaniæ, quam meditatus erat, illustratæ, agere plane voluit de carminibus antiquis, quibus usus fuit Tacitus. Carolus M. teste Eginhardo in vita ejus c. 29. auxit, memoriæque mandavit, recentiores vero corrupere. Ast merito eum carpit & injuria temporum carmina hæc antiquissima veterum Germanorum perdita fuisse, testatur B. Conringius de orig. Jur. Germ. c. 1. pag. 2. & epist. ad serenissi. Ducem Brunsf. p. 43. editioni ejus Taciti de M. G. præmissa. Conf. etiam B. Hertius in not. veter. Germ popul. P. I. §. 2. præfat. ubi docet, ne collecta quidem a Carolo M. carmina adhuc hodie extare.

f) B. Conring. c. epist. p. m. 45.

g) Idem c. l. p. m. 47. adde Tacitum c. XXXVII. §. 3. de M. G. ubi: *Sexcentesimum & quadragesimum annum urbs nostra agebat, cum primum Cimbrorum audita sunt arma;* & Ovidium, ita canentem in consolat. ad Liviam v. 391. & 457.

Et modo Germani Romanis cognitus orbis,
Consul & ignoti victor Germanicus orbi.

§. II. Inter omnes tamen Cornel. Tacitus, Galliæ Belgicæ sub Vespasiano rationum procurator & maxime dehinc Trajano imperante florens, *b*) vel solus extitit, qui in aureo suo de situ, moribus & populis Germaniæ libello, sicut de omnium Germanorum, ita etiam de Suevorum origine, quædam, nec obscure

ſcure quidem, conſignavit: celebrant enim, inquit, *i*) carminibus antiquis Tuiſtonem Deum, terra editum, & filium Mannum, originem gentis conditoremque. Manno tres filios aſſignant, e quorum nominibus proximi Oceano Ingævones, medii Hermiones, cœteri Iſtævones vocantur. Imitati itaque veteres Suevi una cum reliquis Germanis vel alias & pleraſque quidem gentes, *k*) quæ quod primordia ſua neſcirent, ſive gloriæ cupiditate, ſive odio erga finitimos inflatæ, Deorum ſe prolem, αὐτόχθονας, indigenas, aut terra parente editos, falſo gloriabantur; aut ut aliis *l*) placet, lucula quædam de primi hominis creatione & quæ ſub altero mundi parente Noacho geſta fuere, in cordibus eorum remanſit, variis tamen inanium fabularum maculis, creſcente ſuperſtitionis labe, aſperſa, ita ut ſub Tuiſtone terra edito Adamum, ſub Manno Noachum, ſub ejus tandem natis tres Noachi filios, inter quos eorumque poſteros terrarum orbis diviſus fuit, intellexerint. Ultimum hoc Tacitus, utpote gentilis, negat, prius vero non affirmat tantum, ſed variis inſuper rationibus defendere conatur, dum ait: *m*) ipſos Germanos indigenas crediderim, minimeque aliarum gentium adventibus & hoſpitiis mixtos: quia nec terra olim, ſed claſſibus advehebantur, qui mutare ſedes quærebant: & immenſus ultra, utque ſic dixerim, adverſus oceanus raris ab orbe noſtro navibus aditur. Quis porro præter periculum horridi & ignoti maris, Aſia aut Africa, aut Italia relicta, Germaniam peteret, informem terris, aſperam cœlo, triſtem cultu, aſpectuque, niſi ſit patria. Aſt infirmo omnes has rationes ſtare talo, quilibet facile videt: Sero enim ars navigandi eo provecta, ut claſſibus iretur, ſerius in longinqua navigatum ſcimus, nec antiquitus navigationes ad novas ſedes quærendas inſtitutæ frequentiores erant migrationibus terreſtribus; quem enim præterit expeditio Judæorum *n*) in Palæſtinam ſuſcepta, & quem fugit irruptio a Gallis, Bellouefo Duce, in Italiam *o*) facta, ipſi Romanæ urbi poſtea exitiabilis? quod vel unicum abſurdi Tacitum convincere potuiſſet. Situm etiam Germaniæ ſi curatius conſideraſſet, quid obſtitit, quo minus ex Scythia, Sarmatia & Gallia, utpote vicinis regionibus, novi in Germaniam incolæ transmitti potuerint? ipſe certe parum ſibi conſtans paſſim hoc *p*) confitetur: Nec informitas terræ cœlique aſperitas impedire potuere, quo minus novi advenæ ſedes ibi figerent, neceſſitate aut finium proferendorum cupiditate ad hoc inducti. Neceſſitas enim, quæ evitari haud poſſunt, patienter ferre docet & inſatiabilis hominum habendi cupido nec viliſſimos & abſtruſiſſimos terrarum orbis occupare abhorret angulos, quod vel ipſi Romani, occupationi Germaniæ quam avidiſſime inhiantes, exemplo ſuo luculenter admodum demonſtrarunt. Et ſi paucis dicendum, quod res eſt, Tacitus omnia hæc ex præconcepta aliqua opinione, aut præjudicio, protulit: imbutus enim ſicut & plerique procerum Romanorum principiis Philoſophiæ Epicureæ, omnia in hoc mundo atomorum inſtar confluxiſſe, hominesque in quavis regione, fungorum inſtar, ex gremio terræ propullulaſſe credidit, quod tamen, tanquam S. Scripturæ & ſanæ rationi contrarium, omnino rejicimus.

h) Plinius Lib. VII. c. 16. in f. hiſt. Nat. Tacitus Lib. I. hiſtor. cap. 1. §. 5.

i) c. II. *ſ*. 3. de M. G.

k) Sic Romani a Marte Deo origines ſuas mentiebantur. Livius in præfat. ad hiſtor. Athenienſes ſeſe αὐτόχθονας eſſe gloriabantur. Juſtinus Lib. II. c. 6. & a Dite patre ſeſe prognatos etiam Druidarum opinione prædicarunt Galli. Cæſar Lib. VI. c. 18. de B. G.

l) Gürtlerus in origin. mundi Lib. I. c. 18. §. 18. Cluverius Lib. I. c. 9. Germ. antiq. qui tamen in hoc a Gürtlero recedit, ut Germanos ſub Tuiſtone Deum immortalem intellexiſſe putet.

n) c. II. §. 1. c. l. *o*) vid. quatuor posteriores libros Mosis & librum Josuæ.

o) Livius Lib. V. Histor. c. 34.

p) c. enim XXVIII. §. 1-4. c. l. ait: Gallos, cum res eorum adhuc validiores fuerint, in Germaniam fuisse transgressos, & inter Hercyniam silvam Rhenumque & Mœnum amnes Helvetios, ulteriora Bojos, Gallicam utramque gentem, tenuisse. c. XLIII. §. 2. c. l. Gothinos quoque & Osus inter Sueviæ populos refert, quos tamen Gallica & Pannonica lingua coarguit, non esse Germanos. Et c. XLV. §. 3. c. l. Æstiis tradit ritus habitusque Suevorum, linguam vero Britannicæ propiorem fuisse.

§. III. Jam ante Taciti ætatem, ut quibusdam placet, Berosus Chaldæus q) sive potius, qui sub ejus nomine hominibus illusit, illoque longe recentior, Annius Viterbiensis, originem omnium Germanorum a Tuistone quoque derivare conatus fuit, eosque alii, magno numero, secuti sunt. Horum ex sententia Tuisto ingens erat gigas, Jani, quem & Noachum vocant, filius r) vel ut alii malunt, nepos aut pronepos, s) eumque, Armeniæ angusto solo crescentem indies hominum multitudinem t) non amplius capiente, una cum ingenti agmine eorum & viginti ducibus u) a Jano dimissum, Anno 131. ab orbe restituto in Europam venisse, omnemque regionem intra Tanaim Rhenumque occupasse, tradunt, ita ut prædictos duces singulos certis regionibus præfecerit, eorumque nomina & terris, & montibus, & fluminibus imposuerit, quo scilicet memoriam rerum suarum ad posteros quoque propagaret. His fundamentis arenosis feliciter jactis, jam contexendo fabulam ulterius pergunt, & Tuistoni Mannum filium successisse, hunc vero Ingævonem, Istævonem & Hermionem, filium, nepotem & pronepotem excepisse fingunt, quibus & successoribus eorum, Marso & Gambrivio quoque mortuis, jam Suevum, x) octavum Germanorum Regem, imperium obtinuisse, validissimæque Suevicæ genti initia dedisse, audacter satis mentiuntur. Ast omnia hæc falsa esse, a vero aliena, & sacris litteris & sanæ rationi contraria, qui rem curatius ponderarunt, jam diu agnoverunt, y) quorum argumenta repetere hic piget, ne post Homerum Iliada canere videar.

q) Lib. IV. antiqu. totius orbis.

r) Inventor hujus fabulæ de Noacho Tuistonis in Armenia post Diluvium genitore est ipse Annius Viterbiensis in commentario ad Berosum c. l. quem sequitur Aventinus in Annal. Bajor. L. I. c. 3. n. 8. & Fr. Irenicus in Exegesi Germ. Lib. II. pag. 49. qui & novis figmentis fabulam Berosi augent, asserentes, Tristonem ad Rhenum consedisse, & vicum *Duitsch Deutz*, Coloniæ Agrippinæ e regione situm, condidisse. Hertzogius in Chron. Alsat. Lib. I. pag. 2. & Latzius de migr. gent. Lib. I. c. 16. dubitant, an Tuisto post diluvium Noacho natus, an Japheti filius ab eo adoptatus fuerit? hoc tamen certo tradunt, fuisse eum Duisburgensis, Cliviæ Ducatus civitatis, fundatorem.

s) Crusius in Annal. Suev. Tom. I. Lib. I. pag. 3. cui idem audit ac Ascenatz Mosis. conf. Stumpfius in Chron. Helvet. Lib. II. c. 2. pag. 8. & Erichius in Chron. Juliac. Lib. II. c. 1. pag. 62.

t) Ne autem quis dubitet, Armeniam jam tum temporis tanta hominum multitudine abundasse, ut colonias in exteras regiones emittere necesse habuerit, fingunt, singulari numinis supremi benignitate, geminos semper, fratrem & sororem, conjuges, uno partu editos fuisse, neminem interim morte absumtum. vid. Aventinus Lib. I. c. 3. n. 7. c. l. Hertzog. c. l.

u) Nomina Ducum & quibus regionibus aut populis præfecti fuerint, indicant Aventinus Lib. I. c. 5. n. 2 – 6. c. l. Hertzog c. l.

x) Aven-

x) Aventinus Lib. I. c. 6. n. 6. n. 13. c. L. Jodoc. Willichius in comment. ad Tacit. Germ. pag. 34. & Andr. Althamerus in Schol. ad eund. uterque apud Schardium Tom. I. Script. rer. Germ. ubi Althamerus insuper fabulose tradit: Suevum regem Tigurinorum majus oppidum condidisse, ibique habitasse, cui consentit Nauclerus in Chron. vol. II. gener. 43. pag. 951. adde Stumpfium c. l. Irenicum c. l. & Crusium c. l. & in Paralipom. c. 1. pag. 2. ubi anno 1686. ante C. N. Suevum regem vixisse, vicesimumque locum ab Adamo, primo homine, habuisse asserit.

y) conf. Excell. Dn. Præses in Bibl. Histor. c. 2. §. 1. pag. 14. & in Diss. de Doctis impostorib. §. 25. adde B. Rhenanum Lib. III. Rer. Germ. pag 179. & 350. Cluverium Lib. I. c. 3. p. 38. Germ. antiqu. & imprimis quoque Rob. Scheringamum de Anglur. gentis origine c. 5. ubi ex instituto commenta hæc refutat.

§. IV. Dum itaque, uti ex hactenus dictis constat, nihil certi ex veterum scriptis de origine gentis nostræ hauriri potest, jam fuere nonnulli, qui conjecturis indulgendo in eam inquirerent. Inter hos alii Germanos & cum his Suevos nostros a Persica gente deducere conati fuerunt, seducti procul dubio ab Herodoro, z) qui sub Persarum imperio γερμάνιος quoque populos recenset. Ast hunc locum a librariis corruptum & legendum esse Καρμάνιοι & Καρμάνιοι, qui sinus Persici accolæ, jam diu demonstravit Cluverius, a) vocabulum simul Germanici nominis non nisi sero inventum, ulterius confirmans. Alii b) porro Suevos nostros reliquias esse exercitus Alexandri M. & mari advectas crediderunt; sed hæc recensere, eos jam est refutare. Joannes Bodinus c) homo Gallus, cum veteribus Celtarum tantum nomen cognitum fuisse perspiceret, argumento inde desumto, originem omnium Germanorum ab abundanti Gallorum multitudine derivare voluit; ast infelici successu: cum indulgentia eum magis, quam judicio usum fuisse, testetur Cluverius. d) Eodem se habent modo tradita eorum, e) qui Suevorum initia ex Scantzia vel Scandinavia petierunt, ingeniosius quam verius. Nunquam enim demonstratum dabunt, novos ex Asia advenas primas in septentrionali illa peninsula, terra informi, cœlo aspera, silvis horrida & montibus undique repleta, posthabita Sarmatiæ & Germaniæ continenti, terris longe cultiori, cœlo mitiori, iisque viciniori, difficiles per ambages quæsivisse sedes, sed veritati similius videtur, eos Sarmatia & Germania primum occupata, postea demum vi aut necessitate compulsos, comparata classe, in Scantziam trajecisse, ibique considentes in ejusmodi gentes diffusos fuisse, quæ postmodum sub Scanziæ incolarum nomine terrarum orbi innotuerunt.

z) Lib. I. Histor. pag. 60. a) In Germ. antiqu. L. I. c. 3. pag. 58. b) Vid. Theodorus Engelhusius in Chron. apud illustr. Dn. Leibnitium Tom. II. Script. Rer. Brunsuic. p. 1005. in med.

c) In Method. Histor. c. IX. pag. 359. de cujus fide etiam exinde judicare licet, quod c. IV. præced. non erubuit talia proferre: *licitum sibi suorum popularium dignitatem honesto mendacio tueri.*

d) Lib. I. c. 3. pag. 29. c. l. ubi in eo confutando totus est.

e) Hoc jam olim statuit auctor Anonymus de Suevorum origine *apud* Goldastum pag. 15. Scriptor. rer. Suevic. sed de fide hujus asserti exinde judicare licet, quod pag. 17. seq. ab init. exitum hunc gentis ex Scanzia ad tempora demum Theodorici, Clodovæi regis Francorum filii, refert. Eandem operam Germanicas gentes, & sic etiam Suevos, ex sæpe laudata insula accersentes etiam faciunt plerique Suevici Scriptores, imprimis vero Olaus Rudbeckius in sua Atlantica, Scheffer in Upsal. antiqu. c. VI. p. 61. & Hugo Grotius in prolegom. ad histor. Goth. pag. 22. Sed Scandinaviæ incolas Germanis Cisbalthianis, non vero hos illis originem suam debere,

egregie docet B. Conringius de antiq. Helmstadt. statu pag. 54. adde Christ. Hartknoch. in Diss. de orig. Pomeran. §. 7. & 8. & Tentzelium in *monatl. Unterredungen* ad An. 1690. qui in refutando Rudbeckio totus est.

§. V. Qui in perscrutandis gentium originibus sacras litteras ante oculos ponunt, communiter quidem Japhetum, *f*) Noachi filium natu maximum, omnium Europæorum conditorem appellant, ita scilicet, ut aucto mortalium genere post diluvium universale & disturbatam Babylonicæ turris exstructionem, inductamque linguarum confusionem, posteros ejus ex Asia in Europam venisse, seque per eam mundi regionem diffudisse credant: ast a quonam descendentium ejus Germani & sic Suevi quoque nostri originem suam duxerint, inter omnes non convenit. Cluverius *g*) ab Ascenaze, filio Gomeri & Nepote Japheti, Germanos omnes ortos fuisse asserit, autoritate scilicet Josephi *h*) & recentiorum quorundam Judæorum fabulis seductus, quorum ille Ascenazes condidisse Ascenazas, Ῥηγῖνες Græcis dictos, & quos Rhenenses vel Rhenigenas explicat Cluverius, hi vero Germaniam Ascenas & Germanos Ascenazim appellatos fuisse tradunt. Ast præconceptis eum opinionibus uti, vel ideo patet, quod nondum probatum, Ῥηγῖνες Græcorum esse Rhenanos, nec noviorum quorundam Rabbinorum authoritas tanta, quæ in antiquis fidem mereatur. Potius Ascenazes non Europæ, sed Asiæ minoris fuisse populos, qui Trojada, Æolidem, Bithyniam, Phrygiam & tractus vicinos habitarunt, *i*) ex eo colligi licet, quod in Asia Ascania regio, urbs item, fluvius & palus hujus nominis haud incelebres; *k*) ipse quoque Deus apud Jeremiam *l*) gentes ad eversionem Babelis concitans, regni Ascenazis cives inter alios evocat, utpote vicinos, non vero remotissimos Germanos, quos in obsidione Babelicæ urbis Cyro auxilium tulisse nemo unquam veterum prodidit, bene tamen Phrygum equites huic expeditioni interfuisse, nonnulli tradunt. *m*) Hæc itaque obstacula videntes alii, jam Thogarmam, fratrem Ascenazis, principem gentis nostræ faciunt, *n*) argumento scilicet a convenientia nominis sumto: Verum cum Thogarmæ quoque posteri in sacris litteris *o*) ab Hierosolyma versus septentrionem collocentur, equos itidem, equites & mulos Tyriis in negotiationem dedisse dicantur, Germani e contra magis occidentales, a Tyriis longe dissiti & mulis plane careant, merito & hanc opinionem rejicimus, eisque accedimus, qui sub Thogarmæ posteris Cappadoces *p*) intelligunt; hos enim Judæis septentrionales & Tyriis vicinos fuisse, horumque terram mulis & equis adeo abundasse, ut integras plane greges in alienas terras emittere, Persis insuper ejusmodi animalia tributum pendere *q*) potuerint, omnino docemur. Ultimo fuerunt, qui *r*) Germanos progeniem Gomeri, patris Thogarmæ & Ascenazis, filii Japheti, fuisse existimarunt; ast quo minus & huic sententiæ subscribamus, authoritas Ezechielis *s*) prophetæ impedit, cui Gomeri regnum non Europæum, sed Asiaticum & Thogarmæ posteris, sive Cappadocibus, vicinum dicitur, manifesto indicio, Germanos ab eo derivari quoque haud posse, sed aliunde esse deducendos.

f) Japhetidis Europam cum parte Asiæ septentrionali obtigisse, inter veteres testatur Josephus Lib. I. c. 7. antiqu. Jud. Inter recentiores Bochartus in Phaleg. Lib. III. ubi de Japhetidis agit, Böcklerus in histor. univers. p. 236. & Hachenberg in German. med. Diss. I. §. 2.

g) Lib. I. c. IV. p. 48. German. antiqu. ejusque in sententiam transeunt Crusius Annal. Suev. P. I. Lib. I. pag. 3. Joh. Stumpfius Lib. II. c. 2. Chron. Helvet. & Latzius de migrat. gent. Lib. I. c. 1. pag. 14. qui insuper Asciburgum Taciti, Ptolomæi montem ejusdem nominis & Comitatum Ascaniensem ab eo nomen accepisse fabulatur.

h) Lib. I. c. VII. antiqu. Judaic.

i) Gerh.

i) Gerh. Joh. Vossius de idololatr. gentil. Lib. I. c. 38. p. 277. P. Merula in Cosmograph. Part. I. Lib. III. c. 14. Ortelius in thesaur. Geograph. in Aschanaxi.

k) Conf. Joh. Bochartus Lib. III. c. 9. c. l. Nic. Gürtlerus in orig. mund. lib. I. c. 3. §. 3. p. 24. Grotius in Comment. ad Jerem. c. 51. ubi docet, in Asia esse Ascaniam partem Phrygiæ & Mysiæ.

l) c. LI. §. 27. m) Xenophon in Cyropædia Lib. VII. pag. 128.

n) Suffridus Petri de orig. Fris. Lib. I. c. 14.

o) Ezechiel c. XXXVIII. §. 6. & c. XXVII. §. 14.

p) Vid. Bochartus Lib. III. c. 2. c. l. inde etiam Strabo Lib. XII. Geograph. p. 567. meminit Trocmorum, Cappadociæ populi.

q) Strabo Lib. II. c. l. r) Rupertus in observ. ad Synops. Besold. hist. univers. c. 1. pag. 7. Melanchton in explicat. vocab. quæ recensentur a Tacit. de M. G. apud Schardium Tom. I. pag. 77. Script. Rer. Germ.

s) Cap. XXXVIII. v. 6.

§. VI. Nos itaque in tanto Scriptorum de origine gentis nostræ divortio ex Asia eam & quidem per Scythiam post exstructionem Babelicæ turris eamque subsecutam linguarum confusionem gentiumque dispersionem, ductore Tuistone, t) in has regiones immigrasse credimus, ita scilicet, ut a Japheti posteris, Scythis u) maxime, originem traxisse arbitremur. Scythæ enim omnium mortalium antiquissima gens, ita, ut cum Ægyptiis plane de vetustate generis contenderint, x) & Græcorum Scriptores universos Septentrionales Scythas & Celto-Scythas appellarunt, y) quod & de Germanis imprimis testatur Plinius. z) Conveniunt simplices & rudes eorum mores, corporis habitus, cultusque, convenit etiam gentis utriusque lingua, a) vel hodienum non nisi dialecto diversa: Imo cum Ptolomæus b) inter Scythicas gentes ad Ascatancum montem considentes etiam Sueborum & Suobenorum meminerit, nihil jam vetat, quo minus antiquam patriam gentis nostræ agnoscamus, eorumque una cum reliquis Germanis initia ex Scythia petamus.

t) Inde fabula forsan orta, quam omnes Germani de Tuistone credidere, Tacitus vero recenset c. II. §. 3. de M. G. sed an Tuisto hic jam tum sic dictus, an vero postea demum hoc nomen noviter inventum & a Germanis nostris eidem impositum fuerit, controvertitur adhuc: & prius quidem asserere videtur ill. Leibnitius ad Tacit. not. c.) c. l. pag. 8. magnum eum Regem, vel Celto-Scytharum Heroem, qui pleraque Europæ, fortasse & magnam Asiæ partem tenuit, appellans; Posterius vero affirmant Fr. Junius in gloss. pag. 348. & M. Altingius in descript. Germ. veter. infer. pag. 76. ita, ut & ipsos Germanos latissime diffusos & ab initio certo nomine carentes, postea propriæ magnitudinis admiratione, aut etiam ambitione & contemtu aliorum motos, hoc nomen Teut, quod popularem vel populum significat, sibi solis sumsisse & quasi soli essent populus, viribus & potentia valens, & sibi, & tandem quoque primario Duci, qui eos ex Asia in Europam traduxerat, quemque pro Deo coluerunt, imposuisse conjectent.

u) Adstipulatur nobis Grotius in prolegom. ad Hist. Goth. pag. 8. ill. Leibnitius ad Tacit. not. a.) c. l. & Rupertus in observ. ad Besold. Hist. univ. c. 1. p. 15. Ipsos vero Scythas a Magago filio Japheti, v. Gürtlerus Lib. I. c. 18. §. 2. c. l. aut a nepote ejus Chittim deducere conantur. vid. Georg. Hornius in præfat. ad Boxhornii orig. Gallic. Ast cum S. litteræ, imprimis Esaiæ c. 23. v. 1. & 1. Machab. 1. v. 1. Macedoniam & insulas quasdam, quas Clericus in pentateuch. ad c. l. Ægeas interpretatur, a Chittim posteris inhabitatas fuisse, Magog vero Ezechielis c. 38. v. 4. cum suo exercitu

ercitu expeditionem in Palæstinam suscepisse, tradant, quod tamen de Scythis commode intelligi nequit, merito & hic judicium nostrum suspendimus.

x) Justinus Lib. II. c. 1. histor.

y) Ita enim Strabo Lib. XI. pag. 507. *Veteres Græcorum Scriptores universos septentrionales Scytharum & Celto-Scytharum nomine affecerunt*, vid. eundem quoque pag. 511. c. l. ubi eadem tradit.

z) Lib. IV. c. 24. Hist. nat. *Scytharum nomen usque quaque transit in Sarmatas atque Germanos; nec aliis duravit prisca illa appellatio, quam qui extremi gentium harum, ignoti prope cœteris mortalibus, degunt.*

a) Grotius pag. 8. c. l. illustr. Leibnit. c. l. vid. etiam Busbequius in epist. IV. legat. Turcic. qui ipse in itinere suo ad aulam Turcicam expertus, Scythicam linguam in plurimis cum Germanica convenire, in dialecto tantum differre.

b) Lib. VI. Geogr. c. 14. & 15. conf. etiam Gürtlerus in orig. mund. Lib. II. c. 9. §. 3. pag. 432.

§. VII. Cœterum Germaniæ ut & Sueviæ populos aliarum gentium adventibus haud fuisse mixtos, sed propriam ac sinceram & sui tantum similem gentem extitisse, c) indicant vel habitus corporis & morum & linguæ in tam numerosa gente similitudo, quæ una erat omnium, vel quod populi peregrini in Germania olim considentes & antiquam suam originem seris adhuc temporibus prodidere. De Osis enim & Gothinis testatur Tacitus, d) illos Gallicam, hos vero Pannociam linguam coarguisse, non fuisse Germanos, & Æstiis tradit e) ritus habitusque Suevorum, linguam vero Britannicæ propiorem fuisse. Merito igitur rejicimus Wolfgangi Latzii f) fabulas, qui, mox Ismaelis filios per orbem vagantes in Germaniam pervenisse, Japhetique posteris immixtos una cum eis gentem constituisse, mox vero reliquias Trojanorum in mari Arctoo vectas ad Rhenum appulisse, indeque Germaniæ fines occupasse, inepte satis nugatur. Commenta enim hæc esse, omni fide historica destituta, sicut & somnia Judæorum g) qui odio ducti Germanos nostros a Cananæis, sedibus suis ab Israelitis expulsis, derivare haud erubescunt, quilibet, qui vel aliquo judicio pollet, facile videt. Nec ii h) quoque fidem merentur, qui Ægyptios sub Hercule suo colonias quasdam in Germaniam emisisse autumant. Nondum enim evictum, Ægyptiorum Herculem eundem esse cum Hercule Germanico, & quæ ulterius pro stabilienda sua sententia de Iside, cui pars Suevorum litabat, afferunt, non aliud quid probant, quam Suevis fuisse Numen aliquod, cui ob similitudinem cum Iside sua Romani hujus imposuere nomen. Veram enim Ægyptiorum Isidem Suevos nostros plane ignorasse, ex infra dicendis luculentius patebit.

c) Tacitus de M. G. c. IV. §. 1. & 2. d) idem c. XLIII. §. 2. c. l.

e) cap. XLV. §. 3. c. l. f) Lib. I. c. 1. pag. 16. de Migrat. gent.

g) inter quos eminet Aben-Ezra in Abdiam apud Bochartum in Canaan Lib. I. c. 25.

h) Bochartus c. l. quem sequitur quodammodo Gürtlerus in orig. mundi Lib. I. c. 5. §. 9. pag. 25.

§. VIII. Inventa itaque vera origine gentis, jam in nomen ejus etiam erit inquirendum. Suevi unde dicti, diversæ sunt variorum opiniones. Alii enim gentem hanc a Suevo, octavo Germanorum rege, i) alii a Suevo k) monte,

monte, rurſus alii a Suevo fluvio *l*) ita appellatam fuiſſe contenderunt. Sed improſpero omnes ſucceſſu. Fraudes enim Beroſi, quem priores ſequuntur, hodie vel lippis & tonſoribus ſunt notæ, & numeroſiſſimam inſuper nationem a monte aut fluvio aliquo vocari, non eſt credibile, cum non flumina & montes gentibus, ſed hæ illis nomina indiderint. Potius majori ſimilitudine Suevorum nomen a Germanica vocula **Schweben** / vel **Schweiffen** / quod vagari aut perarrare *m*) ſignificat, derivatur. Quod enim de omnibus Germanis refert Tacitus, *n*) ingratam fuiſſe quietem & facilius inter ancipitia clareſcere cupiviſſe, hæc imprimis quoque ad Suevicam gentem applicari poſſunt. Nihil eis moleſtius longo otio, ſed latius diſcurrere, patriæ fines tranſire, finitimis bella inferre & ſingulis annis aliquot millia *o*) armatorum contra eos educere, eorumque ope agros & vicos vaſtare, ſummæ huic genti ſemper fuit voluptati, maxime cum putarent, publice magnam eſſe laudem, quam latiſſime a finibus ſuis vacare agros & hac re ſignificari, magnum numerum civitatum vim ſuam ſuſtinere non poſſe; *p*) imo non tantum erga finitimos ſemper inquieti, ſed & domi remanentes diutius quieſcere, aut uno in loco conſidere haud poterant, quin potius & illum facile mutarent, inque caſis *q*) vix ad unius diei uſum exſtructis habitarent. Inde cum conſtantius apud eos perpetua viciſſitudine nihil, & cum continuis latrociniis finitimos vexarent, quid mirum, ſi ab iis, maxime qui primi vim eorum ſenſere, vagantium & ambulatorum nomen, **der Schwebenden und Schweiffenden** / ipſis impoſitum, & poſtea temporis lapſu in proprium gentis tranſiit, ita tamen, ut Romani, *r*) pro more ſuo omnia detorquentes & ad gentium linguæ ſuæ efformantes, in *Suivos*, *Suibos* aut *Suevos* illud immutarint. Hoc enim & genio linguæ & inſtitutis Germanorum quam optime convenire, norunt omnes, qui Germanicum ſermonem & veterum mores & conſuetudines, gentibus quibusdam a peculiari vitæ ſuæ deſumta ratione imponendi nomina, non ignorant.

i) Inter hos imprimis eminet Aventinus in Annal Boior. Lib. I. cap. 6. §. 13. pag. 18. Peutingerus in ſermonibus de Germ. pag. 204. Althamerus ad Tacit. de M. G. pag. 5. b. & Jodoc. Willichius ad eundem pag. 34 omnes apud Schardium Tom I. Script. Rer. Germ. quos ſequitur Stumpfius in Chron. Helvet. Lib. II. c. 2. pag. 8. & Cruſius in Annal. Suev. Part. I. Lib. I. p. 5. n. 20. ita tamen, ut addat: Suevum regem nomen habuiſſe a voce Schweben/ vel umſchweiffen/ i. e. circumuagari ſive circum proficiſci, quia ſcilicet regiones regni ſui diligenter obiens omnia bonis legibos & diſciplina tempaverit: Et cum & populi ipſi ſubjecti ſedes ſuas facile mutarent, & hos ab inconſtantia, a voce Schweiffen/ Suevos dictos fuiſſe conjectatur.

k) Carol. Stephanus in diction. Hiſt. Geogr. voce Suevi, vid. etiam Chronic. Engelhuſii apud ill. Leibnitium p. 1005. c. I. Sed ubi nam Sevo ille mons, vel ut alii legunt, Suevus, cujus Plinius meminit Lib. IV. c. 13. Hiſt. Nat. & Solinus c XX. in Polyhiſt. ſitus ſit, non convenit inter authores. Felici Fabro, Monacho Ulmenſi, Lib. I. c. 10. Hiſtoriæ Suevorum apud Goldaſtum inter Scriptores rer. Suev. pag. 17. Seuo mons pars dicitur Carpati, eique conſentiunt Althamerus pag. 4 & Willichius pag. 34. c. I. Aſt eum non alium eſſe, quam montium illud continuum jugum, quo hodie Norvvegia & Suecia ſeparantur, quam evidentiſſime docent Cluverius Lib. III. c. 24. pag. 99. & c. 34. pag. 155. Germ. antiqu. B. Cellarius Lib. II. c. 5. pag. 489. notit. orb. antiqu. & Grotius in prolegom. ad Hiſt. Goth. pag. 7. cui inſuper ita dictus a ſeptem eminentibus jugis, quomodo & Daciæ pars vulgo latine loquenti Tranſylvania, Germanis Seuenbergia.

l) Cluverius Lib. III. c. 25. pag. 102. c. I. Münſterus in Coſmograph. Lib. III. c. 292. ſed, quinam hic fluvius, non ſatis apparet, inquit ill. Leibnitus in not. ad Ptolom. Lib. II. c. 11. Geogr. Tom. I. pag. 16. S. R. Br. Altha-

mero quidem p. 5. c. I. Pirckhaimero in locorum per Germ. explic. p. 92. b. & Münstero in descript. Germ. p. 242. apud Schardium Tom. I S. R. G. Stumpfio item in Chronic. Helvet. Lib. II. c. 2. pag. 18. & Fr. Irenico in exegef. Germ. Lib. IX. pag. 349. Sueuus dicitur Spreuus, die Sprée; Ast Cluverius Lib. III. c. 25. p. 101. & Cellarius L. II. c. 5. p. 457. c. I. rationibus non spernendis contra demonstrant, Spreuum non esse Sueuum Ptolomæi, utpote qui se in sinum Codanum (quod tamen de Sueuo testatur Ptolomæus,) non effundit; sed Sueuum esse verum Viadri inter Usedom & Wollin insulas ostium, vulgari vocabulo Suine dictum & accolis forte Suene appellatum, quod Romani, ore suo tam incomposita enunciare haud valentes, in Sueuum postea, uti credunt, immutarunt.

m) Conf. Kirchmaier in not. ad Tacit. de M. G. c. 38. p. 599. Grotius in prolegom. ad Hist. Gothic. p. 24. & imprimis quoque ill. Leibnitius not. (c.) ad Tacit. c. I. pag. 9.

n) c. XIV. §. 4. de M. G. o) Cæsar Lib. IV. c. 1. de B. G. p) Idem Lib. IV. c. 2. c. I.

q) Strabo Lib. VII. Geogr. p. 291. *commune omnium est, qui istis in locis degunt, facilis & expedita soli mutatio, ob tenuitatem victus & quod neque colunt agros, neque fructus recondunt, sed in casis habitant, structura in unum diem constantibus.* & paullo post: *rebus suis in currus impositis facile cum pecore suo abeunt, quo visum fuerit.*

r) Sic Σωήνοι & Σωήβοι dicuntur Straboni c. I. & lib. IV. Ptolomæo Lib. II. c. 11. Συήβοι audiunt, Tacitus vero c. 38. §. 1. & Plinius Lib. IV. H. N. habent Suevos.

§. IX. Erat autem Sueuorum populus Germaniæ longe maximus, s) alios & potentia & hominum frequentia facile antecellens. t) Neque enim una eorum gens, ut & aliorum Germaniæ populorum, sed qui in commune Suevi dicebantur, propriis adhuc nationibus & nominibus erant discreti. u) Horum numerum ad quinquaginta quatuor extendit Æthicus Cosmographus, x) eique adstipulatur Orosius, y) Tacitus z) vero, qui omnium accuratissime veteris Germaniæ statum & populos conscripsit, XXVI. tantum recenset, ita tamen, ut his tres addat populos, cultu & moribus referentes Sueuos, eosque inter habitantes, lingua tamen & quod tributa patiebantur, prodentes, se non esse Suevos, sed aliunde advenisse, quibus Cluverius, a) inter veteris Germaniæ Geographos facile princeps, Carinos insuper, Sedusios, Harudes, Sidinos, Burgundiones & Scanziam inhabitantes Hilleuiones, Plinio, Cæsari & Ptolomæo gentes notissimas adjungere haud dubitat. Nec desunt, qui & Helvetios b) & Cattos, c) quoque Sueuis nostris annumerant; ast cum Tacitus d) hos diserte ab iis separet, illos vero vel omnes Gallicæ originis fuisse affirment, e) merito hic abstrahimus, & potius, quæ singulorum antea memoratorum Sueviæ populorum sedes, mores & instituta publica ac privata fuerint, paucis nunc indicare aggredimur.

s) Cæsar Lib. IV. de B. G. c. I. Orosius Lib. VI. c. 9. Hist. Inde Claudianus contra Ruffinum, quo uno verbo fœconditatem Sueviæ populorum exprimeret, *Danubii*, inquit, *ripas evomuisse gentes, ac in Romanos effudisse arctos suos*; & Ammianus Lib. XXVIII. c. 5. *immanis*, inquit, *natio Alemannorum jam inde ab incunabulis primis varietate casuum imminuta, ita sæpius adolescit, ut fuisse longis Seculis æstimetur intacta.* Adde A. Victorem qui de Caracalla ait: Alemannos, gentem popolosam, eum vicisse, & Cassiodorum, Lib. II. var. ep. 41. penes quem Theodoricus Ostrogothor. rex ad Clodoveum Francorum regem scribit: *innumerabilem nationem* Alemannorum *partim ferro, partim servitio, subjugatam.*

t) Strabo

t) Strabo Lib. IV. Geogr. p. 194. u) Tacit. de M. G. c. XXXVIII. § 1. x) Pag. 58. edit. Gronovii.

y) Lib. I. c. 2. histor. sed Lib. VI. c. 9. hanc suam sententiam rursus mutate videtur, dum ait: *Suevorum esse centum pagos & populos multi prodidere.* Et hos populos numero LIV. ex Spangenbergio longa serie recenset Crusius Lib. I. P. I. c. 5. pag. 8. Annal. Suev. licet haud paucos eis annumeret parum cognitos & qui nunquam Suevi fuere, ceu Cattorum exemplo & Helvetiorum imprimis patet.

z) à c. XXXVIII. de M. G. ad finem fere usque libelli.

a) Lib. III. c. 3. 35. 36. & 41. Germ. antiqu.

b) Peutingerus apud Crusium P. I. Lib. II. c. 5. c. I. & ipse Crusius c. I.

c) Crusius P. I. Lib. I. c. 3. c. I. seductus procul dubio a Cæsare, qui suo tempore Suevos Ubiis vicinos commemorat; inde posteriori ævo non alios iis viciniores Cattis videns mox & hos Suevos fuisse credidit.

d) c. XXX. de M. G. e) Cæsar Lib. I. c. 1. de B. G. Tacitus c. XXVIII. c. I.

§. X. Inter omnes Suevos *Semnones f*) dicuntur vetustissimi nobilissimique, *g*) magna certe natio, *h*) quibus secundissima fortuna tantam adjecit authoritatem, ut se Suevorum caput plane crederent. *i*) Nomen gentis inde deducit Latzius, *k*) quod agros sole illustratos coluerint, quasi dicti **die Sonnewer.** Hermundurorum erant finitimi *l*) & centum pagis trans Albim, a medio hujus amnis, ortum versus, ad Suevum usque fluvium habitabant. *m*) Inde Cluverius *n*) terminos eis assignat ab occidente Albim amnem, ab aquilone tractum inter Salæ & Viadri Vartæque confluentes, ab oriente dictum Viadrum flumen, a meridie denique juga montium Bohemicorum, a Marcomannis eos dirimentia, ita tamen, ut angusto illo tractu ingentem multitudinem gentis non amplius capiente, eam Viadrum transiisse & ad Vartam usque coluisse, haud dubitet asserere. Possidebant itaque secundum eum Poloniæ minoris partem, Crossiensem & Sternbergiensem Ducatus Silesiæ & Marchionatus Brandeburgici portiunculas, Lusatiam, Anhaltini itidem principatus, nec non Saxoniæ superioris & Misniæ partes; quibus addit illustris Leibnitius *o*) tractum ad Havelam & Spream usque amnes, atque adeo Marchiam transalbinam & Pomeraniæ partem. Neque enim minori spatio opus esse, ut centum pagis habitasse dicantur.

f) Semnones Strabo Lib. VII. p. 190. Geogr. Σέμνωνας, Ptolomæus Lib. II. c. 11. Geogr. Σέμνονας, Vellejus vero Lib. II. hist. c. 106. §. 2. Senones vocat, quem ultimum tamen locum a librario imperito corruptum fuisse putat Cluverius Lib. III. c. 25. pag. 100. c. I.

g) Tacitus c. XXXIX. §. 1. de M. G. incipit autem hic Tacitus recensere Sueviæ populos a media Albis parte eum inter & Viadrum amnes septentrionem versus habitantes.

h) Strabo c. I. i) Tacitus c. I. §. 5. k) Lib. VIII. p. 362. de Migrat. gent.

l) Vellejus Lib. II. c. 106. §. 2. hist. *a Rheno usque ad flumen Albim, qui Senonum Hermundurorumque fines præterfluit, Romanus cum signis perductus exercitus.*

m) Ptolomæus c. I. *tum Suevi Semnones, qui habitant post Albim a præfata parte* (sc. media Albis fluminis, quo usque Anglorum fines in præcedentibus extenderat) *versus ortum usque ad Suevum fluvium.*

n) In Germ. antiqu. c. I. pag. 102. Lusatiam eos inhabitasse testatur Goldastus Lib. I. c. 16. pag. 48. de Reg. Boh.

o) Ad Tacit. not. (t.) pag. 13. Tom. I. Script. Rer. Brunsf.

§. XI. *Langobardos*, *p*) gentem Germana feritate ferociorem *q*) etiam Suevos fuisse, præter Tacitum testantur Ptolomæus *r*) & Strabo. *s*) Unde autem nomen traxerint, varie inter eruditos disceptatur, aliis a longis bardis, i. e. bipennibus, aliis a longis barbis, rursus aliis a Germanica voce Landwarter/ quod custodes regionis denotat, nomen eorum deducentibus. *t*) Verum omnium verosimillima eorum opinio, qui a vocibus, Börden / quod Germanis frugiferum & planum audit agrum & lang/ quod amplum significat, eos ita dictos fuisse autumant, *u*) quasi amplos & frugiferos agros possidentes. Populus erat Cisalbinus, *x*) a Luneburgis per veterem Marchiam ad Magdeburgenses usque porrectus, quod urbs *Bardevvic*, ex cujus ruinis Luneburgum crevit, & *Bardungau* vicina regio, vel adhuc hodie indicat. *y*) Ex his terris a Tiberio, sub auspiciis Augusti, bello fracti in ulteriorem ripam concessere, *z*) ubi plurimis & valentissimis nationibus cincti, non per obsequium, sed præliis & periclitando, erant tuti. *a*) Vicinos namque a meridie ad confluentem Salæ Semnones habuere, *b*) ad occasum Cheruscos, a septentrione Havesa, Rinus & Fora flumina a Reudingis & Nuithonibus eos dirimebant, & ab ortu demum Burgundiones occurrebant; ut sic Marchiam Brandeburgicam, cognomento mediam, & Archiepiscopatus Magdeburgensis partem ad dextram Albis ripam accoluerint. *c*) Falsa itaque quæ de iis fabulatur P. Diaconus, *d*) Scanziam inhabitasse, inde vero Theodosio imperante pergressos in Germaniam trajecisse. Nec fidem merentur, qui ex Lingonum Germanica, & Bardorum Gallica natione, eos commixtos unam gentem constituisse somniant. *e*) Potius certum, eos sedibus patriis in Marchia & post ad Danubium relictis, Audoino Duce Sec. VI. in Pannoniam migrasse, ibique victis Gepidis, validissima natione, terræ hujus insedisse tractum, *f*) donec precibus Narsetis, aut deliciis Italiæ invitati, Alboini auspiciis eodem Seculo ipsam Italiam peterent, omnibusque ad Appenninos usque occupatis, celebre Langobardorum regnum conderent, *g*) cui ducentos post annos finem tandem fecit Carolus M. omni potestate & juribus regni in se & posteros suos translatis. *h*)

p) In authographis semper legi Langobardi, nunquam Longobardi, testatur Mabilion Lib. II. de re diplom. c. 3. §. 11. & jam ante eum hoc observavit Cluverius Lib. III. c. 26. pag. 103. c. l.

q) Vellejus Lib. II. c. 106. Histor. *r*) Lib. II. c. 11. Geogr. *s*) Lib. VII. Geograph. p. 290. *t*) Conf. Hartknoch in Diss. de orig. Pomer. §. 5.

u) Illustr. Leibnitius in not. (u.) ad Tacit. p. 13. c. l. Schlöpken in Beschr. der Stadt und des Stiffts Bardevvic P. I. c. 3. §. 18-24. & §. 27.

x) Ptolomæus Lib. II. c. 11. c. l. Strabo Lib. VII. Geogr. pag. 290. *maxima est Suevorum natio, nam & a Rheno ad Albin usque pertingit, & trans Albim habitat pars eorum, ut Hermunduri & Longobardi; atque nunc quidem hi fuga facta omnino in ulteriorem regionem se conjecerunt.*

y) II. Leibnitius c. l. Meibomius in not. ad Histor. Bardvvici Tom. III. Rer. Ger. p. 78. ubi vestigia Langobardorum in tractibus Holtzbörde & Hohenbörde/ & in pagis Bardeleben/ Elenbardeleben/ Bardenbeke &c. in Ducatu Magdeburgico sitis, adhuc hodie superesse, & a dictis Börden/ quam vocem terram cultui aptam pag. præced. 56. interpretatus fuerat, nomen eos adeptos fuisse tradit. adde cl. Eccardum in program. de antiquit. stat. Helmstad. & Schlöpken c. l. §. 24-26.

z) Strabo c. l. cui junge Suetonium in Augusto, c. 21. ubi: *coercuit & Dacorum incursiones, Germanos ultra Albim summovit*; & Vellejum Lib. II. c. 106. *fracti Longobardi, gens Germana feritate ferocior.*

a) Tacit. c. XL. §. 1. de M. G.

b) B. Cel-

b) B. Cellarius tamen in tab. Geogr. Germ. antiqu. Langobardis a meridie Spream amnem assignat, vid. ipsius not. orb. antiqu. Lib. II. c. 5. quod convenit cum iis, quæ de finibus Semnonum tradit ill. Leibnitius c. l. fuisse autem Langobardos conterminos Semnonibus, colligi licet ex Tacito de M. G. & Lib. II. Annal. c. 45.

c) Cluverius Lib. III. c. 26. p. 102. Germ. antiqu.

d) Lib. I. c. 2. de gest. Longob. quem sequitur Grotius in prolegom. ad Hist. Goth. p. 26. neque hunc Strabonis, Taciti & Ptolomæi testimonia ab hac semel concepta opinione avocare possunt, quin potius eos cum Paulo ita conciliare studeat, ut Tacito & reliquis sub Langobardorum nomine non nisi agmen hominum promissis barbis incedentium venisse & eam ob causam, propter novitatem rei, ita appellatum fuisse putet. Sed nego Tacitum cum Ptolomæo & Strabone per Langobardos ejusmodi viros intellexisse. Certe omnes linguæ Germanicæ erant ignari, & sic tale nomen eis imponere haud potuerunt; nec ex sua lingua vernacula id composuisse verosimile, vox enim Langobardorum cum Græco nullam plane habet connexionem; nec ex latino desumta, quod tunc non Langobardos, sed longas barbas eos appellassent: ut taceam fabulosam esse, nec invicem cohærere, quæ de adventu gentis in nostram Germaniam, Jornandes sæpe laudatus & P. Diaconus, ipse Langobardus, referunt. Hic enim Lib. I. c. 3. Ibore & Ayone, fratribus & Ducibus, ingenti exercitu post N. C. ex Scanzia egressos in Germaniam Cis-balthianam venisse, ibique consedisse tradit; ille vero c. 12. facto dissidio ex Gepidis eos ortos & hos rursus a Gothis descendisse, ideoque Gepidos appellatos fuisse fabulatur, quod cum Gothi ante Trojana tempora ex Scanzia tribus navibus exiissent, pars eorum, tertiæ navi imposita, tardius advenerit, & dissociato postea a cœteris gentilibus consilio, Vistulæ amnis insederit insulam. vide etiam infr. §. XIX.

e) C. Stephanus in dictionar. hist. Geogr. voce Langobardi p. 1215.

f) Procopius Lib. IV. hist. Goth. p. 462. edit. Grotii. P. Diaconus Lib. I. c. 22. de gest. Langob.

g) Idem Diaconus Lib. II. c. 5. seqq.

h) Eginhardus in vita Caroli M. c. 6. Monachus Egolismensis ad An. 774.

§. XII. Post Langobardos Tacitus *i*) meminit *Reudignorum*, *k*) *Avionum*, *l*) *Anglorum*, *m*) *Varinorum*, *n*) *Eudosium*, *Suardonum* *o*) & *Nuithonum*. Hi fluminibus aut silvis muniebantur, nec quicquam notabile in singulis, nisi quod in commune Hertham, id est, terram matrem coluerunt, *p*) indicio procul dubio arctissimæ inter eos contractæ societatis, qua parvæ hæ & per se invalidæ nationes in universum collectæ contra omnes valuere. Certas sedes vix eis assignat Tacitus, *q*) nisi quod in secretiora Germaniæ eos porrectos & in insula oceani festivo quodam die numini suo dicato convenisse affirmet; unde eos a mari haud longe dissitos fuisse constat. Et Ptolomæus *r*) Varinorum tantum & Anglorum meminit, quorum hos a septentrione ad medium usque Albis protensos Semnonum finitimos facit, illos vero a Chaluso, qui hodie Trava dicitur, ad Suevum usque habitasse tradit; quinam vero reliquorum termini, nec hic, nec alii veterum indicant. Inde nec B. Cellarius *s*) eos definire audet, & Anglis Varinisque exceptis se Avionum, Suardonum, Eudosum & Nuithonum sedes ignorare confitetur illustris Leibnitius. *t*) Has tamen difficultates, conjecturis indulgendo, spernere videtur Cluverius, *u*) *Reudingis* enim in Marchia Brandeburgensi, ubi oppida Havelberg, Ruppin & Pruzwalck; *Avionibus* in ejusdem Marchiæ, qua oppidum Dalmin, Dannebergensis itidem comitatus & Megapolitani Ducatus portione; *Varinis* in Ducatus Mecklenburgensis parte, ubi Rostock & Gustrou urbes, Pomeraniæ iti-

 dem,

dem, inter amnes Reconitium & Baritium tractu; *Eudosibus* vero in Pomeraniæ citerioris parte, ad insulam usque Usedom, in mari positam, sedes tribuit; quibus subjungit Suardones, Pomeraniæ regionem, qua oppida Stettin, Pasevvalck, Uckermunde & Usedom, Megapolitani etiam Ducatus portionem, inter Tullium lacum & flumen Havelam sitam, inhabitantes. *Nuitbones* tandem in Marchiæ & Ducatus Pomeraniæ, Megapolitanique partibus, ubi oppida Prenzlau, Templin, Tangermunde, Nye, Förstensee & Garz collocat. *Anglos* vero Luneburgensis Ducatus partem, dextræ Albis ripæ affixam, Megapolitani itidem occidentalem insedisse autumat. Sed conjecturæ sunt, certis indiciis destitutæ, quas approbare vel improbare non est animus: Hoc potius certum, omnes has nationes, more veterum Germanorum, antiquas sedes circa Suevicum mare novis permutasse. *De Varinis* enim constat, eos transito Albi haud procul a Rheno incoluisse, *x*) ubi victi a Francis, Childeberti minoris auspiciis, Francico regno accessere. *y*) Eandem sortem jam antea, Maximiano imperante, experti erant *Aviones*, *z*) & *Angli* quoque, relictis patriis sedibus, aut motu proprio, aut ab aliis pulsi, in illam Chersonesus Cimbricæ regionem inter Slesvvigum & Flensburgum concessere, *a*) quæ adhuc hodie Angelen, vel Anglen vocatur; ibi perpetui Saxonum in bellis socii, una cum eis Sec. V. in Britanniam migrarunt, *b*) quo condito novo regno, nomen eorum vel adhuc hodie celebratur. *Nuitbones* porro una cum Burgundionibus in Galliam migrasse, & provinciæ, quæ adhuc hodie Uchtlandia apud Helvetios dicitur, nomen dedisse, author est B. Rhenanus, *c*) sed vanam hanc esse conjecturam, ab aliquali tantum utriusque nominis convenientia desumtam, quilibet facile videt. Majorem potius veritatis speciem habent tradita Cluverii, *d*) scilicet *Reudingorum* vocabulum ab imperitis Librariis corruptum in *Deuringorum* i. e. *Thuringorum* mutandum. Certe enim Reudingorum post Tacitum nemo veterum meminit, & cum hi ab eodem Anglis Varinisque junguntur, qui postea in veterum Germanorum legibus *e*) cognatis Thuringis populis intermixti expresse leguntur, vero admodum vicinum est, Reudingos Tacito eosdem esse, qui postea Thuringi dicti fuere; ad minimum Varinorum reliquias partem Thuringorum constituisse, dicta Legum inscriptio docet, qua cum si jungas, quæ Procopius de Varinis, Wittichindus vero de Thuringis, littora maris olim accolentibus, refert, res paulo erit evidentior. *f*)

i) C. XL. §. 2. de M. G.

k) Cluverius Lib. III. c. 27. p. 105. c. I. legit Reudingi, quod hæc scriptio Germanorum usitatissimæ terminationi in ing. magis conformis.

l) Hic rursus legit Cluverius c. l. Caviones, inductus Mamertini Genethliaco II. Maximiano Augusto inscripto c. VII. ubi: *hic gens Cavionum Erulorumque deleta transrhenana victoria.* Et in Panegyrico eidem dicto c. 5. Chaibones, qui iidem cum Cavionibus Erulis conjungit, tanquam viribus primos barbaros, locis ultimos. Cluverio adstipulatur ill. Leibnitius ad Tacit. not. (u.) pag. 13.

m) Ptolomæo Lib. II. c. 11. c. I. dicuntur Ἄγγειλοι Procopio vero Lib. IV. c. 20. de bello Gothico Ἄγγιλοι.

n) Varini etiam Plinio noti, qui eos partem Vindilorum facit. Lib. IV. c. 13. H. N. Ptolomæo Lib. II. c. 11. audiunt Οὐιρῦνοι & Φαροδῆνοι. Æthicus pag. 39. edit. Gronovii, corrupte eos vocat Varros, Procopius Lib. IV. c. 2. c. I. eos Οὐάρνους, Cassiodorus vero III. var. 3. Guarnos appellat. Veteres leges Germanorum reddunt Werinos vid. ill. Leibnitius pag. 81. Tom. I. Script. rer. Brunsuic.

o) Ita

o) Ita dictos fuisse a Germanica voce Swerd/ Schwerd/ Schwerd/ i. e. gladius, putat Juncker in seiner Einl. zur Geogr. Mittl. Zeiten pag. 115. P. II. c. I. ast Congringio in not. ad Tacit. p. m. 51. Suartones & Vithones populari lingua, Schwartzen und Witten/ Nigri & Albi audiunt.

p) C. XL. §. 3. c. l. q) C. XL. §. 4. c. l. r) Lib. II. c. 11. s) In not. orb. antiqu. Lib. II. c. 5. pag. 478. t) Ad Tacit. not. (n.) c. l. pag. 15.

u) Lib. III. c. 27. p. 104. Germ. antiqu. eique quoad Eudoses, Suardones, Varinos & Nuithones consentit Hartknoch Diss. de orig. Pomer. §. 5.

x) Procopius Lib. IV. c. 20. c. l. y) Fredegarius in Chron. ad An. 595 z) Mamertinus in genethliaco c. l.

a) Beda Lib. I. hist. Eccles. c. 13. *advenerunt autem de tribus Germaniæ populis fortioribus, i. e. Saxonibus, Anglis, Vitis - - porro de Anglis h. e. de illa patria, quæ Anglia dicitur, & ab eo tempore usque hodie manere desertus inter provincias Vitarum & Saxonum perhibetur, orientales Angli, Mediterranei Angli.* Ethelvverdus Saxo: *Anglia vetus sita est inter Saxones & Giotos, habens oppidum capitale, quod Sermone Saxonico Slesvvic. secundum vero Danos Haitbby.*

b) Beda c. l. *anno ab incarnatione Domini quadringentesimo nono - - Anglorum sive Saxonum gens invitata a Rege præfato (Vortigorio) in Britanniam tribus longis navibus advebitur, & in orientali parte insulæ, jubente eodem rege, locum manendi, quasi pro patria pugnatura, re autem vera hanc expugnatura, suscepit.*

c) Lib. III. Rer. Germ. p. 134. & Lib. I. p. 55. sed vid. Nic. Vignierium in Chron. Burgund. p. 9.

d) Cit. loc. conf. etiam ill. Leibnitium ad Procop. de bello Goth. not. (a.) Tom. I. Script. rer. Brunsuic. pag. 51.

e) Vid. inscriptio L. Angliorum & Werinorum apud ill. Leibnitium c. l. p. 82. ubi: *incipit Lex Angliorum & Werinorum h. e. Thuringorum.* Conf. etiam Hachenberg in Germ. med. Diss. III. §. 11.

f) Conf. ill. Leibnitium c. l. p. 82. & pag. 51. ubi duo fuisse regna Thuringorum putat, unum Werinorum, i. e. maritimorum, alterum mediterraneorum, quod Franci victo Herminfredo subjugarunt.

§. XIII. A Septentrione jam ad partes Sueviæ meridionales progreditur Tacitus, populos Danubii ripam insidentes recensendo. Initium ab *Hermunduris* facit, quos ob incorruptam erga Romanos fidem *g*) laudare haud neglexit. Proximi erant splendidissimæ Rhætiarum coloniæ, dulcissimæ nempe patriæ, ubi commercia cum Romanis exercebant, & ab ortu Albis eorum a Semnonibus terminabat fines, *h*) a quo ad Salam usque & Salinarios fontes protendebantur, quorum ratione perpetuum ipsis cum Cattorum gente negotium. *i*) Comprehendebat itaque hic tractus, quem inhabitabant, Anhaltini principatus partem, Ducatusque Saxonici, Misniam fere totam, Voigtlandiam, Coburgensis principatus particulam, Brandeburgicæ ditionis oppida Franconica Barreut, Culmbach & Cronach, Franconiæ partem ad lævam Moeni ripam, Palatinatus superioris portionem, Sueviæ denique tractum, qua oppida Nördlingen & Dünckelspühl. *k*) Dicuntur autem Hermunduri, ut quidam *l*) volunt, quasi die Erdmänner/ quod Hermionum Germanorum, der Erd- oder Mittelländer/ qui mediterranea Germaniæ inhabitarunt, progenies; vel ut aliis *m*) placet, die Wassermänner/ qui circa flumen habitarint, Hermiones ripenses, quod Albim, uti falso putant, circumsederint. Sed omnium verosimillima eorum *n*) opinio, qui eos die Heermänner/ a laude & fortitudine militari, qua reliquis Germanis haud erant inferiores, ita dictos fuisse conjiciunt, ultimis tamen Syllabis, Romano more, in Månder vel

Munder

Munder corruptis: Hoc enim & genio linguæ & consuetudini Germanorum, desumta sibi a virtute militari imponendi nomina, quam optime convenire, certissimum est.

g) Tacit. c. XL. §. 1. 2. de M. G. *propior (ut quo modo paulo ante Rhenum, sic nunc Danubium sequar) Hermundurorum civitas, fida Romanis, eoque solis Germanorum non in ripa commercium, sed penitus atque in splendidissima Rhetiæ provinciæ colonia.*

h) Vellejus Lib. II. c. 106. Histor. *a Rheno usque ad flumen Albim, qui Semnonum Hermundurorumque fines præterfluit, Romanus cum signis perductus exercitus.* Strabo quidem trans Albim Hermunduros consedisse tradit Lib. VII. Geogr. p. 290. Verum major fides habenda citato Vellejo, ipsius coævo, qui Tiberio Duce in Germania militavit, eosque coram adiit. Neque obstant verba Taciti §. 3. c. l. *In Hermunduris Albis oritur flumen inclitum & olim notum:* Egræ enim Albisque fontes, antequam miscentur parum differentes, confundere eum, jam diu observarunt Cluverius Lib. III. c. 28. pag. 109. c. l. B. Cellarius Lib. II. c. 5. p. 484. c. l. & ill. Leibnitius not. (x) ad Tacit. c. l.

i) Tacitus Lib. 13. Annal. c. 57. §. 3. *eadem æstate inter Hermunduros Cattosque certatum magno prœlio, dum flumen gignendo sale fœcundum & conterminum vi trahunt.* Hos autem Salinarios fontes eosdem esse, qui adhuc hodie Halæ Saxonum florent, constans Scriptorum traditio est. Vid. B. Cellarius Lib. II. c. 5. p. 484. c. l. Hertius in not. vet. Germ. populorum P. II. c. 2. §. 19. & qui nuperrime Schediasma vom Alterthum der Stadt Halle publicavit Excell. Gundlingius §. IV.

k) Has sedes eis tribuit Cluverius c. l. B. Cellarius c. l. & qui hunc sequitur B. Junckerus P. I. c. 1. pag. 99. c. l. Dissentit vero Kirchmaierus in not. ad Tacit. c. 41. p. 411. Misniæ, Thuringiæ & Bohemiæ angustis partibus eos includens.

l) Vid. Goldastus de Reg. Bohem. pag. 29.

m) Hagecius in procem. Chron. Bohem. Goldast. c. l. ubi insimul ex Camdeni descript. Britan. probare contendit, Dur veteribus Germanis dictam fuisse aquam, & Hermunduros ante Bojorum adventum Bojohemum inhabitasse.

n) Kirchmaier p. 413. c. l. & ill. Leibnit. ad Tacit. not. (d.) c. l. ubi insuper docet, unice eos Hermionum, qui genus Germanorum, generale nomen retinuisse; hoc enim & Hermundurorum unam esse vocem, nunc latius, nunc angustius, sumtam, utramque Heermänner denotare, & ab hac voce Hermionum, Hermundurorum vel Heermannorum vocabulum quoque Germani descendere, litteris initialibus G. & H. saltim mutatis.

§. XIV. Medii inter Hermunduros & Marcomannos erant *Narisci*, o) una cum iis Danubii ripam incolentes, ab Ingolstadio urbe ad confluentem usque Oeni, ubi hodie Palatinatus superior & Landgraviatus Leuchtenbergensis, p) ita tamen, ut hisce terris alii q) addant Voigtlandiæ partem, similitudine nominis, quo incolæ Varisci adhuc hodie dicuntur, inducti. Secabantur transverse a Nabo fluvio, unde etiam gentis nomen derivare subit Cluverius, r) quasi dicti accolæ Nabi, thi Nabischen/ & a Romanis corrupto ore Narisci, thi Narische; quod tamen non concedit Aventinus, s) a Regione potius, quæ Nordgew & Nordge/ vel contracte a vulgo Narca nuncupari solet, eos ita dictos fuisse augurans. Clarum hoc gentis nomen post tempora M. Antonini plane evanuit, & Armalausii vel Armolai hisce in locis in tabulis itinerariis occurrunt; inde hos eosdem esse cum Nariscis conjicit sæpe laudatus Cluverius. t)

o) Tacit.

o) Tacit. c. XLII. de M. G. *juxta Hermunduros Narisci -- eaque velut Germaniæ frons est, quatenus Danubio pergitur* vid. etiam Capitolinus in vita M. Antonini c. 22. & infra Sudetes montes (qui in Thuringia exsurgentes, effusis Visurgi, Sala, Mœno, Egra ac Navo amnibus, Bohemiæ latus occidentale cingunt ad Danubium) eos habitasse tradit Ptolomæus Lib. II. c. 11. Geogr.

p) Cluverius c. 1. Lib. III. c. 29. pag. 113. q) Juncker P. II. c. 1. pag. 108. c. 1. Kirchmaier p. 417. c. 1. r) Pag. 113. c. 1. Juncker c. 1. s) Lib. I. Annal. Boior. c. II. n. 1. pag. 3. t) Pag. 114. c. 1.

§. XV. Nariscis vicini erant *Marcomanni.* u) Horum nomen varie a variis derivatur: alii enim a flumine Moraviæ Marca, x) alii a voce Celtica Mar, y) quæ equum significat, rursus alii a Germanico vocabulo Marc, z) quod limitem audit, alii denique a vocula Marco, a) i. e. malleo, quasi scilicet viri essent, qui virtute sua bellica omnia mallei instar contunderent, eos ita dictos fuisse conjiciunt; quibus posterioribus vel ideo subscribere placet, quod fortitudo eorum incomparabilis ubique celebrata, nec veteribus infrequens erat, desumta ab ea imponere sibi nomina, quod vel ipsum Hermundurorum Celticum & Francicum quam luculentissime testantur. Quemadmodum vero de origine nominis non eadem omnium opinio, ita nec de antiqua patria, quam scilicet gens illa ante expeditionem Bohemicam inhabitavit, inter omnes convenit; alii enim Transmarcanum tractum, qui hodie Moravia dicitur, eos insedisse, indeque Bojohemum migrasse tradunt; b) alii contra, numero potiores, & quidem haud incongrue, ex tractu Mœnum, Rhenum & Danubium inter progressos in incinctos Hercyniæ campos irruptionem fecisse, ibique consedisse contendunt. c) Et certe *accolas Rheni fuisse Marcomannos* vel exinde suspicari licet, quod Sequanis aliquando contra Æduos auxilio venere in Galliam. d) Illi enim procul dubio non remotissimos Germaniæ populos, ab extremis ejus angulis, sed proximos & finitimos, ut vel Tribocci, Nemetes & Vangiones, e) eorum quoque in hoc bello Ariovisto Duce socii, testantur, evocarunt. Neque auxiliares tantum eorum copias, ut dissentientes volunt, numero pauciores, tota pene Germania pervagata & emensis Bojorum, Nariscorum, Hermundurorum aliarumque validissimarum nationum finibus, hanc expeditionem in gratiam Sequanorum suscepisse, facile mihi persuaderi patior; qui enim ipsi insatiabili cupiditate Galliæ agris semper imhiabant, proximi Germaniæ populi, agminibus a Marcomannis longe dissitis emissis transitum ad eos per terras suas procul dubio haud permisissent, ipsimet sibi proximi. Collocandi itaque omnino circa Rheni ripas, in illo forte terræ tractu, quem Helvetii olim possederant, f) unde postea Maraboduo Duce sociis *Harudibus* & *Sedusiis* g) egressi, Augusto imperante, in Bojohemum h) concesserunt, pulsisque Bojis, priscis incolis, novum ibi condidere regnum, quod ad finem usque Sec. V. non sine exitiabili Romani imperii detrimento, mira felicitate conservarunt, ceu ex infra dicendis uberius patebit.

u) Tacitus c. XLII. §. 1. de M. G. *juxta Hermunduros Narisci, ac deinde Marcomanni & Quadi agunt; præcipua Marcomannorum gloria viresque atque ipsa etiam sedes, pulsis olim Boiis, virtute parta.*

x) Ill. Leibnitius not. (y.) ad Tacit. c. 14. c. 1.

y) Quasi præcellentes equitatu vid. Andr. Alciatus Lib. I. parergar. jurid. c. 27. sed plus penes peditem roboris esse credebant veteres Suevi. Tacitus c. VI. §. 6. c. 1.

z) Quasi essent homines limitanei Gränzmänner & Marckmänner/ quibus defensio finium contra irruptiones hostium concredita. Althamerus ad Tacit. apud Schardium Tom. I. Script. rer. Germ. p. 16. Latzius de migrat. gent. Lib. VIII.

Lib. VIII. pag. 503. & pag. 362. Crusius Annal. Suev. P. I. Lib. III. c. 3. Kirchmaierus pag 418. c. I. Juncker P. II. c. I. pag. 102. c. I. sed & aliæ gentes præter Marcomannos in limitibus Germaniæ erant constituti.

a) Goldastus de reg. Bohem. Lib. I. c. 5. pag. 41. Sic Carolus Pipini I. filius eadem ratione dictus fuit Marcellus sive Martellus. Meursius in gloss. voce μάρκος, Balbus in Catholic. verbo Marcus & Marcellus. Et hinc etiam Marcellator, qui & Malleator i. e. percussor.

b) Leibnitius c. l.

c) Cluverius Lib. III. c. 3. pag. 5. & c. 30. pag. 117. c. l. Cellarius Lib. II. c. 5. p. 482. c. l. Zeilerus in præfat. ad Chron. Sueu.

d) Historiam integram habet Cæsar Lib. I. de B. G. ubi imprimis vide c. 51.

e) Egregie hoc præter alios demonstrat Cluverius Lib. II. c. X. pag. 35. c. l.

f) Tacitus c. 28. §. 3. c. l. *igitur inter Hercyniam silvam Rhenumque & Mœnum Helvetii.* adde Cluverium Lib. III. c. 3. c. l.

g) Harudes & Sedusios una cum Marcomannis in Boiohemum traduxisse Maraboduum, vel ideo credibile, quod postea eorum nomen plane incognitum & Strabo Lib. VII. p. 290. tradit, eum & alias plures gentes, præter gentiles suos Marcomannos, in Boiohemum transtulisse; quod de Harudibus & Sedusiis quoque intelligunt Cluverius & Cellarius c. l. accedit, quod Marcomannorum socii in expeditione Gallica Ariovisti auspiciis fuere, quod cum in Bojohemum moverent iidem, facere procul dubio haud omiserunt.

h) Vellejus Lib. II. c. 108. *nihilque erat in Germania, quod vinci posset, præter gentem Marcomannorum, quæ Maraboduo Duce excita sedibus atque in interiora refugiens, in cinctos Hercyniæ silvæ campos incolebat.* Conf. eundem cap. 109. Strabonem c. l. Tacitum Annal. II. c. 45. §. 5. it. c. XXVIII. §. 4. & c. XLII. §. 1. de M. G. Bohemiæ addit Cluverius c. l. Austriæ inferioris partem, a loco Haffnercella, VIII. millibus passuum supra Passauium sito, ad oppidum usque Greim, quia Tacitus c. l. c. 42. §. 2. Danubii ripam eos accoluisse tradit. Consentit Lazius Lib. VIII. p. 503. de migrat. gent.

§. XVI. *Quadi* Germanorum versus orientem extremi, *i*) perpetui fere Marcomannorum in bellis erant socii, & in corruptis codicibus nunc Qualli, Squalli & Squadi dicuntur, qui omnibus infesti, molesti, & aliorum, maxime hostium, pravi vexatores & oppressores, **die bösen unversöhnliche Schwaben.** *k*) Hisce in Silesia communiter assignant sedes, *l*) ast male, ut egregie demonstrat Cluverius, *m*) *accolas* enim *Danubii* eos fuisse & Marcomannos inter Getasque Dacas, sub Hercynio saltu, ad Marum usque amnem incoluisse, constans veterum traditio est; *n*) inde merito fines eorum a sæpe laudato Cluverio *o*) Danubio, Cluna amne, montibus Bohemicis & Maro, seu Morava flumine, circumscribuntur, qui tractus hodie omnem fere Moraviam & Austriæ inferioris haud exiguam portionem continet. Neque tamen hi fines perpetui, sed mirum in modum, orientem versus, protracti. Unita enim cum Quadorum gente Suevorum illa manu, quam Maroboduum & Catualdam, fugitivos Reges, comitantem Romani intra Cusum Marumque amnes collocaverant, *p*) mox dictus fluvius Cusus sive Waga limes erat Quadorum regni; & nec illo tractu bellicosam hanc nationem amplius capiente, jam ad Granuam *q*) usque flumen hi termini extendebantur; ut sic florentibus suis rebus, præter jam dictas Moraviæ & Austriæ inferioris provincias, non exiguam quoque Sarmatiæ, vel Hungariæ superioris partem possederint, quam scilicet Quanstad & Quahou oppida, antiquissima gentis habitacula, vel adhuc hodie ornare dicuntur. *r*)

i) Tacitus

i) Tacitus c. XLII. §. 1. de M. G. cui junge Arrianum Lib. I. in vita Alexandri M.

k) Goldastus Lib. I. c. 12. p. 82. de reg. Boh. adde Grotium in prolegom. ad Histor. Goth. cui dicuntur inhumani in hospites.

l) Magno numero eos recenset Goldastus Lib. I. c. 14. pag. 91. c. l.

m) Lib. III. c. 31. p. 218. c. l.

n) Tacitus c. l. Strabo Lib. VII. Geogr. p. 290. *Enim vero, Suevorum, ut ante dixi, alii in sylva* (Hercynia) *habitabant, alii extra, Getis finitimi*; ubi sub finitimis intelligit Quados Cluverius c. l. nam Ptolomæus Lib. II. c. 11. inquit: *Sub Hercynio, saltu Quadi, sub quibus ferri fecturæ ac luna sylva.* adde Plinium Lib. IV. Hist. Nat. c. 12. qui *superiora autem* ait, *inter Danubium & Hercynium saltum usque ad Pannonica hyberna Carnunti, Germanorumque ibi confinium, campos & plana Jazyges Sarmatæ, montes vero & saltus, pulsi ab his Daci ad Pathissum amnem a Maro, sive is Duria est, a Suevis regnoque Vanniano dirimens eos.* conf. Tacitum II. Annal. 63. 7.

o) Consentit eidem Lambecius Tom. I. commentar. Biblioth. Vindobon. p. 87. & Tom. II. pag. 11. Cellarius Lib. II. c. 5. pag. 486. c. l. Moraviam autem eos tantum inhabitasse tradit Goldast. Lib. I. c. 12. p. 82. c. l.

p) Tacit. Lib. II. Annal. c. 63. §. 7. conf. Cluverius Lib. III. c. 31. c. l. ubi Marum & Cusum amnes Moravam & Wagam interpretatur, licet Stephano Zamosio in Analectis lapidum veter. in Dacia p. 11. & B. Rhenano Lib. I. p. 26. Daciæ flumina, illi Marus & Tissus, huic vero Marisus & Chrysa audiant.

q) Testatur hoc M. Antoninus Imper. testis hujus rei ocularis, qui cruentissima cum Quadis in hac regione gessit bella Lib. I. suæ vitæ, ubi: *hæc in Quadis ad Granuam.*

r) Latzius Lib. VIII. p. 503. de migr. gent.

§. XVII. *Marsignos, Gothinos, Osos, Burios* terga Marcomannorum Quadorumque clausisse annotat porro Tacitus. *s*) Omnes hi populi pauca campestrium, cœterum saltus & vertices montium jugumque insederunt. *t*) Et *Gothinos* quidem *Osos*que Jazigibus Sarmatis & Quadis vicinos facit Cluverius, *u*) quod utraque gens tanquam alienigenis tributa eis imposuerit, *x*) *Gothinos* tamen ad Danubium magis extensos fuisse, vel ideo credit, quod ferrum effodisse dicantur, quod non alibi in ea regione invenitur, nisi in Sarmaticis montibus, inter Mari Tejæque confluentem, ad oppidum Twardoszyn. Habitarunt itaque secundum eum Gothini Moraviæ, Poloniæ & Silesiæ portiunculam in confinio. *Osos* vero Gothinis septentrionaliores reddit, ad utramque Viadri ripam satis late colentes, qui tractus hodie Silesiæ & Poloniæ partem comprehendit. *y*) Gothinos non pauci Bojorum reliquias fuisse credunt, quod Gallico sermone uterentur, sicut & Osos Pannonica lingua coarguebat, non esse Germanos. *z*) *Marsingi a*) contra & *Burii b*) ore cultuque Suevos referebant, *c*) & illi quidem hanc Silesiæ partem, ubi Vratislavia urbs, nec non Comitatus Glacensis, hi vero ejusdem Ducatus trans Viadrum partem, ubi Dynastia Trachenberg, cum vicina Poloniæ portiuncula, inhabitasse dicuntur. *d*)

s) De M. G. c. XLIII. §. 1. *t*) Idem c. l. §. 3. *u*) Lib. III. c. 32 pag. 124. c. l.

x) Tacitus c. l. §. 2. ubi simul indicat, Gothinos, quo magis pudeat, ferrum effodisse.

y) Ubi Oppeln, Ratibor, Troppa & Poloniæ oppida Dlugoszyn / Mrzglod / Olstyn &c. Cluverius c. l. sed ad dextram tantum Viadri ripam eos ponit B. Cellarius Lib. II. c. 5. in notit. orb. antiqu. ubi vide tabulam.

 z) Tacitus

z) Tacitus c. l. §. 2.

a) Rectius hic legit Cluverius c. l. Marsingl, quod melius hoc convenit Germanicæ terminationi in ing. Ptolomæo Lib. II. c. 11. dicuntur Μαρσίγγοι. & apud Æthicum pag. 59. edit. Gronovii vitiato vocabulo legi Marnianos putat Cluverius c. l.

b) Ptolomæo Lib. II. c. 11. dicuntur Βῦροι, sed male eos inter Lygios, quos Λοῦτι vocat, refert. Buros habet Capitolinus in vita M. Antonini c. 22. sed idem quoque falso eos Sarmatis annumerat.

c) Tacitus c. l. §. 1. d) Cluverius c. l.

§. XVIII. *Sueviam* dirimebat scindebatque continuum jugum montium, e) Asciburgum a Ptolomæo appellatum, f) & in confinio Silesiæ hodiernæ Poloniæque situm. g) Ultra hoc plurimæ agebant gentes; ex quibus latissime patebat *Lygiorum* h) nomen, qui, ut quidam i) volunt, a Germanica voce **Lugen / die Luger /** quod in limite Germaniæ positi Venedos observarent arcerentque, ne eum turbare possent, ita fuerunt dicti. Hos a Suevis quidem distinguit Strabo; k) ast turpi errore labitur, alias non raro summa imis in Germania miscens; Tacitus enim diserte eos Suevis annumerat, cui vel ideo credere malo, quod omnia Germaniæ curatius perquisivit, Strabo contra ipse fatetur, incognita sibi quæ trans Albim esse. Ingens erat natio & vis innumera, in plures tamen civitates divisa, inter quas validissimæ gentes *Arii*, *Helvecona*, *Manimi*, *Elysii* & *Nabaruali*. l) *Arii*, quos falso Marcomannorum tribum facit Latzius, m) a viribus laudantur & quod insitæ feritati arte ac tempore lenocinari callueriut. n) De reliquis propemodum silent Historici, nisi quod *Elysios*, mutatis pristinis sedibus, Silesiam immigrasse, huicque terræ nomen dedisse, aliqui recentiorum opinentur. o) Omnes hi populi inter Asciburgum montem, uti dictum, & Vistulam amnem, habitarunt, p) qui tractus hodie Polonis paret. Dacis vero a Trajano eversis, Lygios in horum loca successisse, commotaque omni barbarie Marcomannico bello, ad Euxinum progressos Danubium inter & Tanaim Gothorum regna condidisse, author est illustris Leibnitius. q)

e) Tacitus c. XLIII. §. 3. de M. G. f) Lib. II. c. 2. Geogr.

g) Cluverius Lib. III. c. 32. pag. 124. Cellarius Lib. II. c. 5. pag. 461. c. l.

h) Ita Tacitus c. l. Ptolomæo Lib. II. c. 11. Λοῦτοι, Straboni vero Lib. VII. p. 290. c. l. Λύγιοι audiunt, & Logiones Zosimi Lib. l. c. 67. eosdem esse cum Lygiis docet Cellarius c. l.

i) Kirchmajer ad Tacit. c. 43. p. 424. k) Lib. VII. Geogr. p. 290. c. l. l) Tacitus c. l. §. 4. m) Lib. VIII. pag. 495. de migrat. gent. n) Tacitus c. l. §. 6.

o) Goldastus Lib. l. c. 14. pag. 91. de regn. Bohem. ubi eos ita dictos fuisse putat, quasi extra læsionem positi, loco & virtute ita muniti, ut invicti & insuperabiles haberentur ab hostium incursionibus.

p) Cluverius c. l. Cellarius c. l. q) Ad Tacit. not. (y) pag. 14. c. l.

§. XIX. Trans Lygios *Gothones* regnabantur, r) ad Suevici maris littora, ut Pytheas s) Græcus Scriptor refert, legentes succinum, vel ut Tacito, t) longe recentiori, placet, infra Rugios Lemoviosque, oceani accolas, consedentes. Hinc Cluverius u) in sinistra Vistulæ ripa eos collocat, ubi hodie Pomerellia, ita tamen, ut antiquitus eos littora oceani insedisse, indeque vi aut motu proprio pulsos in interiora concessisse haud neget. Hos Gothones eosdem

eosdem esse, cum illa Gente, quæ postea sub Gothorum nomine inclaruit, vel omnes consentiunt, x) an vero origo gentis ex Scanzia vel Germania petenda, inter eruditos non convenit. Primum quidem Jornandes y) Ravennatensium Episcopus, vel forsan etiam qui ante eum Gothorum gesta consignarunt, & ad quos provocat Ablabius & Dexippus, statuunt, omnesque Gothos ex Scantzia, vagina illa gentium & officina nationum, repetunt, quos alii scriptores magno numero sequuntur. Ast fabulosa hæc esse, falsa, nec bene cohærentia, quæ Jornandes de origine Gothorum meminit, non pauci contra asserunt, z) nec absque ratione. Quis enim ante Trojana, Herculeaque a) tempora Gothorum illas in Cisbalthianas oras annotavit migrationes, & unde bis mille circiter post annos Jornandi, vel qui ante eum vixere, Ablabio & Dexippo, ea innotescere potuere? Certe carmina, ad quæ provocant, expeditiones tantum Pontum b) versus susceptas referunt, & tempora nativitatem Salvatoris nostri subsecuta respiciunt, nec ex unico veterum probari potest, Gothos antiquissimis temporibus Scanziam incoluisse insulam. Contra supra laudatus Pytheas Massiliensis, Scriptor fide dignus, & qui CCL. annis ante Christum natum floruit, Gothos non in Scanziam, ipsi haud incognitam, locat, sed Suevici maris littora eos accoluisse, eo fidentius tradit, quod ipse septentrionalem Europam universam perlustravit, & curatiorem insuper hujus rei notitiam a gentilibus suis habere potuit, quibus haud infrequens, navibus c) Oceani septentrionalis oras adire, indeque electrum petere. Ipse quoque Jornandes d) negare haud potest, Gothos aliquando circa Vistulæ ostia egisse, & ex his oris, crescente indies multitudine gentis, eos demum in trans-Balthianas terras colonias quasdam misisse, vel ideo credibile, quod primus tantum Gutarum quoque in Scanzia Ptolomæus e) meminit. Nec abnuerim, partem eorum temporis lapsu ad cives suos remeasse, eamque migrationem ansam dedisse, primordia gentis ex Scanzia petendi, integram vero nationem ex sæpius laudata insula deducere & allatæ causæ & ratio migrationum gentium, quæ non ex Scanzia in Germaniam, sed ex hac in partes septentrionales institutæ fuere, vetant. Derelictis autem his sedibus circa Vistulam amnem, Gothi junctis sibi vicinis nationibus, maxime Lygiis, f) orientem versus, ad Meotidem lacum Sec. II. migrarunt, inde vero paulo post reversi ad Borysthenem & Pontum, g) ubi Getarum fines, consederunt, quod procul dubio non paucis ansam dedit, confundendi eos cum Getis, Sarmatarum populis. h) Hic dividebantur in *Ostrogothos* & *Westrogothos*, i. e. orientales & occidentales. Hi Alarico Duce Sec. V. Italiam invaserunt, &, capta ac direpta urbe Romana, per Gallias in Hispaniam usque penetrarunt, ubi, condito novo regno, ad Sec. VIII. usque initium & Saracenorum in Hispaniam adventum varia fortunæ vicissitudine regnarunt. Illi vero Theodorici auspiciis ex Illyrico profecti Italiam occuparunt, eamque sexaginta per annos mira felicitate tenuerunt, donec dissidiis internis enervati victricibus Græcorum armis, Bellisario & Narsete Ducibus, ita attererentur, ut sceptra Justiniani Augusti agnoscere, seque gratiæ ipsius tradere, dura plane sorte, necesse haberent. i)

r) Plinio Lib. IV. c. 14. & Lib. XXXVII. c. 7. H N. Guthones, Straboni L. VII. Geogr. p 290. Βούτωνες, Ptolomæo vero Lib. II. c. 11. Γύθωνες dicuntur, quasi die Guten. Kirchmajer pag. 428. c. I. & ob summam in hospites lenitatem. Grotius in prolegom. ad hist. Goth. pag. 14.

s) Apud Plinium Lib. XXXVII. c. 11. c. I. qui, Pytheas inquit, credidit, *Guttonibus Germaniæ gentibus accoli æstuarium oceani, Mentonomon nomine, spatio stadiorum sex millium; ab hoc diei navigatione insulam abesse Abalum, illuc vero succinum fluctibus advehi, & esse concreti maris purgamentum, incolas pro ligno* ad

ad ignem uti eo, proximisque Teutonibus vendere. Huic & Timeus credidit. Adde Ptolomæum Lib. II. c. 11. qui penes Viſtulam ſub Venetis Gythones collocat, non longe a Burgundionibus & Varinis habitantes.

t) Cap. XLIII. §. 7. de M. G. *trans Lygios Gothones regnantur, paulo jam adductius, quam cæteræ Germanorum gentes, nondum tamen ſupra libertatem. Protinus deinde ab oceano Rugii & Lemovii.*

u) Lib. III. c. 34. pag. 128. c. l. eique adſtipulatur Cellarius Lib. II. c. 5. p. 480. c. l. Hartknoch §. 5. c. l.

x) Grotius in prolegom. ad Hiſt. Gothic. pag. 18. B. Hertius not. veter. Germ. pop. P. II. c. 2. §. 18.

y) C. IV. de reb. Getic. *ex hac igitur Scanzia inſula, quæ officina gentium, aut certe velut vagina nationum, cum rege ſuo, nomine Berig, Gothi quondam memorantur egreſſi.* vide etiam c. XVII. eique præter pleroſque Suecicos Scriptores, in gratiam Suecorum, adſtipulatur Grotius in prolegom. ad Hiſt. Goth. p. 14. &c. quem tamen breviter, ut alios taceam, refutat Matthæus Prætorius in orbis Gothici Lib. I. c. 4. §. 13.

z) Cluverius c. l. qui in eo demonſtrando totus eſt; cui jungendus Hartknoch c. l. § 7. & 8. Ant. Bonfinius decad. I. Lib. II. Rer. Hungar. & imprimis Conringius de antiqu. Helmſtad. ſtatu pag. 54. ubi ex ſimilibus oppidorum vicorumque nominibus, priusquam Scandinaviam petierint in Cisbalthica Germania, imo in his ipſis terrarum tractibus, quibus Helmſtadium & vicina ibi oppida ditionesque ſita ſunt, Gothos olim conſediſſe probare annititur: quod ultimum tamen negat Eccardus in programmate de antiquiſſimo Helmſtadii ſtatu 1709. publicato, in reliquis nobis conſentiens.

a) Recenſet enim Jornandes c. VII. & VIII. ortas a Gothis Amazones, contra quas pugnaverat Hercules, quarumque regina Pentheſilea in bello Trajano occubuiſſe dicitur. Sic etiam c. IX. Telephi regis eorum meminit, quem filium Herculis & Augis, Priami ſororis, facit, & ex eo natum Eurypilum, in eodem bello Trojano interfectum fuiſſe tradit. Ut taceam & reliqua, dum pleraque, quæ de Scythis Scriptores referunt, Gothis ſuis attribuere contendit.

b) Ita enim c. IV. loquitur Jornandes: *Hæc igitur pars Gothorum, quæ apud Filimer dicitur in terras Ovim, emenſo amne, tranſpoſita, optatum potita ſolum. Nec mora, illico ad gentem Spalorum adveniunt, conſertoque prœlio, victoriam adipiſcuntur: exindeque jam velut victores ad extremam Scythiæ partem, quæ Pontico mari vicina eſt, properant: quemadmodum & in priſcis eorum carminibus, pene hiſtorico ritu, in commune recolitur: quod & Ablabius, deſcriptor Gothorum gentis egregius, veriſſima atteſtatur hiſtoria.*

c) Germaniæ ſeptentrionem verſus ora veteribus haud incognita fuiſſe, pluribus comprobari poteſt; Sic Carthaginenſes, Plinius ait Lib. II. c. 67. H. N. Himilconem miſiſſe, ad extera Europæ, verſus ſeptentrionem ſita, noſcenda; eamque expeditionem carminice exponit Feſtus Avienus in deſcriptione oræ maritimæ, ubi inter alia:

> *Tarteſiis in terminos Oeſtrumnidum*
> *negotiando mos erat; Carthaginis*
> *etiam colonis ; - - -*

Electrum quoque ab Erydano amne, in mare ſeptentrionale exeunti, ad Græcos ſuo jam ævo perlatum fuiſſe, teſtatur Herodotus Lib. III. Hiſtor.

d) C. IV. c. l. *unde mox promoventes ad ſedes Ulmerugorum, qui tunc Oceani ripas inſidebant, caſtra metati ſunt, eosque commiſſo prælio propriis ſedibus pepulerunt, eorumque vicinos Wandalos jam tunc ſubjugantes, ſuis applicuere victoriis.*

e) Lib. II. c. l.

f) III.

f) Leibnitius ad Tacit. not. (y.) pag. 14 c. l. Rugiorum & Herulorum quoque partem addit ex Procopii Lib. III. rer. Goth. Cluverius Lib. III. c. 35. pag. 145. c. l. quia Rugii Gothica natio expresse dicuntur.

g) Jornandes c. IV. c. l. cui consentit Stephanus in Lexic. Geogr. *Gothi, gens olim habitans intra Meotim: postea vero in interiorem Thraciam transgressa.*

h) Cluverius c. l. pag. 129.

i) Fata hæc Wesigothorum & Ostrogothorum breviter sed accurate, ut solet, describit Hertius in not. vet. Germ. popul. P. III. c. 7. & 8.

§. XX. Protinus ab oceano *Rugii* k) & *Lemovii* l) habitarunt, in Pomeraniæ & citerioris Cassubiæ littoribus; illi quidem a Vistula amne ad Viperam usque flumen, ut non inepte putat Cluverius, m) hi vero a vix nominato fluvio ad Viadri usque ostium. *Lemouiorum* enim vestigia in urbe Lebenburg/ vel Lewenburg/ lacu Lebe/ flumine Lewe/ & in pagis Lebe/ Lebene/ Lebine & Lebune adhuc hodie deprehenduntur, n) & de antiquis Rugiorum sedibus Regewaldе & Rügenwalde urbes, Roge item fluvius testantur. o) Unde Lemouii ita dicti, non constat, *Rugiorum vero nomen* vel a Roge Pomeraniæ flumine deducunt, p) vel quod homines hirsuti, i. e. setis horridi fuerunt (weil sie rauhe/ oder wie es die Pommern aussprechen/ ruge Lude an Kopff und Bärten gewesen) ita appellatos fuisse credunt. q) Dicuntur *Ulmerugi* a Jornande, r) ad differentiam *Ethelrugorum*, quos in Scandinauia ponit idem. Inhabitarunt etiam dictam ab iis insulam Rugiam, an vero ex hac in Pomeraniæ continentem ante Taciti tempora processerint, aut postea ex oris maritimis demum in dictam insulam migraverint, dubium est. s) Majori probabilitate Lemouios postea Herulos dictos fuisse conjicit Cluverius, t) cum posterioris ævi Scriptores Lemouios plane omittant, Herulos contra perpetuos Rugiorum u) belli socios faciant. Hi populi patriis sedibus relictis Sec. V. Odoacro Duce Italiam invaserunt, ubi etiam ad adventum usque Ostrogothorum summa rerum potiti sunt. x)

k) Ῥυτίκλειοι corrupte dicuntur Ptolomæo Lib. II. c. 11.

l) Tacitus c. XLIII. §. 8. de M. G.

m) Lib. III. c. 35. c. l. eique consentit Hartknoch. Diss. de orig. Pomer. §. 5. B. Cellarius Lib. II. c. 5. p. 479. c. l. Juncker in Einl. zur Mittl. Geogr. P. II. c. I. p. 112. & 110. Hertius in not. veter. Germ. pop. P. II. c. II. §. 21. & 30.

n) Micrælius Lib. I. Chron. Pomer. Juncker c. l. o) Juncker c. l. Hartknoch §. V. pag. 16. c. l. p) Cluverius c. l. q) Micrælius pag. 55. c. l.

r) C. III. de reb. Getic. quasi Holm und Strand-Rugianer/ so im festen Land gewohnt/ Holm enim denotat einen außgepfählten Ort/ in paludibus, Micrælius pag. 35. Ethelrugi vero ipsi sunt die edle Rugianer.

s) Prius credit Beutherus ad Taciti German. pag. 206. posterius statuunt Hartknoch & Cluverius c. l.

t) C. l. quod approbare videtur Hertius c. l.

u) P. Diaconus Lib. I. c. 1. de gest. Longob. *Gothi, Wandalique, Rugi, Heruli atque Turcilingi - - - e Germania prodierant.* Jornandes de regnor. success. p. 130. &c. Odoacrum genere Rugum vocat, & Herulorum simul Regem.

x) Jornandes c. 46. de reb. Gotic.

§. XXI. Inter Germaniæ populos in continenti commorantes Ptolomæus y) etiam recenset *Sidinos*, quos Suardonibus finitimos, ad Viadrum amnem, Rugios

Rugios infra, vel ut eos corrupte vocat Ruticlios, locat. Sedes itaque Cluverius z) eis adscribit Marchiæ partem inter Tragum, Notesium, Vartam & Suevum amnes, Pomeraniæ item portionem, qua oppidum Piriz; secus ac Hartknochius, a) qui argumento a similitudine nominis sumto, eos in hodierno Stetinensi Ducatu consedisse autumat. Nomen Sidinorum a voce Sitzen derivat Grotius, b) quasi fuerint sedentarii, pigri & otium amantes homines. Suevos autem fuisse, vel ideo credibile, quod Suevicis gentibus undique cincti, Suevum flumen accoluerunt, & Marobodui etiam in se imperium haud dubitarunt agnoscere. c) Non longe ab his Plinii d) *Carinos* coluisse, multi e) sunt, qui existimant, Suevis insuper eos annumerantes. Utriusque autem gentis nomen dictis tantum auctoribus cognitum; inde eos suscepta expeditione in terras peregrinas in alius cujusdam gentis transiisse nomen, non inepte conjectat Cluverius. f)

y) Lib. II. c. 11. *Post Saxones vero a Chaluso fluvio usque ad Suevum fluvium tenent Pharodeni. Post Sidini usque ad Viadrum fluvium. Sub ipsis Ruticlii, usque ad fluvium Vistulam.* Straboni Lib. VII. Geogr. Σιδίνοι, Plinio vero Lib. VI. c. 4. H. N. Sideni audiunt.

z) Lib. III. c. 35. pag. 145. c. l. a) In Diss. de orig. Pomer. §. 5. b) In prolegom. ad Hist. Goth pag. 7. c) Strabo Lib. VII. Geogr.

d) Lib. IV. c. 14. *Germanorum genera quinque, Vindili, quorum pars Burgundiones, Varini, Carini, Guttones.*

e) Cluverius c. l. qui eis Poloniæ & Marchiæ portionem assignat, inter flumina Tragum & Gudam. Hartknoch c. l qui maximam Carinorum partem Poloniæ accenset, non nisi exiguam Pomeraniæ.

f) c. l. pag. 145. in f.

§. XXII. Præter jam memoratas gentes Tacitus etiam omittit *Burgundiones*, Plinio g) haud incognitos, & Ptolomæo h) *Buguntas* dictos; Rationem non aliam dari posse putat Cluverius i) quam quod gens illa tum adhuc exigua, ejusque civitas humilis fuerit, sub alius forte gentis tutela, Lygiorum puta, latens. Agros itaque Poloniæ eos insedisse existimat, ubi hodie oppida Gniezno, Wagrovviec, Ragozno, Uscie, Nakiel, Radzieyovvo & lacus Goplo, & quidem non male, cum Ptolomæus k) Buguntas suos post Semnones coluisse & ad Vistulam usque extensos fuisse tradat. Vandalis communiter accensentur, l) sed & hos ad Suevicas pertinere gentes, m) non una ratione demonstrari potest. Certe qui primus eorum post Tacitum mentionem facit Plinius, præter Burgundiones etiam Varinos & Guttones eis adnumerat, quibus alii n) Lemouios, Rugios, Sidinos, Suardones, Eudoses, Anglos, Auiones, Reudingos, Nuithones & Langobardos addere haud dubitant; omnes autem has gentes Suevicæ originis fuisse, ex Tacito, vel hactenus dictis, constat. In Vandalis præterea fuit Suevus fluvius o) & Vandali oras Suevici p) maris accoluerunt, ut ex situ mox dictorum populorum apparet; quis autem credat, ingenti mari, aut non ignobili fluvio, ejusmodi nomina ab aliis, quam Sueuicis populis imposita fuisse. Etymon quoque Vandalicæ & Suevicæ gentis si quis consideraт, facile deprehendet, eandem pene utriusque esse vim. q) Sueui enim cum vagabundi audiant, *Vandalorum nomen* non alios, nisi *ambulatores* notat, manifesto forsan indicio, integram nationem *antiquitus modo Vandalos, modo Suevos*, duplici ejusdem significationis nomine, fuisse appellatam; ita tamen, ut Vandalorum nomen Suevis tantum maritimis postea remanserit proprium, Suevorum vero omnibus generale. Hi *Vandali* ab

Oceani

Oceani oris ad Danubium profecti, r) primum in veteri Dacia, post a Geberico Gothorum rege victi, in Pannoniæ s) agris, ex permissu Constantini M. consederunt; unde rursus una cum Alanis, Gunderico rege, sub principatu Honorii, egressi, in Galliam, postea et in Hispaniam t) penetrarunt: Eamque etiam relinquentes & a Bonifacio Patricio evocati, circa A. C. 427. Genserico Rege, in Africam trajecerunt, u) ubi condito regno CVII. per annos imperium tenuerunt, donec tandem a Justiniano Augusto variis præliis superati, omni plane Africa excedere cogerentur. x) *Burgundiones* contra, qui pars eorum, occidentem versus, ad Rhenum, migrationes suas instituerent, cumque Honorio & Theodosio juniore imperantibus, facili negotio transeuntes, Galliæ partem ex concessione eorum y) obtinuerunt; ast mox Belgarum limites, Gundicario rege, turbantes, ab Ætio Romano ingenti prælio superati, in interiora Galliæ & Sabaudiæ agros translati fuere, z) ubi crescentibus opibus & finitimis subactis, fines regni latissime extenderunt, a) donec eos inter Francorumque reges gravissimo orto bello; ab his devicti, Franciæ sese ditioni subjicere, eorumque imperium circa A. C. 532. agnoscere cogerentur. b)

g) Lib. IV. c. 14. H. N. *Germanorum genera quinque Vindili, quorum pars Burgundiones, Varini, Carini, Guttones.*

h) Lib. II. c. 11. Geogr. i) Lib. III. c. 26. p. 145. c. I.

k) c. I. *Preterea qui protenduntur ad Buguntas, qui cetera tenent, que inde subsequuntur usque ad Vistulam.* Consentiunt Cluverio B. Cellarius Lib. II. c. 5. p. 480. c. I. Hartknoch §. IV. c. I. & Gollut Lib. II. c. 1. p. 60. dans ses memoires historiques de la republique Sequanoise. qui tamen eos Gallos fuisse & ex Gallia migrantes tantum ad tempus aliquod circa Vistulam consedisse tradit.

l) B. Schurtzfleischius in histor. veter. regni P. Q. Burgundici c. I. §. 1. Chifletius pag. 193. de Vesont.

m) Coosentiunt Cromerus Lib. I. c. 5. de rep. Polon. Hertius P. II. c. 2. §. 1. not. veter. Germ. pop. Hartknochius §. 3. & 4. c. I.

n) Cluverius Lib. III. c. 46. p. 205. c. I. Hartknoch c. I. Boreales enim gentes Germaniæ veteribus dictos fuisse Vandalos ex antiquis martyrologiis, actis Sanctorum, Hincmaro itidem & Flodoardo probat Petr. Fr. Chiffletius in Paulino illustrato P. I. c. 27.

o) Vid. supra §. VIII. not. (I.)

p) Accolas Suevici maris dictos fuisse Vandalos vel ex unico testimonio constat, quod ex Dexippi historiis citat Jornandes c. 22. de reb. Getic. ubi: *Vandalos ab Oceano ad Romanum limitem vix anni spatio pervenisse.*

q) Vid. Gollut Lib. II. c. 1. p. 60. c. I. & Grotius in prolegom. ad Hist. Goth. p. 24. quorum prior tamen uti dictum c. 2. seq. p. 62. originem Burgundionum ex frivolis rationibus a Gallis, posterior vero ex Scanzia petit.

r) Jornandes de reb. Getic. c. I. Dio Cassius Lib. LXXII. histor.

s) Jornandes c. I. conf. etiam Ant. Bonfinium Decad. I. Lib. II. p. 39. Histor. Pannon.

t) Procopius Lib. I. pag. 9. Vandal. apud Grot. inter Script. Histor. Goth. & Isidorus in histor. Wandal. apud eundem pag. 732.

u) Idem Procopius Lib. I. pag. 11. c. I. x) Idem Lib. II. pag. 83. c. I.

y) P. Aquitanus ad An. 415. & ex eo Cassiodorus in Chron. sub Honorio & Theodos. II. adde Gollut pag. 67. c. I.

z) P. Aquitanus ad An. 438. Vignierius in Chron. Burgund. ad An. 434. pag. 11.

a) Cassiodorus Lib. I. epist. ult.

b) Gregorius Turonensis Lib. III. c. 6. hist. Franc. Vignierius d. l. p. 21. Hadr. Valesius Lib. VII. rer. Franc. pag. 379.

§. XXIII. In dextro maris Suevici littore *Æstiorum* gentes alluebantur, quibus ritus habitusque Suevorum, lingua Britannicæ propior erat. c) Succinum ibi legerunt, d) indubio argumento, Borussiam & Livoniæ partem incoluisse; e) in hisce enim regionibus electrum tantum colligitur. Et Estonia, Livoniæ pars, vel adhuc hodie veterum incolarum nomen servat, quod procul dubio a sedibus suis acceperunt; orientem enim vergebant, & Est vel Æst Germanis orientalem plagam audit; inde Æstius idem est ac orientalis. f) Caroli M. ætate priscam hanc patriam eos adhuc incoluisse, ex Eginhardo discimus, g) quo autem postea migraverint, certo dici nequit.

c) Tacitus c. XLV. §. 3. de M. G. d) Idem §. 6. c. l.

e) Cluverius Lib. III. c. 44. p. 188. c. l. B. Cellarius Lib. II. c. 5. p 488.

f) Grotius in prolegom. ad Hist. Goth. p. 3. & pag. 11. Juncker P. II. c. 1. p. 79. c. l.

g) In vita Caroli M. *ad latus Australe* Baltici maris *Slavi & Æsti* (*Æstiones*) *& aliæ diversa incolunt nationes.*

§. XXIV. *Suionum* h) civitas, & quæ ab his porrigebantur *Sitonum* i) gentes in ipso Oceano vel Suevico k) mari habitarunt, illa scilicet in insula, vel peninsula potius, quam Plinius l) Scandinaviam appellat, hodie vero non minimam Suevici & Danici regnorum portionem constituere videmus, m) ita, ut secundum quosdam n) Suiones Scandinaviæ partem orientalem, ubi hodie provinciæ Scania, Hallandia, Bleckinga, Gothia, Suedia, Botnia occidentalis, Biarnia & Lapponia; Sitones vero occidentalem, ut Norvvegiam, Finnomarchiam & Scritofinniam incoluerint, Sevo monte, a faucibus Codani Sinus ad lacum usque Album, utramque gentem terminante. *Suionum*, quos alii o) a modo dicto monte, vel Suevo fluvio, aut rursus alii p) ab eodem nomine, quo & reliquos Suevos, majori verosimilitudine, dictos fuisse putant, una quidem erat natio, sed in plures gentes divisa, quænam vero illæ nominatim fuerint, non constat, nisi quod Plinius q) *Hillevionum*, quos quingentos pagos inhabitasse tradit, mentionem facit, quibus Ptolomæus r) *Chædinos*, *Phavonas*, *Phirasos*, *Gutas*, *Dauciones* & *Levonos*, obscuras plerasque gentes, adjungit. Idem de Sitonibus dicendum, quorum tantum nomen nobis cognitum. Omnes autem hæ gentes Sec. IX. et sequentibus Normannorum s) nomine claruerunt, maximamque Germaniæ, Italiæ, Galliæ & Angliæ partem victricibus suis armis impleverunt, ita ut nec apud seros posteros unquam memoria eorum intermoritura sit. Hic Sueviæ finis. Trans Suiones etenim & Sitones aliud mare pigrum ac plane immotum, glaciale scilicet illud, ob frigiditatem concretum, quod hodie Norvvegiam & Moscoviam ambit, quo cingi claudique terrarum orbem veterum plerique crediderunt. t)

h) Tacitus XLIV. de M. G. §. 1. i) Idem c. XLV. §. 11. k) Idem c. XLV. §. 3.

l) Lib. IV. c. 13. H. N. Sinus *qui Codanus vocatur, refertur insulis, quarum clarissima Scandinavia est, incompertæ magnitudinis; portionem tantum ejus, quod sit notum,*

notum, Hilleuionum gente quingentis incolente pagis, quæ alterum terrarum orbem eam appellat. Hæc Scandinavia insula Xenophonti Lampsageno *Balthia* dicitur Pythea *Basilia* vid. idem Plinius c. l. Jornandes c. 3. de reb. Getic. Scanziam habet.

m) Vid. Cluverius Lib. III. c. 38. Grotius in prolegom. ad hist. Gothic. p. 2. B. Cellarius Lib. II. c. 5. p. 488. c. l. aliosque plures. Veteres enim Borealis Germaniæ antiquæ partes, ipsis parum cognitas, ex insulis consistere & ex sinu Botnico in oceanum Septentrionalem transitum patere, falso crediderе. (Vid. Tacitus c. 1. §. 2. de M. G. & Plinius c. l.) percipientes etiam oras illas freto Danico adjacentes Scandiam appellari, mox & ulteriora ejusdem peninsulæ eodem nomine vocarunt. Leibnitius in not. ad Plin. Tom. I. Script. rer. Brunsuic. pag. 7.

n) Cluverius Lib. III. c. 41. p. 174. c. l. B. Cellarius pag. 489. c. l. Juncker P. II. c. 1. pag. 114. & 116. c. l. Grotius pag. 7. c. l. a quibus tamen dissentit Valesius in notit. Galliarum voc. Nortmannia, Norvvegiam eos tantum inhabitasse, & sic Norvvegos, non vero Suedos, eorum nomine intelligendos esse, tradens p. 338.

o) Kirchmajerus ad Tacit. c. XLIV. pag. 432.

p) Reiner. Reineccius P. III. Syntagm. Heroic. f. 434. *Nec dubitarim de Suedis & Sueonibus nomen a Suenis, sed prolatione sive sono nonnihil variatum.* conf. etiam Goldastum de regno Bohem. Lib. I. c. 5. pag. 37. & Grotium pag. 11. c. l. cui tamen Sueones seu Suethi etiam laboriosi dicuntur eisque oppositi Sitones, sive Sedentarii aut pigri. vid. etiam pag. 6. in f.

q) Lib. IV. c. 13. c. l. *r*) Lib. II. c. 11. Geogr.

s) Eginhardus in vita Caroli M. *Sinus quidam ab occidentali oceano orientem versus porrigitur, longitudinis incognitæ, latitudinis, quæ nusquam centum millia passuum excedat. Hunc multæ circumsident nationes. Dani siquidem ac Sueones, quos Normannos vocamus, & Septentrionale latus & omnes in eo insulas tenent.* Adde Bremensis Lib. I. c. 13. hist. Eccles. *Dani vero & Sueones, cæterique trans Daniam populi ab historicis Francorum omnes Nortmanni vocantur.* Conf. etiam Grotium p. 7. & 11. in prolegom. ad Hist. Goth. ubi simul contra Cluverium disputat, sub Normannis Sitones tantum, vel hodiernos Norvvegios veteribus venisse, asserentem.

t) Tacitus c. XLV. §. 11. & §. 1. de M. G.

§. XXV. Ex hactenus traditis quam evidentissime patet, *Suevos* olim & Taciti imprimis tempore maximam *u*) Germaniæ partem possedisse. Quicquid enim a meridie Danubio, ab oriente ducta linea ab urbe imperiali Nordlinga ad Salæ fontes, hoc amne, Albi & Trava fluminibus, Sinu Codano & mari Germanico; a Septentrione mari glaciali; ab oriente denique Sinu & lacu Albo, Sinu Botnico, mari Codano & Vistula Maroque fluminibus includitur, Suevia dicebatur & a Suevicis populis incolebatur. Qui vastissimus tractus hodie comprehendit Suevici circuli portiunculam, ubi Nordlinga & Dünckelspihla civitates, Palatinatum superiorem, Franconiæ partem, ubi Noriberga urbs, Marchionatus Culmbacensis & Coburgensis principatus partem, Terram Advocatorum, Bavariæ partem, ad sinistram Danubii ripam, Bohemiam, Austriam inferiorem, Moraviam, Poloniam Cis-Vistulanam, Silesiam, Lusatiam, Misniam, Saxoniam superiorem, Anhaltinum principatum, Marchionatum Brandeburgicum, excepta ea parte, quæ cis Albim, Pomerelliam, Cassubiam, Pomeraniam, Ducatum Megapolitanum, & trans Sinum Codanum Suevici regni provincias, Bleckingam, Scaniam, Hallandiam, Suediam, Botniam occidentalem, Finnomarchiam Scritofinniam, Lappiam, Biarniam & Norvvegiam; *x*) quibus etiam maritima in parte hujus Sinus Australi addenda, scilicet

Borussiæ & Livoniæ non levis portio, *y*) ubi Æstii succinum colligendo operam dederunt, nec non omnis Hungariæ regio inter Maruui & Granuam amnem, quam virtute sua & lapsu temporis veteri Sueviæ Quadi adjecerunt. *z*) Antiquitus quidem etiam Cis-Albinam Germaniæ partem insederunt, & Langobardi quidem *a*) Borealem, Marcomanni *b*) vero & alii Suevi Rhenum vergentem; ast his in Bojohemum concessis, illis vero Tiberio Duce, a Romanis trans Albim pulsis, non nisi Hermunduri in Cis-Albina terra restitere, ut sic merito culpandus Strabo, *c*) qui maximam Suevorum partem Albim inter Rhenumque suo tempore habitasse fidentius asserit, cum non hunc sed trans Albinum tractum innumeras gentes, Suevico nomine superbientes, incoluisse, ex hactenus dictis certissimum sit.

u) Tacitus de M. G. c. XXXVIII. §. 1. alt enim: *majorem Germaniæ partem obtinent* Suevi.

x) Hactenus consentiunt Cluverius Lib. III. c. 24. c. l. Kirchmajer ad Tacit. c. 38. p. 395. Hartknoch §. 2. c. l. Hertius in not. veter. Germ. popul. P. II. c. 2. §. 1. aliique plures.

y) Supr. §. 23. *z*) Supr. §. 16. *a*) Supr. §. 11. *b*) Supra §. 15.

c) Lib. VII. Geogr. pag. 290. quem locum integrum supra adduximus §. 10. sed Albim Sueviæ occidentalem terminum fuisse, testatur etiam Vibius Sequester, dum ait: *Albis Germaniæ fluvius Suevos a Cervetiis dividit, mergitur in oceanum.* Et Lucanus Lib. II. Pharsal. c. 51. canit:

Fundit ab extremo flavos aquilone Suevos
Albis. - -

§. XXVI. Omnis autem Suevia, sicut & reliqua Germania, terra erat informis, aspera cœlo, tristis cultu aspectuque *d*) & licet aliquando specie differret, in universum tamen aut paludibus erat fœda, aut horrida silvis, *e*) inter quas Martiana *f*) Lunæ *g*) & Hercynia *h*) silva imprimis erant celebratæ, hujusque tanta vastitas, ut plus quam LX. dierum itinere longa, IX. vero dierum itinere lata fuisse dicatur. Satis præterea omnis quidem tellus erat ferax, sed frugiferarum arborum impatiens, *i*) non quidem sua natura, sed ob culturæ defectum, cum ubertate & amplitudine soli labore haud contenderent incolæ, ut pomaria consererent, & prata sepirent, & hortos rigarent, solam terræ segetem imperantes. *k*) Argentum denique & aurum an propitii aut irati Dii Germaniæ una cum Suevia negaverint, determinare dubitat Tacitus; *l*) ferrum autem non superfuisse ex genere telorum cognosci posse asserit. *m*) Sed omnia hæc jam hodie esse mutata, & Germaniam nostram eamque regionem, quam Suevi olim incoluerunt, & omni genere metallorum, & soli fertilitate omniumque rerum copia quam uberrime abundare, vel omnes, quotquot aliquam ejus notitiam habent, quam lubentissime fatentur.

d) Tacitus c. II. §. 2. de M. G. Mela Lib. III. c. 3. qui, *terra ipsa*, inquit, *multa impedimenta fluminibus, multis montibus aspera & magna ex parte silvis ac paludibus invia.*

e) Tacitus c. V. §. 1. c. l.

f) Hujus imprimis meminit Ammianus Lib. XXI. c. 8. & est eadem silva, quam hodie nigram dicimus. vid. Cellarius in not. orb. antiqu. Lib. II. c. 5. pag. 463.

g) Lunæ silvæ situm describit Ptolomæus Lib. II. c. 11. Geogr. & ex eo B. Cellarius c. l. ad fontes Mari, nunc March in Moravia, qui contra Carnuntum Danubio insinuatur.

h) Hanc

b) Hanc filvam egregie depingit Cæfar Lib. VI. c. 24. de B. G.

i) Tacitus c. V. §. 2. c. l.

k) Idem c. XXVI. §. 3. c. l. nifi quod de Æftiis c. XLV. §. 5. referat, *frumenta, cæterosque fructus patientius, quam pro folita Germanorum inertia, laborant.*

l) c. V. §. 4. c. l. addit enim: *nec tamen affirmaverim, nullam Germaniæ venam argentum aurumve gignere, quis enim fcrutatus eft?*

m) c. VI. §. 1. cum quibus tamen non conveniunt, quæ c. XLIII. §. 2. de Gothinis refert: *Gothini, quo magis pudeat, et ferrum effodiunt.*

§. XXVII. Sicut autem *antiqua Suevia* non ut hodierna in certas provincias, fed *fecundum civitates & populos n) erat divifa*, ita hi quoque *in certos pagos, o)* Germanis *Gavv, Gävv, Gevv, Gövv, Gova, Govve* vel *Gobia p)* dictos, fuerunt difterminati, qui non aliud erant, quam integra amplioris alicujus regionis portio, modo major, modo minor, prout fcilicet plures vel pauciores fub fe contineret vicos. Horum numerum ad centum quidem extendit Cæfar, *q)* aft cum Tacitus, *r)* rerum Germanicarum longe perititfimus, vel folis Semnonibus centum pagos tribuat, & Hilleuiones *s)* Scandinaviæ gentes, quingentis plane habitaffe dicantur, merito in hoc Cæfaris fides nobis fufpecta, maxime cum integram & numerofiffimam nationem immenfum plane tractum infedentem in centum tantum pagos divifam fuiffe, vix fit credibile. Hoc interim certum, Suevos & Alemannos *t)* in Rhætiam, Vindeliciam & Galliam immigrantes, ibique confidentes, antiquum hunc morem & ibidem obfervaffe, pagisque vel a fe ipfis, vel a fluminibus & urbibus in eo præcipuis impofuiffe nomina, ut vel vocabula Algövve, Linzgövve, Rhetigavv, Rheingauvv, Donaugavv, Turgovv, Argovv, Wirngovv, Illergovv, Kreichgovv, Zürichgavv, Breisgavv, Suntgavv, Hegavv, Wasgavv, Klettgavv & innumera alia indicant & adhuc hodie quam manifeftiffime teftantur. *u)*

n) Hoc ex hactenus dictis quam manifeftiffime patet, femper enim Tacitus Suevos fecundum populos diftinguit, nunquam fecundum provincias: ita notiffimi ei Hermunduri, Semnones, Quadi & Lygii, nullibi autem mentionem facit Hermunduriæ, Semnoniæ, Quadiæ & Lygiæ, quod & de aliis authoribus intelligendum. Civitatem denique & populum Synonymice hic fumi, ex eodem Tacito difci poteft, cui cap. XLI. §. 1. de M. G. Hermundurorum c. XXXVII. vero §. 1. Cimbrorum civitates haud incognitæ, quocum conferri poffunt, quæ habet Cæfar Lib. VI. c. 23. de B. G.

o) Horum pagorum meminit Cæfar c. l. *principes regionum*, inquiens, *atque pagorum inter fuos jus dicunt.* Et Tacitus c. XII. §. 5. *principes, qui jura per pagos vicosque reddunt,*

p) Conf. Goldaftus in not. ad Eckard. Jun. c. 1. p. 111. Tom. I. Script. rer. Alem. & Sagittarius in antiqu. Ducat. Thuring. Lib. IV. c. 2. p. 203. qui ex Rudbekii Atlantide vocem pagus a Gothico vocabulo Gioe, quod terram five regionem fignificat, deducit.

q) Lib. IV. de B. G. c. 1. *Hi* (Suevi) *centum pagos habere dicuntur.* Eique adftipulatur Orofius L. VI. c. IX. hift. dum ait: Suevorum *effe centum pagos & populos, multi prodidere.*

r) C. XXXIX. §. 5. *adjicit auctoritatem fortuna Semnonum, centum pagis habitantur.*

s) Plinius Lib. IV. c. 13. H. N. *Hilleuionum gente quingentis incolente pagis.*

t) Alemannorum pagorum imprimis meminit Ammianus L. XV. c. 4. ubi: *Lentiensibus Alemannicis pagis indictum est bellum.* Et Lib. XXI. c. 3. *didicit enim, Alemannos a pago Vadomarii exorsos, unde nihil post istum foedus sperabatur incommodum, vastare confines Rhaetiis tractus.* Conf. eundem quoque Lib. XXVIII. c. 2. & Lib. XXIX. c. 4.

u) De hisce Sueviæ pagis speciali Diss. egit Henr. Bebelius Justingensis, quæ extat inter Miscellanea ejus 1510. in fol. edita; & de Creichgouiensi pago peculiarem orationem habuit Chytræus. Conf. etiam Freherus de orig. Palat. Lib. I. c. 5. ubi Catalogum pagorum sub Carolingis & inter hos & Sueviæ exhibet, & H. Valesium in not. Galliarum, ubi & Neustriæ & Austrasiæ pagos recenset.

§. XXVIII. Habitarunt autem hisce in pagis discreti ac diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit, x) diversos per vicos. y) Urbes enim & oppida, junctasque sedes, Tacito teste, inter se haud passi fuerunt, z) cum muros munimenta servitutis, a) & in genere plus roboris in virtute, quam urbibus reputarent. Neque in contrarium nos ducit Cæsaris b) auctoritas, longe ante Tacitum Suevicos populos oppida incoluisse tradentis; negligenter enim ut & multa alia, more suo, Suevis nostris ea tribuisse, quilibet facile videt. Neque qui post ejus & ipsius Taciti ætatem vixit, Claudius Ptolomæus, c) quando in opere suo Geographico amplius XC. in Germania magna πόλεων nomine recenset loca, de oppidis & locis munitis intelligendus, quippe vix probabile, omnes has urbes intra LX. annos post Taciti Germaniæ descriptionem fuisse conditas; quin potius capita tantum civitatum & principes locos, in quos ad concilia habenda, quoties negotia publica postulabant, universi convenerunt, indicare voluisse credibile. Ut taceam, neque ἡ πόλις, neque oppidum, locum munitum & muris cinctum semper denotare, sed non raro quoque vicum & locum saltim ab hominibus inhabitatum, ceu vel ex unico Herodiano d) quam luculentissime constat. Negari tamen nequit & ex ipso Tacito liquet, e) etiam apud Marcomannos & Quados castella quædam fuisse, quæ procul dubio reges eorum despotiam affectantes, turbulento rerum statu, exstrui fecerunt, quo nempe eo melius sub jugo eos retinere & necessitatis tempore suffugium habere possent; ast & hæc mutata facie rerum fuisse destructa, & solo æquata, vel exinde colligere licet, quod post Taciti tempora nemo Romanorum, prolixe licet expeditiones gentis suæ in Germaniam susceptas descripserint, vel ullo verbulo eorum mentionem facit. Acrior nempe Arsacis regno & Germanorum & Sueviæ gentis libertas, inde loca firmiora ut feræ, quæ circumdatæ retibus busta declinant, evitabant. f) Nec odium hocce in provincias Romanas irruentes deposuisse videbantur; licet enim varias urbes victricibus suis armis expugnarent, sibique appropriarent, hisce tamen dirutis atque neglectis, in campis patentibus, more prisco, habitare maluerunt, quam munimentis includi; g) unde etiam non nisi seris temporibus a Francicis regibus destructa ab eis loca in Germania Cis-Rhenana restaurari, in Trans-Rhenana h) vero serius adhuc a Germanicis Impp. muris circumdari ceperunt vici, ut vel historia eorum quam luculentissime testatur.

x) Tacitus c. XVI. §. 1. de M. G.

y) Villas vocat Ammianus. Lib. XVII. c. 1.

z) Tacitus c. XVI. §. 1. c. l. *nullas*, inquit, *Germanorum populis urbes habitari, satis notum est, ne pati quidem inter se junctas sedes.* vide idem c. XII. §. 5. c. l.

a) Ita enim Tencteri Agrippinensium concilium apud Tacitum Lib. IV. Hist. c. 64. §. 4. alloquuntur: *sed ut amicitia societasque nostra in æternum rata sit, postulamus a vobis, muros Coloniæ, munimenta servitii, detrahatis. Etiam fera animalia, si clausa teneas, virtutis obliviscuntur.*

b) Lib. IV.

b) Lib. IV. c. 19. de B. G. *Suevos postquam per exploratores pontem fieri comperissent, more suo consilio habito, nuntios in omnes partes dimisisse, ut de oppidis demigrarent, liberos, uxores, suaque omnia in silvas deponerent.*

c) Lib. II. c. 11. Geogr. Situm horum oppidorum Ptolomæi omnium optime describit & ad statum hodiernum accommodat M. Altingius peculiari Dissert. Germaniæ suæ veteri inferiori præmissa.

d) Hic enim cum scripsisset in historia Maximini Lib. VII. c. 2. *vicos omnes* (τὰς τε κώμας) *incendendos diripiendosque militibus concessit*, mox addit: *namque oppida eorum* (τὰς πόλεις αὐτῶν) *atque ædificia ignis depascitur.* Ex quo liquet, τὰς πόλεις Herodiano esse idem, quod τὰς κώμας. conf. Conringius de urbib. Germ. §. 21.

e) Lib. II. Annal. c. 62. §. 3. ubi de expeditione Catualdæ contra Maroboduum suscepta hæc refert: *Is Catualda valida manu fines Marcomannorum ingreditur, corruptisque primoribus ad societatem, irrumpit regiam castellumque juxta situm. Veteres illic Suevorum prædæ - - repertæ.* Et Lib. XII. Annal. c. 29. §. 6. tradit: Vannium Quadorum Regem imparem multitudini hostium, castellis sese defensare, bellumque ducere statuisse.

f) Verba sunt Ammiani Lib. XVI. c. 12. qui hæc de Alemannis refert.

g) Egregie hæc docet Fr. Guillimannus de Episc. Argentinens. c. 3. *in agriculturam*, inquiens, *relicto deinceps bellandi ex parte studio, conversi Alemanni, Francique, vicos incoluere; neque quas recuperarunt urbes, vel munimenta instaurarunt, aut vero habitavere. Sive, ne rursus illis, ut antea sæpius, ejicerentur a principio formidarint, aut vetere et ex Germania allata consuetudine, manendi in aperto.*

h) Loquor stilo Romano. Sic Brusehius in descript. monasterii Campidunensis recenset, circa A. C. DCCC. præter Augustam, Pfullindorff & Kempten, paucas aut nullas in Suevia urbes fuisse, bene tamen vicos ingentes, ut Ulmam, Grunesuet, hodie Memmingam, Biberach, Leutkirch, Isni &c.

§. XXIX. Hi autem vici veterum Suevorum non in morem Romanorum, connexis & cohærentibus ædificiis, erant locati, sed suam quisque domum spatio circumdabat, seu adversus casus ignis remedium, seu inscitia ædificandi. Ipsæ domus simplices erant & agrestes; cœmentorum enim & tegularum apud eos nullus usus, & materia ad omnia utebantur informi, & citra speciem aut delectationem. i) Stramina potius & cespites tegularum erant loco, quibus tecta intexebant, & lignis quoque ex arboribus succisis parietes tabulataque componebant. k) Quædam loca diligentius illinebant terra, ita pura & splendente, ut picturam & lineamenta colorum imitarentur. Solebant & subterraneos specus aperire, eosque multo insuper fimo onerare, suffugium hiemi & receptaculum frugibus, quia rigorem frigorum ejusmodi locis molliebant, & si quando hostis adveniebat, aperta populabatur, abdita autem & defossa ignorabantur, aut eo ipso fallebant, quod quærenda erant. l) Hic simplex ædificandi modus ad tempora usque Sec. IV. remansisse videtur, tunc enim jam lautius vivere, & domibus in morem Romanum extructis habitare cœpisse Alemannos, ex Ammiano ll) teste hujus rei oculari, omnium optime perspici potest.

i) Verba sunt Taciti c. XVI. §. 2. & 3. de M. G. quibus jungenda quæ habet Strabo Lib. VII. Geogr. p. 291.

k) Herodianus Lib. VII. c. 2. *Rara apud eosdem (Germanos) structura e lapide ac lateribus coctilibus; densisque potius silvis, quorum confixis coagmentatisque lignis, quædam quasi tabernacula ædificant.*

l) Tacitus

l) Tacitus c. XVI. §. 4-6.

ll) Lib. XVII. c. 1. *extractisque captivis, domicilia cuncta, curatius ritu Romano constructa, flammis subditis urebat.*

§. XXX. Hisce in domibus nudi ac sordidi agebant, & in illa corpora inque illos artus excrescebant, quæ mirabantur Romani, *m*) multi vero ne Dii quidem immortales pares esse posse credebant. *n*) Omnibus enim procera & gigantea erant corpora, *o*) candida cutis, *p*) truces & cærulei oculi, *q*) rutilæ comæ *r*) & horridus sermo, *s*) quibus tantum hostibus suis incutiebant terrorem, ut vel nudo aspectu in fugam eos haud raro verterent *t*)

m) Tacitus c. XX. §. 1. de B. G.

n) Ita enim legati Tencterorum & Usipetum apud Cæsarem Lib. IV. c. 7. de B. G. loquuntur: *sese unis Suevis concedere, quibus ne Dii quidem immortales pares esse possent. Reliquum quidem in terris esse neminem, quem non superare possint.*

o) Tacitus c. IV. §. 2. c. I. *unde habitus corporum, quamquam in tanto hominum numero, idem omnibus, truces & cærulei oculi, rutilæ comæ, magna corpora.* Mela Lib. III. c. 3. de situ orb. *immanes animi atque corporibus* eos vocat, Floro Lib. III. c. 10. §. 12. *Immania corpora* audiunt, & Herodiano Lib. VI. c. 7. dicuntur *prægrandia corpora.* Sidonio Apollinari carm. V. v. 244. & carm. 12. v. 11. *Septipedum & gigantum* nomine insigniuntur Burgundiones, & Ammianus Lib. XVI. c. 12. Chnodomarium Alemannorum regem ita describit: *fidens ingenti robore lacertorum.* Idem comparens Alemannos cum Romanis militibus eod. cap. *robustos & celsiores, feros & turbidos, grandissimisque corporibus fretos* eos dicit. Et Vegetius Lib. I. c. 1. de re milit. *quid adversus Germanorum proceritatem brevitas potuisset audere* interrogat? In hanc proceritatis causam inquirit Conringius peculari Tractatu de habitu corporis Germanorum novi & antiqui causis, eamque tribuit partim seræ Veneri, partim quod aliarum gentium connubiis haud infecti, una eademque inter omnes victus, vivendique ratio fuerit, conf. etiam Cæsar Lib. IV. c. 1. de B. G.

p) Vitruvius: *sub Septentrionibus nutriuntur gentes, immanibus corporibus, candidis coloribus, directo capillo & rufo, cæsiis oculis, sanguine multo.*

q) Ita enim præter jam allegatos de oculis eorum canit Juvenalis Satyr. XIII.

Cœrula quis stupuit Germani lumina? - -

r) Claudianus Lib. I. in Eutrop.

Arduus & flavis signabat jura Suevis.

Climati hoc tribuit Plinius Lib. II. c. 78. H. N. Martialis vero Lib. VIII. Spumæ seu Saponi, quo ungebant & lavabant capillos, hoc adscribit, dum canit:

Caustica Teutonicos accendit Spuma capillos.

s) Tacitus Lib. II. histor. c. 74. §. 3.

t) Ita enim Cæsar Lib. I. c. 39. c. I. *Dum paucos dies ad Vesontionem rei frumentariæ commeatusque causa moratur, ex percunctatione nostrorum vocibusque Gallorum ac mercatorum, qui ingenti magnitudine corporum Germanos, incredibili virtute atque exercitatione in armis esse prædicabant, sæpe numero sese cum iis congressos, ne vultum quidem atque aciem oculorum ferre potuisse; Tantus subito timor omnem exercitum occupavit, ut non mediocriter omnium mentes animosque perturbaret.*

§. XXXI. Terribilem hunc aspectum non parum auxisse videtur horridus eorum vestitus. Tegumen enim omnibus erat sagum, *u*) fibula, aut si deerat, spina consertum, cætera intecti. *x*) Locupletissimi veste distinguebantur,

bantur, non fluitante, ficut Sarmatæ ac Parthi, fed ftricta & fingulos artus exprimente. Gerebant & ferarum pelles, y) proximi ripæ Danubii negligenter, ulteriores exquifitius, ut quibus nullus per commercia cultus. Eligebant feras, & detracta velamina fpargebant maculis, pellibusque belluarum, quas exterior oceanus atque ignotum mare gignebat. z) Infigne præterea folius Suevicæ gentis obliquare crinem nodoque fubftringere: Sic enim a cœteris Germanis, fic eorum ingenui a fervis feparabantur. Usque ad canitiem horrentem hunc capillum retro fequebantur, ac fæpe in ipfo folo vertice religabant. Principes & ornatiorem habebant. Ea cura formæ, fed innoxiæ. Neque enim ut amarent amarenturve; in altitudinem quandam & terrorem, adituri bella compti, ut hoftium oculis, ornabantur. a) Nec alius fœminis quam viris habitus, nifi quod fœminæ fæpius lineis amictibus velabantur, eosque purpura variabaur, partemque veftitus fuperioris in manicas non extendebant, nudæ brachia & lacertos. Sed & proxima pars pectoris patebat. b)

u) Mela Lib. III. c. 3. c. l. *Viri fagis velantur a libris arborum, quamvis fæva bieme.*

x) Inde Seneca de ira c. 11. *Germanis quid induratius ad omnem patientiam, ut quibus magna ex parte non tegumenta corporum provifa funt, non fuffugium adverfum perpetuum cœli rigorem.* Er Ammianus Lib. XV. c. 5. Alemannis prope Brigantiam a Romanis illatam cladem defcribens, *corpora*, inquit, *nudantes intecta, gladiorum haftarumque denfis ictibus truncabantur;* quibus etiam conveniunr tradita Orofii Lib. VI. c. 7.

y) Cæfar Lib. IV. c. 1. de B. G. *In eam fe confuetudinem adduxerunt, ut locis frigidiffimis neque veftitus, præter pelles, habeant quicquam, quorum propter exiguitatem magna eft corporis pars aperta.* conf. eundem Lib. VI. c. 21.

z) Hactenus funt verba Taciti Cap. XVII. §. 1.-4. de M. G. circa quæ conf. Cluverius Lib. I. c. 16. c. l. qui tamen hoc capite magna cautione legendus, dum Germanos veteres nudos admodum defcripfit, & depingi curavit, ut jam diu annotavit Conringius de Rep. antiqu. veter. Germ. Alemannorum corporis Cultum delineat Agathias Lib. II. hift. vid. etiam infr. §. 58. & pellitos paffim Gothos vocant Claudianus, Sidonius aliique. Idem Sidonius Weftrogothorum etiam habitum defcribens, pedes, air, primos perone fetofo talos ad usque vinctos: genua, crura, furas fine tegmine, veftem altam, ftrictam, verficolorem, vix appropinquantem poplitibus exfertis: manicas fola brachiorum principia velantes. At Langobardorum veftes P. Diaconus Lib. IV. c. 23. defcribit laxas & lineas, ornatas inftitis latioribus vario colore contextis: calceos ad fummum pollicem pæne apertos & alternatim laqueis corrigiarum retentos. vid. Grotius in prolegom. ad Hift. Goth. p. 37. &c.

a) Ita Tacitus c. XXXVIII. §. 2.-4. de M. G. ab hoc tamen more receffiffe videntur Langobardi. de his enim ait P. Diaconus Lib. IV. c. 23. *Siquidem cervicem usque ad occipitium radentes nudabant, capillos a facie usque ad os, dimiffos habentes, quos in utramque partem in frontis difcrimine dividebant.*

b) Tacitus c. XVII. §. 5. c. l. cum quo conferri poffunt, quæ habet Strabo Lib. VII. p. 294. de veftitu fœminarum Cimbricarum, Suevis vicinarum.

§. XXXII. Corporis ob hanc proceritatem & cultum inordinatum feritatis c) plerumque a Scriptoribus Romanis accufantur, maxime cum & latrocinia d) in vicinos exercere, eorumque agros & terras devaftare nullo plane modo omitterent. Sed commune hoc omnium bellicofarum nationum antiquitus erat vitium, a quo cum nec ipfi Romani immunes, nec Suevis noftris hoc vitio verti poterat. Ignaviæ porro inertiæ & impatientiæ non defunt, qui eos arguunt, e) qui fomno & otio dediti omne tempus circa ignem &

focos consumsissent; ast non pauci contra ab his criminibus eos non solum absolvunt, sed exemplum plane omnis industriæ & constantiæ commendant. *f*) Imprimis vero ebrietas eorum & aleæ studium vel ab omnibus notatur, quarum tanta erat consuetudo, ut diem noctemque continuare potando nulli esset probrum, *g*) aleam vero sobri inter seria exercerent, tanta lucrandi perdendive temeritate, ut cum omnia defecerint, extremo ac novissimo jactu de libertate & de corpore contenderent. Nec victus promissa retractabat, quin potius voluntariam servitutem adiret, quamvis junior, quamvis robustior, alligari se ac venire patiebatur. Tanta in re prava erat pertinacia, ipsi fidem vocabant. *h*) Ut autem inter aleam & pocula non raro bella oriri solent, ita crebræ quoque inter eos rixæ, quæ raro conviciis, sæpius cæde & vulneribus transigebantur. *i*) Hac maxima gentis nostræ vitia.

c) Ammianus Lib. XVI. c. 12. ait: *Ductabat autem populos omnes pugnaces & sævos Chnodomarius & Serapio.* Et Orosius Lib. VI. c. 9. *maximam & ferocissimam gentem* Suevos vocat; quibus consentit Vellejus Lib. II. c 106. §. 2. Hist. Rom. cum Langobardi ei *gens Germana feritate ferocior* dicuntur. Sed non adeo feroces eos fuisse, ex eodem Vellejo constat Lib. II. c. 108. §. 2. qui Marobaduum Marcomannorum regem *natione magis quam ratione barbarum* vocat. conf. etiam Tacitum c. 30. §. 3. de M. G.

d) Cæsar Lib. VI. c. 23. Mela Lib. III. c. 3. de sit. orb.

e) Tacitus c. IV. §. 3. de M. G. *Magna corpora & tantum ad impetum valida. laboris ac operum non eadem patientia, minimeque sitim æstumque tolerare, frigora atque inediam cœlo solove assueverunt.* Et Lib. II. Annal. Cap. 14 §. 5. *Corpus ad brevem impetum validum, sic nulla vulnerum patientia.* Rursus c. XV. §. 1. de M. G. *quotiens bella non ineunt non multum venatibus, plus per otium transigunt, dediti somno ciboque.* Et c. XVII. §. 1. c. l. hoc confirmat: *Cetera intecti totos dies juxta focum atque ignem agunt.*

f) Sic ipse Tacitus dum c. XII. §. 2. de M. G. torporem ab eis morte punitum tradit; c. XIV. §. 1. c. l. in præliis strenue eos duces suos fuisse imitatos; & Lib. II. Annal. c. 8. §. 1. de Cheruscis, Suevorum genti finitimis, testatus, eos ab hora quinta diei ad noctem usque cum Germanico pugnavisse, hoc ipso superius dicta refutare videtur. Seneca porro c. 11. de ira exclamat: *Germanis quid cursu acrius, quid induratius ad omnem patientiam!* & Vegetius Lib. I. de re milit. ob id a Septentrione, i. e. Germanis, militem eligendum suadet, quod hi sitis & famis patientes, laborem quemcunque tolerare possint. adde Cæsarem Lib. VI. c. 21. de B. G. ubi ait: *a parvulis labori ac duritiei student*, & Melam Lib. III. c. 3. c. l.

g) Ita Tacitus c. XXII. §. 2. de M. G. c. IV. §. 3. & c. XXIII. §. 3. idem vitium eis objicit Salvianus Lib. IV. de gubernat. Dei, ubi inquit: *numquid tam reprehensibilis ebrietas Alemanni, quam ebrietas Christiani?* quibus jungi possunt, quæ habet B. Rhenanus Lib. I. p. 7. rer. Germ. qui exinde forsan esse, quod adhuc hodie Germani omne negotium potationibus inchoare & claudere soleant, conjicit. Licet hoc vitium Germanis non solum, sed omnibus bellicosis nationibus commune fuisse & hujus culpam in Septentrionalibus populis cœlo, quod circumfuso frigore calorem penitus in corpora adigens sitire cogat, adscribendam esse, tradat Grotius in prolegom. ad Hist. Goth. pag. 19.

h) Verba sunt Taciti c. XXIV. §. 3. & 4. de M. G. *i*) Tacitus c. XXVII. §. 3. c. l.

§. XXXIII. Inter virtutes vero veterum Suevorum vel ab omnibus eximius eorum candor primo loco recensetur. Gens enim erat non astuta, nec callida, *k*) sed facile aperiens secreta pectoris & ideo fidem servans. *l*) Hanc ob rem Romani Impp. custodiæ *m*) corporis haud raro eos adhibebant & Hermun-

Hermunduris imprimis adeo fidebant, ut non solum in ripa Danubii, sed penitus atque in splendidissima Rhætiæ provinciæ colonia commercia exercere permitterent passim & sine custode transeuntibus; imo cum cæteris gentibus arma modo & castra ostenderent, his domos villasque plane patefacerent, non concupiscentibus. *n*) Fides hæc si juramento firmanda, per arma sua, utpote gens bellica, præstare hoc solebant; *o*) neque a pactorum hac religione ullo modo abduci sese permiserunt, antequam a Romanis amicitiæ & odii consilia, prout utilitas & occasio poscit, esse ineunda, didicissent. Egregia porro hac fidei incorruptæ virtute non minor erat larga eorum hospitalitas. Convictibus enim & hospitiis non alia gens effusius indulgebat. Quemcunque mortalium arcere tecto, nefas habebatur. Pro fortuna quisque paratis epulis excipiebat. Cum defecere, qui modo hospes fuerat, monstrator hospitii & comes, proximam domum non invitati adibant. Nec intererat, pari humanitate accipiebantur. Notum ignotumque, quantum ad jus hospitii, nemo discernebat. Abeunti, si quid poscebat, concedere moris; & poscendi inuicem eadem facilitas. *p*) Tanta eorum comitas.

k) Tacitus c. XXII. §. 5. de M. G.

l) Inde Frisiorum legati in theatro populi Romani exclamabant apud Tacitum Lib. XII. Annal. c. 54. *nullos mortalium armis aut fide ante Germanos esse*, & Lib. eod. Annal. c. 30. §. 4. Vangionem & Sidonem Suevorum reges ab egregia erga Romanos laudat fide. Salvianus præterea Lib. IV. de gubernat. Dei, *gens*, inquit, *Alemannorum impudica, sed minus perfida*, & Claudianus de laudibus Stiliconis ita canit:

> *- - quoties sociare catervas*
> *oravit, jungique tuis Alemannia signis?*
> *Non doluit, contemta tamen spretoque recessit*
> *auxilio, laudata fides.*

His tamen non obstantibus perfidiæ maculam eis aspergere conatur Vellejus Lib. II. c. 118. Hist. *Germanos in summa feritate versutissimos, natumque mendacio genus* vocans; & Idacius Episcopus in Chron. Olympiad. 311. *Suevos promissionum suarum ut semper fallaces, & perfidos* appellans. Ast plus odio adversus eos, utpote exteros, scriptores hos indulsisse, ex supra relatis constat.

m) Multa exempla huc pertinentia congessit Fr. Irenicus Exeges. Germ. Lib. IV. p. 191. quibus uel unicum Herodiani de Caracalla testimonium addere placet Lib. IV. c. 7. *Igitur Italia decedens ad ripas Danubii pervenit -- Cæterum Germanos sibi illinc omnes adjunxit, atque in amicitiam conciliavit, sic, ut ex his socios bellorum & custodes corporum validissimum quemque & pulcherrimum sibi adsciverit.* Hoc autem de Suevis intelligendum, vel ideo constat, quod longum Danubium, in Pannoniam usque, non nisi Suevi insederunt.

n) Tacitus de M. G. c. XLI. §. 1. & 2.

o) Ita de Quadis hæc refert Ammianus Lib. XVII. c. 12. *eductis mucronibus, quos pro numinibus colunt, juraverant* Constantio Imp. *se permansuros in fide.* De Alemannis vid. Du Fresne in gloss. voce: jurare per arma.

p) Tacitus c. XXI. §. 3-5. consentit Cæsar Lib. VI. c. 23. de B. G. & Mela Lib. III. c. 3. Eamdemque liberalitatem erga advenas septentrionales populos, maxime Sueones, suo tempore adhuc exercuisse, testatur Ad. Bremensis Libr. de situ Dan. apud Grot. inter Script. Goth. p. 102.

§. XXXIV. Laudatur præterea contemtus eorum omnis avaritiæ generis & voluptatis. Argentum enim & aurum primis temporibus adeo parum curarunt, ut vasa aurea & argentea, principibus & legatis suis a Romanis muneri

data, non in alia utilitate haberent, quam quæ humo figerentur. *q*) Et quomodo etiam aurum vel argentum & ex eo conflatam pecuniam impenderent, antiquissima mercium permutatione *r*) utentes, quibus insuper fœnus agitare & in usuras extendere ignotum? *s*) Postea vero ut plura alia, sic & ejusmodi metalla pecuniamque in pretio habere a Romanis *t*) didicerunt, ita, ut jam nulla gens avidior illis inhiaret nummis, ipsisque hostibus non raro pacem venderent, ut vel innumeris exemplis quam luculentissime demonstrari potest. *u*)

q) Ita Tacitus c. V. §. 5. de M. G. inde etiam Ad. Bremensis de situ Dan. apud Grotium p. 101. c. l. de Sueonibus ait: *omnia enim instrumenta vanæ gloriæ, h. e. aurum, argentum, sonipedes regios, pelles castrorum & marturum, quæ nos admiratione sui dementes faciunt, illi pro nihilo ducunt.*

r) Tacitus c. l. §. 6. *interius simplicius & antiquius permutatione mercium utuntur.*

s) Idem c. XXVI. §. 1. c. l.

t) Ita enim Tacitus c. XV. §. 5. c. l. *jam & pecuniam accipere docuimus.* Conf. eund. c. V. §. 6. & Lib. II. Annal. c. 62. §. 4.

u) Ita enim Herodianus Lib. I. c. 6. Commodum, refert, barbaros Danubii accolas præmiis magnis magis, quam armis devicisse, addens porro: *Quippe barbari suapte natura pecuniæ avidi, periculorum despicientes, aut incursionibus populationibusque victum parent, aut proposita mercede venalem habent.* Eadem de Alexandro Severo tradit idem Lib. VI. c. VII. dum ait: *Cum in his Alexander versaretur, decrevit tamen oratores ad illos de pace mittere, qui pollicerentur omnia illis principem Romanum, quorum foret opus, præbiturum, pecuniasque daturum magna copia. Sunt enim Germani pecuniæ imprimis avidi, nunquam non auro pacem Romanis cauponantur.* Adde excerpta Dionis Coccejani, quæ Henr. Valesius edidit pag. 751. Ammianum Lib. XXVI. c. 5. Salvianum Lib. VI. de gubernatione Dei, & Claudianum Lib. I. Stilic.

§. XXXV. Inprimis autem vitæ eorum castimonia quam maxime celebratur. Licet enim nulla apud eos sexus occultatio & in fluminibus cum fœminæ, tum mares, promiscue perluerentur, *x*) omnia tamen septa pudicitia agebant, nullis spectaculorum illecebris, nullis conviviorum irritationibus corrupti. Litterarum secreta viri pariter ac fœminæ ignorabant. *y*) Sera juvenum Venus, *z*) & qui diutissime impuberes permanserant, maximam inter suos ferebant laudem, hoc enim ali staturam, ali vires, nervosque confirmari putabant: Intra annum vero XX. fœminæ notitiam habuisse, in turpissimis habebant rebus. *a*) Neque virgines festinabantur, eadem inventa, similis proceritas. Pares validique miscebantur, ac robora parentum liberi referebant. *b*) Dotem non uxor marito, sed uxori maritus offerebat. Intererant parentes, & propinqui ac munera probabant. Munera non ad delicias muliebres quæsita, nec quibus nova nupta comeretur, sed boves & frenatum equum, & scutum cum framea gladioque. In hæc munera uxor accipiebatur, atque invicem ipsa armorum aliquid viro afferebat. Hoc maximnm vinculum, hæc arcana sacra, hos conjugales Deos arbitrabantur. Ne se mulier quoque extra virtutum cogitationes, extraque bellorum casus putaret, ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonebatur, venire se laborum periculorumque sociam, idem in pace, idem in bello passuram, ausuramque. Hoc juncti boves, hoc paratus equus, hoc data arma denunciabant. Sic vivendum sic pereundum; accipere se quæ liberis inviolata ac digna reddat, quæ rursus accipiant, rursus ad nepotes referant. *c*) Quibusdam in civitatibus virgines tantum nubebant, & cum spe votoque uxoris semel transigebatur. Sic unum accipiebant maritum, quo modo

modo unum corpus, unamque vitam, ne ulla cogitatio ultra, ne longior cupiditas, ne tanquam maritum, sed tanquam matrimonium ament. *d*) Caeterum ipsa matrimonia severa, nec ulla pars morum magis laudanda, quam quod prope soli barbarorum singulis uxoribus essent contenti, exceptis admodum paucis, qui non libidine, sed ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiebantur. *e*)

x) Caesar Lib. VI. c. 21. de B. G.

y) Tacitus c. XIX. §. 1. de M. G. loqui enim hic Tacitum de litteris amatoriis, circumstantiae docent, secus ac Cluverius Lib. I. c. 19. p. 167. G. A. putat, qui de litteris in genere hoc interpretatur.

z) Tacitus c. XX. §. 4. c. l. Mela Lib. III. c. 3. *a*) Ita loquitur Caesar Lib. VI. c. 21. de B. G. *b*) verba sunt Taciti c. XX. §. 4. c. l.

c) Ita quae circa matrimonia eorum notatu digna occurrebant, recenset idem c. XVIII. §. 2-6. c. l.

d) Tacitus c. XIX. §. 4. 5. c. l. & de Varnis plane ait Procopius Lib. IV. Hist. Goth. *Tanto honore pudicitia apud barbaros colitur, ut foemina, de cujus nuptiis actum est, etiamsi corpore sit integro, pro corrupta babeatur.*

e) Haec rursus saepe laudatus Tacitus c. XVIII. §. 1. Exemplum exercitae inter eos Polygamiae praebet Ariovistus Suevorum rex, de quo ita Caesar Lib I. c. 53. de B. G. *Duae fuerunt Ariovisti uxores, una Sueva natione, quam domo secum adduxerat, altera Norica, regis Vocionis soror, quam in Gallia duxerat, a fratre missam.* Et a pristino laudabili instituto etiam recessisse videntur Suiones, de his enim Ad. Bremensis de situ Dan. pag. 101. c. l. *In sola*, inquit, *mulierum copula modum nesciunt, quisque secundum facultatem virium suarum duas, aut tres, vel amplus simul habet; divites & principes absque numero. Nam & filios ex tali conjunctione genitos habent legitimos.* Imo Alemannos postea & ipsas castitatis Leges transgressos paululum fuisse, colligi licet ex Salviano Lib. IV. c. l. cui *gens impudica* audiunt.

§. XXXVI. Contracto jam ita matrimonio, numerum liberorum finire, aut quemquam ex agnatis necare, flagitium habebatur. *e*) Natum ex eo mater uberibus suis alebat, nec ancillis ac nutricibus delegabat. Dominus a servis nullis educationis deliciis dignoscebatur; *f*) maximo frigore nudi agebant, antequam puberes fierent, *g*) & inter eadem pecora, in eodem humo, degebant, donec aetas separaret ingenuos, virtus agnosceret. *h*) Si parum adulti, statim quidem arma tractare docebantur, & in omni arte militari instruebantur, *i*) sed sumere ea, non antea eis moris, quam civitas suffecturos probaverat. Tum in ipso concilio, vel principum aliquis, vel pater, vel propinquus, scuto frameaque juvenem ornabant. Haec apud illos toga, hic primus juventae honos: Ante hoc domus pars videbantur, mox reip. *k*)

e) Tacitus c. XIX. §. 6. de M. G. *f*) Idem c. XX. §. 2. & 3. c. l. *g*) Mela Lib. III. c. 3. c. l.

h) Tacitus c. XX. §. 3. c. l. memorabile exemplum hujus ritus, quo veteres Suevi liberos suos palam ad se venire haud passi fuerunt, antequam scilicet heroico facto id meruerint, aut armorum concessione in comitijs majorennes declarati, est Alboini, Adoini Langobardorum regis filii, quod exhibet Cranzius Lib. III. Dan. c. 3. & Bonfinius in Hist. Hungaric. Lib. VII. decad. I.

i) Tacitus c. XXIV. §. 1. Seneca ep. 63. ubi: *Si in Parthia natus esset, arcum infans statim tenderet, si in Germania, protinus puer tenerum bastile vibraret.*

k) Ita saepe laudatus Tacitus c. XIII. §. 2. c. l.

§. XXXVII. Cœterum non ipsi, tanquam gens bellicosa, negotia domus procurabant viri, sed omnem curam fœminis senibusque & infirmissimo cuique ex familia delegabant, *l*) Servis enim non in morem Romanum descriptis per familiam ministeriis utebantur, sed suam quisque sedem, suos penates regebat. Frumenti modum dominus, aut pecoris, aut vestis, ut colono, injungebat, & servus hactenus parebat; Verberare autem servum, ac vinculis & opere coercere, rarum. Occidere solebant, non disciplina & severitate, sed impetu, & ira, ut inimicum, nisi quod impune. *m*)

l) Tacitus c. XV. §. 2. de M. G. & c. XXV. §. 2. ubi: *cætera domus officia uxor ac liberi exsequuntur.*

m) Idem c. XXV. §. 1 - 3. c. l.

§. XXXVIII. Quotidianum victum si spectes, potui erat humor ex ordeo & frumento in quandam similitudinem vini corruptus. *n*) Vinum enim ad se omnino non importari sinebant, quod ea re ad laborem ferendum remollescere homines atque effœminari arbitrabantur. *o*) Cibi simplices, *p*) agrestia poma, recens fera, *q*) aut lac concretum, *r*) sine apparatu, sine blandimentis expellebant famem, lautique cibum capiebant. Separatæ singulis sedes, & sua cuique erat mensa. Si magna convivia instituta, armati ad ea procedebant, diemque noctemque potando consumebant. Inde vero haud raro, ut inter vinolentos, rixæ, quæ raro conviciis, sæpius cæde & vulneribus transigebantur. Sed & de reconciliandis invicem inimicis, & jungendis affinitatibus, & adsciscendis principibus, de pace denique ac bello, plerumque in conviviis consultabant, tanquam nullo magis tempore, aut ad simplices cogitationes pateret animus, aut ad magnas invalesceret. *s*)

n) Tacitus c. XXIII. §. 2. de M. G. *o*) Cæsar Lib. IV. de B. G. c. 2.

p) Tacitus c. l. Cæsar Lib. IV. c. 1. ubi: *neque multum frumento, sed maximam partem lacte atque pecore vivunt.*

q) Recentem feram Cluverius Lib. I. c. 17. pag. 150. crudam vel ideo interpretatur, quod Mela, Lib. III. c. 3. victu ita asperos incultosque fuisse Germanos tradat, ut cruda etiam carne vescerentur, aut recenti, aut cum rigentem in ipsis pecudum ferarumque coriis manibus pedibusque subigendo renovarunt. Sed hunc nonnunquam fabulosas vulgi voculas pro vero referentem reprehendit Conringius de habit. corp. Germ. &c. pag. 76. cocta insuper & potissimum assa carne Germanos veteres usos fuisse docens. Adde quæ B. Hieronymus refert: quosdam, scilicet Sarmatas, Quados, Vandalos & innumerabiles alias gentes, equorum & vulpium carnibus delectatas fuisse.

r) Hoc reddit quidem caseum Cæsar Lib. VI. c. 22. dum ait: *majorque pars victus eorum lacte & caseo & carne consistit:* Ast cum tacite ab eo dissentiat Tacitus & Plinius insuper Lib. XI. c. 41. & Lib. XXVIII. c. 9. H. N. casei dotem barbaris gentibus aut ignotam aut neglectam fuisse, tradat. Cluverius c. l. sub lacte concreto haud immerito butyrum designari conjicit. Conf. etiam Conringius pag. 63. c. l.

s) Hactenus Tacitus c. XXII. §. 1 - 4. de M. G. egregium vero exemplum Alemannorum inter epulas de gravioribus rebus deliberantium, easque in tertiam usque vigiliam noctis agitantium exhibet Ammianus Lib. XVIII. c. 2.

§. XXXIX. Quo autem haberent, quæ mensæ apponerent, integra pecorum alebant agmina, quæ licet improcera, plerumque tamen solæ & gratissimæ erant opes. *t*) Multum quoque in venationibus erant, *u*) quo & exinde,

inde, quæ ad victum necessaria, acquirerent. Nec deerant agri & arva, unde panem sumerent, quo tamen, uti dictum, parcius utebantur. Agriculturæ *x*) enim parum studebant, neque quisquam agri modum certum, aut fines proprios habebat, sed magistratus & principes in annos singulos gentibus cognationibusque hominum, qui una coierant, quantum eis, & quo loco visum erat, attribuerant agri. *y*) Hos, aliquot millibus bellandi causa quotannis eductis, qui domi remanserant, colebant, illis vero reversis & his sequenti anno in expeditionem missis, priores jam curabant agros, ita, ut nec agricultura, neque usus belli unquam intermitteretur. *z*) Privati autem & separati agri vel ideo nihil erat, nec longius anno remanere uno in loco incolendi causa permissum, ne assidua consuetudine capti studium belli gerendi agricultura commutarent, aut latos fines parare studerent, potentioresque humiliores possessionibus expellerent, vel accuratius ad frigora æstusque vitandos ædificarent, denique ne oriretur pecuniæ cupiditas, qua ex re factiones dissensionesque nascuntur, sed animi æquitate plebs contineretur, quum suas quisque opes cum potentissimis æquare videret. *a*)

t) Tacitus c. V. §. 1. de M. G. Cæsar Lib. IV. c. 2. de B. G.

u) Cæsar Lib. IV. c. 1. c. l. & Lib. VI. c. 2. cum quo consentit Tacitus c. XV. §. 1. c. l.

x) Tacitus c. XIV. §. 7. c. l. *Nec arare terram, aut exspectare annum tam facile persuaseris, quam vocare hostes, & vulnera mereri.* Huc etiam respexisse videtur Claudianus, qui, quo magis gesta Romanorum contra Alemannos extolleret, ita canit:

> *Cornibus infractis adeo mitescere cogis,*
> *Ut Suevus jam rura colat, flexosque Sicambri*
> *In falcem curvent gladios, geminasque viator*
> *Cum videat ripas, quæ sit Romana requirit.*

y) Ita Cæsar Lib. VI. c. 22. c. l. & Tacitus c. XXVI. §. 2. & 3. c. l. *agri*, inquit, *pro numero cultorum ab universis per vicos* (uti legit Cluverius Lib. I. c. 13. pag. 108.) *occupantur, quos mox inter se, secundum dignationem, partiuntur. Facilitatem partiendi camporum spatia præstant. Arva per annos mutant, & superest ager.*

z) Cæsar Lib. IV. c. 1. c. l. *a*) Verba sunt ejusdem Cæsaris Lib. VI. c. 22. c. l.

§. XL. Reliquum temporis præter agriculturæ, venationis, & pecoris curam, sæva licet hieme, in fluminibus transigebant, exercendo sese in nando; *b*) inde etiam tantum in hac arte habitum sibi acquirebant, ut maxima quoque flumina tranarent, & ab omnibus nandi peritissimi *c*) dicerentur. Producebat hoc exercitium & aliud commodum, quod scilicet corpora eorum adeo indurata redderentur, ut vel acerbissimum frigus *d*) tolerare, nec facile ab eo corrumpi possent, maxime, cum & omnis luxuriæ & mollitiei adeo essent infensissimi hostes, ut nec spectacula, quibus tamen aliæ gentes & imprimis Romani, impense oblectabantur, in pretio haberent, eorumque non nisi innocentissimum, & quod in bellis usum præberet, admitterent. Nudi scilicet juvenes, quibus id ludicrum erat, inter gladios se atque infestas frameas jaciebant, nec tamen in quæstum aut mercedem, cum audacis lasciviæ pretium voluptas spectantium esset. *e*) Hoc unicum spectaculorum genus, hæc unica omnium delectatio.

b) Cæsar Lib. IV. c. 1. de B. G. *lavantur in fluminibus*, & Mela Lib. III. c. 3. *nandi non tantum patientia illis, studium etiam est.*

c) Hero-

c) Herodianus Lib. VII. c. 2. sic Taecito Lib. V. Hist. c. 14. §. 4. dicuntur *fluminibus sueti*, & Ammianus Lib. XXV. c. 6. *flumina transmeare a prima pueritia eos institutos* fuisse ait; cum jam antea Lib. XVI. c. 12. *nandi peritos & nandi strenuos* eos vocasset. Adde Dionem Lib. LX. p. 678. qui, eos solitos fuisse etiam rapidissima flumina in armis tranare, refert.

d) Tacitus c. IV. §. 3. de M. G. *frigora atque inediam coelo solove assueverunt.* Conf. etiam Cæsar Lib. IV. c. 1. de B. G. & Agathias Lib I. hist. Gothic. qui, Alemannis & Francis, ait, gelida patria natis, familiare & velut cognatum, algere.

e) Tacitus c. XXIV. §. 1. & 2. c. l.

§. XLI. Cœterum uti in tota vita ab omni luxu erant alienissimi, ita etiam post mortem & funerum nulla ambitio. Id solum observabatur, ut corpora clarorum virorum certis lignis cremarentur. Struem rogi nec vestibus, nec odoribus cumulabant; sua cuique arma, quorundam igni & equus adjiciebatur. Sepulchrum cespes erigebat, Monumentorum arduum & operosum honorem, ut gravem defunctis, aspernabantur. Lamenta ac lacrymas cito, dolorem & tristitiam tarde ponebant. Fœminis lugere honestum erat, viris meminisse. *f*) Hæredes successoresque sui cuique liberi & nullum testamentum. Si liberi non erant, proximus gradus in possessione, fratres, patrui, avunculi. Non tamen in bona tantum & jura defuncti, sed & in inimicitias & amicitias ejus succedebant. Has enim seu patris, seu propinqui suscipere, omnino erat necesse. Nec tamen implacabiles durabant, sed potius universa domus satisfactionem recipiebat, utiliter in publicum, quia periculosiores sunt inimicitiæ juxta libertatem. *g*)

f) Verba sunt Taciti c. XXVII. §. 1.-4. de M. G.

g) Idem c. XX. §. 6. & c. XXI. §. 1. & 2. c. l.

§. XLII. Perlustratis hoc modo, quæ circa domus, pagos, mores, cultum & victum ipsamque rem œconomicam veterum Suevorum occurrunt, jam ad sacra eorum accedimus. Deos enim coluisse priscos Suevos, eorumque notitiam & suspicionem habuisse, vel ideo certum, quod nulla unquam gens adeo extra leges moresque fuerit projecta, quæ non aliquos credidit Deos. *h*) Neque in contrarium adducere juvat verba Cæsaris: *i*) Neque Druides habent Germani, qui rebus diuinis præsint, neque sacrificiis student; qui enim exinde atheismum veterum Germanorum demonstrare satagunt, mala fide plerumque præterire & dissimulare solent, quæ mox de Diis eorum subjungit idem, ut taceam, hunc auctorem & pleraque Germaniæ instituta ignorasse, utpote qui in limine ejus saltim substitit, neque recte in hoc asserto sibi constare; dum enim Deos coluisse veteres Germanos ipse concedit, nec cultum & sacrificia eis denegare potest, maxime cum nulla unquam gens Deos habuerit sine cultu, & cultum sine administratione sacerdotum. Hic autem cultus primum quidem videtur fuisse simplicissimus, qualem forte ex Asia secum attulerunt, ita scilicet, ut Diis suis nullas plane statuas posuerint, neque simulacra fabricaverint. Deos enim nec cohiberi parietibus, nec in ullam humani oris speciem assimilari ex magnitudine cœlestium arbitrabantur, Deorumque nominibus secretum illud tantum, quod sola reverentia videbant, appellabant. *k*) Postea vero crescente indies superstitione, omniaque in pejus vertente, & imagines Deorum eos efformasse, & sub Symbolis quibusdam Numina sua adorasse, eisque divinos exhibuisse honores, vel omnes, quotquot extant vitæ & acta Sanctorum, martyrum & Antistitum & Propagatorum religionis

in

in Germania docent, & quæ passim in aulis & cimeliarchiis principum adhuc hodie asservantur idola & statuæ Deorum quam manifestissime testantur.

b) Seneca ep. 107. quo cum jungi merentur dicta Ciceronis Lib. I. De nat. Deor. n. 43.

i) Lib. VI. c. 21. de B. G.

k) Tacitus c. IX. §. 3. & 4. de M. G. idem c. XLIII. §. 5. de Naharualis ait: *apud eos nulla simulacra.* Conf. etiam hic S. R. Dominum Mellinum in Diss. de Sueuia gentili 1695. Jenæ habita, ubi a §. 4. ad 10. in eo totus est, ut primum simplicissimum Sueuorum cultum exponat, mox vero quomodo ad idololatriam prolapsi demonstret.

§. XLIII. Hi Dii vero vel generales erant, & omnibus Germaniæ populis communes, vel speciales, a Suevis tantum culti. Cæsar *l*) quidem tria tantum Numina omnibus Germaniæ populis fuisse tradit, Solem scilicet Lunam & Vulcanum, ex quo Cluverius *m*) unum verum & æternum Deum in trinitate eos coluisse colligit; ast in eo fallit, ac fallitur uterque: Hic quidem, quod non perpendit, Cæsarem diserte tradere, alios Deos non agnoscere Germanos, quam quos vident; ille vero, quod præcipiti pro more nimis judicio tres tantum Deos Germanis assignat, reliquos ne fama quidem acceptos asserens, cum qui post eum Germaniam adierunt, ejusque mores & ritus curatius perspexerunt, qualis imprimis Tacitus, longe plures eis adnumerent. Et primum quidem præter Vulcanum, Solem ac Lunam, quos pleræque gentes, ad naturam prolapsæ, tanquam præcipua & præstantissima inter reliqua elementa & sidera veneratæ fuerunt, etiam Tuistonem ejusque filium Mannum, conditores gentis, pro Diis coluerunt, eorumque memoriam carminibus celebrarunt; *n*) Postea vero eodem Tacito teste, nec Herculis, *o*) Mercurii *p*) ac Martis, *q*) Deorum omnibus Germanis communium, nec Castoris & Pollucis, *r*) Herthæ *s*) itidem matris Deum *t*). & Isidis *u*) Sacra, Suevis tantum peculiaria, ipsis fuere incognita: Quin & Suiones Thor, Wodan & Fricco pro Diis coluisse, Scriptores rerum Septentrionalium unanimi ore testantur. *x*)

l) Lib. IV. c. 21. de B. G. *Deorum numero eos solos ducunt, quos vident, & quorum opibus juvantur, Solem & Vulcanum, & lunam, reliquos ne fama quidem acceperunt.*

m) Lib. I. c. 29. sed notatur eapropter a Mellino §. 14. c. I. vid. etiam Werlhoff in notit. S. R. I. Spec. I. Lib. I. c. 2. §. 40. not. (c.)

n) Tacit. c. II. §. 3. de M. G. *celebrant carminibus antiquis Tuistonem Deum, terra editum, ejusque filium Mannum, originem gentis, conditoresque.*

o) Tacitus c. II. §. 8. de M. G. *fuisse apud eos & Herculem memorant, primumque omnium virorum fortium ituri in prœlia canunt.* Idem c. IX. §. 1. c. 1.

p) Tacitus c. IX. §. 1. de M. G. *Deorum maxime Mercurium colunt,* & Lib. XIII. Annal. c. 57. §. 3.

q) Idem c. IX. §. 1. *Herculem ac Martem concessis animalibus placant.* vid. etiam Annal. XIII. c. 57. §. 3. & imprimis Lib. IV. c. 64. §. 2. ubi legati Tencterorum sic alloquuntur Agrippinenses: *rediisse vos in corpus nomenque Germaniæ, communibus Deis, sed præcipuo Deorum Marti, grates agimus.*

r) Tacitus c. XLIII. § 5 de M G. *Apud Naharualos antiquæ religionis lucus ostenditur; Præsidet sacerdos muliebri ornatu, sed Deos interpretatione Romana Castorem, Pollucemque memorant. Ejus numinis Alcis nulla simulacra, nullum peregrinæ superstitionis vestigium, ut fratres tamen ut juvenes venerantur.*

s) Tacitus c. XL. §. 4. *nec quicquam notabile in singulis* (Reudingis, Avionibus, Anglis, Varinis, Eudosibus, Suardonibus & Nuithonibus) *nisi quod in commune Herthum*, i. e. *terram matrem colunt*, *eamque intervenire rebus hominum, invehi populis arbitrantur.* Hanc Ingæuonem Tuistonis nepotem in numerum Deorum retulisse tradit Crusius P. I. Lib. I. c. I. Annal. Suev. sed fabulose, ut recte observat Mellinus §. 21. c. l.

t) Tacitus c. 45. §. 4. (Æstii) *matrem Deum venerantur.*

u) Idem c. IX. §. 2. c. l. *Pars Sueuorum & Isidi sacrificat; unde caussa & origo peregrino sacro parum comperi, nisi quod signum ipsum, in modum liburnæ figuratum, docet, religionem advectam.*

x) Ita enim Ad. Bremensis de situ Daniæ apud Grot. Script. rer. Goth. p. 104. de templo Suionum, quod Ubsola dicebatur: *In hoc templo, quod totum ex auro paratum est, statuas trium Deorum veneratur populus, ita, ut potentissimus eorum Thor in medio solum habeat triclinium. Hinc & inde locum possident Wodan & Fricco, quorum significationes ejusmodi sunt. Thor, inquiunt, præsidet in aere, qui tonitrua & fulmina, ventos, imbresque, serena & fruges gubernat. Alter Wodan, i. e. fortior, bella regit, hominumque ministrat virtutem, contra inimicos. Tertius est Fricco, pacem, voluptatemque largiens mortalibus, cujus etiam simulacrum fingunt ingenti priapo. Wodanum vero sculpunt armatum, sicut nostri Martem sculpere solent. Thor autem cum sceptro Jovem videtur exprimere. - - Si pestis & fames imminet, Thor idolo immolant: Si bellum Wodni; Si nuptiæ celebrandæ sunt Fricconi.* Ex dictis colligas, præter Thor & Wodan, quos ipse Adamus Jovem & Martem explicat, Fricconem non aliud esse numen, quam quod Romanis Venus dicebatur; hæc enim & voluptatis & nuptiarum erat Dea.

§. XLIV. Unde autem hi Dii, quorum Tacitus meminit, eorumque cultus ad Sueuos nostros, uti & reliquos Germanos, pervenerit, non paucis demonstratu res esse videtur difficilis, maxime cum nomina illa peregrina, latina scilicet & Græca, Germanis vero antiquissimis cum Latinis & Græcis vel nullum plane, vel exiguum saltim, & cum his non nisi maritimum aliquando intercesserit commercium. Sed facile omnem hanc difficultatem tolli, totumque mysterium solvi posse, quilibet statim intelligit, qui modo considerat, Romanos, sicut & reliquas gentes, Deos cœterorum populorum cum Diis universi plerumque confudisse, & videntes singularum idola gentium simile aliquid cum suis habere, eademque de utrisque narrari, mox eadem cum suis esse credidisse; Tacitum præterea in libello suo de moribus Germanorum in hoc totum esse, ut Germanorum cum Romanis contendat moribus, institutis & ritibus, eosque invicem comparet, vel si opus, interdum quoque perstringat. Inde audientes Romani *Mannum* Tuistonis filium, vel nepotem ejus Irmin, aut Hermionem, inclytæ fortitudinis aut magni animi heroem ab omnibus celebrari laudibus, mox *Herculem* y) sibi concepere animo. Percipientes *Tuistonem*, qui gentem nostram ex Asia in Europam traduxisse dicitur, etiam Teut a nonnullis appellari, & tanquam parentem gentis, itinerum Ducem, omniumque artium inventorem ab omnibus coli, mox diversum a Tuistone Deum sibi finxere, eumque *Mercurium* vel ideo appellare non dubitarunt, quod ipsis haud incognitum, etiam Ægyptiis z) Mercurium dici *Teut*, ejusque gentis & conditorem, & omnium artium inventorem laudari: Cernentes denique idem Numen a quibusdam quoque bellis præfici, quod forte olim egregius belli Dux & strenuus bellator fuerit, jam *Martem* quoque se invenisse putarunt. *Martem enim & Mercurium Germanorum unum eotdemque esse Deos*, vel ideo verosimile, quod uterque deorum dicitur maximus, a) uterque præpositus bellis, b) utrique hostiæ humanæ c) immolabantur, uterque tandem sub *Wodan* d) nomine, sequenti tempore, terrarum orbi innotuit. Confirmant

hactenus

hactenus dicta, quæ porro idem Tacitus de peculiaribus Sueuorum Diis, Alcis maxime, Naharuolorum Numine, tradit; hoc enim quod ut fratres, ut juvenes venerabantur, interpretatione Romana *Castorem Polllucemque* fuiſſe dictum, expreſſe aſſerit, cum tamen non geminos, ſed genios fuiſſe, *Alſſer e*) Cimbris dictos, & ex hac voce *Alcis* deſcendiſſe corruptam, admodum ſit credibile. *Hertbum* poſtea, ſive ut rectius loqui debuiſſet, *Erda*, vel *Erde*, quam *Tuiſtonis matrem* veteres Germani credebant, & ab Æſtiis, Reudingiis itidem & aliis vicinis populis in inſula Oceani imprimis culta fuit, *Deam matrem & terram Matrem*, vel ideo interpretatur, quod feſtum eidem dicatum iisdem ferme cæremoniis & ſolennibus, quibus apud Romanos *f*) a dictis gentibus celebrari videret, eamque bobus fœminis vehiculo vehi, lacuque ſecreto ablui audiret. Iſidi tandem Ægyptiacæ Sueuorum partem ſacrificaſſe, ejusque ſacra mari advecta, ex eo colligit Tacitus, quod fœminam quandam, quæ forte variis artibus & ſcientiis eos erudiverat, cuique multum in œconomicis debebant, ſub ſpecie liburnæ adorari cerneret, Iſidis vero navigium *g*) Romanis haud incognitum, eamque cannabis, lini, oleæ, agriculturæ, vini ac metallorum rationem mortalibus oſtendiſſe, omnino crederet. Sed male eum concludere & diverſiſſima confundere Numina, vel exinde patet, quod nullum unquam Sueuis noſtris cum Ægyptiis commercium, & ipſis Romanis una cum Græcis, a quibus tamen præter illos hunc cultum accipere potuiſſent, non niſi ſeris admodum temporibus, innotuerunt: quid quod etiam quæ communiter de Iſidis ſuſcepta in Germaniam peregrinatione, *b*) ejusque cum Gambriuio rege contracto matrimonio pro ſtabilienda hac ſententia in medium proferri ſolent, nec fidem hiſce conciliare, ſed fabulas eſſe & figmenta, jam lippis & tonſoribus notum. Potius Suevos fœminam quandam, *Ciſam*, *Ilſam* vel *Itbam i*) dictam, cui multa ob accepta beneficia debebant, ſub ſigno naviculæ coluiſſe, vel ut Voſſio *k*) placet, *Euam* primam omnium matrem ſub Numine illo honoraſſe, ejusque nomen *Iſcba* ex longa traditione Hebræorum retinuiſſe, omnino credibile.

y) Confirmant hæc, quæ habet idem Tacitus c. XXXIV. §. 3. de M. G. ait enim: *Ipſum quin etiam Oceanum illa tentavimus* (in finibus Friſiorum) *& ſupereſſe adhuc Herculis columnas fama vulgavit, ſive adiit Hercules, ſive quicquid ubique magnificum, in claritatem ejus referre conſuevimus.* An autem cum Hercule Alemanno, cujus ſimulacrum ab Alemannis cultum antiquitus in Eccleſia Nidercellenſi divitis Augiæ ſteterat, & circa 1510. glorioſiſſimus Imp. Maximilianus I. Oenipontem transferri curaverat, vid. Cruſius in Annal. Suev. T. III. p. 536. & Stumpf. L. II. c. 2. p. 18. c. l. idem hoc veterum Germanorum numen, quod Tacitus Herculem interpretatur, aſſerere vix audeo, maxime cum Alemannicum nomen non niſi poſtea demum ortum: Niſi quis dicere velit, Numen eſſe antiquiſſimum, ſed Alemannici cognomen recentiori demum ætate additum. Neque Hercules Alemannus XI. Germanorum rex ſub eo intelligendus, uti volunt Willichius ad Tacit. apud Schardium Tom. I. Script. rer. Germ. p. 45. & Aventinus Lib. I. c. 3. n. 1. Annal. Bojor. quippe hunc tantum in cerebro Annii Viterbienſis regnaſſe, jam diu demonſtrarunt B. Rhenanus Lib. III. rer. Germ. & Cluverius Lib. I. c. 28. c. l.

z) Mercurium ab Ægyptiis appellari Teut docet Cicero Lib. III. de Divinat. Eumque litteras & artes apud eosdem inveniſſe, teſtatur Plato in Philebo & Plutarchus Lib. IX. Quæſt. 3. conuival.

a) Tacitus c. IX. §. 1. de M. G. & Lib. IV. Hiſt. c. 64. §. 2. *b*) Tacitus Annal. XIII. c. 57. §. 3. *c*) Idem c. I. & c. IX. §. 1. de M. G.

d) Matrem Germanis Wodan' fuisse dictum ex §. praeced. not. (x.) apparet. Et Mercurium eis quoque Wodan audisse, testatur P. Diaconus Lib. I. c. 20. de gest. Longob. ubi: *Wodan sane, quem adjecta littera Godan dixerunt, ipse est, qui apud Romanos Mercurius dicitur, & ab universis Germaniae gentibus ut Deus adoratur.* Hisce etiam quam apprime conveniunt, quae habet Grotius in prolegom. ad Hist. Goth. p. 22. *Alius ab hoc est Wodam, a Woden, quod est ferocire, creditus Germanis veteribus praesidere paci ac bellis Deus, quem ob duplicem potestatem Latinorum alii Mercurium, alii Martem dicere maluerunt.*

e) Haec ex Edda refert Trogilus Arnkiel in Cimbr. Heid. Relig. Lib. I. c. 16. eique Alffer idem est ac Helffer. Vossius contra Lib. I. Theol. gentil. p. 280. per duo haec Numina veteres Suevos principium unum boni, alterum mali intellexisse existimat; & Christ. Wagemann im Entwurf vom Druidensuß p. 17. Naharualos contra expressa Taciti verba in Nordgauia collocans, Alcis vocem, all ist/ interpretatur, quasi omnium rerum substantia, eique Allesheim Nordgoviae pagum omnino convenire putat.

f) Vestam seu matrem Deum etiam apud Romanos vehiculo bobus foeminis vectam & flumine ablutam fuisse testatur Ovidius Lib. IV. fastor. & Ammianus Lib. XXIII. c. 3.

g) Lactantius Lib. I. c. XI. *Certus dies habetur in fastis, qua Isidis navigium celebratur.*

h) Fabulam recenset Crusius P. I. Lib. I. c. 1. Annal. Suev. Erichius in Chron. Juliac. Lib. II. c. 3. p. 64. & Fr. Irenicus Lib. II. p. 49. sed refutat Crusium Mellinus §. 22. c. l. in hoc tamen a nobis recedens, quod Isidem ab Hermunduris Suevis omnino cultam fuisse, ejusque sacra ad eos a Pannonibus & Graecis, ad hos a Syris, ad Syros vero ab ipsis Aegyptiis manasse arbitretur: Secus ac Kirchmajerus ad Tacit. p. 156. qui Semnones eam coluisse putat, & Cluverius Lib. I. c. 27. p. 230. qui eandem esse cum luna falso persuasus, ex Asia cum ipsa gente translatam fingit.

i) Conjectura est Anonymi cujusdam in seinem Antwort-Schreiben an einen Preußischen Edelmann pag. 50.

k) vid. ipsius Theolog. gentil. Lib. II. c. 28.

§. XLV. Templa autem veteres Suevi una cum reliquis Germanis hisce Diis suis haud extruxerunt. Parietibus enim Deos non cohibere ex magnitudine coelestium arbitrabantur. *l*) Nemora lucique penes eos templorum vicem subibant, quos devota mentis submissione Diis suis consecrare solebant. Non tamen quoslibet lucos ad hoc eligebant, sed eos tantum, in quibus vetustissimae & maximae molis quercus & robora florescebant; Nihil enim sacratius istis arboribus credebant, nec ulla sacra sine hac fronde conficiebant. *m*) Luco semel certo Deo consecrato, omne quidem nemus late patens erat sacrum, in medio tamen ejus penetrale, *n*) templo instar, densis sepimentis cinctum, erat exstructum, quo scilicet major sanctimonia loco conciliaretur, neque omnibus tam facilis ad interiora pateret aditus. Plura autem genti fuerunt ejusmodi nemora sacra. In insula oceani castum erat nemus, in quo Reudingi, Aviones, Angli, Varini, Eudoses, Suardones & Nuithones certo tempore conveniebant, Deamque Herthum in commune colebant. *o*) Apud Naharualos antiquae religionis lucus ostendebatur; *p*) Et Suionibus prope Ubsolam lucus erat tam sacer, ut singulae arbores ejus ex morte vel cibo immolatorum divinae crederentur. *q*) Maxime autem apud Semnones silva cernebatur, auguriis patrum & prisca formidine sacra, in qua stato tempore omnes ejusdem sanguinis populi legationibus conveniebant, caesoque publice homine, barbarici ritus horrenda primordia celebrabant. Tanta huic reverentia, ut nemo, nisi

nisi vinculo ligatus, eam ingrederetur, ut minor & potestatem numinis præ se ferens. Si forte prolapsus, attolli & insurgere haud licitum. Per humum evolvebantur. Eoque omnis superstitio respiciebat, tanquam inde initia gentis, ibi regnator omnium Deus, cœtera subjecta atque parentia. r) Præter lucos & nemora, flumina quoque, lacus, fontes, specus, colles, montesque excelsos, vel quicquid tandem tacitum & religiosum horrorem animis incutere poterat, sacra habuerunt, s) maxime autem locos sale gignendo fœcundos cœlo propinquare, precesque mortalium a Diis nusquam propius audiri, firmiter erant persuasi, prout exemplo Hermundurorum docet testis omni exceptione major C. Tacitus. t)

l) Tacitus de M. G. c. IX. §. 3. meminit tamen templi apud Suiones Ad. Bremensis supr. c. l.

m) Plinius Lib. XVI. c. 44. H. N. conf. etiam Aventinus Lib. 16. c. 1. n. 24. Annal. Bojor. qui in ripa Danubii & ora Germaniæ, ubi hodie monasteria & templa Alteich, duas vetustissimas quercus, prodigiosæ magnitudinis, olim extitisse, gentilique ceremonia a populis cultas fuisse tradit, & Claudianus de laudibus Stiliconis Lib. I. v. 228. de cultu arborum in Hercynia silva sic canit:

> *Ut procul Hercyniæ per vasta silentia silvæ*
> *Venari tuto liceat, lucosque vetusta*
> *Religione truces, & robora numinis instar*
> *Barbarici nostra feriant impune secures.*

n) Tacitus c. XL. §. 4. de M. G. *Est in insula oceani castum nemus, dicatumque in eo vehiculum, veste contectum, attingere uni sacerdoti permissum. Is adesse penetrali Deam intelligit.* Hoc penetrale quoque mox templum vocat: *Donec idem sacerdos satiatam conversatione mortalium Deam templo reddat.*

o) Tacitus paulo ante cit. loc. Hanc insulam hodiernam insulam Rugiam esse, Pomeraniæ citeriori proximam, multis argumentis docet Cluverius L. III. c. 27. pag. 107. c. l. Hartknoch §. V. c. l.

p) Tacitus c. XLIII. §. 5. c. l. q) Ad. Bremensis de sit. Dan. c. 234. r) Verba sunt Taciti c. XXXIX. §. 2-4. de M. G.

s) Inde de Alemannis hæc refert Agathias Lib. I. Hist. Gothic. *Arborum illis cultus & amnium, colliumque & vallium. Hæc numina placant equis aliisque animalibus, quæ desectis cervicibus sacrant.*

t) Lib. XIII. Annal. c. 57. §. 1. & 2.

§. XLVI. His in lucis aræ u) ex lapidibus, gramine viridi, vel cespitibus, erant exstructæ, quarum posteriorum ex medio sacra quædam quercus in altum surgebat, & in quas sacrificia oblata debita reverentia deponebant. x) Hæc sacrificia varia erant. Hostias humanas, maxime ab hostibus captos, Mercurio præsertim & Marti Deo immolabant, y) reliquos vero Deos concessis animalibus placabant. z) Ordinarie fiebant statis diebus, a) vel, necessitate ita postulante, ante congressus præliorum, aut pro exsolvendis votis post reportatam ab hostibus victoriam. b) Hominem immolantes, libamine perfusum gladio feriebant, cæsique ex lapsu, palpitatione membrorum, sanguinis fluxu, extis itidem, futura divinabant, tandem pyræ impositum cremare, aut arbori suspensum, aut in senticeta & vepres projectum, derelinquere solebant. c) Eundem pæne morem etiam in animalibus mactandis observabant: hostiæ enim liquorem quendam inter media cornua fundebat Sacerdos, mox manu læva capillos ejus in vertice comprehendens, flammis altari impositis libamina instillabat, precesque Diis peragens, victima vel fuste, vel ferro feriebatur, do-

nec extis inspectis flammis traderetur, vel arbori quoque suspenderetur. *d*) Speciale vero quid, præter hæc, circa cultum Herthæ, occurrit. Huic in insula oceani castum erat nemus dicatum, inque eo vehiculum veste contectum, attingere uni sacerdoti concessum. Is adesse penetrali Deam intelligebat, vectamque bobus fœminis multa cum veneratione prosequebatur. Læti tunc dies, festa loca quæcumque adventu hospitioque dignabatur. Non bella inibant, non arma sumebant, clausum omne ferrum, pax & quies tunc tantum nota, tunc tantum armata, donec idem sacerdos satiatam conversatione mortalium Deam templo redderet. Mox vehiculum & vestes, & quemadmodum credebant, numen ipsum secreto lacu abluebatur. Servi ministrabant, quos statim idem lacus hauriebat. Arcanus hinc terror, sanctaque ignorantia, quid sit illud, quod tantum perituri videbant. *e*)

u) Aras habuisse veteres Germanos & sic & Suevos ex Tacito constat, campum cladis Varianæ describente. Lib. I. Annal. c. 61. §. 4. ubi: *Lucis propinquis barbaræ aræ, apud quas tribunos, ac primorum ordinum centuriones mactaverunt*, conf. etiam Plinius Lib. XIX. c. 46. Hist. Nat.

x) Cluverius Lib. I. c. 35. p. 293. Schedius de Diis Germanorum Syngr. II. c. 25. & 26. Arnkiel Cimbr. Heiden Relig. c. 30. qui figuras ejusmodi ararum æri incisas exhibet.

y) Tacitus de M. G. c. IX. §. 1. *Deorum maxime Mercurium colunt, cui certis diebus humanis quoque hostiis litare fas habent.* Idem Lib. XIII. Annal. c. 57. §. 3. *Sed bellum Hermunduris prosperum, Cattis exitiosius fuit, quia victor diversam aciem Marti ac Mercurio sacraverat, quo voto equi, viri, cuncta victa occidioni dantur.* De Semnonibus sacra sua homine publice prius interfecto incipientibus, §. præced. egimus, & de Suionibus reliquisque Scandinaviæ incolis eadem refert Ad. Bremens. de situ Dan. p. 105. apud Grot. c. l. dum ait: *Ex omni animante, quod masculinum est, novem capita afferuntur, quorum sanguine Deos tales placari mos est.* conf. etiam Procopium Lib. II. Hist. Goth.

z) Tacitus de M. G. c. IX. §. 1. *Herculem ac Martem concessis animalibus placant.* adde paulo antea allata Ad. Bremensis de Suionibus.

a) Tacitus c. IX. §. 1. & c. XXXIX. §. 2. de M. G. *b*) Tacitus Lib. XIII. Annal. c. 57. §. 3.

c) Diodor. Siculus Lib. V. Biblioth. *Hi Sacerdotes ex auspiciis & victimarum extis de futuris divinant, eisque plebs universa morem gerit, imprimis, ubi de magni momenti rebus consultatio incidit, mirandum & incredibilem quendam ritum observant. Hominem immolantes supra transversum pectoris septum gladio feriunt, quo cæso prolapsoque e casu & convulsione membrorum simulque e cruoris fluxu de futuro præsagiunt.* conf. etiam Strabo Lib. VII. & Lib. IV. Agathias Lib. I. c. l. & Adam. Bremensis c. l. ubi: de Suionum sacrorum ritu hæc refert: *Corpora autem suspenduntur in lucum, qui proximus est templo. Is enim lucus tam sacer est gentilibus, ut singulæ arbores ejus ex morte vel cibo immolatorum divinæ credantur. Ibi etiam canes, qui pendent cum hominibus, quorum corpora mixtim suspensa narravit mihi quidam Christianorum se LXX. vidisse.* adde Schedium Syngr. II. c. 31. c. l.

d) Plinius Lib. XVI. c. 44. H. N. Agathias Lib. I. c. l. de Alemannis: *Numina placant equis aliisque animalibus, quæ desectis cervicibus sacrant.* conf. Cluverius Lib. I. c. 35. c. l.

e) Verba sunt Taciti c. XL. §. 6. de M. G. quibus cum quoad epulas post sacra peracta institutas jungi possunt, quæ de diebus festis Sueonum habet Ad. Bremensis de sit. regn. septentr. c. 234. ubi: *Solet quoque post novem annos communis omnium Sueoniæ provinciarum solennitas celebrari, ad quam videlicet solennitatem nulli præstatur immunitas; reges & populi omnes & singuli dona ad Ubsolam transmittunt.*

§. XLVII.

§. XLVII. **Sacrorum ministri Sacerdotes erant.** Hi candidis vestibus induti f) pedibus nudis, g) sacra peragebant. Apud Naharualos vero Sacerdos muliebri ornatu antiquæ religionis luco præsidebat. h) Tanta horum auctoritas erat, ut in consortium regiminis plane admitterentur, omnisque magistratus ab eorum nutu dependere videretur. Scire enim eos Deorum voluntatem, eorumque jussa per Sacerdotes ad mortales perferri, omnino credebant. i) Hinc Deorum voluntatem in omnibus negotiis suscipiendis per sacerdotes sedulo explorabant, k) neque quicquam eis inconsultis gerebant. Sacerdotes præterea inviolabiles erant, l) comitiis intererant, silentium in eis imponebant, m) omnisque penes eos coercendi, inque delinquentes animadvertendi potestas, n) ut sic omnino major eorum auctoritas ipsa regum. Varii eorum erant ordines, & inter hos notissimi *Bardi*, *Poetæ ac Musici*, o) qui fortia virorum illustrium facta, bella item domestica & cum extraneis gesta, facundia sua in carmina referre, eaque dulcibus lyræ modulis ante congressus præliorum p) inque publicis & festivis conventibus q) cantare solebant. His secundi erant *Druides*; Sed an Germani & sic etiam Suevi nostri Druides habuerint, controvertitur adhuc, maxime cum Cæsar r) Druides apud Germanos fuisse diserte neget. Ast salva res est, qui enim circa Deos & sacrificia Germanorum non leviter erravit, non potuit non circa sacerdotes eorum enormiter quoque labi. Certe Diogenes Laertius s) Germanos Druides habuisse perspicue tradit, & superstitio veterum Sueuorum erga lucos & arbores, vota ibi nuncupata & soluta, ramorum quoque frondumque divinandi caussa veneratio, cultum a Druidibus acceptum omnino indicant, t) qui in eo omne vitæ tempus impendebant, nec quicquam robore sacratius habebant. u) Hi Druides ex prima erant nobilitate, x) & ob Sanctitatem ab omnibus servitiis bellicis & tributis immunes. y) Sedes sibi legebant abditas silvas & specus; z) hic, maxime sub roboribus Diis sacratis, quæstionibus divinarum rerum occulta ac alta scrutabantur, a) de moribus disputabant, b) in terræ mundique magnitudinem & formam inquirebant, coeli tandem motus & siderum observabant, eorumque ex influxu futura prædicabant. c) Maxime autem & auditoribus suis, quos viginti d) per annos omni eruditionis genere erudiebant, & reliquæ plebi, persuadere allaborabant, animas non esse mortales, e) sed ab aliis post mortem ad alios transire. Præterea quoque sacrificiis, ut & alii sacerdotes, maxime hominibus immolandis, adhibebantur, f) nec a reliquis negotiis civilibus, publicis & privatis, arcebantur; g) imo in bellis dirimendis & in pace concilianda tanta eorum apud adversam juxta ac suorum aciem erat auctoritas, ut non raro, cum jam extra teli jactum ventum, vel omnia sua facundia componerent. h)

f) Plinius Lib. XVI. c. ult. de H. N. g) Hinc Straboni Lib. VII. Geogr. γυμνόποδες dicuntur. h) Tacitus c. XLIII. §. 5. de M. G. i) Tacitus c. X. §. 6. c. l. k) Idem c. X. §. 2. c. l. l) Ammianus Lib. XXVIII. c. 6.

m) Tacitus c. XI. §. 5. c. l. *Silentium per sacerdotes, quibus tum & coercendi jus est, imperatur.*

n) Tacitus c. VII. §. 2. c. l. *Ceterum neque animadvertere, neque vincire, neque verberare quidem, nisi sacerdotibus, permissum, non quasi in pœnam, nec Ducis jussu, sed velut Deo imperante, quem adesse bellantibus credunt.*

o) Diodor. Siculus Lib. V. p. 308. Biblioth. *Sunt etiam apud hos carminum Melicorum poetæ, quos Bardos vocant. Hi ad instrumenta lyris non dissimilia aliorum laudes, aliorum vituperationes decantant.* Strabo Lib. IV. pag. 197. *Bardi hymnos canunt poetæque sunt.* Vid. etiam Ammianus Lib. XV. c. 9. & infr. §. 61. adde Schlöpken Beschr. der Statt und Stiffts Bardewick P. I. c. 3.

p) Ex

p) Ex quo forsan Germanorum Barditus originem duxisse videtur, quo in prælium ituri animos sibi accendebant, futuræque pugnæ fortunam ipso cantu auguraoantur. Tacitus c. III. §. 1. de M. G. conf. etiam Ammianum Lib. XXXI. c. 7. & Diodorum c. l.

q) Latius hoc demonstravit *Magnificus Dominus* Præses in observat. Halens. Tom. III. Obs. I. §. 15.

r) Lib. VI. c. 21. de B. G. *Germani multum ab hac consuetudine* Gallorum *differunt: nam neque Druides habent, qui rebus divinis præsint; neque sacrificiis student.*

s) In Procemio ad vitas Philosophorum: *Apud Germanos quoque & Gallos, qui Druidæ appellantur.* Ita enim rectissime Celtas interpretatur Cluverius Lib. I. c. 24. c. l. quos Galatis, seu Gallis, hic opponit Diogenes, eique consentit Diodorus Siculus, Cæsaris coævus, qui mores Celtarum ad Scythas usque perquirens, inter eos distincte Druidarum meminit Lib. V. Biblioth. Celtas autem etiam Germanos antiquitus appellatos fuisse fusius docet Cluverius L. I. c. 2. de Germ. antiqu.

t) Præter jam dicta vid. etiam Aventinus Lib. II. Annal. Bojor. c. VI. n. 24. & Erichius in Chron. Juliac. Lib. I. c. 17. p. 34. qui meminerunt locorum Altench / Schöneich / zun Eichen / zu dreyen Eichen / zun Hohen-Eichen rc. ubi veteres Germani sacra sua faciebant, postea in cœnobia conversorum: adde quod sequenti tempore capitularibus regum Francorum hoc religionis genus gravissimis sub pœnia prohibitum fuerit.

u) Plinius Lib. XVI. c. 44. c. l. *x*) Mela Lib. III. c. 2. de sit. orb. Cæsar Lib. VI. c. 13. de B. G. *y*) Cæsar c. l. c. 14. *z*) Mela c. l. *a*) Cæsar c. XIV. c. l. *b*) Strabo Lib. IV. Geogr. pag. 197 *c*) Cæsar c. 14. c. l. Mela c. l. *d*) Cæsar & Mela c. l. *e*) Cæsar & Mela c. l. Ammianus Lib. XV. c. 9. Lucanus Lib. I. Pharsal. *f*) Cæsar c. 13. c. l. Plinius c. l. Strabo c. l. *g*) Cæsar c. 13. c. l.

h) Strabo c. l. Diodorus Lib. V. c. l. conf. etiam de Druidibus omnino Ef. Pufendorffius & Schurzfleischius, qui peculiares de iis conscripserunt Dissertationes.

§. XLVIII. Præter jam dictos viros Sacerdotes Suevi etiam una cum reliquis Germanis *fœminas fatidicas* in consortium sacrorum admisere. Hæ tanta apud eos auctoritate pollebant, ut in omnibus belli pacisque negotiis nihil plane eis inconsultis molirentur. Secretiora enim eas cum Diis colloquia agitare, sacrumque aliquid providumque fœminis inesse, constanti fide putabant. *i*) Augebat hanc superstitionem, ut Deas plane arbitrarentur, quod plerumque a reliquis hominibus sejunctæ edita in turri habitabant, nec nisi per nuncios, ex propinquis delectos, consulentibus responsa dabant. *k*) Hæc consilia nec aspernabantur, nec negligebant; si quid etiam dissidii inter eos ortum, integram caussæ decisionem earum arbitrio committebant. *l*) Dabant autem responsa non domi tantum, sed etiam cum exercitu proficiscentes in expeditionibus *m*) bellicis, tunc enim aut Martios heroum animos clamoribus suis ad prœlium accendebant, faustaque quævis ominabantur, aut si indicia irati numinis aderant, a bello eos revocabant. Omnium inter has celeberrimæ erant *Aurinia*, *n*) & *Velleda* *o*) *virgo* apud Bructeros, *Jetta* *p*) itidem eodem tempore circa Nicri ripas clara, & quibus haud inferior *Ganna*, *q*) Domitiano imperante in gente sua magna laude florens, atque imperitans.

i) Tacitus Lib. IV. histor. c. 61. §. 4. & c. VIII. §. 3. de M. G. *k*) Tacitus Lib. IV. histor. c. 65. §. 8. *l*) Idem c. l. §. 7.

m) Ejusmodi fœminæ fatidicæ erant in Exercitu Ariovisti, ait enim Plutarchus in vita Cæsaris: *Auxerunt terrorem* Germanorum *vaticinia mulierum sacrarum,*

rum, quæ in vortices fluminum inspicientes, ex strepituque & fluctuatione amnium futura præsagientes, pugnare eos ante novam lunam vetabant. Conf. etiam Cæsar L. I. c. 50. de B. G. & Agathias Lib. II. cum subsidii Gothis a Francorum rege Theobaldo adversus Narsetem missi meminerit, *erant*, inquit, *in exercitu vates Alemannicæ, quæ prædicebant incipiendi prœlii tempus & eventum.* Et de Sueuorum fœminis etiam P. Diaconus Lib. III. c. 7. de gest. Longob. refert: Sueuos, dum contra Saxones, quorum terras occupaverant, pugnare voluerint, fœminas consuluisse, quæ prædixerunt quidem, sed aliter, quam futurum erat. Conf. hic omnino Schatenius in hist. Westph. Lib. II. p. 125. & M. Altingius in descript. Germ. veter. inf. p. 87. & 102.

n) Tacitus de M. G. c. VIII. §. 5. o) Idem c. VIII. §. 4. c. l.

p) Hub. Thom. Leodius in antiquit. Heidelberg. pag. 296. *Quo tempore Velleda virgo in Bructeris imperitabat, vetula quædam, cui nomen Jettha, eum collem, ubi nunc est arx Heydelbergensis, & Jetthæ collem etiam nomen habet, inhabitabat; vetustissimumque phanum incolebat, cujus fragmenta adhuc nuper vidimus, dum comes Palatinus Fridericus factus elector domum construxit, quam novam aulam appellant. Hæc mulier vaticiniis inclyta & quo venerabilior foret, raro e phano in conspectum hominum prodiens, volentibus consilium ab ea petere, de fenestra, non prodeunte vultu, respondebat. Et inter cætera prædixit, ut inconditis versibus canebat, suo colli a fatis esse datum, ut futuris temporibus regiis viris, quos nominatim recensebat, inhabitaretur, coleretur & ornaretur, vallisque sub ipsa multo populo inhabitaretur, & templis celeberrimis ornaretur.*

q) Dio Lib. LXVII. p. 761. *Masyus rex Semnonum & Ganna virgo (ea post Velledam in Celtica vates oracula reddebat) Domitianum adierunt.*

§. XLIX. Sortibus, præsagiis & auspiciis imprimis quoque dediti erant Sueui. Sortium consuetudo simplex: virgam frugiferæ arbori decisam in surculos amputabant, eosque notis quibusdam discretos super candidam vestem temere ac fortuito spargebant. Mox, si publice consulebatur, sacerdos civitatis, sin privatim, ipse pater familiæ precatus Deos, cœlumque suspiciens, ter singulos tollebat, sublatos secundum impressam ante notam interpretabatur. Si prohibuerunt, nulla de eadem re in eundem diem consultatio, sin permissum, auspiciorum adhuc fides exigebatur. r) Nec incognitum apud eos, avium voces volatusque interrogare. s) Proprium gentis equorum quoque præsagia ac monitus experiri. Publice alebantur in supra dictis nemoribus ac lucis candidi & nullo mortali ope contacti, quos pressos sacro curru sacerdos, ac Rex, vel princeps civitatis, comitabantur, hinnitusque ac fremitus observabant. Nec ulli auspicio major fides, non solum apud plebem, sed apud proceres, apud sacerdotes: se enim ministros Deorum, illos conscios putabant. t) Si bellum gerendum, cujus exitus incertus, ejus gentis, cum qua bellum erat, captivum, quoque modo intercerptum, cum electo popularium suorum, patriis quemque armis committebant, victoriamque hujus vel illius pro præjudicio accipiebant. u)

r) Verba sunt Tacit c. X. §. 1.-3. de M. G. s) Idem §. 4. c. l. t) Idem §. 5. & 6. c. l.

u) Idem §. 7. c. l. Hæc procul dubio caussa fuit, quod Alemanni, omisso bello, ultro a Constantio pacem aliquando petierint, inquit enim Ammianus Lib. XIV. c. 10. *Ast Barbari suscepto pro instantium rerum ratione consilio, dirimentibus forte auspiciis, vel congredi prohibente auctoritate sacrorum mollito vigore, quo fidentius resistebant, optimates misere, delictorum veniam petituros & pacem,* conf. hic omnino Agathias Lib. II. Hist. Goth.

§. L. Hunc cultum, hæc sacra veteres Suevi ad seros usque annos conservarunt, nec ullo modo a patriis institutis & moribus sese avocari permiserunt. Licet enim jam Sec. II. in Germania Cis-Rhenana *x*) evangelium de Christo prædicaretur, & sic in finibus haberent, qui ad suavissimum Christi jugum subeundum eos alliciebant, antiquæ tamen superstitionis adeo erant tenaces, ut non solum a gentili cultu & falsa religione non discederent, Christoque nomina darent, sed insuper expeditionibus suis in Rhætiam & Gallias susceptis sacra Christiana undiquaque excinderent, & tam in ipsos homines, quam in templorum parietes & altaria quam immanissime sævirent. *y*) Nec devictis jam a Chlodouæo Francorum rege pronior erga sacra Christiana erat animus; licet enim hoc tempore Fridolinus, *z*) gente Hibernus, in Helvetia & Alsatia diu versatus, nomen Christi fidemque penes eos multis rebus divinitus patratis assereret, inque ea sedulo eos erudiret, adeo tamen præfractæ erant mentis, tantasque in cordibus eorum superstitio vetus radices egerat, ut ab arborum, fontium, collium valliumque cultu nullo plane modo abduci, *a*) nec non nisi pauci Christianis sacris initiari possent, quorum tamen fides etiam tantum temporaria erat. Mox enim ad pristinum paganismum prolapsi, spurcitie gentili verum Dei cultum contaminarunt. *b*) Donec tandem Episcopatibus *c*) & monasteriis in Alemannia sub finem Sec. VI. & initium Sec. VII. a Francorum regibus institutis, restauratis, & in loca magis commodiora translatis, jam mollior gentis consuetudo valeret, multique horum antistitum & monachorum cura gregi Salvatoris nostri annumerarentur, quem laborem sacrum imprimis non parum promovisse videntur *B. Columbanus* & discipulus ejus *Gallus*, qui ex Scotia circa A. C. DCXVI. in Alemanniam venientes, miseræ genti, maxime circa Bodamicum lacum habitanti, veram ad Christum viam indefesso studio, summa dexteritate, monstrarunt, eamque rejectis idolis in rectum tramitem duxerunt; *d*) & licet non pauca eis ab initio occurrerent obstacula, dum *Gunzo Suevia Dux* eos non solum aliquando graviter persequeretur, sed insuper plures ex plebe, ira ac invidia commoti, eos veluti Sacrorum suorum violatores insectarentur, consilioque communi occidere gestirent; *e*) omnes tamen has difficultates, Deo adjuvante, feliciter superarunt, & quæ fausto omine cœperant, per successores, vita ac factis claros, omni modo ad optatum finem perducere allaborarunt. Negari quidem nequit, etiam post hæc tempora non exiguas superstitionum gentilium reliquias in plurimis Alemanniæ partibus remansisse, quæ non minima *Wunefrido Anglo, Bonifacio alias dicto*, postea Archiepiscopo Moguntino, negotia facessere; *f*) ast & hæ in synodo Liptinensi *g*) A. C. DCCXLIII. sub Carolomanno habita & aliorum Franciæ regum capitularibus *h*) penitus abrogatæ & gravissimis sub pœnis prohibitæ fuerunt, tantaque Sueuorum, posteriori tempore, versus religionem Christianam Zelus invaluit, ut non solum destructa antea loca sacra rursus exstruerent, sed novas plane ex fundamentis erigerent ædes sacras, cœnobia & collegia, eaque pro more illorum Seculorum, prædiis, agris, fundis & decimis, pro remedio & redemtione animarum suarum, quam munificentissime donarent, ut vel hodie innumeræ, quæ adhuc extant donationum & fundationum chartæ & monumenta publica, ipsaque monasteria & loca sacra, ubivis obvia, quam manifestissime testantur. *i*)

x) Irenæus Lib. I. adversus hæref. c. 3. *Nam etsi in mundo loquelæ dissimiles sunt, Virtus traditionis tamen una & eadem est, & neque hæ, quæ in Germania fundatæ sunt Ecclesiæ, aliter credunt, aut aliter tradunt.* Conf. etiam Tertullianus Lib. I. advers. Judæos c. 7. ubi: *Christi regnum etiam in Germaniam porrigi.*

y) Ammia-

y) Ammianus Lib. XXVII. c. 10. Inde passim de tyrannide & impietate Alemannorum in Christianos eorumque ædes sacras exercita conqueritur Hieronymus in operibus suis, & imprimis ad Geruntiam de Monogamia epistola. Conf. etiam Agathiam Lib. II. ab init. Hist. Gothic. ubi de expeditione illa Butilini & Leutharis, fratrum & Ducum Alemannorum, in gratiam Gothorum suscepta loquitur, & quam impie sese contra Christianos in ea gesserint, fusius demonstrat.

z) Conf. hic Fridolini incerti authoris historia apud *Goldastum* T. I. S. R. A. p. 254. Guilimannus in Helvet. Lib. I. c. 15. n. 4. & Coccius in Dagoberto cap. VI. pag. 49.

a) Ita enim de Alemannis loquitur Agathias Scriptor Sec. VI. Lib. I. c. I. *Circa divina discrepant* a Francis: *arborum illis cultus, & amnium, colliumque & vallium; hæc numina placant equis, aliisque animalibus, quæ desectis cervicibus sacrant. Verum perpetua cum Francis consuetudo, sensusque beneficiorum prudentiores emollit, trahitque in rectiora, & puto, paulatim universos evincet. Insanum enim illud a ratione abhorrens opinionis, etiam ipsis sectantibus, ni stulti plane sint, in aperto est, ut arbitror, utque deprehensu, ita exstinctu facile; Misericordia magis ac venia, quam ira eos prosequi par est, qui a vero sunt devii. Non enim volentes errant, labunturque, sed cum id, quod bonum est, expetant, judicio decepti, instant semel creditis, qualiacunque ea sint, pertinacitèr.* Et de accolarum lacus Turicini circa adventum B. Columbani & S. Galli conditione, etiam hæc refert Walafridus Strabo Lib. I. c. 6. apud Goldastum Tom. I. Script. rer. Alem. *Homines ibidem commanentes crudeles erant, & impii, simulacra colentes, idola sacrificiis venerantes, observantes auguria & divinationes & multa, quæ contraria sunt cultui divino, superstitiosa sectantes.*

b) Confirmant dicta, quæ habet Walafridus Strabo Lib. I. c. 6. in vita S. Galli de templo S. Æmiliæ Brigantiæ exstructo: *repererunt*, inquit, B. Columbanus & S. Gallus, *in templo tres imagines aureas deauratas parieti affixas, quas populus, dimisso altaris sacri cultu, adorabat, & oblatis sacrificiis dicere consuevit: isti sunt Dii veteres, & antiqui hujus loci tutores, quorum solatio & nos & nostra durant usque in præsens.*

c) Huc pertinet Episcopatus Augustanus & Constantiensis. Illum enim Sec. VII. a Francorum regibus fundatum, ejusque primum Episcopum Sozimum circa annum 618. clarum fuisse, docent Bertius Lib. III. c. 6. comment. rer. Germ. Zeiler in Chron. Suev. p. 2. & itiner. Germ. c. 12. Hunc vero Vindonissa Constantiam, auspiciis Clotarii II. 570. translatum fuisse, communiter quidem tradunt. vid. Stumpfius Lib. V. c. 11. Chron. Helvet. Bucelinus P. I. Germ. sacr. Coccius c. 22. p. 198. c. I. ast contra omnem fidem historicam; tum temporis enim in Austrasia, cujus Alemannia pars erat, summa rerum adhuc potiebatur Sigebertus, cui An. 575. successit filius Childebertus II. quo, ejusque quoque filiis Theodorico & Theoberto An. 613. mortuis, Austrasiam demum Clotarius II. una cum universa Monarchia Francica obtinuit. Ut taceam, Clotarium ne tum quidem ad clavum regni Suessionum sedisse, patre Chilperico adhuc vivente. Majori potius probabilitate ad An. 597. hanc translationem refert, eamque Childeberti II. Austrasiæ regis jussu factam fuisse, tradit Guillimannus in Habsp. Lib. II. pag. 42. & de rebus Helvet. L. I. c. 3. n. 18. cui adstipulatur Zeiler in Chron. Sueu. pag. 1. & 2. primum Constantiæ Episcopum Maximum seu Maximinum vocans.

d) Walafridus Strabo c. IV. c. I. *Sancti igitur homines cum cœpissent inter illos habitare, docebant eos adorare patrem filium & Spiritum Sanctum & custodire fidei veritatem. B. quoque Gallus, Sancti viri discipulus, zelo pietatis armatus, fana, in quibus dæmoniis sacrificabant, igni succendit, & quæcunque invenit oblata demersit in Lacum.* Conf. etiam Stumpfius Lib. IV. c. I. Crusius Tom. I. pag. 245. c. I. & Guillimannus Lib. IV. c. 1. c. I.

e) Walafridus c. I.

f) Vid. Othlo in hist. vitæ Bonifacii L. I. c. 28. & epistola Gregorii P. R. ad Bonifacium, quam inseruit antiquitatibus gentilismi Thuring. Sagittarius c. III. n. 4. Inde etiam Notkerus Monachus apud Stumpfium Lib. V. c. 4. c. I. Caroli M. adhuc & Ludovici Pii ætate de pertinacia gentis conqueritur, dum canit:

Dura viris, & dura fide durissima gleba.

g) Canones hujus Synodi exhibet Baluzius in capitular. pag. 150. & Cointius ad An. 744. n. 10. Annal. Franc. Eccl.

h) Sic in capitulari Caroli M. primo ad An. 769. c. 6. legitur: *Decrevimus, ut secundum canones unusquisque Episcopus in sua parrochia sollicitudinem adhibeat, adjuvante Graphione, qui defensor Ecclesiæ est, ut populus Dei paganias non faciat, sed ut omnis spurcitias gentilitatis abjiciat, & respuat, sive profana sacrificia mortuorum, sive sortilegos, vel divinos, sive Phylacteria & auguria, sive incantationes, sive hostias immolatitias, quas stulti homines juxta Ecclesias ritu pagano faciunt, sub nomine sanctorum martyrum vel confessorum Domini, qui potius quam ad misericordiam sanctos suos ad iracundiam provocant.*

i) Conf. hic omnino Vadianus in præfatione ad Farragin. antiqu. apud Goldastum Tom. III. c. I. & Fr. Petri Suevia Ecclesiastica, ubi numerum monasteriorum & collegiorum sacrorum, quæ tantum in hodierno Sueuico circulo conspiciuntur, ad 628. extendit. Vid. etiam quoad statum Christianismi in Suevia antiquum sæpe laudatum S. R. Mellinum in peculiari Diss. Jenæ 1695. sub tit. Suevia Christiana habita.

§. LI. Sed a sacris jam recedimus, publicum nunc considerantes statum. Utut autem jam supra ostendimus, Suevicam gentem in plurimos populos fuisse disterminatam, ita jam ulterius tenendum, omnes hos populos non integrum aliquod, aut commune Reip. systema, sed quotquot populos, tot separatas & a se invicem indepentes Resp. aut regna constituisse, quæ commune nihil, in quantum nisi speciali aliquo pacto vel fœdere junctæ. Caussam universalis hujus separationis si quæras, forte non alia inveniri poterit, quam nimium libertatis *k*) studium, cui plerique Sueuorum adeo erant dediti, ut pro asserenda ea nihil non auderent; hanc enim lædi & amitti posse, si separatæ cujusque gentis rationes unirentur, falso erant persuasi; & eodem ex capite dubio procul etiam erat, quod in plerisque civitatibus democratica *l*) prævaleret forma; hanc enim libertatem affectantibus gratissimam esse, & quovis modo amplecti, nemo non novit. Quemadmodum autem ubi gens rudis, avida tamen bellorum, plerumque fieri solet, ut pedetentim a pura Politiæ forma recedatur, & non minima potestatis pars ad nobiliores & potentiores transferatur; ita etiam plerisque gentis nostræ democratiis accidit, semper enim vel Aristocratice & regie erant temperatæ, aut in absolutam plane degenerarunt Monarchiam. Et ubi quidem popularis forma aristocratice erat mixta, regimen penes principes *m*) erat, ita tamen, ut potestas eorum haud absoluta, sed restricta admodum & adeo limitata, ut non plus juris in populum, quam hic in illos, haberent. *n*) Neque enim hi principes sub hæreditario aliquo jure in pagos succedebant, neque ex factione aliqua plebis, aut studio privato, cœco impetu, sed publica totius Reip. authoritate ex omni nobilitate in comitiis eligebantur, *o*) ita tamen, ut dignitas parentum ad liberos *p*) eorum haud raro quoque redierit. Horum jam erat jura per pagos vicosque reddere, *q*) in caussis scilicet minoribus & privatorum, publica enim & quæ majoris momenti, ad comitia ablegabantur. *r*) Certi singulis ex plebe aderant Comites, *s*) quo in negotiis cujuslibet pagi & consilium ipsis & auctoritas esset. Hi enim non servilis erant, nec libertini sanguinis, cum servi & liberi nunquam aliquod momentum in Rebusp. liberis facerent, *t*) sed ex numero ingenuorum desumeban-

mebantur. Bellum *u*) si gerendum civitatibus istis, qui reges non habebant, Duces ex virtute eligebantur *x*) qui non raro quoque & reges dicuntur; *y*) Hi exemplo potius, quam imperio, si promti, si conspicui, si ante aciem agebant, admiratione præerant. Cæterum neque animadvertere, neque verberare, nisi sacerdotibus permissum, non quasi in pœnam, nec Ducis jussu, sed velut Deo imperante, quem adesse bellantibus credebant. *z*)

k) De hoc libertatis studio testantur tot bella, quæ pro conservanda ea cum Rom. gesserunt. Inde Josepho Lib. II. c. 16. belli Jud. omnes Germani *pro libertate pugnaces* dicuntur, & Seneca Lib. II. de ira Germanos *liberas gentes* pronunciat omnes. Sic & Ammianus Lib. XIX. *libertatis cupidos & jugi impatientes* vocat Alemannos, & Procopius Lib. I. *Alemanni*, inquit, *gens valida, habitant liberi omnes.* Huic etiam studio tribuendum, quod Langobardi apud P. Diaconum Lib. I. in f. Legatis Vandalorum tributum aut bellum poscentibus responderent: *ob libertatem tuendam potius se armis res commissuros esse:* & metu ejus amittendæ jam sæpius inclinantes & laborantes acies restitutas fuisse, testatur Tacitus cap. VIII. §. 1. de M. G.

l) Tacitus c. XI. de M. G.

m) Idem c. XI. §. 1. *De minoribus rebus principes consultant, de majoribus omnes.* Hos principes Sueuis *Graven* h. e. Senes, sive Seniores, a Canitie; quod plerumque homines periti & grandævi huic muneri adhiberentur, dictos fuisse, & exinde Gravionum nomen, apud Francos adeo celebre, originem traxisse, nullus dubito. vid. omnino B. Hertius in not. veter. Germ. populor. P. I. c. IV. §. 7.

n) Tacitus c. XI. §. 6. de M. G.

o) Idem c. XII. §. 5. *eliguntur in iisdem Comitiis & principes.*

p) Idem c. XIII. §. 4. c. l. *Insignis nobilitas, aut magna patrum merita principis dignotionem etiam adolescentulis assignant.*

q) Tacitus c. XII. §. 5. *Principes, qui jura per pagos vicosque reddunt.* Adde Cæsarem Lib. VI. c. 23. de B. G.

r) Tacitus c. XI. §. 1. c. l.

s) Idem c. XII. §. 5. *Certi singulis ex plebe comites, consilium simul & auctoritas adsunt.*

t) Idem c. XXVI. §. 4. c. l.

u) Tempore enim pacis ejusmodi civitatibus Duces non fuisse, ex Cæsare L. VI. c. 23. colligo, ubi ait: *Cum bellum civitas aut illatum defendit, aut infert, magistratus, qui & bellis præsint, ut vitæ necisque habeant potestatem, deliguntur. In pace nullus communis est magistratus, sed principes regionum atque pagorum inter suos jus dicunt, controversiasque minuunt.*

x) Tacitus c. VII. §. 1. *Duces ex virtute sumunt.*

y) Testatur hoc Procopius de Bello Goth. Lib. I.

z) Verba sunt Taciti c. VII. §. 1. & 2. de M. G. & licet Cæsar c. l. ipsis Ducibus hanc animadvertendi potestatem tribuat, facile tamen credendum, eos declinandæ invidiæ caussa ope sacerdotum in puniendis delinquentibus fuisse usos.

§. LII. Haud paucioribus porro civitatibus, quo illustrior splendor, & reges fuere. Nobile enim antiquitus apud Marcomannos & Quados Mara-

bodui & Tudri regum genus; clara apud Hermunduros & eosdem Quados Marcomannosque Ariouisti, Jubillii, Catualdæ, Vannii, Sidonis & Vangionis, regum nomina; nec ignoti porro Gothorum, Rugiorum, Lemoviorum, Suionum & Sitonum aliorumque populorum reges, sed non omnium erat eadem authoritas & potestas. Apud Suiones quidem unus tantum imperitabat, nullis jam exceptionibus, non precario jure parendi; *a*) & Sitones *b*) in tantum non a libertate, sed etiam a servitute degenerabant, ut fœminam plane dominari patiebantur; sed Rugiis & Lemoviis *c*) erga Reges suos modo obsequium erat; & Gothones *d*) licet adductius paulo cœteris Sueviæ populis regnarentur, nondum tamen & supra libertatem regum in eos imperium. Idem quoque de Marcomannorum & Quadorum *e*) regibus dicendum: licet enim dignitas eorum ab initio hæreditaria *f*) & postea quoque extraneos patiebantur reges, quibus vis & potentia ex auctoritate Romana, nunquam tamen perfectam & illimitatam potestatem consequi poterant, quin potius tale quid audentes ab acerrima illa gentis libertate statim oppressos, aut extinctos, vel saltim pulsos fuisse, notissima Marabodui, Catualdæ & Vannii regum exempla quam manifestissime testantur. Neque etiam reliquis Sueuicæ gentis regibus plena erant majestatis jura, sed coarctæ admodum & cum plebe quoque communicata; *g*) solis enim regibus haud licitum, in causis publicis & majoribus decernere, aut certum quid statuere, *h*) ipsi non poterant in delinquentes animadvertere *i*) & in consiliis quoque auctoritate suadendi magis, quam jubendi potestate ab omni multitudine audiebantur, *k*) quid quod nec dignitas eorum hæreditaria, *l*) sed facili negotio in alium ex nobilitate transferri poterat, quem scilicet plebs ad eam sustinendam judicabat dignum. Omnis potius eorum potestas in eo constabat, quod consultarent de causis minoribus. *m*) Negotia in comitiis dirigerent *n*) & ea quoque, quorum penes plebem arbitrium erat, apud eos prætractarentur. *o*) Imprimis vero magna eorum auctoritas *p*) in bello, tunc enim multitudinem in finitimorum agros educebant, aut hostem quoque a civitatis suæ limitibus arcebant, & quo eo melius hoc exequi valerent, stipati semper erant numerosa Comitum turba, quorum magna æmulatio, quibus primus apud regem suum locus, & regum quoque, cui plurimi & acerrimi Comites. Hæc enim dignitas, hæ vires, magno semper juvenum globo circumdari, in pace decus, in bello præsidium. Neque solum in sua gente cuique, sed apud finitimas quoque civitates id nomen, ea gloria erat, si numero ac virtute comitatus eminebat, expetebantur enim legationibus & muneribus, & ipsa plerumque fama bella profligebant. *q*) His ex donis & muneribus Comitibus postea epulæ, & quamquam incomti, largi tamen apparatus, pro stipendio cedebant. Neque etiam ipsis regibus certi annui reditus, sed civitatibus mos eras, ultrò ac viritim conferre principibus vel armentorum & frugum aliquid, quod pro honore acceptum, etiam necessitatibus subveniebat. *r*)

a) Ita Tacitus c. XLIV. §. 3. de M. G. qui ulterius addit: *Nec arma, ut apud cœteros Germanos, in promiscuo, sed clausa sub custode, & quidem servo: quia subitos hostium incursus prohibet oceanus, otiosæ porro armatorum manus facile lasciviunt. Enimvero neque nobilem, neque ingenuum, ne libertum quidem armis præponere regias utilitas est.* Inde ex hactenus dictis & sequentibus non congrue concludit Schatenius in Hist. Westph. pag. 8. accolas maris Balthici & Septentrioni propiores Germaniæ populos magis ad monarchicam publicæ rei formam propendisse; quanquam postea hujus servitutis pertæsi Suiones sese in pristinam libertatem vindicarunt, ita ut popularis forma prævaluerit regiæ, ceu ex Ad. Bremensi, scriptore hujus rei solertissimo, quam luculentissime constat, vid. ipsius hist. Eccles. c. 230. & quæ de situ Daniæ scripsit apud Grot. inter Script. Histor. Goth. pag. 102. &c.

b) Taci-

b) Tacitus c. XLV. §. 11. c. I. *c*) Idem c. XLIII. §. 8. c. I.

d) Idem c. XLIII. §. 7. c. I. Ab hoc obsequio Gothi postea recessisse videntur: de iis enim testatur Aimoinus Lib. II. Hist. Franc. c. 20. *Gothi jam olim vitium hoc in consuetudinem vertere, ut dum eis rex proprius displicuerit, a suis interimatur.* Conf. etiam Greor. Turonensis Lib. III. c. 30. Histor. Franc. Non sanctior quoque apud Burgundiones, eorum olim vicinos, persona erat regis, de ea enim ita Ammianus Lib. XXVIII. c. 5. *Apud hos generali nomine rex appellatur Hendinos, & ritu veteri potestate deposita removetur, si sub eo fortuna titubaverit belli, vel segetum copiam negaverit terra.*

e) Plures posteriori tempore Quadis fuisse reges, constat ex Ammiani Lib. XVII. c. 12. ubi de expeditione Constantii Imp. contra eos suscepta sic loquitur: *Perrexit in regna Quadorum.*

f) Tacitus c. XLII. §. 3. c. I. *Marcomannis Quadisque usque ad nostram memoriam reges manserunt ex gente ipsorum, nobile Marabodui & Tudri genus: jam & externos patiuntur, sed vis & potentia regibus ex auctoritate Romana. Raro armis nostris, saepius pecunia juvantur.* adde Velleium Lib. II. c. 108. §. 3.

g) Tacitus c. VII. §. 1. *Nec regibus infinita aut libera potestas.* Quibus jungi possunt, quae habet idem c. IX. c. I.

h) Idem c. XI. §. 1. c. I. *i*) Idem c. VII. §. 2. c. I.

k) Idem c. XI. §. 6. c. I. inde etiam Ad. Bremensis de situ Daniae c. I. de liberis jam Sueonibus ait: *reges habent ex genere antiquos, quorum tamen vis pendet in populi sententia, quod in commune laudaverint omnes, illum confirmare oportet, nisi ejus decretum potius videatur, quod aliquando sequuntur inviti.*

l) Ait enim saepe laudatus Tacitus c. VII. §. 1. *Reges ex nobilitate sumunt.*

m) Idem c. XI. §. 1. c. I. *n*) Idem c. XI. §. 6. c. I. *o*) Idem c. XI. §. 1. c. I.

p) Ait enim Ad. Bremensis c. I. de Suionibus: *In praelium euntes omnem praebent obedientiam Regi, vel ei, qui doctior caeteris a Rege praefertur.*

q) Verba sunt Taciti c. XII. §. 5-7. quibus conferri merentur quae sequuntur c. XV. §. 4. apud eund.

r) Idem c. XIV. § 6. c. I. *s*) Idem c. XV. §. 3. c. I.

§. LIII. Quae postea Sueuorum circa Rhenum habitantium, seu uti plerumque dicuntur, Alemannorum Reip. fuerit forma, in tanta scriptorum sterilitate definiri vix potest. Reges eos habuisse, & quidem uno tempore plures, diversis pagis praepositos, ex Ammiano *t*) constat, qui vel solius Juliani Apostatae aetate, plus decem eorum meminit. Horum etiam dignitatem non per electionem, sed haereditario jure ad successores translatam fuisse, exinde colligitur, quod Vithicabius Rex Vadomarii Regis *u*) filius diserte dicitur, nec raro duo fratres *x*) reges occurrunt, principes insuper juventutis regales *y*) semper audiunt, & vel omnibus optimatibus praeferuntur. *z*) An vero omnium Regum eadem semper auctoritas, vel omnium Alemannorum una tantum Civitas, vel ideo dubitare licet, quod Chnodomarius & Serapio reges potestate ante alios excelsiores *a*) fuisse dicuntur, & frequenter admodum regulorum *b*) quoque & plurium *c*) regnorum fit mentio. Neque asserere audeo, regibus hisce in populos suos absolutum & illimitatum fuisse imperium; qui enim pro vindicanda Germaniae libertate in unum nomen & foedus coivere, cruentissima cum Romanis bella gessere, tot clades accepere aut intulere, & pro conservanda ea contra exteros nihil non fuere ausi, hi profecto domesticae *d*) servituti colla sua haud subdidere; quin potius regiminis partem veteri more plebem sibi vindicasse, & regum quoque potestatem valde fuisse re-
strictam,

strictam, omnnio sit credibile. Hoc interim certum, Regibus Alemannorum sicut & veterum Sueuorum plures fuisse comites, *e*) qui pro gloria & salute sui principis nihil non tentâre & in bello & pace perpetuo eos comitati fuere.

t) Sic Lib. XVI. c. 12. Prælium ad Argentoratum inter Julianum & Alemannos commissum describens, *hos* Chnodomarium & Serapionem Reges, inquit, *sequebantur potestate proximi reges numero quinque.* Et Lib XVII. c. 1. ad Julianum, ait, *tres immanissimi venerunt reges.* Lib. XIV. c. 16. Constantius Imp. sic alloquitur milites suos: *Alemannorum reges & populi formidantes per oratores, quos videtis, summissis ceruicibus concessionem præteritorum poscunt & pacem.* Et Lib. XVIII. c. 2. Hortarius, Suomarius, Macrianus, Hariobaudus, Vadomarius, Urius, Ursicinus & Vestralpus reges memorantur. Vid. etiam Lib. XVII. c. 10. & Lib. XX. c. 10. ubi plura exempla plurium Regum Alemannorum.

u) Ammianus Lib. XVII. c. 10. *Vithicabius Rex Vadomarii filius -- fraude citerioris vitæ ministri, studio sollicitante nostrorum, occubuit.*

x) Ammianus Lib. XVIII. c. 2. *Macrianus & Hariobaudus germani fratres & reges.* Idem Lib. XXI. c. 3. *cum hoc Vadomario & Gundomado ejus fratre, itidem rege, Constantius firmaverat pacem.* vid. etiam Lib. XIV. c. 10. & Lib. XVI. c. 13. ubi Serapio Rex dicitur Mederichi, fratris Chnodomarii regis, filius.

y) Ammianus Lib. XVI. c. 12. *Regales decem.* & Lib. XVIII. c. 2. *omnes reges & regales, & regulos ad convivium corrogatos retinuit.* Hortarius Rex. vid. etiam Lib. XXV. c. 10. ubi: Randonem quoque Alemannum, qui Moguntiam furto occupaverat atque diripuerat, Regalem appellat. Regales autem olim dictos fuisse principes juventutis ex veteri *Grammatico* de differentiis vocum constat, qui, *inter regem*, inquit, *& regalem hoc interest, quod regis puer regalis est, Rex qui regnum regit.* conf. annot. Valesii ad d. pr. l. Ammiani & B. Rhenanum Lib. III. p. 123. Rer. Germ.

z) Ammianus Lib. XVI. c. 12. *hos sequebantur potestate proximi reges, numero quinque, regales decem, & optimatum series magna.*

a) Idem Lib. XVI. c. 12. *Chnodomarius & Serapio potestate excelsiores ante alios reges.* *b*) Ammianus Lib. XVIII. c. 2.

c) Idem Lib. XX. c. 4. *post Alemanniæ quædam regna prostrata.*

d) Confirmant dicta, quæ habet sæpe laudatus Ammianus Lib. XIX. dum *libertatis cupidos & jugi impatientes* eos vocat, & Procopius Lib. I. qui *Alemanni*, inquit, *gens valida liberi habitant omnes.*

e) Ita enim ammianus Lib. XVI. c. 12. *quibus visis compulsus* Chnodomarius *ad ultimos metus, ultro se dedit, solus egressus; comites ejus ducenti numero & tres amici junctissimi flagitium arbitrati post regem vivere, vel pro rege non mori, si ita tulerit casus, tradidere se vinciendos.* Et Lib. XVII. c. 2. *quatuor comites ejus* (Hortarii) *quorum ope & fide maxime utebatur, non ante absolvit* Julianus, *dum omnes redire captivi.* vid. etiam Lib. XXI. c. 4. ubi: *Vadomarius Rex capitur comitibus ejus ad sua redire compulsis.*

§. LIV. Quemadmodum autem in Rep. viventium semper diversæ sunt classes, ita etiam quatuor *f*) in Civitatibus Sueuorum fuere ordines, Nobilium scilicet, ingenuorum servorum & libertorum. *Nobiles* erant, quorum majores principis, Ducis vel regis quoque in Rep. gesserant dignitatem; & ex his rursus magistratus suos desumere solebant. *g*) *Ingenuis* accensebantur omnes, qui ex parentibus liberis nati. *Servi* autem dupplicis erant conditionis, *h*) alii nativitate tales, alii, qui libertatem alea amiserant, hos per commercia tradebant, illi vero annuum censum Domino solvebant. *Liberti* denique non multum supra servos erant, raro aliquid momentum in domo, nunquam

quam in civitate, exceptis duntaxat iis gentibus, quæ regnabantur; ibi enim & supra nobiles & supra ingenuos adscendere solebant. *i*)

f) Hoc discrimen facit Tacitus c. XXV. §. 4. & c. XLIV. §. 5. de M. G.

g) Idem c. XIII. §. 4. juncto c. VII. §. 1. de M. G. *h*) vid. supra §. 36. & 37. *i*) Tacitus c. XXV. §. 4.

§. LV. Has inter personas si quid controversiæ ortum, tota causa pro diversitate rerum vel coram judice privato, vel in comitiis publicis agebatur. Et ad principes quidem & judices cujuslibet pagi res pertinebant minoris momenti, *k*) seu exigui saltim præjudicii. Has dijudicabant ex æquo & bono, pro ratione circumstantiarum. Nullæ enim veteribus Suevis, sicut & reliquis Germanis, leges erant scriptæ, sed plus apud eos valebant boni mores, quam alibi bonæ leges. *l*) Ratio processus erat simplex, cum nec legum multitudo, nec malitia advocatorum, neque lucri cupido, eum protelaret; & ipsæ quoque gravissimæ lites & inimicitiæ cito tum componebantur. *m*) Res publicæ autem & majoris momenti comitiis erant reservatæ, quæ duplicia fuisse videntur. Majora scilicet & minora. In minoribus principes tantum consultabant; in majoribus omnes: ita tamen, ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium erat, apud principes prætractarentur. Coibant, nisi quid fortuitum inciderit, certis diebus, cum aut inchoaretur luna, aut impleretur. Nam agendis rebus hoc auspicatissimum initium credebant. Illud ex libertate vitium, quod non simul, nec jussi, convenirent, sed & alter, & tertius dies cunctatione coeuntium absumeretur. Ut turbæ placuit considebant armati. Silentium per sacerdotes, quibus tum coercendi jus erat, imperabatur. Mox rex, vel princeps, prout ætas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia erat, audiebantur, auctoritate suadendi magis, quam jubendi potestate. Si displicebat sententia, fremitu aspernabantur, sin placebat, frameas concutiebant. Honoratissimum enim assensus genus, armis laudare. *n*) His in comitiis principes eligebantur, *o*) & apud ea quoque licebat accusare & capitis crimen intendere. *p*)

k) Tacitus c. XII. §. 5. & c. XI. §. 1. de M. G. *l*) Idem c. XIX. §. 6. c. I. *m*) Idem c. XXI. §. 1. & 2. c. I.

n) Verba sunt ejusdem c. XI. per tot. de M. G. conf. Claudianus de Bello Getico & Sidonius Apollinaris in panegyrico socero Auito Augusto dicto, qui eadem fere de comitiis Gothorum publicis referunt. adde Procopium Lib. II. & III. Hist. Gothic.

o) Tacitus c. XII. p. 5. c. I. *p*) Idem c. XII. §. 1. c. I.

§. LVI. *Distinctio* autem *pœnarum* ex delicto erat. Proditores & transfugas arboribus suspendebant. Ignavos, imbelles & corpore infames cœno ac palude, injecta insuper crate, mergebant. Quæ diversitas supplicii illuc respiciebat, tanquam scelera ostendi oporteat, dum puniuntur, flagitia abscondi. *q*) Qui in concilio professus, se Ducem in bello secuturum, nec promissis steterat, in desertorum quidem & proditorum numero ducebatur, sed non eadem ipsi irrigabatur poena, cum tantum omnium rerum fides ipsi postea abrogaretur. *r*) Scutum reliquisse in prœlio, præcipuum flagitium, nec aut sacris adesse, aut concilium inire ignominioso fas erat: Multique superstites bellorum infamiam laqueo finiebant. *s*) Adulterii pœna erat præsens, & maritis permissa; accisis crinibus nudatam coram propinquis expelle-

bat domo maritus, ac per omnem vicum verbere agebat. Publicatæ enim pudicitiæ nulla venia: non forma, non ætate, non opibus maritum inveniebat; nemo enim illic vitia ridebat, nec corrumpere & corrumpi seculum vocabatur. *t*) Homicidium certo armentorum & pecorum numero luebatur, recipiebatque satisfactionem universa domus. *u*) Qui vero alterum bonis suis spoliaverat, aut injuriam fecerat, capitali afficiebatur pœna. *x*) Levioribus denique in delictis pro modo pœnarum equorum pecorumque numero convicti mulctabantur. Pars vero mulctæ regi, vel civitati, pars ipsi, qui vindicabatur, vel propinquis ejus, exsolvebatur. *y*)

q) Tacitus c. XII. §. 2. & 3. de M. G. *r*) Cæsar Lib. VI. c. 23. de B. G. *s*) Tacitus c. VI. §. 9. c. l.

t) Idem c. XIX. §. 2. 3. c. l. inde etiam de Suionibus Ad. Bremensis de situ Daniæ apud Grot. inter Script. Hist. Goth. p. 101. *Capitali vero*, inquit, *mulctatur pœna, si quis alterius uxorem cognoverit, aut vi suppresserit virginem.* Et de Vandalis hæc refert Salvianus Lib. VII. de gubernat. Dei: *Addiderunt quoque hoc ad libidinem comprimendam, severas pudicitiæ sanctiones decretorum, gladio impudicitiam coercentes, ut pudicitiam utriusque sexus & domi connubii servaret affectus, & in publico metus legum: ac sic dupplici præsidio castimonia tueretur, cum & intus esset, quod amaretur, & foris, quod timeretur.*

u) Tacitus c. XXI. §. 2. c. l. *x*) Ita de Suionibus Ad. Bremensis c. l. *y*) Tacitus c. XXII. §. 4. c. l.

§. LVII. Sicut autem veteres Germani omnem Reip. salutem in armis consistere communiter credebant: ita etiam primarius civitatum Sueuicarum scopus erat bellum. *y*) Huic procul dubio ansam dedit commune sacerdotum eorum dogma, quo *animas hominum esse immortales* *z*) & statim *post corporis mortem in aliud transire*, nullo non tempore simplici plebi persuadere satagebant. Hisce enim principiis imbuti, quovis modo contemnebant mortem, & in acie quoque versantes, tanquam gloriose ac fortiter vita excessuri, exultabant, cum qui morte occumbebant, quasi turpiter & misere morituri, lamentarentur; imo non tam facile persuaderi poterant, terram arare & annum exspectare, quam hostes vocare & vulnera mereri, pigrum quin imo & iners videbatur, sudore acquirere, quod sanguine possis parare. *a*) Hinc nec latrocinia ullam habebant infamiam, quæ extra fines cujusque civitatis fiebant, cum ea juventutis exercendæ & desidiæ minuendæ causa fieri prædicarent; *b*) & ipsæ quoque bellorum causæ ex libidine accersebantur: *c*) ubi enim aliquis ex principibus in comitiis se dicebat ducem fore, & ut qui sequi vellent profiterentur, statim consurgebant, qui causam & hominem probabant, suumque auxilium pollicebantur, *d*) ita, ut quotannis singula millia armatorum ex finibus suis *e*) educerent, eorumque ope & vicos & agros finitimorum vastarent; publice enim maximam putabant esse laudem, quam latissime a finibus suis vacare agros, & hac re significari, magnum numerum civitatum vim suam sustinere non potuisse: *f*) imo tantus gentis belli furor, ut si civitas, in qua orti, longa pace & otio torpebat, plerique nobilium adolescentum, ultro eas peterent nationes, quæ tunc bellum aliquod gerebant, quia & ingrata genti quies, & inter ancipitia facilius clarescebant. *g*)

y) Inde ait Cæsar Lib. VI. c. 21. de omnibus Germanis: *vita omnis in studiis rei militaris consistit.* & Seneca Lib. I. c. 10. de ira judicat: *Germanis quid animosius, quid ad incursum acrius? quid armorum cupidius? quibus innascuntur, innutriuntur, quorum unicum illis cura est, in alia negligentibus* Cæsar porro Lib. IV. c. 1. c. l. inquit: Suevorum gens est longe maxima & bellicosissima

fiſſimâ omnium Germanorum, & Lib. I. c. 36. eidem dicuntur *invicti Germani, exercitatiſſimi in armis, qui intra annos XIV. tectum non ſubiſſent.* Imo incomparabilis hic belli ardor & virtus militaris Sueuicæ genti non tantum priſcis temporibus quaſi innata fuit, ſed feros ad usque poſteros plane propagata. Inde glorioſiſſimus Imperator Rudolphus Habſpurgicus, teſte Fuggero im Spiegel der Ehren des Hauses Oesterreich. Lib. I. c. 16. p. 138. non raro in ore habuit. Wenn er vier tausend Helme und viertzig tausend Fußgänger aus Schwaben bey sich hätte / getraute er ihm in der gantzen Welt mit Sieg zu bestehen. Et huic inſuper invictæ fortitudini tribuendum, quod ipſis in omni expeditione regis Teutonici aciem præcedere & primis quoque prœlium committere, per modum privilegii, conceſſum; quod ad tempora Caroli M. quidem, & quod ab eo Geroldus, Sueuorum Dux, eo fuerit donatus, refert Speculum Sueuicum c. 272. ejusque authoritate freti ulterius affirmant Stumpfius Lib. VI. c. 19. Chron. Helvet. Hertzog. Lib. V. pag. 109. Chron. Alſat. & Cruſius Tom. II. p. 14 Annal. Suev. alii vero in dubium vocant. Hoc interim certum, antiquiſſimum hoc eſſe privilegium, ita enim jam illud vocat Lambertus Schaffnaburgenſis ad An. 1075. de reb. Germ. vid. etiam Cruſius Tom. II. p. 233. & 234. c. I. & poſt Eum canit Gothofredus Viterbienſis:

Judicio cœli dominantur in orbe Sueui
Nunc ubicunque; Geri reſpublica prœlia quærit,
Ordine primus erit, gladio vult primus haberi,
Moreque ſigniferi primus in hoſte ferit.

Adde Königshoven in Chron. Alſat. c. II. pag. 147. c. V. p. 387. & ſupplem. ad eum pag. 434. Latzium Lib. VIII. p. 360. Guillimannum Lib. V. c. 1. p. 216. in Habspurg. Cruſium Tom. III. p. 262. c. I. & Lehmannum in Chron. Spir. Lib. V. c. 29. ubi plura exempla, quod Sueui noſtri hoc privilegio in congreſſibus prœliorum uſi fuerint, occurrunt.

z) Sic Appianus in Celticis pugnam Cæſaris cum Arioviſto habitam deſcribens, Marcomannos fuiſſe inquit: *Mortis contemtores, ſpe revivifcentiæ.* Et Lucanus in Pharſalicis Lib. I. v. 457. de populis Germaniæ Septentrionalibus, qui maximam partem Sueui, ita canit:

- - Certe populi, quos deſpicit Arctos,
Felices errore ſuo; quos ille timorum
maximus haud urget lethi metus. Inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animæque capaces
mortis: & ignavum, rediturae parcere vitæ.

a) Tacitus c. XIV. §. 7. de M. G. & Ammianus Lib. XVI. c. 2. cui Alemanni prodigere vitam pro victoria contendentes audiunt.

b) Cæſar Lib. VI. c. 23. c. I. *c*) Mela Lib. III. c. 3. c. I. *d*) Cæſar Lib. VI. c. 23. c. I. *e*) Idem Lib. IV. c. 1. c. I. *f*) Idem Lib. IV. c. 2. c. I.

g) Tacitus c. XIV. §. 4. hoc ſtudium, pacis tempore etiam extraneis nationibus, quæ bella gerebant, ſubſidia ferendi, adeo invaſerat veterum Sueuorum animos, ut & ſub Romanis, ejuratis plane hoſtibus, ſtipendia merere haud detrectarent. Inde Sido & Italicus, Sueuorum Reges, cum delectis popularium primori in acie Veſpaſiani, cum Vitellio de imperio contendentis, verſabantur, Tacitus Lib. III. Hiſt. c. 21. §. 4. & jam antea Jul. Cæſar Germanorum opem & fortitudinem in prælio Pharſalico contra Pompejum erat expertus, cum præcipue eorum auxilio Pompejanum equitatum ſuperaſſet. Florus Lib. IV. c. 2. Sic Caracalla validiſſimum quemque & pulcherrimum ex Danubianis Sueuis inter corporis cuſtodes ſibi adſciverat, ut jam ſupra ex Herodiani Lib. IV. c. 7. monuimus, & Maximinus quoque auxiliares ex Germania equites ſibi elegit, quos præcipue opponeret hoſtibus: idem Lib. IV. c. 7. ut taceam, & Antoninum Philoſophum Marcomannos in ſuo exercitu ſuſtentaſſe, quorum ope Germanos

manos devicit. Spartianus in ejus vita c. 21. conf. etiam in genere hic Henr. Bebelium de veter. Germ. encomiis c. 4. pag. 120. apud Schardium Tom. I. c. l. Neque tamen tantum ut gregarii milites signa Romanorum secuti sunt, sed non raro quoque primarias vices in aulis & castris obtinuerunt: Clara enim nomina Latini, domesticorum Comitis, Agilonis tribuni stabuli, & Scudilonis rectoris Scutariorum, qui omnes Alemanni, sub Constantio Imperatore, veluti dextris suis Remp. gestantes, colebantur. Ammianus Lib. XIV. c. 10. Zosimus Lib. II. nec ignotus Riccimer ex eadem gente, magister militum, qui tanta polluit auctoritate, ut mortuo Valentiniano III. pro lubitu de imperio occidentali disponeret. Vid. Cassiodorus in Chronic. Sic Erocus Alemannorum Rex, captus a Constantio Chloro, præcipuus Constantino M. author fuit capessendi imperium, Crusius Tom. I. pag. 129. c. l. & Vadomarius quoque Alemannorum Rex, captus a Juliano Imp. Ducis munere apud Romanos diu fuit functus, eisque utiles contra Persas præstitit operas vid. Ammianus Lib. XXIX. c. l.

§. LVIII. *Arma* non eadem erant omnibus. Communiter, sed rari *gladiis*, aut majoribus lanceis utebantur, & hastas quoque, vel ipsorum vocabulo, *frameas* gerebant, angusto & brevi ferro, sed ita acri, & ad usum habili, ut eodem telo, prout ratio poscebat, vel cominus, vel eminus pugnarent. *h*) Porro & *missilia* habebant, quæ pedites, & plura quidem singuli, nudi ac sagulo leves, spargebant, & in immensum vibrabant. *i*) Neque deerant *scuta* immensa, *k*) vel tenues & fucatæ colore tabulæ, *l*) non quidem ferro, neruove firmatæ, sed *viminum textus*. *m*) Hæc inter se ita conserere, & capita & pectora eorum ope munire callebant, ut integra acies ab hostium telis esset tuta, nec non nisi cursu insultantium manibus pedibusque difficili negotio revelli & proturbari possent. *n*) Paucis præterea erant *loricæ*, sed vix uni alterive *cassis aut galea*; *o*) Secus ac Quadis, qui loricas ex cornibus rasis & levigatis plumarum specie linteis indumentis innexas habebant. *p*) Rugiorum Lemoviorumque insigne erant scuta rotunda, brevesque gladii, *q*) & Arii super vires truces, insitæ feritati arte ac tempore lenocinabantur; nigra enim scuta, tincta corpora, atras ad prælia noctes legebant, ipsaque formidine atque umbra feralis exercitus terrorem inferebant, nullo hostium sustinente novum ac velut infernum aspectum. *r*) Hisce quoque partim conveniebant, partim diversa erant arma & cultus militaris Alemannorum. Loricas enim & tibialia plane ignorabant, intecti caput plerique, pauci galeati, præliabantur. Pectus & terga nudi lumbos usque, inde feminalia induebantur ad tibias descendentia, e lino alii, nonnulli e corio. Ensis a femore, a sinistro latere clypeus dependebat. Arcus, fundas & quæ alia eminus feriunt, non habebant, sed ancipites secures & angones, maximorum operum instrumenta. Et parabilis erat hæc gentis armatura, nec multis opificibus indigens, sed ab ipsis, quibus gestabatur, facilis, si quid luxatum esset, reconcinnabatur. *s*)

h) Verba sunt Taciti, c. VI. §. 23. de M. G. ejusmodi prælongas Germanorum hastas in prœlio Ariovisti cum Cæsare habito appellat Dio Lib. XXXVIII. κοντὰς & Ammianus Lib. XVII. c. 12. de Quadis ait: *quibus ad latrocinia magis, quam aperto habilibus Marti, hastæ sunt longiores.*

i) Tacitus c. VI. §. 3. c. l. *k*) Ita ea vocat Tacitus Lib. II. Annal. c. 14. §. 3.

l) Idem c. l. & c. VI. §. 4. de M. G. *Scuta tantum lectissimis coloribus distinguunt.*

m) Idem c. XIV. §. 4. Lib. II. Annal.

n) Ita enim Cæsar Lib. I. c. 52. de B. G. de Ariovisti Marcomannorum regis acie: *Germani celeriter ex consuetudine sua, phalange facta, impetus gladiorum exceperunt.*

runt. Reperti sunt complures nostri milites, qui in phalangas insilirent & scuta manibus revellerent, & desuper vulnerarent. Conf. Orosius Lib. VI. c. 6. Dio Lib. XXXVIII. & Agathias Lib. I. in f. & Lib. II. Hist. Gothic. qui de acie Alemannorum & Francorum sub auspiciis Butilini Ducis contra Narsetem instructa sic ait: *Aversi enim inter se stabant, uti hostibus adversi essent, & ex tuto confligerent, scutis protecti.*

o) Tacitus c. VI. §. 4. de M. G. & Lib. II. Annal. c. 14. §. 4.

p) Ammianus Lib. XVII. c. 12. q) Tacitus c. XLIII. §. 8. de M. G. r) Idem c. XLIII. §. 6. c. l.

s) Verba sunt Agathiæ Lib. II. hist. Goth. qui hoc modo armaturam exercitus Butilini, Ducis Alemannorum, describit. *Sunt* autem eodem teste c. l. *angones hastæ, neque magnæ omnino, neque nimium exiguæ, tales, ut & jaci possint, & si conferta manu pugnandum sit, incussu validæ. Pars barum maxima ferro obducta est, vix ut hastile appareat, & id, qua terræ infiguntur. In summo ad cuspidis latera spicula prominent, hamorum in modum ad inferna se inflectentia. Non temere inter pugnandum angonem emittit Francus. Si corpus intraverit, penetrat cuspis, nec facile se ea liberaverit, qui vulnus accepit. Prohibebant enim unci inhærentes carni, tantosque excitant cruciatus, ut etiamsi cæterum ictus letbalis non fuit, dolor ad interitum satis sit. Quod si impactus sit clypeo, dependet, & cum eo circumagitur, parte extima solum verrens. Neque potest, qui impetitus est, aut evellere hastam, spiculis retinentibus, aut gladio abscindere, quod ad lignum pertingere nequeat, ferro intercedente. Id simul conspexit Francus, partem anconis infimam instans ac premens pede, prægravatum deducit clypeum, ita ut ferentis cedat manus, caputque ejus & pectus nudetur. Sic patentem nactus, nullo negotio interficit, aut securi in frontem adacta, aut hasta alia gulam verberans.*

§. LIX. Hæc arma communia erant peditum. Eques vero *scuto frameaque* contentus t) hostem quærebat. Equi ipsi, proprio solo nati, u) non forma, non velocitate conspicui, non variare gyrum in morem Romanum docebantur. In rectum, aut uno flexu dextros agebant, ita conjuncto orbe, ut nemo posterior esset. x) Quadis porro ex usu plurimi equi erant castrati, ne a fœminarum visu exagitati raptarentur, aut in subsidiis ferocientes proderent hinnitu densiore vectores. y) *Ephippiis non utebantur;* z) ast frenis & phaleris, a) & licet mirifice ex equis pugnarent, b) in universum tamen plus penes peditum c) roboris æstimabant, eoque mixti d) prœliabantur, apta & congruente ad equestrem pugnam velocitate peditum, quos ex omni juventute delectos ante aciem locabant. Ipsi etiam equites sæpius ex equis in præliis desiliebant, ac pedibus præliabantur, eosque eodem vestigio remanere assuefaciebant, ad quos se celeriter, cum usus posceret, recipiebant. e) Hæc munera equitum.

t) Tacitus c. VI. §. 3. de M. G. Cluverius Lib. I. c. 45. p. 364. gladios quoque eis tribuit, nec temere; ipse enim Tacitus c. XVIII. §. 4. inter munera, quæ dotis loco maritus offerebat uxori, gladium numerat.

u) Cæsar Lib. IV. c. 2. de B. G.

x) Tacitus c. VI. §. 5. c. l. ita etiam Ammianus de Quadis Lib. XVII. c. 12. *Et per spatia discurrunt amplissima sequentes alios, vel ipsi terga vertentes, insidendo velocibus equis & morigeris, trabentesque singulos, interdum & binos, uti permutatio vires foveat jumentorum vigorque otio integretur alterno.*

y) Ammianus Lib. XVII. c. 12.

z) Cæsar Lib. IV. c. 2. c. l. *Neque eorum moribus turpius quidquam, aut inertius habetur, quam ephippiis uti; itaque ad quemvis numerum ephippiatorum equitum, quamvis pauci, adire audeant.*

a) Inde Tacitus c. XV. §. 4. inter dona civitatibus finitimis principibus transmissa refert phaleras; & c. XVIII. §. 3. inter munera a sponso novæ nuptæ oblata frenatum equum; adde Claudianum in panegyrico III. Honorii consulat. ubi inter spolia Germaniæ recenset:

- - frena Suevi

b) Avrelius Victor de Caracalla: *Alemannorum gentem populosam, ex equo mirifice pugnantem, prope Mœnum amnem devicit.* Et Adamus Bremensis de situ Dan. pag. 102. c. l. Suiones vocat *optimos ex equo bellatores.*

c) Tacitus c. VI. §. 6. c. l. quibus concordant, quæ habet Agathias Lib. II. hist. Goth. de Alemannis: *equis, nisi pauci admodum, non utuntur, avito more & educatione ad pedestrem pugnam exerciti.* Et de suo tempore eadem adhuc refert Guilielmus Apulus de rebus Normannorum apud ill. Leibnitium Tom. I. S. R. Br. p. 592. incomparabilem insuper eorum bellicam virtutem laudans:

- - Hæc gens animosa feroces
fert animos, sed equos non ducere cauta;
Ictibus illorum, quam lancea, plus valet ensis;
nam nec equus docte manibus giratur eorum,
nec validos ictus dat lancea, præminet ensis:
Sunt etenim longi specialiter & peracuti
illorum gladii, percussum a vertice corpus
scindere sæpe solent, & firmo stant pede, postquam
deponuntur equis, potius certando perire,
quam dare terga volunt, magis hoc sunt Marte timendi,
quam dum sunt equites. - -

d) Ita enim Cæsar Lib. I. c. 48. de B. G. *Ariovistus his omnibus diebus exercitum castris continuit, equestri prælio contendit. Genus hoc erat pugnæ, quo se Germani exercuere: equitum millia erant sex, totidem numero pedites velocissimi ac fortissimi, quos ex omni copia singuli singulos, suæ salutis causa delegerant. Cum his in prælio versabantur, ad hos se equites recipiebant: hi, si quid erat durius, concurrebant, si qui graviore vulnere accepto equo deciderant, circumsistebant: si quo erat longius prodeundum, aut celerius recipiendum, tanta erat horum exercitatione celeritas, ut jubis equorum sublevati cursum adæquarent.* Conf. etiam Ammianus Lib. XVI. c. 12. qui Alemannos ait, ideo pedites immiscuisse Equitibus, quo humi occulte repetaotes, latere forato jumenti, incautum rectorem hostem præcipitem agere, levique negotio trucidare possent.

e) Cæsar Lib. IV. c. 2. c. l.

§. LX. Neque tamen, uti jam supra ostendimus, integra civitas, si bellum ortum, in expeditionem proficiscebatur, sed definiebatur numerus: Centeni singulis ex pagis erant, idque ipsum inter suos vocabantur, & quod primo numerus, postea nomen & honor erat. *f*) Viros sequebantur mulieres. Hæ una cum reliqua familia præcipuum fortitudinis incitamentum, cum in præliis fœminarum ullulatus & infantium vagitus audirentur. Hæ cuique sanctissimi testes, hæ maximi laudatores. Ad matres, ad conjuges vulnera ferebant, nec illæ numerare, aut exsugere plagas pavebant: cibos quoque & hortamina pugnantibus gestabant; imo memoriæ proditum, quasdam acies inclinatas jam & labentes a fœminis restitutas, constantia precum, & objectu pecorum, & monstrata cominus captivitate, quam longe impatientius fœminarum suarum nomine timebant. *g*) Castra enim rhedis & plaustris *h*) circumdare solebant, ne scilicet quis aufugere posset, eisque fœminas *i*) imponebant,

bant, quæ & exeuntium in prœlia animos accedebant, & si opus, contra hostium incursus ea quoque defensabant. Et ne divino quoque, dum pugnarent, destituerentur auxilio, effigies & signa quædam detracta lucis in prælia ferebant, *k*) Diisque suis diversam aciem sacrabant, quo voto equi, viri, cuncta victa, occidioni dabantur. *l*)

f) Tacitus c. VI. §. 7. de M. G.

g) Ita Tacitus c. VII. §. 3. & 4. et c. VIII. §. 1. de M. G. adde Orosium Lib. VI. c. 21. qui Cheruscorum, Sueuorum & Sicambrorum fœminas tradit in prœlio cum Druso habito intra plaustra conclusas, deficientibus telis, paruos filios, collisos humi, in ora hostium projecisse. Licet hoc immane factum non his, sed Alpinis fœminis tribuat Florus Lib. IV. c. XII. §. 5. & inter cadavera barbarorum, in Marcomannico bello, corpora mulierum armata reperta fuisse, testatur Xiphilinus in Excerpt. Dionis Lib. LXXII. p. 803.

h) Cæsar Lib. I. c. 51. de B. G. testatur hoc de exercitu Ariovisti; & de Butilini Alemannorum ducis acie ait Agathias Lib. II. hist. Goth. *sed & rotas curruum, quos habebat plurimos: contiguas inter se stantes, immersit solo, mediolo tenus, ita, ut pars tantum orbis altera emineret.*

i) Cæsar Lib. I. c. 51. c. l. *Aciem suam rhedis & carris circumdederunt copiæ* Ariovisti, *ne qua spes in fuga relinqueretur. Eo mulieres imposuerunt, quæ in prælium proficiscentes milites passis crinibus flentes implorabant, ne se in servitutem Romanis traderent.*

k) Tacitus c. VII. §. 2. de M. G. *l*) Idem Lib. XIII. Annal. c. 57. §. 3.

§. LXI. Prælii tempus sub initium novæ *m*) lunæ eligebant, quia hoc auspicatissimum rebus gerendis credebant. Acies vero per cuneos componebatur, *n*) quos non casus, nec fortuita conglobatio, sed familiæ & propinquitates faciebant, *o*) ita, ut ipsi cunei vel turmæ secundum nationes quoque distinguerentur. *p*) Hos ante ipsum prælium dux obequitando singulos ad virtutem & facta heroica adhortabatur, *q*) & bono animo esse jubebat, spe potiundæ prædæ. Ipsum prœlium per cantus & ingentes clamores auspicabatur, *r*) primum quidem vagis incursibus, & disjectas per catervas, postea vero longa adversus Romanos militia & signa sequi, & subsidiis firmari, & dicta imperatorum accipere insueverunt, *s*) ita tamen, ut magna alacritate in hostem irent, non placide & composito gradu, sed cum impetu ac violentia, velut illico, quicquid hostium erat, discerpturi. *t*) Manibus jam consertis, Dux manu, voce, vel vulnere quoque, pugnam sustentabat, & prout ratio postulabat, mox has vel illas aciei partes adequitabat. *u*) Turpe enim principi, virtute vinci, turpe quoque comitatui, virtutem principis non adæquare: Jam vero infame in omnem vitam & probrosum, superstitem principi suo ex acie recessisse, illum defendere, tueri, sua quoque fortia facta gloriæ ejus assignare, præcipuum erat sacramentum. Principes pro victoria pugnabant, Comites pro principe. *x*) Nec minor reliquæ plebis fortitudo: Cedere loco, dum modo instes, consilii potius, quam formidinis arbitrabantur, *y*) scutum vero reliquisse, præcipuum erat flagitium. *z*) Hoc enim ultimum in præliis difficilioribus remedium, quo se phalange *a*) facta, defenderent & inter se consertis ita protegerent, ut nulla pars corporis ab hostibus irruentibus facile lædi posset. Hoc modo aut moriendum, aut vincendum. In dubiis præliis corpora suorum referebant, *b*) obtenta vero victoria, festis epulis, & læto cantu, dies noctesque consumebant, *c*) diisque suis, captivis mactatis, persolvebant grates. Neque tamen terrestribus tantum exercitibus, sed & classibus vale-

valebant Sueui, & inter eos imprimis Suiones: *d*) quorum navium talis erat forma, ut utrimque prora paratam semper appulsui frontem ageret, nec velis ministraretur, nec remos in ordinem lateribus adjungeret, sed solutum, ut in quibusdam fluminum, & mutabile, ut res poscebat, hinc vel inde remigium. Hæc de re militari veterum Sueuorum dicta sufficiant.

m) Cæsar Lib. I. c. 50. de B. G. *Quum ex captivis quæreret Cæsar, quamobrem Ariovistus prælio non decertaret, hanc reperiebat causam: quod apud Germanos ea consuetudo esset, ut matres familias eorum sortibus & vaticinationibus declararent, utrum prœlium committi ex usu esset, nec ne? eas ita dicere; non esse fas Germanos superare, si ante novam lunam prœlio contendissent.* Conf. etiam Tacitus c. XI. §. 2. de M. G.

n) Tacitus c. XI. §. 8. de M. G. eundem morem, acies per cuneos componendi, ad sera usque tempora observarunt Alemanni; ita enim Agathias Lib. II. c. I. de prælio inter Butilinum Alemannorum Ducem & Narsetem, vices Justiniani Imp. sustinentem, in Italia commisso: *Acies ipsis* Alemannis & Francis *cunei aut Deltoti in speciem a latitudine in arctum procurrebat, ferme ut caput suillum, cujus velut os densum firmumque scutis vallabatur. Latera per ordines cohortesque in longum porrigebantur, transverso ferme positu, pautatimque magis ac magis diducebantur, ut in fine amplissimum occcuparent spatium, tanta ibi raritate, ut multum loci inanis interponeretur tergaque hominum aperta conspicerentur. Stabant aversi inter se, ut recta se hostibus objicerent, pugnarentque tutiores scutis protecti, terga autem mutuo illo contrapositu munita essent.*

o) Tacitus c. VII. §. 3. c. I.

p) Ita enim Cæsar de exercitu Ariovisti Lib. I. c. 51. de B. G. *tunc demum necessario Germani suas copias e castris eduxerunt, generatimque constituerunt, paribus intervallis, Harudes, Marcomannos, Triboccos, Vangiones, Nemetes, Sedusios, Suevos.*

q) Ita enim Tacitus Lib. II. Annal. c. 45. §. 4. de prælio inter Arminium & Maraboduum commisso: *At tunc Arminius equo conlustrans cuncta, ut quosque advectus erat, recuperatam libertatem, trucidatas legiones, spolia adhuc & tela Romanis direpta in manibus multorum ostentabat.* Et mox addit c. seq. §. 1. *Neque Maraboduus jactantia sui a probris in hostem abstinebat;* tandem § 4. *His vocibus instinctos exercitus propriæ quoque causæ stimulabant;* adde quam de Butilino Duce ad Alemannos suos & Francos habitam allocutionem refert Agathias Lib. II. c. I. & de Chnodomario eorundem Rege Ammianus Lib. XVI. c. 12.

r) Ita Tacitus c. II. §. 3. & c. III. §. 1. & 2. de M. G. *fuisse apud eos & Herculem memorant, primumque omnium virorum fortium ituri in prælia canunt. Sunt illis hæc quoque carmina, quorum relatu, quem Barditum vocant, accendunt animos futuræque pugnæ fortunam ipso cantu augurantur. Terrent enim trepidantua prout sonuit acies. Nec tam voces illæ, quam virtutis concentus videntur. Affectatur præcipue asperitas soni & fractum murmur, objectis ad os scutis, quo plenior & gravior vox repercussu intumescat.* Hunc cantum quoque egregie describit Ammianus Lib. XVI. c. 12. dum ait: *Barritum ciere vel maximum, qui clamor ipso fervore certaminum, a tenui susurro exoriens, paulatimque adulescens, ritu extollitur fluctuum cautibus illisorum.* Adde Vegetium Lib. III. c. 18. c. I. qui *clamor autem* inquit, *quem barritum vocant, non debet attolli, quam acies utraque se junxerit.*

s) Verba sunt Taciti Lib. II. Annal. c. 45. §. 3. Sic Maraboduus in aula Augusti educatus, Strabo Lib. VII. pag. 290. ibi didicit artem militarem, ita ut exercitum haberet LXXIV. millium in armis ad Rom. militiæ disciplinam usumque armorum pene institutum Vellius Lib. II. c. 109. Et cum Germanicæ juuentuti insitum, ultro eas petere nationes, quæ bellum

lum aliquod gerebant, dubio procul sub Romanis militantes, eorumque disciplinam artemque militarem condocefacti, in patriam revertentes, has artes quoque bellandi secum retulerunt, easque conterraneis suis communicarunt, quæ postea ipsis Romanis exitio fuere.

t) Verba sunt Agathiæ c. I. prælium Narsetem inter & sæpe laudatum Butilinum in Campania commissum recensentis; Eadem quoque habet Ammianus Lib. XVI. c. 12. pugnam inter Alemannos & Julianum Cæsarem prope Argentoratum habitam, dum ait: *properantes cito, quam considerato cursu Germani.* Et in primo cum Caracalla commisso prælio tanta ira incitatos in Romanos irruisse Alemannos testatur Xiphilinus ex Dion. Lib. LXXVII. ut tela, quibus ab Osroënis vulnerati erant, dentibus evellerent e corporibus, ne interea manus a cædendis Romanis averterent.

u) Tacitus Annal. Lib. II. c. 17. §. 4. Ammianus L. XVI. c. 12.

x) Verba sunt Taciti c. XIV. §. 1 - 5. de M. G. quibus jungenda Ammiani Lib. XVI. c. 12.

y) Tacitus c. VI. §. 8. de M. G. z) Idem c. VI. §. 9. c. I.

a) De hac re ita Dio Lib. XXXVIII. pag. 83. in descriptione Ariouisti contra Cæsarem instructæ aciei: *Itaque treceni quique agmine facto, aliquando plures, nonnunquam pauciores, scutis undiquaque sese sepientes, erectique stantes, neque invadi, quod erant conferti atque conclusi, neque disturbari ob densitatem poterant. Idcirco neque agebant quicquam, neque patiebantur, atque ita uno loco manentes veluti turribus septi stabant.*

b) Tacitus c. VI. §. 9. de M. G. c) Idem Lib. I. Annal. c. 65. §. 1.

d) Idem c. XLIV. §. 12. de M. G. adde Ad. Bremensem de situ Daniæ pag. 102. c. I. cui dicuntur *in navibus optimi bellatores.*

§. LXII. Ipsa autem quod attinet gentis bella & facta heroica eaque immortalia, multi quidem, e) iique doctissimi viri, circa antiquissima occupati, celebre illud Romanæ urbis, Brenno duce, a Gallis patratum incendium, expilationem Delphici templi, & quicquid modo egregium & gloriosum a Scythis, Celto-Scythis, Celtis & Gallis in Europa & Asia gestum fuit, eidem tribuere & adscribere solent; ast nos consilio hæc prætermittimus, utpote incerta, dubia, & non nisi ambiguis conjecturis superstructa, inchoantes potius a temporibus nativitatem Salvatoris nostri paulo antecedentibus, quibus jam gentis nostræ migrationes & expeditiones certiores institutæ. Caussam tunc latius inclarescendi dederat contentio quædam Sequanos inter & Æduos Gallos agitata. Arar fluvius hujus utriusque gentis fines discriminabat: hunc ejusque vectigalia utraque cum sibi facilius indicaret, f) cruentissima exinde orta bella, omnisque Gallia in duas factiones divisa fuit, quarum alterius principatum Ædui tenebant, alterius Averni atque Sequani. Hi cum de imperio utrimque multos annos contendissent, factum, ut ab Avernis, Sequanisque Germani, Suevi maxime, mercede accerserentur; quibus cum ad CXX. millium numerum Rhenum trajectis Ædui sese eorumque clientes semel atque iterum opponerent, ingenti clade facta, omnem nobilitatem, omnem Senatum, omnem equitatum amiserunt, ita, ut Sequanis obsides dare nobilissimos civitatis, & jurejurando civitatem obstringere cogerentur, sese neque obsides repetituros, neque auxilium a Populo Romano, eorum amicis, imploraturos, neque recusaturos, quo minus perpetuo sub illorum ditione atque imperio essent. g) Misera itaque hæc gentis conditio, quam vero paulo post pejor victorum Sequanorum subsecuta est. Qui enim hactenus pro socio sese gesserat Ariouistus, Suevorum & plurium aliarum Germaniæ gentium rex, jam

jam occupata tertia agri Sequanici parte, mox alteram quoque tertiam pro Harudibus amicis postulabat, & victis ad Magetobriam *h*) Gallorum copiis prælio, superbius & crudelius omnibus imperare, obsides nobilissimi cujusque liberos poscere, & in eos omnia exempla cruciatus edere, si qua res non ad nutum aut voluntatem ejus facta fuerit, incipiebat. Inde vero & hostium & amicorum non parum ab eo alienati animi, ita, ut defectionem plane molirentur, & missis ad Cæsarem, tunc victrici cum exercitu Rom. in vicinia commorantem, legatis, auxilium ejus & precibus & lacrymis implorarent. *i*)

e) Vid. inter veteres Gotfridum Viterbiensem in Chronic. P. IX. circa f. inter recentiores H. Bebelium pag. 101. de Laud. Germ. & p. 127. de veter. Germ. encom. apud Schardium Tom. I. S. R. Germ. Aventinum Lib. I. c. IX. Annal. Boj. qui plane Alexandro M. & Dario Codomanno stipendia eos fecisse ex Arriano & Curtio probare contendit; Fr. Irenicum in Exegesi Germ. L. VI. p. 273. Crusium Tom. I. Lib. II. c. 5. c. I. Schedium de Diis Germ. Syngr. I. c. 1. p. 7. Chiffletium in Vesontio P. I. c. 33. & imprimis ill. Coccejum in prudent. Jur. publ. c. III. Sect. II. §. 17. & prolegm. §. 17. Sueuis tamen hæc gesta attribui posse negant, maxime quod incendium urbis Romanæ concernit, B. Rhenanus Lib. I. Rer. Germ. Guilimannus Lib. I. c. 6. in Heluet. & Cluverius Lib. III. c. 25. Germ. antiqu.

f) Strabo Lib. IV. Geogr. pag. 192. *g*) Hactenus Cæsar Lib. I. c. 31. & Lib. I. c. 44. de B. G.

h) Idem c. I. In hunc locum, quinam hodie sit, ubi Ariouistus unico prœlio Gallorum copias fudit, inquirit Chiffletius P. I. c. 35. c. I. & refutatis dissentientium opinionibus, situm ejus se invenisse putat in ipso agri Sequanici limine, versus Æduos, ad Araris ripam, ubi Lignomen fluvium suo sinu excipit, non procul a ponte Gallorum, corrupte Pontallie, ubi pagus Broye, juxta quem collis planus amplissimus, aptissimus prælio visitur, latebris & humanis ossibus scatens, quo loco antiquitus urbem fuisse, constans incolarum traditio, qui spstium illud adhuc hodie, antiquo Magetobriæ nomine tantillum immutato, vocant la moigte de Broye.

i) Hactenus rursus Cæsar Lib. I. c. 31. c. I. conf. etiam Florus Lib. III. c. 10. §. 10. & Plutarchus in vita Cæsaris pag. 717.

§. LXIII. Cæsar jam diu occasionem aditum sibi in Galliam patefaciendi optans, nec ullam accommodatiorem ea, quæ se nunc sub auxilii specie *k*) offerebat, videns, Gallos bono animo esse jubebat, eisque hanc rem sibi curæ fore pollicens, legatos ad Ariouistum regem mittebat, qui ab eo postularent, ut aliquem locum medium utriusque colloquio deligeret, velle se de Repub. & de summis utriusque rebus cum eo agere. Ei legationi Ariouistus respondit: si quid ipsi a Cæsare opus esset, sese ad eum venturum fuisse, si quid ille a se velit, illum ad se venire oportere. Præterea sibi mirum videri, quid in sua Gallia, quam bello vicisset, aut Cæsari, aut omnino populo Romano negotii esset. *l*) His responsis ad Cæsarem relatis, iterum ad eum Cæsar legatos cum his mandatis mittebat: ne quam multitudinem hominum amplius trans Rhenum in Galliam transduceret, deinde obsides, quos haberet ab Æduis, redderet, Sequanisque permitteret, ut, quos illi haberent, voluntate ejus reddere illis liceret, neve Æduos injuria lacesseret, neve his, sociisve eorum bellum inferret, sin secus, se Æduorum cæterorumque amicorum populi Rom. injurias non neglecturum. *m*)

k) Aliter ipse Cæsar Lib. I. c. 33. c. I. causas belli refert, dum ait: *Multæ res eum Cæsarem hortabantur, quare sibi eam rem cogitandam & suscipiendam putaret; imprimis, quod Æduos, fratres, consanguineosque sæpenumero a senatu appella-*

appellatos, in servitute atque ditione videbat Germanorum teneri, eorumque obsides esse apud Ariouistum, & Sequanos, intelligebat, quod in tanto imperio populi Romani turpissimum sibi & Reipublicæ esse arbitrabatur. Paulatim autem Germanos consuescere Rhenum transire, & in Galliam magnam eorum multidinem venire, Populo Romano periculosum videbat: neque sibi homines feros ac barbaros temperaturos existimabat, quin cum omnem Galliam occupassent, ut ante Cimbri Teutonesque fecissent, in provinciam exirent atque inde in Italiam contenderent. Sed probe Suetonius in ejus vita c. 24. Cæsar, inquit, inexplebili gloriæ & proferendi imperii fines cupiditate incensus, nulla belli occasione data, nec injuste quidem & periculose, abstinuit unquam, tam fœderatis quam infestis ac feris gentibus ultro lacessitis, adeo, ut senatus quondam legatos ad explorandum statum Galliarum mittendos decreverit, ac nonnulli dedendum eum hostibus censuerint. Eadem fere tradit Dio L. XXXVIII. p. 81.

l) Ita successum hujus legationis describit Cæsar Lib. I. c. 34. Florus c. I. §. 11. & Dio L. XXXVIII. p. 81.

m) Cæsar c. 35. c. I.

§. LXIV. Hisce omnibus cum abnueret Ariouistus, bellum jam erat inevitabile, Cæsar itaque ne si nova Sueuorum manus, quam centum pagis, Nasua & Cimberio fratribus & Ducibus, ad Rheni ripam advenisse, a Treviris audiverat, cum veteribus copiis Ariouisti sese conjunxisset, minus facile resisti posset, statim magnis itineribus ad Ariouistum contendebat. Sed tantus in hoc itinere subito exercitum ejus occupaverat timor, ut milites ex relatione Gallorum mercatorumque ingenti magnitudine corporum Germanos, incredibili virtute, atque exercitatione in armis, horrentes, testamenta passim in castris scriberent, & nonnulli plane renunciarent, non fore dicto audientes, cum castra moveri mandarentur. *n*) Hæc cum animadvertisset Cæsar, convocato concilio, milites suos graviter incusabat & exemplis Teutonum & Cimbrorum demonstrans, posse & Germanos vinci, trepidantes eorum animos non parum confirmavit. Quo peracto, a Vesontio, maximo Sequanorum oppido, ad Rhenum versus proficiscens, septimo die non intermissi itineris, occurrentem habuit Ariouistum, a quo quatuor & viginti millibus passuum castra metabatur. Hic desiderati nunc quidem colloquii ab Ariouisto Cæsar copiam fecit, sed irrito successu, Ariouisto omnem Galliæ possessionem postulante. *o*) Nec felicior exitus biduo post instituti, Ariouisto Cæsaris legatos in catenas conjiciente. *p*) Castra itaque jam castris opponebantur, & Cæsar quidem per quinque dies continuos copias suas pro castris eduxit, aciemque instructam habuit, ut si vellet Ariouistus prælio contendere, ei potestas non deesset; sed ille his omnibus diebus exercitum suum castris continuit, nulla alia ex causa, quam quod fatidicæ mulieres pugnam ante novam lunam prohiberent. *q*) Quod audiens Cæsar, triplici acie instructa, ad hostium usque castra processit, eosque ad certamen provocans, tum demum necessario obvios invenit. Atrox committitur pugna, Germanis egregie se defendentibus; donec post multa illata at accepta vulnera in fugam versi ad flumen Rhenum, millia passuum ex loco circiter prælii quinquaginta, pervenerunt, ibi perpauci, aut viribus confisi transnatare contenderunt, aut lintribus inventis salutem sibi petierunt, inter quos & ipse Ariouistus, qui naviculam deligatam ad ripam nactus, ea profugit. Reliquos omnes equites consecuti Romani interfecerunt. Occisæ etiam in hoc prælio duæ Ariouisti uxores, cum una filia, altera inter fugientes capta. *r*) Ipse Ariouistus cladi huic per breve tempus supervixit, *s*) magno Sueuorum dolori, qui jactura hac perterrefacti, a Rheno paululum recedere cœperunt. *t*)

n) Cæsar Lib. I. c. 39. de B. G. Plutarchus c. l. Flor. Lib. III. c. 10. §. 12. Orosius Lib. VI. c. 7. & Dio Lib. XXXVIII. p. 81.

o) Cæsar c. 42. c. l. usque ad c. 44. Dio c. l. p. 90. p) Cæsar c. 47. c. l. q) Idem c. l. c. 49. & c. 50. Plutarchus c. l. Dio c. l.

r) Hæc tradit Cæsar c. 51. c. l. usque ad fin. vel etiam Plutarch. c. l. qui cæsorum LXXX. hominum millia ex parte Germanorum fuisse perhibet. Dio Cassius Lib. XXXVIII. p. 81. &c. Orosius Lib. VI. c. 7. qui *neque conjici potuit*, inquit, *numerus Germanorum, vel quantus pugnæ affuerit, vel quantus fuerit occisorum*. Adde Cellarium in Diatribe Histor. de bello Cæsaris adversus Ariouistum, & Aventinum Lib. I. c. 12. c. l. Locum prælii describit B. Rhenanus Lib. I. p. 59. c. l. dum ait: *Cæsar in Sequanis cum Ariouisto conflixit, quæ pugn ad D. Apollinaris facta putatur, is locus milliario Germanico a Rheno & Basilea distat.* Sed dubia ei movet Cellarius §. 17. c. l. & Cluverius Lib. II. c. 8. c. l. & ex eo Chiffletius c. l. qui locum hujus prælii Vesontioni propinquiorem facit, ubi hodie vicus in Burgundiæ comitatu, vulgari vocabulo, Dampierre, quinque millibus passuum infra oppidum Montbeillard situs, ad confluentem Dubis & Allii amnis, in Rauracorum confinio ex monte Vogeso profluentis.

s) Cæsar Lib. V. c. 29. ubi Titurius Sabinus refert: *Magno esse Germanis dolori Ariouisti mortem.*

t) Idem Lib. I. c. 54. c. l.

§. LXV. Cæsar hac victoria potitus, exercitum tum quidem transportare per Rhenum & Germanos Sueuosque in suis sedibus persequi non fuit ausus, satis habens in præsens, victos prœlio Gallia expulisse; ast victis triennio post Tencteris & Usipetibus, Germanis, a Sueuis pulsis, & trajecto Rheno in Galliam Belgicam, maxime in Eburones, magno impetu & numero sese effundentibus, u) jam ansam hanc arripiens, Rhenum sibi transeundum esse statuit, maxime cum & Ubii, Romani populi amici, quod graviter a Sueuis x) premerentur, auxilium ejus magnopere implorarent. Contracto itaque exercitu & ponte sublicio intra decem dierum spatio facto, ipsum jam flumen transiit, Sueuis, y) Sicambrisque omnia mala minitans. Sed hi quam primum per exploratores pontem fieri comperissent, more suo consilio habito, nuncios in omnes partes dimiserant; uti de oppidis demigrarent, liberos, uxores, suaque omnia in silvas deponerent, atque omnes, qui arma ferre possent, unum in locum convenirent; hunc esse delectum medium fere regionum earum, quas Sueui obtinerent, ibi Romanorum adventum exspectare, atque ibi decertare constituisse. Quod ubi Cæsar comperit, vicis & ædificiis Sicambrorum incensis, eorumque frumentis succisis & diebus omnino XVIII. trans Rhenum consumtis, sese in Galliam recepit, pontemque rescidit, satis & ad laudem, & ad utilitatem profectum arbitratus, quod Germanis metum injecisset, Sicambros ultus, Ubios vero ab obsidione Suevorum liberasset. z)

u) Historiam hujus belli fusius describit Cæsar Lib. IV. c. 4-15. Dio Cassius Lib. XXXIX. p. 112. & Plutarchus c. l.

x) Cæsar Lib. IV. c. 3. & 16. ubi & alias causas adducit, quæ eum commoverunt transire Rhenum, Germanosque in propriis suis sedibus adoriri. Scilicet, quod cum videret, Germanos tam facile impelli, ut in Galliam venirent, suis quoque rebus eos timere voluit, cum intelligerent, & posse audere populi Romani exercitum Rhenum transire. Accesserat etiam, quod pars equitatus Usipetum & Tenchterorum, Galliam antea depopulantium, trans Rhenum se in fines Sicambrorum receperat, seque cum iis conjunxerat, quorum deditionem a renitentibus Sicambris frustra postulaverat Cæsar.

y) Quæ

y) Quæ Cæsar hic de Sueuia profert, Cluverius Lib. III. c. 5. & Schatenius in Hist. Westphal. Lib. I. p. 9. de Chattis dicta intelligunt. Sed malo hic subscribere Cæsari, qui populos agro Coloniæ Agrippinensis vicinos non Chattos, sed Sueuos, diserte appellat, reique hujus certitudinem vel ex propria experientia, vel ex relatione Ubiorum, quibus perpetuum fere cum Sueuis negotium fuit, habuit; neque obstat Chattos a Scriptoribus Cæsarem subsecutis in hunc tractum collocari; eos enim a Rheno paululum antea remotos Sueuis demum maximam partem una cum Maroboduo in Bojohemum concessis in his terris successisse, veritati admodum consentaneum est. Conf. etiam Dio Cassius L. XXXIX. p. 113. & Strabo L. VII. p. 194. qui Sueuos Rheni ripam accoluisse diserte quoque tradunt.

z) Ita hanc expeditionem describit ipse Cæsar Lib. IV. c. 17-19. conf. etiam Plutarchus c. l. p. 718. Florus Lib. III. c. 10. §. 14. Orosius Lib. VI c. IX. Dio Cassius Lib. XXXIX. pag. 139. qui vel solum nomen Sueuorum, de quorum adventu audiverat, Cæsarem retrocedere coegisse tradit. Adde B. Cellarium §. 33. & 34. c. l. & Aventinum Lib. I. c. 12. n. 23. c. l. ubi pontem Cæsaris non longe infra eum locum, ubi adhuc hodie Colonia Agrippinensis sita, Rheno superstructum fuisse docet.

§. LXVI. Altero abhinc anno, urbis scilicet conditæ DCC. novam jam Cæsar in Germaniam expeditionem suscipiebat, dupplici de causa, quarum altera erat, quod Germani in communi illa Galliæ adversus Romanos conspiratione, a Treuiris & Eburonibus sollicitati, socialia cum his arma sumserant; altera, ne Ambiorix, præcipuus Eburonum belli Dux, receptum ad eos haberet. His enim constitutis rebus, paululum supra eum locum, quo antea copias traduxerat, pontem facere instituit, eoque confecto, omnem exercitum in agrum Ubiorum traduxit, ubi certior factus, Sueuos omnes in unum locum copias agere, atque iis nationibus, quæ sub eorum sunt imperio, denunciare, ut auxilia peditatus equitatusque mittant, primum quidem adoriri eos simulavit, sed mox, mutato consilio, inopiam frumenti veritus, vel metu potius Germanorum adventantium adactus, reducto exercitu, ultimam pontis partem, quæ ripas Ubiorum contingebat, in longitudinem pedum ducentorum rescidit, atque in extremo ponte turri IV. tabulatorum constituto, præsidio magnisque eum locum munitionibus firmavit, ne ulterius Germani Galliam invadendi tam facilem haberent copiam. *a*)

a) Ita hanc expeditionem describit sæpe laudatus Cæsar Lib. VI. c. IX. X. & XXXIX. cui jungendus Florus Lib. III. c. 10. §. 15. sed longe aliter exitum hujus belli describunt Suetonius in vita ejus c. 25. Eutropius Lib. VI. c. 14. & Dio Cassius Lib. XXXIX. illi quidem, Cæsarem Germanos trans Rhenum aggressum immanissimis prœliis vicisse perhibent; hic vero metu potius Germanorum, quam inopia frumentorum, tunc ipso teste Lib. VI. c. 29. ubique maturescentium, trans Rhenum rediisse; cui vel ideo credere lubet, quod Cæsarem a Rheno fugisse testatur quoque Pompejus apud Lucanum in Pharsal. Lib. II. dum ait:

- - *Rheni gelidis quod fugit abundis.*

§. LXVII. Orto paulo post Cæsarem inter & Pompejum de obtinendo in Rep. Romana principatu bello ciuili, Sueui quidem aliquandiu ab armis Romanorum erant liberi, sed restituta per Augustum pace, cœptum bellum mox iterum recruduit, maxime cum Augustus, gloriæ cupidine & ambitione ductus, omnem Germaniam in prouinciæ *b*) formam redigere penes se constituisset. Datum hoc negotium Agrippæ consuli, supremo ejus bellorum & consiliorum moderatori. Hic, quod Germani Gallis denuo Romanis rebellantibus auxilia tulerant, subactis Gallis & ponte Rheno superstrato, cum exercitu, secundus

Romanorum, eum quidem transiit; sed Germanos in armis esse, suumque adventum intrepide exspectare, ab exploratoribus præmissis percipiens, mox inconfectis rebus, sicut & Cæsar, retrocessit. c) Abeuntem Agrippam Suevi Rhenum accolentes insecuti, illoque amne aliquoties transgressi, spoliis ac populationibus vicinas Galliæ provincias incursavere; nec Augustus, bello cum Antonio implicitus, furorem hunc restingere tum potuit, donec tandem a C. Carino, Belgii præside, profligati, trans Rhenum sese recipere cogerentur. d) Obtenta hoc modo victoria a Suevis, Germani quidem ab incursionibus in Gallias aliquandiu abstinuerunt, sed obtruncantes homines Romanos, ipsorum regionem commercii gratia ingressos, M. Vinicius, Galliarum præses, jam in proprio solo, Rheno trajecto, A. V. C. 729. eos invisebat, cædem gentilium suorum ulciscens. e) Magnopere hæc gesta Vincii extollere solent scriptores Romani, eumque magnam de Germanis stragem edidisse tradunt, adeo, ut triumphi plane honores ea propter Augusto a Senatu decreti fuerint; sed triumphatam etiam hac occasione Germaniam magis, quam victam fuisse, vel exinde patet, quod Vinicius, nulla alia re memorabili in Germania gesta, cum exercitu suo in Galliam statim regressus, Augustus vero ulterius eos lacessere non fuit ausus, satis in præsens habens, a Galliæ limite per filium Tiberium, dato ipsi directore Agrippa, f) eos arcere, ne Gallis ad pristinam libertatem adspirantibus juncti, Romanam rem turbare vel damnum aliquod inferre possent. Et Tiberii, imprimis vero Agrippæ auctoritate, etiam factum, ut Gallia Germaniaque aliquod tempus pacata conservaretur; ast his, altero in Rhætiam & Vindeliciam, altero in Hispaniam discessis, & M. Lollio legato Galliis imposito, Germani ad pristinum morem reversi, superato Rheno, provinciis Romanis jam iterum imminebant, & vastando eas præter opinionem a fugientibus Romanis ad ipsum Lollium præfectum pertracti, hunc quoque prælio vincebant: quo cladis nuncio Augustus excitus, ipse in Galliam festinavit, ad reprimendos hostium ulteriores conatus; sed bellum nullum gerendum ibi inveniens, Germanis jam ad sua regressis, mox domum quoque reversus, g) vindictam ab iis sumendam in aliud tempus distulit.

b) Florus Lib. IV, c. 12. §. 22.

c) Dio Cassius Lib. XLVIII. p. 389. adde Schatenium in Hist. Westph. L. I. p. 35. qui expeditionem hanc Agrippæ in Germaniam susceptam ad A. U. C. 717. & 35. ante C. N. refert.

d) Dio Lib. LI. p. 459. incidit autem hoc prælium Carini cum Suevis habitum ad A. U. C. 725.

e) Dio Lib. LIII. p. 514.

f) Dio Lib. LIV. p. 525. Suetonius in vita Tiberii Cap. 9.

g) Dio Lib. LIV. p. 535. Vellejus Lib. II. c. 97. Suetonius in August. c. 23.

§. LXVIII. Lacessitus itaque Augustus tot & tam variis a Germanis in Gallias susceptis incursionibus, & sentiens, se hanc & conterminas provincias tuto & quiete non posse tenere, domitis nisi Germanis, simul & in honorem patris sui Julii Cæsaris, quem bis transvectum ponte Rhenum bellum quæsivisse sciebat, propositum animo semel conceptum jam ulterius exequi, & Germaniam in provinciæ formam redigere constituit. Curam hujus negotii Claudio Druso, privigno suo, demandabat. Hic ingenti cum exercitu in Galliam profectus, rebellantem eam iterum Romanis, quod graviter ab officialibus tributorum exactione premeretur, h) ad officium primo revocavit, & i) postea Rhenum

Rhenum quoque quinquaginta munimentis noviter extructis firmans, omni modo prohibere studuit, ne Germani, pro veteri prædandi libidine, provincias Romanas incursarent. Sed his nihilominus superato ex improviso Rheno, Gallias devastantibus, prædatoribus repulsis, hunc quoque pontibus junctum, secundum Batavorum insulam, transiit, A. U. C. 742. & cum exercitu Romano in interiora Germaniæ movit. Primus impetus in Usipetes factus, quos primos domuit; inde, Tencteros percurrens, & in Sicambrorum terram transgressus, magnam eorum agri partem vastavit, Frisios subegit, ac Chaucos quoque aggressus est, majora moliturus, ni instans hyems Romam eum revocasset. *k*) Appropinquante autem vere, ad bellum rursus profectus, altera vice Rhenum superavit, Usipetes subjugavit & Luppiæ ponte quoque superstrato, in Sicambros irrupit, perque eos in Cheruscorum regionem, usque ad Visurgim, processit, hunc etiam transiturus, ni inopia eum alimentorum, ac hiemis propinquitas, præterea examen apum in castris visum deterruisset. Retrocedentem prosequentes Germani, per insidias frequenter lædebant, & angusto aliquando ac concavo in loco circumdabant, ita, ut haud parum abfuerit, quin toto cum exercitu eum delevissent: Sed temerarie omnes Romanos uno impetu deleri posse credentes Germani, & nullo ordine servato, eos aggredientes, ipsi victi ferociaque sua fracta discessere, Druso interim legiones suas in sociorum terris hyemandi causa disponendi, & munimenta quædam ad Luppiæ & Alisonis fluviorum fontes inque Cattis exstruente, quo hoc modo hostiles eorum motus eo melius supprimere posset. *l*) Sequenti anno bellum, quod hucusque contra Germanos gesserat, denuo resumsit Drusus, & Cattis, qui Sicambris sese junxerant, partim vi, partim maleficiis victis, maximam eorum partem trans Visurgim Albimque sese recipere coegit. *m*) Sed quarta expeditio jam ipsi Druso fatalis. Duxerat exercitum Romanum iterum in Cattorum terras, & obvia quæque non sine magno labore subigendo, congressosque præliis *n*) haud incruenta victoria superando, ad Suevos *o*) usque pervenit, inde in Cheruscos converso itinere, Visurgim transgressus, omnia ad Albim usque populando, & hunc superare contendit: sed vel spectro quodam, vel mandato Augusti, vel etiam ab ipsis Suevis, trans eum incolentibus, prohibitus, *p*) inconfectis rebus, trophæis tantum circa ripas ejus extructis, cum exercitu Rhenum versus remigravit, in quo itinere equo super crus ejus collapso, tricesimo quam id acciderat die, magno Romanæ rei detrimento, oppetiit, *q*) terror *r*) sane, dum viveret, plurium Germaniæ populorum.

h) Dio Cassius Lib. LIV. p. 535. *i*) Florus Lib. IV. c. 12. §. 26.

k) Ita primam hanc Drusi in Germaniam susceptam expeditionem describit Dio Cassius Lib. LIV. p. 544. cui quoad hanc & sequentes jungendi Florus Lib. IV. c. 12. Vellejus Lib. II. c. 97. & Suetonius in vita Claudii c. 1.

l) Dio Lib. LIV. p. 544.

m) Idem Lib. LIV. p. 546. Adde Schatenium in Hist. Westph. L. I. p. 40.

n) Dio Lib. LV. p. 548. Florus Lib. IV. c. 12. §. 24. &c. ubi ejusmodi prælium Drusum inter Sicambros, Suevos & Cheruscos habitum hoc modo describit: *Inde validissimas nationes, Cheruscos, Suevosque & Sicambros pariter aggressus est Drusus, qui viginti centurionibus incrematis, hoc velut sacramento sumpserant bellum, adeo certa victoriæ spe, ut prædam in antecessum pactione diviserint. Cherusci equos, Suevi aurum & argentum, Sicambri captivos elegerant: Sed omnia retrorsum. Victor namque Drusus equos, pecora, torques eorum, ipsosque, præda divisit, & vendidit.* Quam mascule vero Germani una cum Suevis contra Drusum sese in his expeditionibus gesserint & non nisi multo effuso sanguine in præliis Romanis cesserint, testatur præter Dionem c. l. etiam

etiam Tacitus c. XXXVIII. §. 8. de M. G. *nec impune*, inquiens, *Drusus ac Nero & Germanicus in suis eos sedibus perculerunt*: & Claudianus ad Honorium Imperatorem, dum canit:

Nobilitant veteres Germanicæ fœdera Drusos
Marte sed ancipiti quoque multis cladibus emta.

o) Dio Cassius c. l. forsan autem hi Suevi, ad quos in hac expeditione cum exercitu perrexit Drusus, fuere Marcomanni, de quorum spoliis insignibus, teste Floro c. l. editum quendam tumulum in trophæi modum excoluit. Consentit nobis M. Altingius in Commentario ad Ptolomæi Tab. Geogr. Germ. descriptioni suæ German. veter. infer. præfixo pag. 7. ubi insuper locum, in quo trophæa hæc ex spoliis Marcomannorum juxta Albim a Druso posita fuere, ostendit. scil. hodiernam Marchiæ veteris Brandeburgicæ metropolim Stendaliam. Stendal enim ipsi diminutivum a Stender, quod nobis denotat quicquid erectum statuitur, uti hæc trophæa, & hanc rationem nominis hujus urbis esse omnino putat.

p) A spectro quodam Drusum prohibitum fuisse, quo minus Albim trajiceret, aut ad minimum hoc prætextu usum testatur Dio Lib. LV. p. 548. dum ait: *Etenim mulier quædam humana amplior forma ei obviam facta, Druse, inquit, quo tandem nullum cupiditati tuæ modum statuens contendis? non tibi fatis concessum, hæc omnia videre: quin tu abi. Jam enim & operum tuorum & vitæ instat tibi terminus.* Eadem etiam tradit Suetonius in vit. Claud. c. I. Sed longe aliter hanc rem refert Strabo Lib. VII. p. 291. *ac fuisset*, inquiens, *ut apparet, plures etiam cognitæ* Germaniæ gentes, *si Augustus militibus permisisset, ut transmisso Albi eo rebellantes prosequerentur. Sed protinus censuit Augustus, se bellum, quod erat præ manibus, confecturum, si populos ultra Albim sitos ac nihil moventes, neque irritatos maleficio ad societatem cum hostibus ineundam invitaret.* Imo & huic mandato Augusti validissimam trans Albim habitantem Sueuorum nationem, Drusum a transitu ejus arcentem, accessisse, vel illud potius produxisse, facile mihi persuaderi patior.

q) Ita mortis genus Drusi refert Epitome Livii c. 140. Sed Dioni & Suetonio c. l. morbo dicitur obiisse in æstivis castris, quæ ex eo Scelerata & inter Salam Rhenumque sita esse tradit Strabo Lib. VII. pag. 291. Ab omnibus hisce vero recedit M. Michovius Lib. I. Asiæ Sarmatic. Drusum in prælio cruentissimo cum Sueuis & Burgundis habito, victorem quidem, occubuisse contendens: sed qua fide hæc referat, me fugit.

r) Crusius P. I. Lib. II. pag. 45. Annal. Sueu. *Drusus quoniam magno malo ac terrori Germanis fuerat, ortum ab eo putatur dictum*: daß dich die Druß bestehe / *pestilentesque bubones & tumores hoc nomine appellantur.*

§. LXIX. Mortuo hoc modo Druso in Germania, moles deinde hujus belli in fratrem ejus Tiberium Neronem translata fuit. Hic resumtis viribus, transito Rheno, exercitum statim in Sicambros duxit, quos in deditionem accipiens, quadraginta eorum millia in Galliam transtulit, & juxta Rheni ripam sedibus assignatis collocavit, quo hoc modo Germanos Germanis opponens, Galliam eo melius ab incursionibus eorum defendere posset. Inde ad Visurgim quoque progressus, omnes Germaniæ partes inter hunc & Rhenum perlustravit & populis tributo imposito, victor tandem domum regressus, ovans & triumphali habitu Romam urbem intravit. s) Discessum ejus armistitium Romanos inter Germanosque ad annos aliquot sequebatur, maxime cum Tiberius paulo post in Rhodum insulam secederet, privatam vitam agens: Sed illo iterum novis motibus rupto, Tiberius Romam revocatus, cum legionibus Romanis Germaniam denuo peragravit & subactis Caninefatibus, Bructeris, Angrivariis, receptisque Cheruscis gentibus, & amne quoque Visurgi transito, in interiora penetravit, cuncta vastans & depopulans. t) Nec sequenti anno

ab

ab armis adversus Germanos abstinuit, quin potius repetita expeditione ad Albim usque pervenerit, & fractis Langobardis trans flumen illud eos quoque removerit. *u*) Ipsum autem Albim, instructissima licet omnibus rebus classis ei adsisteret, superare non fuit ausus, metu Sueuicæ juventutis, quam in ulteriori ripa stantem & armis instructam viderat; Sed variis præliis ab insequentibus Germanis tentatus, exercitum in hyberna reduxit, *x*) triumphator magis, quam domitor Germanorum.

s) Suetonis in Tiber. c. IX. Tacitus Lib. XII. Annal. c. 39. Dio Lib. LV. pag. 551. Eutropius Lib. VII. c. 5. Breviar. qui tamen numerum captivorum & deditiorum trans Rhenum collocatorum ad CCCC. millia extendit; & Velleius Lib. II. c. 97. §. 4. qui superbe admodum hanc Tiberii in Germaniam susceptam expeditionem describit, *moles deinde*, inquiens, *ejus belli translata in Neronem est, quod is sua virtute & fortuna administravit, peragratusque victor omnes partes Germaniæ sine ullo detrimento commissi exercitus, quod præcipue huic duci semper curæ fuit, sic perdomuit eam, ut in formam pene stipendiaria redigeret provinciæ.* Licet non impune eum Germanos in sedibus suis perculisse tradat Tacitus c. XXXVII. §. 3. de M. G. & irritum discessisse illum inter Numina dicatum Augustum, illum delectum Tiberium, testetur in oratione ad cives suos habita Arminius apud eundem L. I. Annal. c. 39. §. 3.

t) Hanc expeditionem A. U. C. 758. factam superbis admodum verbis describit Velleius Lib. II. c. 105. principi suo misum in modum adulans, dum ait, *neque verbis exprimi & fortasse vix mereri fidem potest, intrata protinus Germania, subacti Caninesates, Attuarii, Bructeri, recepti Cherusci gentes; & amnis, mox nostra clade nobilis, transitus Visurgis, penetruta ulteriora, cum omnem partem asperrimi & periculosissimi belli Cæsar vindicaret, in iis, quæ minoris erant discriminis, Sentium Saturninum, qui tum legatus ejus in Germania fuerat, præfecisset. - - - Anni ejus æstiua usque in mensem Decembrem perducta, immanis emolumentum fecere victoriæ.*

u) Hanc rursus expeditionem magnificis admodum verbis & nimia adulandi libertate, pro more solito, recenset Velleius Lib. II. c. 106. dum ait: *prob dii boni, quanti voluminis opera in sequenti æstate, sub Duce Tiberio Cæsare, gessimus! Perlustrata armis tota Germania est. Victæ gentes pæne nominibus incognitæ. Receptæ Cauchorum nationes, omnis eorum juventus, infinita numero, immensa corporibus, situ locorum tutissima, traditis armis, una cum Ducibus suis, septa fulgenti armatoque militum nostrorum agmine, ante imperatoris procubuit tribunal. Fracti Longobardi, gens etiam Germana feritate ferocior. Denique, quod nunquam antea spe conceptum, nedum opere tentatum erat, quadrugesimum milliarium, a Rheno usque ad flumen Albim, qui Semnonum Hermundurorumque fines præterfluit, Romanus cum signis perductus exercitus: & eodem, mira felicitate & cura Ducis, temporum quoque observantia, classis, quæ Oceani circumnavigaverat sinus, ab inaudito atque incognito ante mari flumine Albi subvecta, plurimarum gentium victoria, cum abundantissima rerum omnium copia exercitui Cæsarique se junxit.* Velleio tamen non consentit Dio Cassius Lib. LV. p. 567. *In Germanos*, inquiens *expeditionem cum alii, tum Tiberius fecit, progressusque est primo ad Visurgim, deinde ad Albim fluvios: nihil tamen magnopere memorandum actum est.*

x) Velleius Lib. II. c. 107. qui tamen & hoc Tiberio suo perditissimi adulatur, non hunc, sed Sueuos, metu ejus adventu, in interiore auffugisse tradens.

§. LXX. Dum itaque hoc modo Germani undique pro libertate sua asserenda cum Romanis decertarent, magna Sueuorum pars domesticis malis eam amisit. Auctor hujus calamitatis Maraboduus erat. Hic genere nobilis, corpore prævalens, animo ferox, natione magis, quam ratione barbarus, Ro-

mæ, ubi juvenis ab Augusto beneficiis affectus fuit, dominandi artibus imbibitis, in patriam reversus, maximo facinore, e privato statu ad occupandam dominationem se contulit, ac præter Marcomannos, gentiles suos, sibi etiam Luios, Butones, Mugilones, Sibinos, gentes jam incognitas, & ex ipsis Sueuis magnam nationem Semnonum subjiciens, principatum non fortuitum, neque mobilem, & ex voluntate parentium constantem, sed certum & stabile inter eos imperium constituit. Hoc modo vim & potestatem regiam complexus, statuit, procul avocata a Romanis gente sua, eo progredi, ubi cum propter potiora arma refugiens sua faceret potentissima. Placuit ad hoc imprimis campos Hercyniæ silvæ incinctos, velut securum vallum, legere, quod inde Germaniam ad lævam & in fronte, Pannoniam ad dextram, ac tergo sedium suarum haberet Noricos, & tanquam in omnes semper venturus, ab omnibus timeretur. *y*) Relictis itaque patriis sedibus ad Rhenum, cum omnibus populis sibi subjectis in Bojohemum immigravit, *z*) & pulsis Bojis, priscis incolis, celebre ibi Marcomannorum regnum condidit, finitimos omnes aut bello domans, aut conditionibus sui juris faciens. *a*) Mox corpus quoque suum custoditum & imperium perpetuis exercitiis pæne ad Romanæ disciplinæ formam redactum, brevi in eminus & Romano quoque imperio timendum perduxit fastigium, gessitque se ita adversus Romanos, ut neque bello eos lacesseret, &, si lacesseretur, superesse sibi vim ac voluntatem resistendi declararet. Legati, quos mittebat ad Cæsares, interdum ut supplicem commendabant, interdum ut pro pari loquebantur. Gentibus, hominibusque a Romanis desciscentibus erat apud eum perfugium, totumque ex male dissimulato agebat æmulum, exercitumque, quem LXX. militum peditum, IV. equitum fecerat, assiduis adversus finitimos bellis exercendo, majori, quam quod habebat operi, parabat. Nec securam jam incrementi sui patiebatur esse Italiam, quippe cum a summis Alpium jugis, quæ finem Italiæ terminant, initium ejus finium haud multo CC. millibus passuum abesset. *b*)

y) Hactenus gesta Marabodui hoc modo narrat Velleius Lib. II. c. 108. & 109. cui jungendus Strabo Lib. VII. Geogr. pag. 290.

z) Tacitus c. XLII. §. 1. de M. G. *Præcipua Marcomannorum gloria viresque atque ipsa etiam sedes, pulsis olim Bojis, virtute parta.* Adde Velleium c. l. c. 108. §. 1. & Strabonem c. l. Valeriam proximam, inter Dravum & Danubium sitam, eos, relicta terra Rhenensi, primum occupasse, & victos demum a Druso, Octavii privigno, pulsis Bojis, in Bojohemum immigrasse, putat Goldastus Lib. I. c. 5. de regno Bohem, sed absque sufficienti ratione; cum dicti auctores de hac re plane sileant, &, quem ante oculum habuisse videtur, Sextus Rufus in breviar. c. 8. de temporibus expeditionem Bohemicam subsecutis potius sit intelligendus. Ipsam migrationem Julio Cæsare in Gallia adhuc agente susceptam tradit B. Rhenanus Lib. I. rerum Germanicarum, sed refutatus ea propter a magno patriæ & orbis litterati decore M. Welsero Lib. II. p. 54. Annal. Bojorum, qui eam ad VII. annum ante Christum natum refert.

a) Inter hos a Tacito referuntur Langobardi Lib. II. Annal. c. 45. §. 1. quibus addit Schatenius Lib. I. pag. 58. Hist. Westph. Hermunduros & finitimos inter Visirgim & Albim populos. B. Rhenanus vero Lib. III. c. I. præter jam memoratos etiam Chattos, Cheruscos, Bructeros, & vicinas Sueuorum nationes.

b) Velleius Lib. II. c. 109. c. l.

§. LXXI. Hunc itaque formidabilem regem ejusque regionem anno post C. N. VIII. Tiberius Cæsar diversis e partibus, cum XII. legionibus, *c*) aggredi

aggredi statuit. Sentio Saturnino mandatum, ut per Cattos, excisis continentibus Hercyniæ filuis, legiones Bojohemum duceret. Ipse Tiberius a Carnunto, qui locus Norici regni proximus ab hac parte erat, exercitum, qui in Illyrico merebat, ducere in Marcomannos orsus est. Et jam eo perventum, ut uterque exercitus non nisi quinque dierum itinere ab hostibus Marcomannis abesset, cruentaque pugna expectaretur, cum rebellante Pannonia & Dalmatia, præsidum Romanorum avaritia & sævitia vexatis, Tiberius, ne vacuam tam propinquo hosti relinqueret Italiam, omne robur contra has provincias vertere & pace cum Maraboduo et æquis conditionibus confirmata, a proposito concepto desistere cogeretur. *d)*

c) Tacitus II. Annal. c. 46. §. 3.

d) Ita historiam hujus expeditionis refert ipsius Tiberii in Germania legatus Velleius Lib. II. c. 209. & 110. conf. etiam Tacitus c. l. & Lib. II. Annal. c. 26. §. 4. ubi Tiberius in litteris ad Germanicum datis ipse confitetur, se Suevos & Maraboduum regem consilio magis & pace inita, quam vi illata, sibi obstrinxisse.

§. LXXII. Dum hæc apud Marcomannos & finitimos Sueviæ populos, quorum libertati insidias parabat Maraboduus, gerebantur, Germani Rhenum inter Albimque colentes egregie sese contra arma Romanorum defensabant. Victo enim Arminii Cheruscorum Ducis auspiciis Quintilio Varo, Germaniæ præside, eoque cum tribus legionibus & omnibus auxilis in saltu Teutoburgensi ad internecionem cæso, *e)* non solum intentatum ipsis a Romanis excutiebant jugum, sed & ipsum imperium, quod in littore Oceani non steterat, in ripa Rheni stare *f)* cogebant, tanta armorum suorum & Arminii gloria, tantoque Romanorum terrore, ut Augustus, nunciata hac clade, excubias per urbem, tanquam hoste præsente, indiceret; præsidibus provinciarum, contra instituta majorum, imperium propagaret, ut a peritis & assuetis socii continerentur; Joui Opt. Max. magnos ludos, si Respubl. in meliorem statum vertisset, voveret; & adeo consternatum se gerere, ut per continuos menses, barba capilloque summisso, caput interdum foribus illideret, vociferans: Quintili Vare! legiones redde. *g)* Nec revocatus ex Pannonia ad patrem Augustum & ingenti cum exercitu ab eo in Germaniam dimissus Tiberius desperatam ibi rem Romanorum restituere potuit, quin potius insigni, ne a Germanis obrueretur, sollicitudine in Germaniam penetrans, infamiæ magis abolendæ gratia, ob amissum Quintilium Varum, quam cupidine fines imperii proferendi, bellum ibi gereret, & vastatis agris, domibusque exustis, nulla alia re memorabili gesta, nisi quod & castella Rhenum præmuniverit, & discordias inter proceres Germaniæ seminaverit, Romam reverteretur. *h)* Tiberio paulo post Augusto, Germanicus quidem ab eo exercitui præfectus susceptum bellum prosecutus, & attritis Marsis, Chattis, Cheruscis & Agriuaris, ipsum Arminium, cum Segesto socero suo tum diffidentem, adortus fuit, sed non nisi ambiguis præliis cum eo decertans, a Tiberio, potentiam ejus metuente, in Italiam tandem revocatus, Germaniam, quam provinciam Augustus facere constituerat, indomitam reliquit. *i)*

e) Hanc cladem Varianam fusius descripserunt Velleius Lib. II. c. 118. & 119. Florus Lib. IV. c. 12. §. 30. &c. Dio Cassius Lib. VI. p. 582. Annum notat XII. post C. N. Schatenius in Hist. Westph. Lib. I. p. 59. & campum hujus prælii optime Paderbornam, Dethmoldiam & Hornam inter, Westphalicæ civitates, designat serenissimus princeps Frid. Furstenbergius in monumentis Paderbornensibus pag. 19. & pag. 25. An Suevi quoque huic

prælio interfuerint? certo afferere non audeo, licet hoc eredendi conjecturam præbeant verba Taciti Lib. I. c. 60. Annal. §. 1. *Conciti per hoc non modo Cherusci, sed & contermina gentes.* Sub his enim & Sueuos intelligi posse, a Cheruscis, non nisi Albi flumine separatos, quilibet facile largietur; maxime cum ipsis admodum solenne fuerit, tempore pacis finitimas gentes, quibus aliquod bellum, adeundi. Idem c. XIV. 4. de M. G.

f) Verba sunt Flori L. IV. c. 12. §. 39.

g) Ita ingentem Augusti a Germanis metum describit Suetonius in vita c. 23.

h) Conf. hic Dio Cassius Lib. LVI. p. 585. qui hanc Tiberii expeditionem longe majori fide & candore descripsit Velleio Lib. II. c. 120. principi suo mirum in modum adulante. Adde Dioni Tacitum Lib. I. Annal. c. 54. §. 6.

i) De hisce Germanici expeditionibus in Germaniam susceptis susius agit Tacitus I. Annal. c. 49. ad 51. & eod. Lib. c. 55-71. Lib. denique II. c. 5. ad 26. qui & in fine hujus Libri c. 88. §. 3. de Arminio addit: *dolo propinquorum cecidit, liberator haud dubie Germaniæ, & qui non primordia populi Romani, sicut alii reges Ducesque, sed florentissimum imperium lacesserit, præliis ambiguus, bello non victus.*

§. LXXIII. Vacui hoc modo per Germanici discessum externo metu Germani, assuetutidine gentis & gloriæ æmulatione, fortitudinem suam domesticis bellis corrumpere & arma, quæ in Romanos vertenda erant, instigatore Tiberio Augusto, in propria viscera detorquere incipiebant. Capita civilis hujus belli *Maraboduus* erant atque *Arminius.* Ille quidem propter affectatam Monarchiam & fœdus cum Romanis initum gentilibus suis invisus: Hunc vero pro libertate feliciter bellantem favor habebat. Igitur non modo Cherusci sociique eorum, vetus Arminii miles, sumsere bellum, sed e regno etiam Marabodui Sueuæ gentes, Semnones & Langobardi, defecere ad eum, quibus additis præpollebat, ni Inguiomerus cum manu clientum ad Maraboduum perfugisset, non aliam ob causam; quam quia fratris filio, juveni, patruus senex parere dedignabatur. Hæc belli ex utraque parte præpatatoria: Acie vero congressis, nunquam alias majori mole concursum, neque ambiguo magis eventu, fusis utrimque dextris cornibus. Sperebaturque rursus pugna, nisi Maraboduus castra in colles subduxisset; id signum perculsi fuit, & transfugis paulatim nudatus, in Marcommannos concessit, misitque legatos ad Tiberium Cæsarem Augustum oraturos auxilia. Responsum est, non jure eum adversus Cheruscos arma Romana invocare, qui pugnautes in eundem hostem Romanos nulla ope juvisset. *k*) Missus tamen Drusus filius, pacis firmator, qui illiciendis Germanis ad discordias non leve decus apud patrem quærebat, utque fracto jam Maraboduo usque in exitium ejus insistereur. Erat inter Gotones nobilis juvenis, nomine *Catualda*, profugus olim vi Marabodui, & tunc dubiis rebus ejus ultionem ausus. Is valida manu fines Marcomannorum ingrediebatur, corruptisque primoribus ad societatem, Regiam irrumpebat, castellumque juxta situm deprædabatur. Maraboduo undique deserto non aliud subsidium, quam misericordia Romanorum fuit. Transgressus itaque Danubium, qua Noricum præterfluit, scripsit Tiberio, non ut profugus aut supplex, sed ex memoria prioris fortunæ: multis nationibus clarissimum quondam regem ad se vocantibus, Romanam amicitiam prætulisse. Responsum a Cæsare: tutam ei honoratamque sedem in Italia fore, si maneret; sin rebus ejus aliud conduceret, abiturum fide qua venisset. Hisce blanditiis Maraboduus illectus, in Italiam concessit, nec unquam remissus, per duo de viginti annos Ravennæ honorate habitus fuit, ut si quando insolescerent Sueui, quasi rediturus in patriam ostenderetur. *l*) Idem Catualdæ casus, neque aliud perfugium, pulsus haud

haud multo post Hermundurorum opibus, Jubillio Duce, receptusque a Romanis, Forum Julium, Narbonensis Galliæ coloniam, mittebatur. Germani utrumque comitati, ne quietas provincias immixti turbarent, Danubium ultra, inter flumina Marum & Cusum locabantur, dato Rege Vannio, gentis Quadorum. *m*)

k) Hactenus Tacitus Lib. II. Annal. c. 45. & 46. cui ex recentioribus jungendi Aventinus Lib. II. c. 7. n. 9. & 10. Welserus L. II. p. 62. c. I. qui civile hoc bellum ad annum post C. N. 19. Marobodui fugam vero ad sequentem XX. refert, Goldastus Lib. I. c. 6. c. I. & Schatenius Lib. II. pag. 94. c. I. adde Cluverium Lib. III. c. 28. p. 109. Germ. antiqu. qui locum prælii inter Maraboduum & Aeminium commissi eundem esse, ubi nunc Zvvicke & Chemniz urbes, & ex eo, amissa pugna, in illud montium jugum, quod hodie Misniam a Bohemia dirimit, sese recepisse Maraboduum conjicit.

l) Hæc rursus Tacitus Lib. II. Annal. c. 62. & 63. ubi insuper ex oratione Tiberii ad Senatum, de consiliis, quibus in destruendo Maraboduo usus fuit, habita, hæc refert: *non Philippum Atheniensibus, non Pyrrhum aut Antiochum populo Romano perinde metuendos fuisse.* conf. etiam, quoad fugam & detentionem Marabodui Ravennæ Suetonium in vita Tiberii c. 37. & Vellejum Lib. II. c. 129. §. 4. adde ex recentioribus cit. auctores.

m) Verba sunt Taciti Lib. II. Annal. c. 63. §. 6. & 7. qui ulterius Lib. XII. c. 29. §. 1. c. I. addit: Vannium hunc regem a Druso impositum fuisse clientibus Marabodui & Catualdæ. Unde notandus Goldastus, qui Lib. I. c. 7. pag. 54. c. I. hanc regis impositionem ad integram Quadorum nationem extendit. Hoc tamen certum, Vibilium, quem hic Catualdam regno pepulisse tradit Tacitus, eundem esse cum Jubillio, Hermundurorum rege, quem postea Vannium quoque regno suo, sociis Sidone & Italico regibus, privasse, asserit idem L. XII. c. 29. Annal. Sed ante eum hoc jam suspicatus est Welserus Lib. II. pag. 63. c. I.

§. LXXIV. Lætus hoc rerum successu Tiberius Augustus, omnem porro eo intendebat nervum, ut, occultis artibus discordiæ malum inter Germaniæ gentes seminans, ad civilia bella eos alliceret & invicem collideret, *n*) quo sic unam gentem per aliam delens nationem, aut singulos distrahens, universis tempore necessitatis par esse posset. Neque spes hæc ab initio eum fefellit; accidit enim eodem imperante ingens illa Bructerorum *o*) ad Rhenum a vicinis Germaniæ populis facta cædes: ast omnibus Germanis ad frugem tandem reversis, resumtis animi viribus, Rheno Danubioque trajecto, Gallias, Pannonias & Mœsias jam iterum incursabant, vicos diripiebant, incendebant, pecora, captivos abigebant, impune ultro citroque commeabant, & omnia ferro, flamma, præda devastabant, magno dedecore Romani imperii, nec minori discrimine. *p*) Nec qui Tiberio in imperio succedebat, bellumque contra Germanos suscipiens, Sueviam ingredi *q*) minabatur, *C. Caligula*, Germanos & Suevos nostros coercere potuit, quin potius non exspectato eorum adventu a Rheno aufugerit, statimque urbem repetierit, triumphum agens, re non alia memorabili gesta, nisi quod Gallias expilaverit, & Germanis se deridendum obtulerit, Histrio magis, quam Cæsar. *r*)

n) De studio hoc Tiberii collidendi Germanos invicem testantur ipsius litteræ, quibus revocat fratris filium Germanicum ab exercitu in Germania, apud Tacitum Lib. II Annal. c. 26. §. 4. in quibus ait: *se novies a Divo Augusto in Germaniam missum, plura consilio, quam vi perfecisse*, & paulo post §. 5. pergit: *posse & Cheruscos cæterasque rebellium gentes, quando Romanæ ultioni consultum est, internis discordiis relinqui.* Idem testatur Suetonius in vita ejus c. 37. dum ait: *hostiles motus, nulla postea expeditione suscepta, per legatos compescuit - - reges infestos suspectosque comminationibus magis & querelis, quam vi repressit.*

o) De hac caede ita testatur suum gaudium Tacitus c. XXXIII. de M. G. *pulsi Bructeri ac penitus excisi vicinarum consensu nationum, seu superbiae odio, seu praedae dulcedine, seu favore quodam erga nos deorum. Nam ne spectaculo quidem praelii invidere. Super LX. millia non armis, telisque Romanis, sed quod magnificentius est, oblectationi oculisque ceciderunt. Maneat quaeso, duretque gentibus si non amor nostri, at certe odium sui: quando urgentibus imperii fatis nihil jam praestare fortuna majus potest, quam hostium discordiam.*

p) Ita haec refert Suetonius in vita c. XLI.

q) Licet enim Eutropius Lib. VII. c. 7. ipsam Sueuiam Caligulam iogressum fuisse tradat, malo tamen hic credere Glareano ad h. l. qui ex Suetonio c. 43. in vita Caligulae docet, Sueuiae loco hic ponendam esse Bataviam; cum vix verosimile, Cajum in Sueuiam usque, tunc remotissimam Germaniae provinciam, penetrasse, maxime cum Dio Lib. LIX. pag. 656. tradat: *ultra transitum a se Rhenum parumper progressus, inde statim reversus;* & Tacitus c. XXXVII. §. 8. de M. G. de hac ejus expeditione quoque dicat: *mox ingentes Caji Caesaris minae in ludibrium versae.* Intentare itaque hoc quidem potuit, sed stultitia sua in Batavis & circa Oceani ripas detentus, mox ingentes ejus adversus Germaniam conatus frustranei fuerunt.

r) Stultitias ejus in hac expeditione commissas longa serie recenset Suetonius c. l. & c. 44-48. ubi inter alia refert: conversum eum ad curam triumphi, praeter captivos & transfugas Germanos, Galliarum procerissimum quemque ac nonnullos ex principibus legisse, ac sepofuisse ad pompam, coegisseque non tantum rutilare, & submittere comam, sed & sermonem Germanicum addiscere & nomina Germanica ferre. Inde etiam de Germanis falso triumphantem deridet eum Persius in Satyra ultima v. 43. ita canens:

O bone, num ignoras? missa est a Caesare laurus
Insignem ob cladem Germanae pubis, & aris
Frigidus excutitur ignis, ac jam postibus arma,
Jam chlamydes regum, jam lutea gausapa captis,
Essedaque ingentesque locat Caesonia Rhenos.

§. LXXV. Paulo secundiori cum fortuna Romanam rem per duces suos agebat *Claudius imperator.* Repressis enim Chaucis, provincias Romanas incursantibus, & limite Romano restituto, Corbulo Dux, qui exercitui Romano in partibus Germaniae praeerat, expeditionem plane in Germaniae interiora parabat, & castra jam in hostili solo moliens, procul dubio aliquid contra Germanos tentasset, nisi revocatus a Claudio propositum exequi impeditus fuisset. Tantus enim animum hujus Imperatoris a Germanicis bellis occupaverat horror, ut, ne gentem hanc in se conciret, adversaque in Rempublicam Romanam casura mala, omnem vim novam in Germanias prohiberet, & referri cis Rhenum in Galliae ripam praesidia copiasque Romanas juberet, pacem magis, quam bellum, cum Germanis amans. s) Inde praeter dicta, durante suo regimine, nihil memoriae dignum a Romanis cum Germanis fuit gestum, nisi quod Cheruscorum genti, amissis per interna bella nobilibus, Regem a Claudio petenti, Italum, qui paternum genus a Flavio, fratre Arminii, maternum vero a Catumere, principe Cattorum, ducebat, transmiserint; cujus adventus laetus primo Germanis, mox vero potentia ejus ipsis suspecta. Erant enim, qui, quod Romae esset educatus, adimi Germaniae veterem libertatem, dicerent, & Romanas opes insurgere. Inde civile bellum, copiaeque undique cogebantur: Sed magno inter Germanos praelio victor rex. Dehinc secunda fortuna ad superbiam prolapsus, pulsusque ac rursus Langobardorum opibus refectus fuit. Non eadem tum temporis fortuna Vannii supra memorati t) ex Quadorum gente Sueuicis populis, Maroboduum & Catualdam comitantibus,

bus, a Romanis pro Rege impositi. Prima enim imperii ætate clarus acceptusque popularibus, mox diuturnitate in superbiam mutans, & odio accolarum, simul domesticis discordiis circumventus, Claudio imperante, solio dejectus fuit. Auctores fuere Jubillius, Hermundurorum Rex, & Vangio ac Sido, sorore Vannii geniti, quibus innumera vis Lygii aliæque gentes adventabant, fama ditis regni, quod Vannius XXX. per annos prædationibus & vectigalibus auxerat. Ipsi contra manus propria pedites, eques e Sarmatis Jazygibus erat, impar multitudini hostium, eoque castellis se defensare, bellumque ducere statuerat. Sed Jazyges, obsidionis impatientes, & proximos per campos vagi, necessitudinem pugnæ attulere, quia Lygius Hermundurusque illic ingruerat. Igitur digressus castellis Vannius funditur prælio, & ad classem legionesque Romanas, jussu Claudii secundum ripas subsidio victis & terrori adversus victores compositas, una cum clientibus perfugiens, acceptis agris, beneficio Cæsaris, in Pannoniam concessit. Regnum victi Vangio ac Sido inter se divisere, egregia adversus Romanos fide u) & Vespasiano imprimis utilissimi in obtinenda imperii dignitate socii. x)

s) Tacitus Lib. XI. Annal. c. 19. & 20. vid. etiam Lib. XII. c. 29. §. 3. & 4. c. I.

t) Historiam intestini hujus belli refert Tacitus Lib. XI. Annal. c. 16. & 17.

u) Hactenus Tacitus Lib. XII. Annal. c. 29. & 30. cui jungendus Goldastus Lib. I. c. 13. de regno Bohem.

x) Tacitus Lib. III. hist. c. 5. §. 4. & c. 21. §. 4.

§. LXXVI. Claudium in imperio excepit filius adoptivus *Domitius Nero*. Hic pacem potius quam bellum cum Germanis & Suevis nostris habere maluit, eorumque ope in subigenda Gallia & Judæa, ipsi rebellantibus, prosperrimo cum successu usus fuit. x) Libera itaque gens nostra ab extraneo hoste, cupidine gloriæ, arma sua, pro more consueto, in se ipsam convertebat; imprimis autem Hermunduros inter Chattosque magno prælio certatum, dum flumen gignendo sale fœcundum & conterminum vi trahebant. Sed bellum Hermunduris prosperum, Chattisque exitiosius fuit, quia victores diversam aciem Marti ac Mercurio sacravere, quo voto equi, viri, cuncta victa, occidioni dabantur. y) Mortuo Nerone A. C. 68. & occasione civilium armorum Galbam inter, Othonem, Vitellium & Vespasianum toto Rheni limite præsidiis Romanis, excepto Moguntiaco & Vindonissa, liberato, Batavi quidem, avaritia & luxu Romanorum exagitati, Civili Duce, contra eos insurgebant, & excitata reliqua Germania, Romanæ rei extrema jam in Gallia minabantur. Sed *Flavio Vespasiano* imperium tandem obtinente, & Cerealem Ducem cum filio Domitiano in Germaniam mittente, habito cum Civili, cujus amicus Vespasianus adhuc privatus fuerat, colloquio, omnis hic motus compositus z) & Germania imposterum quieta fuit; maxime cum sæpe laudatus imperator, datis muneribus & præmiis, animos Germanorum quovis modo sibi conciliare studeret, & eorum quoque auxiliis, quæ contra Vitellium, uti dictum, Sidone & Vangione regibus Suevorum magno suo commodo expertus fuerat, contra quoscunque imperii hostes uteretur. Eadem quoque pax cum illis culta rerum potiente filio ejus Tito. Ast hoc dolo fratris Domitiani, ut quidam volunt, interemto, Germani una cum Dacis fœdus cum superioribus observatum rursus solvebant; avaritia Domitiani, quod solitis stipendiis defraudabantur, commoti, & transito Rheno Danubioque Galliam, Vindeliciam, Rhætiam, Noricum, Mœsiam & Pannoniam incursabant, omnia igne, ferro & præda

præda devastantes. Nec Domitianus cum exercitu contra eos profectus vim eorum coercere potuit, quin potius tot exercitus in hoc bello temeritate ejus & ignavia deleti & oppressi, tot militares viri cum tot cohortibus expugnari & capti, ut jam non de libertate sua, sed de servitute Romanorum Germani certarent, nec de limite imperii & ripa, sed de hibernis legionum & possessione dubitatum sit, ita, ut cum damna damnis continuarentur, atque omnis annus funeribus & cladibus insigniretur, *Domitianus tandem immensis muneribus pacem ab iis emere & pacisci cogeretur.* a) Nec feliciorem exitum negotium ejus cum Marcomannis & Quadis nactum. Hos enim ulturus, quod contra Dacos nulla sibi subsidia misissent, & alteros ipsorum legatos, pacis componendæ causa missos, contra datam fidem interficiens, ab ipsis quoque victus & in fugam conjectus fuit. b) Nihilominus tamen quasi re bene gesta, falsum de Germanis triumphum egit, emtis per commercia, quorum habitus & crines in captivorum speciem formarentur, & assumto Germanici cognomine, Septembrem mensem ex appellatione hac Germanicum transnominavit, imo eo usque insaniæ processit, ut nummos plane cudi fecerit, cum superba & stolida hac inscriptione: Germania capta, c) magno omnibus derisui & Romanæ rei dedecori.

x) Aventinus Lib. III. c. 10. ab init. Annal. Bojor.

y) Tacitus Lib. XIII. Annal. c. 57. conf. etiam supr. §. 13. ubi, quinam locus ille, salis proventu fœcundus, de quo inter utramque gentem certatum, indicavi.

z) Hos motus Civilis eorumque compositionem fusius describit Tacitus Lib. IV. & V. Historiar.

a) Ita miserum imperii Romani statum occasione belli Germanici & Dacici a Domitiano gesti describunt Tacitus in vita Agricolæ c. XLI. §. 2. & 3. & Plinius in panegyr. Trajan. dicto. c. 11. & 12. adde Orosium Lib. VII. c. 10. qui, *bellum*, inquit, *adversus Germanos & Dacos per legatos gessit, pari Reip. pernicie.* Et Dionis fragmenta p. 760. ubi: *Domitianus profectus in Germaniam cum exercitu, hoste nunquam viso revertit.*

b) Vid. Dionis fragment. & Theodos. p. 761. &c. inde merito deridenda adulatio Statii Lib. II. Siluar. Domitiani clementiam erga victos Marcomannos prædicantis:

Quæ modo Marcomannos post horrida bella vagosque
Sauromatas, Latio non est dignata triumpho.

c) Conf. hic Tacitus in vita Agricolæ c. XXXIX. §. 2. & c. XXXVII. §. 9. de M. G. Suetonius c. XIII. in vita ejus & Macrobius Saturnal. I. c. 12. quo respexisse etiam videtur Martialis Lib. IX. Epigr. 11. ita canens:

Dum Janus hiemes, Domitianus autumnos,
Augustus annis commodabit æstates,
Dum grande famuli nomen asseret Rheni
Germanicarum magna lux Calendarum.

Adde Plinium c. l. & Juvenalem Satyr. VI. ad nummos Domitiani, cum inscriptione Germanici cusos; ita alludentem:

- - cum lance beata
Dacicus & scriptor radiat Germanicus auro.

§. LXXVIII. Domitiano per Stephanum & reliquos conjuratos A. C. 96. interfecto, Coccejus Nerva, & hoc secundo teginiinis sui anno ad plures quoque

quoque abeunte, imperii insignia apud Agrippinam, Galliæ urbem, cujus tum præses erat, sumsit M. Ulpius *Trajanus*. Hic Germania Trans-Rhenana in pristinum statum reducta, & urbibus subversis raparatus, imperii fines in his partibus antiquos conservare, quam ampliare maluit. *d*) Idem quoque studium *Adriano*, ejus in imperio successori, licet enim omnes provincias Romanas peragrans in Germaniam quoque transierit, pacis tamen magis, quam belli cupidus, milites tantum per munimenta dispositos eduxit, & quasi bellum immineret, exercuit, cæterum amicitiam cum Germanis servans, quos præmiis magis, quam armis vinci posse dicicerat. *e*) Nec alia mens *Antonino Pio*, quamvis enim hic sub initio sui regiminis Dacos & cæteros Germanos, provincias Romanas invadere conantes, per præsides & legatos, virtute sua, contuderit, *f*) statim tamen concessa pace, auctoritate & æquitate sua, ad fœdus eos & pacem ineundam illexit, ita ut viginti tres annos, sine sanguine civili & hostili imperaverit, & non nisi pax & quies in imperio Romano viguerit. *g*)

d) Eutropius Lib. VIII. breviar. c. 2. Orosius Lib. VII. c. 12.

e) Conf. hic Spartianus in ejus vita c. 10. & c. 17. & A. Victor c. 14. in Epitom.

f) Capitolinus in vita Antonini Pii c. 5. in f.

g) A. Victor c. XV. c. I.

§. LXXVIII. Hanc summam imperii Romani felicitatem *M. Aurelio Antonino* & *L. Aurelio Antonino Vero*, fratribus, imperii habenas moderantibus, haud minor postea calamitas insecuta. Germani enim hactenus quieti & præmiis & muneribus Romanorum a vastatione provinciarum retenti, resumto veteri erga Romanos odio, a Marcomannis excitati, imperio jam rursus imminebant, & trajecto Istro, pulsisque legionibus, Pannoniam, Mœsiam, Illyricum & Italiam igne, ferro & præda vastabant, vicos incendebant, urbes diripiebant & victricibus suis armis Aquilejam usque penetrabant, *h*) tanto Romanorum terrori, ut undique sacerdotes acciti, peregrini ritus impleti, Romano ritu lectisternia per septem dies celebrata, urbs omni genere religionum lustrata, *i*) & Ducibus belli per litteras expresse injunctum, ut quavis arte bellum traherent, & suspenderent, donec finito Parthico cum Vologeso rege, ambo Imperatores, ut summe necessarii, Germanico præesse possent. *k*) Parthico itaque bello confecto, ambo Imperatores A. C. 171. contra Germanos proficiscebantur, Marcomannis omnia conturbantibus, & aliis etiam gentibus ab ipsis pulsis, bellum, nisi reciperentur in solo Romano, Romanis minitantibus. Amissus est Furius Victorinus, præfectus prætorio, atque pars ejus exercitus interemta, & ambo Imperatores Aquilejam jam advenerant, cum Germani sese retraherent, & per legatos veniam præteritorum peterent, tumultus auctores interemtos, & sese imposterum pacem cum Romanis servaturos promittentes. Placuit hæc declaratio Lucio Augusto; ast Marcus fingere Germanos existimans & fugam & cœtera, quæ desiderium pacis ostenderent, ob hoc, ne tanti apparatus mole premerentur, instandum esse dicebat; Urgente tamen Lucio, *Alpibus prius transcensis* & omnibus compositis, quæ ad munimen Italiæ atque Illyrici pertinebant, Romam revertebantur. *l*) Sed haud paulo post evenere, quæ jam antea justo metu suspicatus erat Marcus. Mortuo enim in itinere Lucio apoplexia, omnes gentes ab Illyrici limite usque in Galliam conspirabant, ut Marcomanni, Narisci, Hermunduri & Quadi, Suevi, Sarmatæ, Latringes & Buri, nec non Victouali, Sosibes, Sicobotes, Rhoxolani, Bastarnæ, Alani, Peucini & Costoboni, Slauorum nationes, *m*) & Romano imperio gravissimum, quantum nulla unquam memoria extitit, inferebant *bellum*,

lum, Marcomannicum ab omnibus historicis dictum. *n*) Hoc enim quam diu vixit Marcus absolvere non potuit, *o*) integri pene exercitus Romanorum in eo deleti, multi nobiles consumti, & cum insuper gravissima pestis Romanas provincias vexaret, servi plane, quemadmodum secundo bello Punico acciderat, in militiam conscripti, gladiatores armati, & Germanorum quoque auxilia contra Germanos empta; imo cum omne ærarium hoc bello exhaustum esset, Marcus denique, pecuniæ inopia ductus, auctionem ornamentorum imperialium in foro D. Trajani instituit, propriamque suppellectilem vendidit, quo exinde militibus victum parare eorumque necessitati subvenire posset. *p*) Primus autem impetus a Romanis in Marcomannos factus, quos Istrum transeuntes attrivit *q*) Marcus; inde Alexandro cuidam, homini impudentissimo, de oraculo fidem habens, quod geminos leones Danubio certis ritibus immittenti victoriam pollicebatur, Marcomannis per Danubium eos immisit; sed illi bestias has non solum fustibus interemerunt, *r*) sed & Romanos nihilominus ingens cædes, cæsis viginti circiter millibus, secuta est. Varia deinde fortuna ex utraque parte certatum fuit; donec *A. C.* 177. *Marcus* in Quadorum usque fines cum exercitu progressus, a Germanis, fugam simulantibus, in tantas insidias locaque iniqua tractus, & a subito irrumpentibus circumventus fuerit, ut omnis ejus exercitus morbo, vulneribus, ardore solis ac siti defatigatus pene interiisset, ni ad invocationem nominis Christiani, quam subito magna fidei constantia quidam milites, effusi in preces, palam fecerunt, tanta vis pluviæ effusa, ut Romanos quidem largissime & sine injuria refecerit, Germanos autem, crebris fulminum ictibus perterritos, præsertim cum plurimi eorum occiderentur, in fugam coegerit. *s*) Tunc Quadi, qui postremi in prælio restiterant, magna clade ab insequentibus Romanis affecti, pacem a Marco imperatore petierunt eamque etiam facili negotio obtinuerunt, quo scilicet a Marcomannis avellerentur, atque etiam quod equos & boves multos, ac transfugas omnes & captivos, primum ad XIII. millia, dederant, post & cæteros se reddituros promiserant. *t*) Progressus postea Marcus contra Marcomannos, & hos armis coercere & sibi subjicere voluit; sed nuncio de Cassii in oriente excitata rebellione perterritus, arma sua, relicto Sarmatico & Marcomannico bello, contra eum converterit, *u*) quo tamen statim interfecto, ad conficiendum Marcomannicum bellum sese rursus accinxit, & triennium cum Marcomannis, Quadis & Sarmatis belligerans, omnium horum terras provincias facere annitebatur; Sed repentina tandem morte in Pannonia præventus, omnis ipsius conatus & quem hactenus ad subigendos Germanos impenderat labor, irritus & frustraneus fuit. *x*)

h) Capitolinus c. 14. in vita Antonini Philosophi, Xiphilini fragment. Dion. Lib. LXXI. pag. 802. Ammianus L. XXIX. c. 6. & Lucianus in Pseudomant. qui Aquilejam urbem a Germanis pene interceptam fuisse ait.

i) Ita quam vehementer sibi Romani a Marcomannis & reliquis Germanis timuerint, & iratos Deos suos vario sacrificiorum genere reconciliare sibi studuerint, quo furorem horum populorum ab ipsis averterent, ingenue docet Capitolinus c. XIII. c. l.

k) Capitolinus c. XIII. c. l.

l) Ita primam hanc Marci Antonini cum fratre Lucio Antonino contra Germanos susceptam expeditionem describit Capitolinus c. XIV. c. l. cui jungenda Xiphilini excerpta Dionis L. LXXI. pag. 802. & ex recentioribus Crusius Tom. I. p. 82. Annal. Sueu. & Goldastus Lib. I. c. 8. p. 57. de regn. Bohem.

m) Ita

m) Ita hos populos, socios hujus belli, recenset Capitolinus c. 22. l.

n) Idem c. XXIV. in f. c. l. Eutropius Lib. VIII. c. 6.

o) Ita Xiphilini fragment. Dion. Lib. LXXI. p. 802. Licet enim Marcomannos eum in deditionem, plurimis in Italiam traductis, accepisse tradat Capitolinus c. 22. c. l. & bellum hocce feliciter confectum afferat Idem c. XVII. c. l. & Eutropius c. l. imo subactos plane Marcomannos referant ipsius Xiphilini fragmenta p. 805. c. l. prius tamen tantum de transfugis & captivis intelligendum esse ex sæpius citatis excerptis Xiphilini p. 807. quam manifestissime constat, & quod ipsam belli confectionem & gentis Marcomannicæ sub jugum missionem attinet, contrarium plane ex frustraneo Marci conatu, Marcomanniam & Sarmatiam provinciam faciendi, cui immortuus, & admonitione ejus ad filium Commodum, ne reliquias belli parvi pendeat, apparet. Interim, quamvis bellum non confectum, fuisse tamen Marcus Germanici nomen, & cum filio de devictis Germanis Romæ triumphum habuit, v. Capitolinus c. XVII c. l. Aurelius Victor de Cæsare c. XVI. Eutropius Lib. VIII. c. 6. & Xiphilini excerpta Dion. Lib. XXXI. pag. 803.

p) Hæc omnia refert Capitolinus c. XXII. c. XXI. & c. XVII. c. l. adde Xiphilinum p. 803. c. l. Eutropium c. l. & A. Victorem c. XVI. in Epitom.

q) Capitolinus c. XXI. c. l. r) Lucianus c. l. & in Alexandr.

s) Ita impetratam hanc Marci de Marcomannis Quadis & reliquis Germaniæ & Sarmatiæ populis victoriam precibus Christianorum in ipsius exercitu belligerantium adscribunt Orosius Lib. VII. c. 15. Xiphilinus in excerpt. Dion. Lib. LXXI. p. 805. imprimis vero Eusebius Lib. V. c. 5. Hist. Eccles. & in Chron. ad An. 177. qui extare, ait, litteras Marci, quibus ipse Germanicam hanc sitim Christianorum militum precationibus, impetrato imbre, discussam contestetur; & quo ulterius veritatem hujus rei adstrueret, testes quoque adducit Appollinarem Græcum & Tertullianum, pene coævos; hic enim L. ad Scapulam fin. inquit: *M. Aurelius in Germanica expeditione, Christianorum militum orationibus ad Deum factis, imbres in siti illa impetravit.* Conf. eundem in Apologet. c. V. & advers. Judæos c. 7. Justinum Martyrem in Apol. II. & in Dial. cum Tryphon. Irenæum L. I. c. 3. & Nicephorum L. IV. c. 12. hist. Eccles. eadem quoque tradentes. Dissentiunt tamen citati auctores in circumstantiis, dum Eusebius & Orosius c. l. impetrationem hujus miraculi precibus tantum quorundam militum alicujus legionis attribuit, Xiphilinus contra c. l. integræ legioni, quam Melitensem vocat. Sed in hoc rursus conveniunt, quod dicta legio, pro insignis facti miraculo, postea ab ipso Marco κεραυνοβόλος, seu fulminea dicta fuerit. Idem factum quoque narratur quidem ab historicis gentilibus, sed de Christianorum precibus id impetratum fuisse, non referunt, quin potius ex inveterato erga Christianos odio vanis superstitionibus id tribuant. Sic Capitolinus c. 24. c. l. Marcum fulmen de cœlo precibus suis contra hostium machinamentum extorsisse ait, suis pluvia impetrata, cum siti laborarent. Et Lampridius in Eliogabalo c. IX. carminibus magicis, quæ Marci jussu ante congressum prælii recitata fuerunt, id tribuit, eique consentit Dio in fragment. Xiphilin. L. LXXI. pag. 805. qui Magum plane indicat, Arnuphin Ægyptium, sed refutatus eapropter a Xiphilino c. l.

t) Theodosii fragmenta Dionis Lib. LXXI. p. 807.

u) Capitolinus c. XXIV. c. l. Theodosii excerpt. Dion. p. 808. c. l. qui Marcum quidem pacem cum Marcomannis & Sarmatis ante hanc contra Cassium susceptam expeditionem composuisse tradit; sed de armistitio potius intelligendum esse, quæ subsequuntur docent.

x) Capitolinus c. XXVII. c. l. Herodianus Lib. I. c. 3.

§. LXXIX. Marco in imperio successit filius *Commodus*. Hunc quamvis pater ante obitum sedulo monuerat, ut bello contra Marcomannos & reliquos Germanos & Sarmatas suscepto strenuo insisteret, nec reliquias ejus contemneret; & amici insuper monitis paternis consilia sua quoque jungerent, validissimisque rationibus ostenderent, indecorum non solum, sed & periculosum esse, inchoatum bellum relinquere, ab aulicis tamen & adulatoribus, crebo ipsi delicias urbis commemorantibus, corruptus, Sueuis circa Istrum accolentibus & diuturno bello ad tantas incitas redactis, ut nec alimenta, nec virorum amplius copiam, ob multitudinem eorum, qui perierunt, & ob agrorum vastationem perpetuam, haberent, pacem non solum concessit, sed ab eis plane, data pecunia, qua maxime abundabat, redemit, regibus Germanorum addictus & ab eis leges sustinens. *y*)

y) Conf. circa hactenus dicta Herodianus Lib. I. c. 6. Histor. & Lampridius c. 3. in vita Commodi, quibus plus credendum puto Orosio Lib. VII. c. 16 & A. Victor c. XVII. in Cæsaribus, feliciter adversus Germanos bellum gessisse Commodum asserentes, & Theodosii excerptis Dionis Lib. LXXII, p. 817. quæ hisce conditionibus pacem fecisse cum Germanis ajunt Commodum, ut transfugas & captivos restituerent, & frumentum quoddam certum quotannis penderent. Etiam ab ipsis arma quædam exegisse porro referunt, & XIII. millia militum a Quadis, pauciores a Marcomannis, addito mandato, ut neque pluribus in locis regionis suæ congregarentur, sed semel duntaxat mense quolibet, ac unum in locum, centurione quodam Romano præsente; præterea, ne vel Jazyges, vel Vandilos, vel Buros bello peterent.

§. LXXX. Hac pace cum Commodo inita, Sueui, ab extraneo hoste liberi, mox vires resumebant & lapsu temporis novum quid adversus Romanorum terras moliebantur, maxime cum civili inter Pertinacem, Julianum, Pescennium Nigrum & Seuerum orto bello, illudque sub hujus imperio insecutis Parthicis & Britannicis motibus, Romanorum opes mirum in modum attritæ & diminutæ fuerint. Quemadmodum autem tristissima experientia hactenus didicerant, sese, dum singuli pugnarent, omnes pene victos fuisse, & Romanos prospero cum successu debellari non posse, conjunctis nisi adorirentur viribus; ita jam varii Germaniæ populi, Rhenum inter, Mœnum & Danubium, *z*) in vacuefacta a Marcomannis sociisque eorum regione colentes, imprimis vero Sueuicæ nationes ex plagis septentrionalibus ingenti multitudine prorumpentes, *Antonino Bassiano Caracalla* imperante, vel paulo ante, in commune aliquod fœdus & perpetuam societatem belli, sub *Alemannorum a*) nomine coibant, quos alii in Germaniæ inferioribus partibus imitantes, sub aureæ quoque libertatis sese recipiebant vexillum, *& sumto Francorum b) nomine*, communicatoque cum prioribus consilio, Germaniam non tantum ab intentata ei a Romanis servitute liberarunt, sed & hisce in provinciis & terris propriis superuenientes, victricia sua arma intulerunt, tanto cum successu, ut cæsis pene innumeris exercitibus Romanis, eorumque provinciis vastatis & expilatis, haud exiguam tandem imperii occidentalis partem raperent, suique juris facerent, prout ex imposterum dicendis luculentius patebit.

z) Primas sedes Alemannorum inter Mœnum, Rhenum & Danubium fuisse, quodammodo colligi licet ex testimonio A. Victoris mox adducendo, & quæ ulterius id confirmant, tabula Peutingeriana, in qua Alamannia trans Rhenum, juxta siluam Martianam, conspicitur, & saltuu Alemannico, Germanis, der Allmannß Wald / circa flumen Craich, non longe ab oppido Bretten sito v. quoque B. Rhenanus Lib. I. pag. 40. Rer. Germ. Althamer in German, veter. & nou. descript. pag. 5. Cluverius Lib. III. c. IV. pag.

IV. pag. 10. Vorburgius Tom. I. 477. rerum Germanicarum & B. Hertius P. III. c. 1. §. 3. notit. veter. Germ. populorum.

a) Primam eamque antiquissimam omnium Alemannicæ gentis sub Caracalla mentionem facit Æl. Spartianus, dum in vita ejus c. X. inquit: *Nam cum Germanici & Parthici & Arabici & Alemannici nomen describeret (nam Alemannorum gentem devicerat)* ubi conf. Salmasium & Casaubonum. Eadem quoque A. Victor c. XXI. de Cæsaribus refert, Caracalla, inquiens, *Alemannos, gentem populosam, ex equo mirifice pugnantem, prope Mœnum amnem devicit.* quibus adde excerpta Dionis Cocceiani ab Henrico Valesio edita p. 748. 756. ubi bella Alemannorum, seu ut eos vocat Ἀλαμβανῶν, cum Caracalla gesta, longa serie recenset, & inscriptionem monumenti, Tubingæ reperti, quam ex Heroldi de Romanorum in Rhætia littorali stationibus libelli c. 8. adducit Crusius T. I. Lib. IV. c. 13. p. 89. in qua milites, legionis VIII. Antonino Caracallæ tribuunt titulum *Alemannici maximi.* Consentiunt ex recentioribus nobis, & ex dictis auctoribus *primordia Alemanniti nominis ad tempora Caracallæ referunt* B. Rhenanus Lib. I. pag. 40. rerum Germanicarum Crusius Part. I. Lib. IV. c. XI. pag. 88. Annal. Sueu. Schatenius in Histor. Westph. Lib. II. pag. 137. Vorburgius Tom. I. pag. 473. & Tom. III. pag. 372. c. I. Cellarius Lib. II. c. 5. p. 449. Werlhofius in notit. S. R. I. enucleata, Spec. II. Lib. I. c. 2. §. 54. Hertius in notit. veter. Germ. populorum P. III. c. 1. §. 2. imprimis magnif. Dominus Præses in Syntagm. I. Publ. Diff. III. §. 10. qui multo studio Alemannorum antiquitatem investigat & primam originem ad tempora Caracallæ refert.

b) Hæc convertit Goldastus in præfat. ad Script. Alem. & Alemannos demum exemplo Francorum permotos in commune fœdus coivisse. Sed cum primus tantum Francorum sub Valeriano meminerit Vopiscus c. VII. in Aurel. quilibet facile falsitatem hujus asserti deprehendit. conf. etiam Schatenium Lib. II. p. 138. c. I.

§. LXXXI. Quanquam vero quæ hactenus de quorundam Germaniæ, imprimis Sueuicorum populorum, sub Alemannorum nomine in commune fœdus coeundi occasione attulimus, satis certa, neque ante tempora Caracallæ ullus veterum vel verbulo Alemannorum mentionem fecerit; fuere tamen nonnulli, a) qui primordia gentis a Manno, Tuistonis filio, vel quam sibi in cerebro effinxerunt, Hercule Alemanno deducerent, nulla alia ratione ducti, quam quod Berosum, quem antiquissimum & infallibilem credunt, jam Herculis Alemannici mentionem facere, & convenientiam quandam utrumque nomen intercedere viderent. Verum cum fraudes & imposturæ b) Berosi ejusque commentatoris Annii Viterbiensis hodie in vulgus sint, notæ merito detecta falsitate fundamenti, omnis quoque machina ei superstructa corruit. Nec firmiori stant talo, quæ de primordiis Alemannorum Cluverius c) refert. Hic enim apud Agathiam legens, jam Asinium Alemannorum meminisse, & a Strabone d) quoque Asinium citari videns, argumento inde desumto, vocabulum Alemannicum ante Geographica Strabonis celebratum, & ipsam gentem antiquissimam esse, exinde collegit. Verum confundere doctissimum alias virum Asinium Quadratum, quem Agathias, de Alemannis differentem, intelligit, cum Asinio Pollione, cujus Strabo meminit, & quem Rhenum & bina ejus ostia ante se jam decripsisse asserit, haud pauci eruditorum e) ante me jam diu animadverterunt. Certe hunc ne verbulo Alemannorum meminisse, vel exinde etiam colligere licet, quod Strabo in commentariis suis tam nobilem gentem omisit, quod procul dubio non fecisset, si vel ullam ejus notitiam ex sæpe laudati Pollionis libris haurire potuisset. Quadratus contra, ad quem provocat Agathias, sub Alexandri Seueri, vel Philippi potius Arabis imperio

 floruit,

floruit, *f*) & historiam Romanam conscribens, de Alemannis eorumque origine vel ideo curatam notitiam habere potuit, quod suo ævo, vel paulo ante, ceu supra ostendimus, Alemannorum nomen Romanis primum innotuit, & Germanicæ gentes commune hoc fœdus inierunt.

c) Sub hanc classem referri merentur Fr. Irenicus Lib. I. c. 45. exeges. Germ. & H. Bebelius de laudibus Germanor. apud Schardium pag. 102. Tom. I. S. R. G. qui imprimis de laudibus Sueuorum apud Goldastum p. 31. Script. Suevic. graviter in eos invehitur. qui ex Agathia Alemannos genus adventitium & ex varia gentium colluvie coortos esse tradunt, somniatores eos & nescio quid appellans.

d) Has imprimis, quoad hoc caput detexit B. Rhenanus Lib. III. p. 40. c. I.

e) Lib. III. c. IV. Germ. antiq.

f) Henricus & Hadrianus Valesii in annotationibus ad Ammiani Lib. XVI. c. XI. rer. gest. Rom. B. Cellarius Lib. II. c. 5. p. 449. Werlhofius Lib. I. c. 2. §. 54. not. (c) Hertius P. III. c. §. 2. c. I. imptimis vero Pontanus in Sylloge descript. Chorograph. præfat. ad lectorem, qui nimis acerbe Cluverii errorem sequenti epigrammate perstringit:

Qui Pollionem, quem vocat Asinium Strabo,
Istum esse Asinium, qui Quadratus Agathiæ est,
Contendit, ipse sit Quadratus Asinius.

g) Lib. IV. p. 193. Geograph. præter Strabonem Asinii Pollionis etiam meminerunt Suetonius in J. Cæsare c. 30. & Valerius Maximus, cui dicitur Lib. VIII. c. 12. haud postrema pars Romani styli.

h) Asinium Quadratum sub Alexandro Seuero & Philippo Imperatoribus floruisse, constat ex Suida & Stephano Byzantino, voce ἄνθιον, qui ad dictum Alexandrum usque, aut Philippum potius historiam suam eum perduxisse, & ille quidem eam χηλιετηρίδα, hic vero Ρωμαικὴν χιλιάδα ideirco inscripsisse referunt. Laudat eum quoque Zosimus Lib. V. c. 27. ad historiam ejus, quam de Marco Imperatore conscripserat, provocans. conf. omnino Vossium de hist. lat. Lib. I. c. 17.

§. LXXXII. Quemadmodum autem, ubi quis semel a recto veritatis tramite aberravit, non raro error errorem comitari solet; ita etiam Cluverio hic accidit. Semel enim Alemannos gentem antiquissimam eorumque vocabulum ante Geographica Strabonis notum, falso sibi persuadens, & Alemannos quoque eosdem fines inter Mœnum, Rhenum & Danubium coluisse observans, quos Gallos, decumates agros exercentes, ex Tacito possedisse dixerat; mox omnes Alemannos origine prima Gallos fuisse censet. *h*) quos Romani in dubiæ has possessionis terras traduxerant, & ad tutelam Rheni cum onere simul solvendi decimas constituerant. In qua præconcepta semel opinione non parum eum confirmant haud pauca testimonia *i*) veterum, quos Alemannis nostris Germanicam originem denegare, falso arbitratur; imo cum Alemannica gens ex Agathia complures populi in unum corpus interpretantur congressi, jam novum inde & infallibile pro stabilienda sua sententia se invenisse putat argumentum. Verum enim vero jam supra ostendimus, prædicatam adeo a Cluverio Alemannicæ gentis antiquitatem nonnisi turpi superstructam esse errori, quo debita cura remoto, hæc quoque ipsius sententia ruit. Certe si Alemanni origine Galli, colonique ad tutelam Rheni sepositi, cur tanto furore arma in Romanos induerunt? Fuere quoque in Cis-Rhenana Germania & partibus inferioribus Trans Rhenanæ, haud procul a dicto fluvio, decu-

decumatium agrorum cultores, nec tamen Alemanni dicti. Et Galli, quorum Tacitus in his regionibus meminit, dubio procul non diu ibi commorati; sed potius a Germanis, continuas expeditiones in Gallias facientibus, statim deletos, aut trans Rhenum in pristinam patriam pulsos fuisse, omnino credibile. Neque etiam patrocinium ipsius causæ afferunt, quæ anxie corrasit veterum Scriptorum testimonia; neque enim hi Alemannis Germanicam originem denegant, sed Francis tantum, quos proprie Germanos vocant, opponunt. Et quæ ulterius de etymologia nominis profert, errorem magis produnt, quam sententiam stabiliunt: Neque enim hæc Gallicam, sed Germanicam potius originem ostendit, cum Alemanni, viri collectitii, Germanico, nunquam vero Gallico sermone sonent, quod nomen certe sibi non sumsissent, si initia sua habuissent a Gallis. Contra omnes veterum, qui vel aliquam Alemannorum mentionem fecere, eos non solum Germanos *k*) esse, sed plerique ex Sueuicis *l*) populis, maximam partem, in unam gentem coaluisse tradunt: quo factum, ut posteriori ætate nobilissimæ hujus gentis nomen Germaniæ universæ ejusque populis inditum, *m*) & vel hodie adhuc apud exteras quasdam gentes & Germaniæ & Germanis tribuatur.

i) Lib. III. c. 4 c. l. Cluverio in omnibus adstipulatur Jo Gulerus Lib. IV. pag. 40. Rhætiæ, Gallos hos ex Sequanis, Rauracis, Helvetiis aliisque a Romanis conscriptos, & ad Rheni custodiam in dictos agros sepositos fuisse tradens, tandemque, quod Hermundurorum finitimi, per errorem quendam, appellatos Sueuos. B. Cellarius Lib. II. c. 5. p. 483. not orb. antiqu. Alemannos quoque a Gallis, decumates agros exercentibus, initia cepisse conjicit; & qui omnes antecessit Monachus Ulmensis, Felix Faber, apud Goldastum p. 30. inter Scriptores rerum Suevicarum, populos juxta lacum Lemannum habitantes, cum nimis erescerent, nec terra circa hunc lacum omnes amplius capere posset, collecto grandi exercitu, natali solo derelicto, emigrasse, & ultra Rhenum venientes, in regionibus Rheno & Danubio interclusis consedisse, & deserta illa loca colere cœpisse tradit, ita ut terra illa, perenni nomine, a prisca ipsorum patria & lacu Lemanno Alemannia fuerit dicta.

k) Hæc, quæ pro confirmanda sua sententia adducit veterum testimonia, sequentia sunt: ex Stephano, qui Lexicon Geographicum ex variis auctoribus compilavit: *Alemanni, gens est Germanis finitima.* Ex Fl. Vopisco in vita Probi: *Testes Germani & Alamanni, longe a Rheni submoti littoribus*, & tandem ex Eustathio in Dionysium Alexandrinum. *Germanos, quibus Alemanni sunt contermini, candidas ait esse gentes.* Sed omnia hæc de Francis, Alemannorum finitimis, & qui haud raro Scriptoribus Germani proprie dicuntur, interpretari posse, quilibet, qui vel leviter saltim rem scrutatur, facile deprehendet.

l) C. XXIX. §. 5. de M. G. *non numeraverim inter Germaniæ populos, quanquam trans Rhenum Danubiumque consederint, eos, qui decumates agros exercent. Levissimus quisque Gallorum & inopia audax dubiæ possessionis solum occupavere. Mox limite acto, promotisque præsidiis, sinus imperii & pars provinciæ habentur.*

m) Sic Xiphilinus ex Dionis Lib. LXXVII. Alemannos Celticam gentem appellat, quo vocabulo in historiis suis constanter ubique, ipso Cluverio teste, Germanos insignire solet. Clarius adhuc hoc explicat Vopiscus in vita Proculi c. XIII. ubi: *Alemannos*, inquit, *qui tunc adhuc Germani dicebantur, non sine gloriæ splendore contrivit.* Et licet hic locus & Casaubonum & Salmasium mirum in modum torserit, genuinus tamen sensus non alius est, quam, Alemannos, tunc adhuc sub Germanorum gente comprehensos, licet proprio nomine uterentur, vicisse Proculum. Ammianus quoque Lib. XXVII c. X. quos modo Alemannos vocaverat, nunc Germanos appellat: *inde horrenda circumsonantibus Alemannis, id consilium ratio celeritatis admisit, ut arduam montium partem, quam clementer diximus esse proclivem,*

clivem, Sebastianus cum suis occuparet, fugientes Germanos, si fors ita tulisset, levi negotio confossurus. Et *Chronicon Hierosolymitanum* Lib. I. c. 1. eadem ratione Germanis eos accenset: *Quae fiebat Bajoariis, Alemannis, caeterisque Teutonicis.* Adde Althamerum in German. veter. & nov. descript. p. 116. Schatenium Lib. II. p. 137. c. l. Vorburgium Tom. I. pag. 363. c. l. Hertium Part. III. c. 1. §. 1. & Werlhofium Lib. I. c. 2. §. 56. c. l.

*) Alemannos Sueuos, aut ad minimum maximam eorum partem ex hac gente initia cepisse, exinde colligi potest, quod promiscue a Scriptoribus nunc Alemanni, nunc Sueui dicuntur. Sic Ausonius in lepidissimo illo carmine, quo Danubius Nilum alloquitur & victoriam ipsi Valentiniani patris & Gratiani filii Augustorum de Alemannis reportatam annunciat, inter alia sic canit:

Nuncius Euxino jam nunc volo currere Ponto,
Ut sciat haec superum cura secunda Valens
Caede, fuga, flammis stratos periisse Sueuos,
Nec Rhenum Gallis limitis esse loco.

Et Claudianus ad Stiliconem inquit: v. 190.

- - *Non Marte Sueuos*
Contudimus, queis jura damus. - -

Apud eundem quoque in Eutrop. L. I. v. 394. Roma gratias agit Honorio Augusto, ob oppressos Francos & Alemannos:

Ante pedes humili Franco tristique Sueuo
Perfruor & nostrum video Germanice Rhenum.

Sed regerit Cluverius c. l. Poetae usi fuerunt poetica licentia, ac forte per ignorantiam, quod Sueuia esset a tergo Alemanniae simul ac Franciae, eos ita appellarunt. Itaque jam alia veterum Scriptorum testimonia adducenda, quibus Sueuica Alemannorum origo comprobatur. Inquit autem Gregorius Turonensis Lib. I. c. 2. *Vandalos secuti Sueui, id est Alemanni, Galliciam apprehendunt.* Et jam ante eum Ammianus Lib. XVI. c. 10. de Constantio Imperatore, quem rumor Alemannorum in Rhaetiam irrumpentium Romam coegit relinquere, *cupiens itaque*, inquit, *augustissima omnium sede morari diutius imperator, ut otio puriore frueretur & voluptate, assiduis nunciis terrebatur, & certis, indicantibus, Sueuos Rhaetias incursare.* Porro P. Diaconus Lib. III. c. 18. de gest. Longob. de Droctulfo Longobardorum Duce scribens: *iste*, ait, *ex Sueuorum, hoc est, Alemannorum gente oriundus, inter Longobardos creverat.* & Lib. II. c. XV. c. l. *inter hanc* Liguriam, inquit, *& Suauiam, hoc est, Alemannorum patriam, quae versus Septentrionem est posita, duae provinciae, id est Rhaetia prima, & Rhaetia secunda, consistunt.* Nec ab auctoribus jam allegatis dissentit Walafridus Strabo de vita B. Galli in praefat. apud Goldastum Tom. I. Script. rer. Alem. p. 143. *igitur*, inquiens, *quia mixti Alamannis Sueui partem Germaniae ultra Danubium, partem Rhetiae inter Alpes & Histriam, partemque Galliae circa Ararim obsederunt, antiquorum vocabulorum veritate servata, ab incolis nomen patriae derivemus, & Alamanniam vel Sueuiam nominemus*, quod paulo post ita confirmat: *Duo sunt vocabula unam gentem significantia.* Eadem fere tradit Anonymus Ravenas, qui circa seculum VII. floruit Lib. IV. Geogr. §. 26. *propinqua ipsius Thuringiae adscribitur Sueuorum, quae & Alemannorum patria*, & prisca *tabula Peutingeriana*, quae beneficio M. Welseri in lucem edita, Alemanniam quoque Sueuiam interpretatur. Adde quae habet Procopius Lib. I. Histor. Goth. *super Thuringoi Sueui & Alemanni, nationes validae, agunt, vetustis in finibus ac libertate.* Et imprimis Jornandes Cap. LIV. de reb. Getic. ubi: *Nam regio illa Sueuorum ab oriente Bajobaros habet, ab occidente Francos, a meridie Burgundiones, a Septentrione Thuringos. Quibus Sueuis tunc juncti Alemanni etiam aderant*, confer etiam Egunhardum in vita Caroli M. p. 437. apud Freherum inter Script.

Script. rer. Franc. Lycum amnem Bajoarios ab Alemannis separare referentem, quem tamen Bajoariæ & Sueuiæ terminum esse, inter omnes constare. Et *Chronicon vetus Francorum* ad An. DCCXLI. quod Pipinum primogenito suo Carolomanno Sueuiam, quæ nunc Alemannia dicitur, tradidisse refert.

o) Hoc imprimis testatur Monachus Erphesfordiensis hist. Landgrav. Thuring. c. VI. *nota, quod partes viciniores Italicis, sicut sunt Bauaria, Sueuia, dictæ fuerint ab Italicis primo Alemannia, & homines dicebantur Alemanni, nota secundum Orosium & Solinum, quod tunc temporis Germania & Alemannia habebantur pro uno & eodem. Nam Ungaria dicebatur Pannonia & ab Ungaria usque ad Rhenum dicebatur Germania vel Alemannia.* conf. etiam Ottonem Frisingensem de Gest. Frid. Barbaross. c. III. qui per errorem hoc factum fuisse indicat, & Gobelini Personæ Cosmodrom. ætat. I. c. V. adde quoque Goldastum in præfat. ad Script. rer. Alem.

§. LXXXIII. Quemadmodum autem de origine gentis non eadem omnium opinio; ita nec de *etymologia nominis* inter omnes convenit. Lepida sane & ridicula est eorum traditio, qui Alemannos *ab ala magna, p*) dictos fuisse perhibent, quam Romanus quidam fecisse dicitur Pontifex, Germanos contra Turcas exhortaturus ad bellum. Neque felicius eorum excogitata opinio, qui Alemanniam *ab aula q*) *magna*, & sic Alemannos quoque ab eadem appellatos fuisse somniant. Nunquam enim ejusmodi nugatores demonstrabunt, omnes Alemannos fuisse aulicos, eorumque nomen Turcico esse recentius. Inde alii jam altius rem repetentes, nomen gentis *a Manno*, Tuistonis filio, aut *ab Hercule Alemanno r*) deduxerunt: Sed improspero quoque successu, cum nomen Alemannicum longe recentius, & quæ de Hercule Alemannico referunt, non nisi fabulis & figmentis superstructa. Alii porro opinati sunt, Alemanniam dici *a copia alimentorum, s*) quasi alimenta habens immania, i. e. maxima, vel quod eam inhabitantes indigeant magnis & multis alimentis. Sed non nisi lusum in terminis esse, quilibet facile videt. Eodem se habent modo tradita eorum, qui Alemannorum nomen *ab Alanis t*) *Scythico populo*, vel ab Hebraica voce, *Elam, u*) quod adolescentem significat, aut a verbo Græco ἀλάομαι, *x*) quod Græcis significat vagari atque errare, quasi Alemanni sint ἀλώμενοι, vagabundi aut errantes, deducere tentarunt. Probe enim observat Strabo Geographus, in appellationibus gentium Barbararum Etymologias Græcas non esse quærendas, quod & de Hebræis intellectum volumus. Quid enim Germanis adeo ex Græca, vel Hebræa lingua petendum? Aliis porro Alemanni idem audiunt, ac animosi, *y*) viri intrepidi, & magnanimi, qui forti pectore omnia sustinuerunt, & data occasione nihil non ausi fuerunt. Nec desunt, qui a Germanica voce Adelmann *z*) nomen gentis confectum fuisse credunt, quasi omnes essent nobiles & ingenui. Sed & hos non leviter errare, quilibet facile deprehendet, qui modo considerat, præter nobiles & ingenuos etiam deterioris conditionis homines, numero non paucos, inter eos habitasse. Walafrido *a*) teste, non nulli quoque fuerunt, quibus Alemannia *Altimannia*, ab alto situ, appellata fuit; ut sic Alemanni essent, qui edita & excelsa loca inhabitant: Quocum convenit eorum conjectura, qui eos ab Alpibus, *b*) quos pars eorum postea inhabitavit, nuncupatos putant. Verum hæc quoque non procedere, vel exinde colligi licet, quod Alemannorum nomen longe antea celebratum, antequam in edita hæc loca immigrarunt & perpetuas in Alpibus occuparunt sedes; quod & observari debuisset ab iis, qui *a Limago c*) *amne*, qui e lacu Turegiensi profluit, aut ab Helvetiæ *Lemanno d*) *lacu* nomen gentis derivare haud dubitarunt. Non enim Lemannus lacus, aut Limagus fluvius in Germania, ubi tamen primum Alemannorum nomen au-

ditum, ſed apud Heluetios & in Gallia conſpiciuntur, quare etiam nec nomen ſuum Alemanni noſtri ab eis accipere potuerunt.

p) Hanc opinionem refert B. Rhenanus Lib. I. Rer. Germ. p. 40.

q) Ita Jaſon apud Fr. Irenicum in exegeſi German. Lib. I. pag. 45.

r) Occaſionem huic opinioni dedit conſarcinator Beroſi, qui apud Tacitum legens, Germanos dicere Herculem apud ſe fuiſſe, cum forte ipſi in conſarcinanda veterum Germaniæ principum Genealogia rex deeſſet, adſcripſit: apud Tuiſcones regnat Hercules Alemannus. Hinc Annius in commentario ſuo ad eundem nugas nugis cumulans, ab eo Alemannos nomen accepiſſe tradit, & ſi Diis placet Etymologiam ex Talmudiſtarum ſcriptis affert. Ale enim Scythice & Alue alveum interpretari, & Mannum eſſe Rhenum, proinde Alemannos dictos fuiſſe, quod ad alueum Rheni habitarunt. Sequuntur Annium Fr. Irenicus Lib. I. p. 45. c. I. nomen Alemannorum, inquiens, deducunt *probatiſſimi a Manno, cujus meminit Perottus ſupra Martialem in primo, vel ab Alemanno rege, ut libro II. c. 1. explicabimus.* Et imprimis H. Bebelius de laud. Germ. apud Schardium p 102. Tom I. S. R G. & de laudib. Sueuorum apud Goldaſtum inter Script. rer. Sueuic. p. 31. ubi acerbe nimis in eos invehitur, qui Alemannicum nomen ab eo, quod ſit gens collectitia, deducunt. Adde Althamerum in Schol. ad Tacit. p. 5. apud Schardium c. l. & qui fabulas has ex inſtituto refutat B. Rhenanum Lib. I. pag. 40. c. I.

s) Conf. hic Felicem Fabrum in Hiſt. Sucuor. Lib. I. c. V. apud Goldaſtum c. l.

t) Refert hæc idem c. l. Gulerus L. IV. p. 40. Rhetiæ.

u) Hæc adducit Gulerus c. l.

x) Conf. de hac ſignificatione ab aliis proditam iterum Gulerum & B. Rhenanum c. l.

y) Habet hæc Fr. Irenicus c. l.

z) Hanc opinionem recitat Gulerus c. l.

a) In præfat. ad vitam B. Galli apud Goldaſtum Tom. I. S. R. A. pag. 142. in f. *inveni ab auctore ejusdem conſcriptionis terram, quam nos Alamanni vel Suevi incolimus, Altimani ſæpius nominari. Sed ipſius nominis originem quærens, apud nullum Scriptorum, quorum adhuc notitia nos reſperſit, ejus reperi mentionem. Niſi fallor enim ab alto ſitu provinciæ idem vocabulum a modernis conuictum eſt.*

b) Conjectura eſt Latzii Lib. VIII. pag. 495. de Migr. gent. qui tamen addit, ſe nec rejicere eorum opinionem, qui *Alemannos* dicunt, quod *omnes viri.*

c) Sic Otto Friſingenſis de geſt. Frid. I. Lib. I. c. VIII. Tigurinorum civitatis juxta Limagum fluvium, quem tamen ut probe obſervat Stumpfius Lib. VI. c. 14. Chronic. Helvet. perperam Lemannum vocat, ſitum deſcribens, *a prædicto etiam Lemanno,* inquit, *fluvio unde Lucanus:*

Deſtruere cavo tentoria fixa Lemanno.

Tota illa provincia Alemannia vocatur: quare quidam totam Teutonicam terram Alemanniam dictam putant, omnesque Teutonicos Alemannos vocare ſolent, cum illa tantum provincia, i. e. Sueuia, a Lemanno fluvio vocetur Alemannia, populique eam inhabitantes ſolummodo vocentur Alemanni. Eadem fere habet Guntherus Ligurino Lib. III. v. 305. notatus quoque eapropter a Stumpfio c. l. adde Hadrian. Valeſii notit. Galliar. voc. Alamanni.

d) De ſitu Lacus Lemanni ipſi auctores, qui ab eo nomen Alemannicæ gentis derivant, diſſentire ſolent. Sic Jo. Boemo Aubano in Suevia p. 24. & Fel. Fabro p. 54. utrique apud Goldaſtum c. l. idem & recte quidem eſt, qui

qui adhuc hodie Lemannus, Lausannensis vel Gebenensis dicitur. Albertus Magnus contra de nat. loc. Sueuos Alemannos a lacu Lemanno, maximo stagno, quod ante radices Alpium effunditur, & per cujus medium Rhenus transit nomen habere dicit: quo ipso non alium, nisi Bodamicum intelligit. Adde Gobelini Cosmogr. ætat. I. c. 5. ubi: *iidem dicuntur Alemanni a lacu Lemanno, qui est in Sueuia in Diœcesi Augustensi; quia habitantes circa lacum illum inter utentes lingua Teutonica, Romanis irrumpentibus alpes, primo forte cogniti sunt, & sic eos a lacu, quem habitabant, Alemannos Romani nominabant.* Et H. Bebelium de laudib. Sueuor. pag. 31. e. I. cui insuper hic lacus ab Hercule Alemanno nomen accepisse dicitur.

§. LXXXIV. Ingeniosa sane est conjectura B. Schilteri, *e*) qui cum Alemanni publicos fundos, agros, silvas & lacus, Germanis **Allmännig** & **Allmende** dictos, possederint, nomen eorum ab hoc more profectum fuisse auguratur. Verum cum commune hoc omnium *f*) Germaniæ gentium institutum fuerit, proprii nihil habere agri, sed per vices potius occupare, quicquid magistratus ac principes in singulos annos gentibus cognationibusque hominum, qui coiverunt, attribuebant agri, non sine ratione doctissimo alias viro subscribere dubitamus, cum hoc modo omnes Germani fuissent Alemanni. Haud ita pridem B. Junckerus *g*) Alemannos quoque ab Almona, hodie **Altmühl**/ Nordgoviæ fluvio, qui quibusdam *h*) auctoribus Alemannus dicitur, derivare voluit. Verum cum prout jam supra de Sueuo flumine ostendimus, ignobile aliquod flumen nunquam integræ alicui genti, sed hæc potius illi nomen indiderit, & Annales *i*) quoque dictum flumen non Alemannum, sed Almonam vocent, merito & hanc sententiam rejicimus, accedentes potius partim Asinio Quadrato, *k*) scriptori probo & rerum Germanicarum exacte gnaro, cui Alemanni gens collectitia, ex variis nationibus commixta, **allerley Mann** audiunt; partim eis, quibus ita a fortitudine, quasi omnes *l*) viri, toti viri, viri fortes, **All-Mannen / alle Männer /** & propter corporis robur, & animi ferocitatem, quod nulla parte effœminati, dicuntur. Primum enim, ex variis gentibus, Sueuis maximum, in unum corpus confluxisse, & eapropter forte fortuna a vicinis ita appellatos fuisse, hactenus dicta, & imprimis sæpe laudatus Agathias, testis σύγχρονος, manifeste testantur. Et a virtute quoque hoc nomen sibi sumsisse, vel ideo credibile, quod reliquis Germaniæ gentibus, Hermunduris puta, Marcomannis, postea & Francis, solenne admodum fuit, desumta sibi a virtute militari imponendi nomina, quos imitans hæc turba undique cœuntium, Alemannos quoque sese appellavit, glorioso quidem nomine, sed formidabili consanguineis populis, & imprimis Romanis, quorum non tantum jugum potentiamque ferre recusabant, sed & in propriis terris debellare constituerant, omnem hactenus illatam ipsis ab eis injuriam, ut viros fortes & intrepidos decet, ulturi: quod & eo facilius exequi poterant, quod validissima & numerosissima erat civitas, in plures gentes divisa, quarum notissimæ Lentienses, Bucinobantes & Juthungi. *m*)

e) Exercitat. ad ff. IV. §. XIII.

f) Tacitus c. XXVI. de M. G. Cæsar L. VI. c. 22. de B. G.

g) Part. II. c. 2. p. 126. **Seiner Anleitung zur** Geograph. **mitl. Zeiten.** ubi insuper Alemannos primas sedes circa hunc amnem habuisse, postea demum vero in decumates agros, Mœnum, Rhenum & Danubium inter, immigrasse, ibique Romanis prima vice innotuisse, tradit. Sed non nova hæc opinio est Junckeri; jam ante eum enim idem quoque nonnullos statuisse ex Guleri Rhetia L. IV. p. 40. & Crusii Annal. Sueuic. P. I. L. I. c. 1 p. 6. constat, ita tamen, ut dictum fluvium ab Hercule Alemanno, ab hoc

vero Alemannos nostros nomen accepisse putarint: nec conjectura illa improbabilis quoque visa Jo. Isaac. Pontano, cujus conf. orig. Francic. L. II. c. 2. in f.

h) Abr. Ortelio in German. veter. cui jungendi Andr. Althamerus in German. veter. & nov. descript. p. 60. & 121. & C. Stephanus in Diction. Histor. Geograph. voc. Alemannus.

i) *Annal. Franc. Fuldens.* ad An. 793. conf. etiam Poetam Saxonem de gestis Caroli M. L. II. ad An. 793.

k) Apud Agathiam Lib. I. Hist. Goth. ubi: *Alemanni, si Asinio Quadrato fides, viro Italo & Germanicarum rerum exacto scriptori, communes sunt variis e nationibus collecti, id ipsum apud eos consignificante vocabulo.* Consentiunt eidem ex recentioribus B. Rhenanus L. I. p. 40. rer. Germ. Althamerus p. 115. c. l. Stumpfius Lib. II. c. 2. p. 19. Chron. Helvet. Gulerus L. IV. p. 40. c. l. Cluverius Lib. III. c. 4. c. l. Auctor monumentor. monasterior. Würtembergens. p. 103. not. (c.) Lambecius Lib II. Bibl. Vindobonens. c. 6. n. 503. Schatenius L. II. p. 133. Werlhofius L. IV. c. 2. §. 54. c. l. & Hertius Part. III. c. 1. §. 2. notit. veter. Germ. populor. Crusius quidem P. I. L. IV. c. 11. p. 88. c. l. his quoque accedit, sed mox sententiam suam mutans p. 3. & p. 6. ita dicuntur ei a Mano Tuistonis filio, vel Hercule Alemanno, quasi omnes viri fortes & invicti.

l) Vid. Gotfridus Viterbiensis qui P. IX. Chron. p. 192. ita canit:

Alle, sonat totum, Man vir, si Teuthona lingua
Hæc duo conjungat, totum vir littera signat,
L. geminata satis nomina clara facit.

Adde Aventinum L. II. annal. Bojor. c. 38. §. 11. Willichium ad Tacit. p. 44. apud Schardium c. l. Althamerum p. 114. c. l. Guillimannum L. II. c. 3. n. 16. in Helvetic. & imprimis quoque ill. Coccejum in prudent. Jur. publ. §. 7. prolegom.

m) De hisce Alemannorum gentibus vid. Ammianum Lib. XV. c. 4. L. XVII. c. 6. L. XXIX. c. 4. & L. XXXI. c. 10. ibique Valesium & Lindenbrogium in not. quibus adde Vorburgium Tom. II. p. 454. c. l. Cluverium c. l. cui Lentium istud, a quo universus populus Lentiensium nomen habuit, vicus Leitz est, in ripa Danubii infra oppidum Friding situs, & Crusium P. I. L. VII. c. 1. p. 156. c. l. cui Lentienses populi locum, quem hodie Germanice das Lintzgäu appellamus, inhabitasse, Juthungi vero L. VI. c. 7. pag. 149. gens Italicis tractibus conterminans dicuntur. Quod ita limitat Gulerus L. IV. p. 45. Rhetiæ, ut Lentienses hunc Rhetiæ pagum, hac demum occupata provincia insedisse, & recte quidem, putet, antea trans Danubium, in ripa ejus, ubi laudatus vicus Leitz, habitantes. B. Rhenano vero L. I. pag. 46. c. l. Junthungi insuper, quod Trebellio Pollioni Virtingi dicuntur, Würtenbergicæ hodiernæ ditioni nomen dedisse videntur. adde infr. dicenda §. 97.

§. LXXXV. Primus itaque Imperatorum Romanorum, cui prout supra ostendimus, negotium aliquod cum Alemannis intercessit, *Antoninus* erat *Bassianus Caracalla.* Hic enim Rhætiam & Vindeliciam vastantes adoriens, turpi dolo, prope Mœnum amnem devicit, n) & sumto eapropter Alemannici cognomine, superbum Romæ de iis egit triumphum. Proficiscens postea quoque ad Danubium, reliquos Suevos, data pecunia, institutis ludis & spectaculis, & quod Germanico haud raro uteretur cultu, sibi adjunxit, atque auxilia ab eis accipiens, & custodes corporis fortissimum & pulcherrimum quem-

quemque, in amicitiam conciliavit, o) exceptis tantum Marcomannis, quos cum Vandalis, amicis antea & sociis committens, foederas suae erga se repugnantiae poenas dare coegit. p) Caracalla paulo post in Parthica expeditione interfecto, caedis auctor *Macrinus* in imperio successit, & hoc quoque talionis jure a militibus suis, primo regiminis anno, interempto, *Heliogabalus* quidem, monstrum illud potius, quam homo, solium imperatorium conscendens, remissum hactenus a temporibus Marci Marcomannicum bellum resumere gestiebat, quod responsum fuisse audiverat, ab Antonino quodam, cujus nomen sibi sumserat, bellum esse finiendum; ast carmina & consecrationes, quibus per Chaldaeos & Magos Antonium Marcum id egisse, fama erat, ut Marcomanni populo Romano devoti semper & Amici essent, metu, ne ea dissiparet, Senatu supprimente, omnis ipsius in ludibrium versus, vel magno potius exitio Romanae fuit Reipublicae conatus. q) Excitati enim rei hujus nuncio Suevi cum Alemannis, tutius fore rati praevenire, quam praeveniri, Rheno & Danubio superato, Romanorum provincias & in ripis disposita praesidia, non sine vicinae Italiae & Illyrici periculo, depopulabantur, & licet, qui Heliogabalo in imperio successerat, Alexander Severus, mirando apparatu, & ingenti centum & quinquaginta millium contracto exercitu, in eos moveret, & Germanos ad sua reversos, ponte prope Moguntiam facto, trans Rhenum quoque persequeretur, strenue tamen nihil contra eos gessit; quin potius pace, quantum poscerent auro, a Germanis emta, a propriis militibus, hoc factum indignantibus, paulo post in castris interfectus, reliquum hujus belli negotium Maximino, Tyronum praefecto, & caedis auctori, relinquere cogeretur, r) Hic, ipse natione Germanus, Alexandri apparatu usus & multa quoque addens, rupto priori foedere, protinus Germaniam ingressus, CCC. aut CCCC. millia passuum longe lateque Germanorum vicos incendit, greges abegit, praedas sustulit, hostium plurimos interemit, innumeros cepit, & militem quoque divitem reduxit, majora ausurus, ni Germani, relictis campis & locis arborum expertibus, in silvas sese abdidissent, & circa paludes se tenentes, gravissima ei per insidias ex locis commodis & sibi tantum cognitis intulissent damna. s) Tunc igitur reducto exercitu Danubium versus descendens, & in Pannonia in hybernis agens, ad novam & vernam sese comparabat expeditionem, excisurum subacturumque minitans Oceano tenus omnes Germaniae nationes: t) Verum hostis paulo post a Senatu declaratus, & cum exercitu in Italiam tendens juxta Aquileiam a militibus in castris discerptus, omnia ipsius cogitata una cum ipso interierunt. Neque etiam, qui Maximino in imperio successerunt, certatim illud invadentes, & alii semestribus, alii annuis, plerique per biennium, aut ad summum per quinquennium imperantes, Balbinus, Pupienus, Gordiani, Philippus Arabs, Decius, Gallus & Volusianus, strenue aliquid aut memoria dignum, contra Suevos & reliquos Germanos gesserunt; quin potius, intestinis bellis & seditionibus agitati, invicem sese consumerent, & alter alterum spoliaret vita, satis interim ad Germanici nominis affectationem victoriamque reputantes, si Rhenum & Danubium imperii limites defenderent, & repulsis Germanis conservarent. Solus *Gordianus tertius*, juvenis adhuc, cum Gothis, u) tunc bello primum Romanis innotescentibus, pugnavit, & manibus horum Decius quoque, cruentissimo praelio, paludis gurgite haustus periit: x) Caeteri timidiores pacem haud raro auro, argentove a Germanis emerunt, & *Volusianus* plane, cum patre Gallo, eo usque formidinis processit, ut non solum, pro more, pacem ab eis mercaretur, sed & tributa y) quoque, ut quiescerent, penderet annua, magno Romano nominii dedecore & detrimento apud posteros relicto.

 n) An.

n) A. Victor c. XXI. de Cæsar. Spatianus in vita Caracallæ c. V. & c. X. Doli autem, quo Alemannos vicit, meminerunt excerpta Dionis Cocceiani, quæ edidit Henr. Valesius p. 748. ita, ut, convocata Alemannorum juventute, quasi eam inter auxilia conscripturus esset, ipsum cum clypeo agmen ducentem, universam circumdedisse, & concidisse, reliquos, circummissis equitibus comprehendisse, tradant. Quam malcule vero nihilominus tamen sese defenderint Alemanni, testatur Xiphilinus ex ejusdem Dionis Lib. LXXVII.

o) Ita hæc gesta Caracallæ cum Sueuis refert Herodianus Lib. IV. c. 7. histor.

p) Excerpta Dionis Cocceiani p. 756. q) Lampridius in vita ejus c. IX.

r) De hac facta Sueuorum & Alemannorum in provincias Romanas irruptione & insecuta eam irrita Alexandri contra eos suscepta expeditione vid. Lampridius in vita ejus c. LIX. Herodianus Lib. VI. c. 7. & A. Victor de Cæsaribus c. XXIV. quibus adde Capitolinum in vita Maximini c. 7.

s) Fusius hanc expeditionem Maximini Germanicam describunt Herodianus Lib. VII. c. 2. & Capitolinus in vita ejus c. XII. & Maximinum aliquando Germanos persequentem ingensque stagnum equo ingressum ab hostibus pene interceptum fuisse tradunt. Capitolinus insuper exhibet litteras, quibus Senatui populoque Rom. hanc de Sueuis reportatam victoriam indicat, quarum hæc fuit sententia: *Non possumus tantum P. C. loqui, quam fecimus: Per CCCC. millia Germanorum vicos incendimus, greges abduximus, captivos abstraximus, armatos occidimus, in palude pugnavimus. Pervenissemus ad sylvas, nisi altitudo paludum nos transire non permisisset.* Imo tanta ipsius jactantia & superbia fuit, ut integram hujus belli historiam, maximis imaginibus in tabulis depictam, Romæ ante curiam publicari mandaret, quo non tam audire, quæ gesta florent, quam etiam subjicere oculis Romani possent. vid. Herodianus c. l. adde quoque A. Victorem c. XXVI. c. l. Eutropium Lib. IX. c. l. & Orosium Lib. VII. c. 19. qui omnes bellum a Maximino prospere in Germania gestum fuisse tradunt.

t) Herodianus c. l. Capitolinus c. XIII. c. l. u) Capitolinus in vita ejus c. XXXIV.

x) A. Victor c. XXIX. c. l. Zosimus Lib. I. c. 23. y) Zosimus Lib. I. c. 24.

§. LXXXVI. Hactenus igitur Alemanni & Sueui, pecunia & muneribus illecti, pacem cum Romanis colebant & ab omni erga eos hostilitate sibi temperabant: Ast *Valeriano* communi Romani orbis suffragio Imperatore facto, & adscito sibi in consortium regiminis *Galliena* filio, immanissime admodum in Christianos eorumque cultum sæviente, mox omnes Germaniæ aliique populi, permissu & ultrice Dei manu excitati, procellæ instar, communi consilio, Romano imperio imminebant, laxatisque habenis in fines ejus irrumpebant. Siquidem Sueui Alpibus, Rhætia totaque Italia penetrata, Ravennamque usque pervenerunt; Alemanni Galliam vastantes etiam in Italiam transierunt; Persæ orientem vastarunt; Græcia, Macedonia, Pontus, & Asia Gothorum inundatione deleta; Quadi, Marcomanni & Sarmatæ Pannoniam depopulati; & Franci denique universam Galliam infestis armis peragrarunt. z) Nec Valerianus, tot malis undiquaque circumstantibus, hos motus unquam componere potuit; quin potius experientissimos belli Duces singulis occidentis provinciis, directore Gallieno filio, imponens, & orientem sibi adversus Gothos, Scythas & Persas tutandum sumens, paulo post a Sapore, Persarum Rege, dolo circumventus, & cute detracta fœde laniatus, miserrima morte interierit. a) Eadem pene fortuna belli filii ipsius Gallieni: Licet enim hic magno strepitu & ingenti apparatu demandatum sibi a parte bellum adversus Germanos susciperet, nihil tamen aliud egit, quam ut modo transitu hostes

interdum

interdum arceret, interdum transeuntibus legiones suas opponeret. *b*) Ultimum, cum ingenti multitudine Germanorum obrueretur, copiis Romanis impar & in angustias redactus, coactus fuit, cum Attalo, Marcomannorum rege, data ipsi Pannoniae superioris parte & accepta ipsius filia Pipara in uxorem, *c*) foedus & pacem inire, quo minuto ex aliqua parte periculo, auxilio & patrocinio ejus reliquos Germanos arceret, ne tam facili negotio transirent Rhenum. Et hujus etiam principis auctoritas & potentia ad retinendos ad tempus aliquod Germanos, quo minus transito, ut consueverant, Rheno & Danubio, provincias vastarent, multum valuisse videtur. Ast Gallieno brevi post in Italiam reverso, otio & voluptatibus se dante, & libdini, helluationibus & ludibriis vacante, non aliter rempublicam regente, quam cum pueri fingunt, ludi causa potestates; vilissimis insuper hominibus imperii fasces & dignitatem certatim arripientibus: Germani ignavum & in omnem lasciviam dissolutum hominem contemnentes, communi conspiratione facta, provinciis Romanis jam iterum superveniebant, & Gothi *d*) quidem occupatis Thraciis Macedonas, Achaeos, Pontum & Asiae finitima vastabant; Franci *e*) Gallias, Hispaniam & Africam incursabant; Alemanni Gallis quoque depopulatis *f*) in Italiam penetrabant; Quadi *g*) & Sarmatae in Pannoniam deprædatum exibant, nullam harum provinciarum partem immunem relinquentes, & Marcomanni *h*) denique longissimis in solum Romanum factis irruptionibus, & Thessalia obsessa, ingenti terrore omnem Graeciam concutiebant, ita; ut pro avertendis tot & tantis malis Romae pax Deum quaesita, inspecti Sibyllae Libri, factum quoque salutari Jovi, ut praeceptum fuerat, sacrificium. *i*) Et certe, jam tunc finem suum Romanum imperium tot malis afflictum attigisset, ni Odenatus in oriente, in Gallia vero primum Posthumius, deinde Lollianus, Victorius deinceps postremo Tetricus, omnes inter Tyrannos connumerati, assertores Romani nominis exstitissent, & Romanam rem contra irruptiones harum gentium utcunque sustentassent. Hi enim, imprimis Posthumius; Alemannos & Francos ex Gallia repulerunt, & Rhenum transgressi in hostili solo nova munimenta exstruxerunt, collapsaque restaurarunt, ad comprimendum eorum furorem, & ne ulterius per Rhenum in Gallias irrumperent. *k*) Et licet Posthumio a militibus suis occiso, Alemanni cum Francis, subita irruptione facta, castella haec facile expugnarent, destruerent & incenderent, mox tamen a Lolliano repressis omnia in pristinum statum reformata & a successoribus in tyrannide, Victorino & Tetrico conservata fuerunt. *l*)

a) Vid. de hisce irruptionibus gentium sub Valeriano in imperium Romanum factis Eutropius Lib. IX. c. 6. Zosimus Lib. I. c. 29. Trebellius Pollio in vita ejus c. III. Orosius Lib. VII. c. 22. Fl. Vopiscus in vit. Aurelian. c. VII.

a) Trebellius Pollio in vita ejus c. III.

b) Zosimus Lib. I. c. 30. Paulo aliter A. Victor. c. I. *Galliens*, inquiens, *cum a Gallia Germanos strenue arceret, in Illyricum properans descendit.*

b) A. Victor. c. XXX. in epitom. *amori diverso pellicum deditus, Saloninae conjugis, & concubinae, quam per pactionem concessa parte superioris Pannoniae, a patre, Marcomannorum rege, matrimonii specie susceperat, Pipam nomine.* conf. eundem de Caesarib. cap. XXXIII. ubi Pipae, velut eam Trebellius Pollio c. 3. in vita Salonini Gallieni vocat Piparae, parentem Attalum appellat. adde Zosimum c. I.

d) Avr. Victor de Caesar. c. XXXIII. Eutropius Lib. IX. c. 6. Orosius Lib. VII. c. 22. & imprimis Zosimus Lib. I. c. 31 - - 37.

e) A. Victor. c. XXXIII. de Caesarib. qui direpta Gallia Hispaniam eos possedisse,

se, vastatoque ac pene direpto Tarraconensium oppido, nactisque navigiis partem eorum in Africam usque penetrasse, ait. Eusebium in Chron. ad An. 266. Orosium Lib. VII. c. 22. & ex recentioribus Schatenium Lib. III. p. 160. c. l.

f) A. Victor c. XXXIII. de Cæsarib. *Alemannorum tunc equi Italiam - - possiderent.* Eutropius Lib. IX. c. 6. *Alemanni vastatis Galliis in Italiam irruperunt.* Orosius Lib. VII. c. 22. *Alemanni Gallias pervagantes etiam in Italiam transeunt.* Adde Eusebium c. l. ad An. 264. Prosperum Aquitanum in Chron. apud Labbeum Tom. I. Bibl. nov. p. 37. Gregorium Turonensem Lib. I. hist. Franc. & ex recentioribus Aventinum Lib. II. c. 38. §. 3. Annal. Bojor. cui Rege suo Chroco Moguntiaci Rhenum trajecisse & Chabillionem, Arelas Augustam Treverorum & Mediomatricum Galliæ urbes in hac expeditione funditus devastasse dicuntur. Sed negat hoc & Francis suis hæc gesta attribuit Schatenius p. 160. c. l. Rhætiam interim temporibus hisce turbulentis non minori maleficio Galliæ civitatibus ab Alemannis & Sueuis affectam fuisse, discimus ex *Eumennii Panegyrico filio Constantini M. dicto*, c. X. ubi inter alia: *principe Gallieno - - amissa Rhætia.*

g) Eutropius Lib. IX. c. 6. *Pannonia a Sarmatis Quadisque populata est.* vid. etiam Eusebium c. l. ad An. 266. & Orosium Lib. VII. c. 22.

h) Zosimus Lib. I. c. 29. conf. etiam *Trebellium Pollionem* in vita Gallieni c. 6.

i) Trebellius Pollio c. V. c. l.

k) Idem in vita Posthumii c. 3. A. Victor c. XXXIII. de Cæsarib. Eutropius L. IX. c. 7. & Eusebius in Chron. ad An. 270.

l) Trebellius Pollio de Lolliano c. V. Eusebius c. l.

§. LXXXVII. Gallieno tandem peste illa Romanæ Reipublicæ a militibus in castris ad Mediolanum A. C. 268. interemto, *Claudius* ex sententia ipsius designatus Cæsar in imperio successit. Hic misera hac rerum Romanarum conditione consultans, Germani ne, an Tyranni forent oppugnandi? primum sibi illos deposcit, quod Reip. essent hostes, hi vero duntaxat principum. Gothis igitur eorumque sociis variis sed atrocissimis prœliis devictis, victricia sua arma in Alemannos quoque Italiam populantes convertebat, eisque non procul a Benaco lacu superveniens, manibus consertis, tanta affecit clade, ut vix dimidia pars fuga sibi consulere, tristemque jacturæ suæ nuncium domum perferre posset. m) Eadem fortuna Sueuos quoque & Sarmatas per duces suos fuit adortus, & vehementissime cum iis dimicans, florentissimam reportavit victoriam. n) Læta igitur secundo hoc successu rerum Resp. Romana: Ast Claudio brevi post e vita decedente, mox nova calamitas hoc gaudium insecuta. Vix enim *Aurelianus*, princeps Romanis necessarius magis, quam bonus, consensu militum, imperii frena susceperat, cum Marcomanni, ruptis imperii limitibus, Vindelico pervagato & Rhetia direpta, ingenti multitudine Italiam irrumperent, & Mediolanum usque obvia quæque igne, ferro & præda vastantes, tanto omnia terrore sui nominis complerent, ut tempora Marci & Gallieni rediisse non pauci crederent, Aurelianus quoque prœlio cum iis congredi non auderet, pacatis nisi Diis. Consulti itaque jussu ejus Sibyllini libri, proditi versus, lustrata urbs, cantata carmina, amburbium celebratum, ambarualia promissa, atque omnis, quæ in summo discrimine jubebatur, expleta. Verum dum, sacris istis nondum penitus peractis, Aurelianus, cœco impetu ductus, prope Placentiam, omnibus simul exercitus sui constipatione facta concurrere vellet, Marcomanni in siluis latentes, & sub vesperum improvise in Romanos irruentes, tanta eos straverunt clade, ut ea imperium solvi

solvi crederetur. Victi tamen postea, mutato fortunæ cursu, Marcomanni, atque omni Italia ejecti, ad sua redire. o) Liberari quoque Vindelici ab obsidione Sueuorum, p) & Bonosus, ingens helluo, Rhetico limiti, data ipsi in matrimonium Hunila, Gothicæ gentis virgine regali, ab Aureliano præfectus, quo hoc modo a Gothis cuncta per eum cognosceret, & si quando legati Germanorum undecunque gentium venissent, ipsis propinaret, eosque inebriando, secreta cordis per vinum exploraret. q)

m) A. Victor. c. XXXI. in epitom. *receptis legionibus adversum aciem Alemannorum haud procul a lacu Benaco dimicans, tantam multitudinem fudit, ut ægre pars dimidia superfuerit.* conf. hic etiam Crusium Tom. I. Lib. V. c. 4. pag. 111. qui Benacum lacum, stagnum illud, juxta Veronam situm, Germanis hodie Gardersee appellatum, interpretatur.

n) vid. Fl. Vopiscus in vita Aureliani c. 18. cujus auspiciis hæc victoria de Sueuis & Sarmatis fuit obtenta.

o) conf. hic omnino Fl. Vopiscus in vita Aureliani c. 18. – 21. ubi inter alia: *Quum autem Aurelianus vellet omnibus simul facta exercitus sui conspiratione concurrere, tanta apud Placentiam clades accepta est, ut Romanum pene solveretur imperium. Et causa quidem hujus periculi perfidia & calliditas barbarici fuit motus. Nam quum congredi aperto Marte non possent in sylvas se densissimas contulerunt, atque ita nostros vespera incumbente turbarunt. Denique nisi divina ope post inspectionem librorum sacrificiorumque curas, monstris quibusdam speciebusque diviuis impliciti essent barbari, Romana victoria non fuisset.* adde Zosimum Lib. I. c. XLIX. & A. Victorem c. 35. d. Cæsar. quibus tamen Marcomanni Alemanni dicuntur.

p) Fl. Vopiscus c. XXXV. c. I. q) Idem in vita Bonosi c. XIV. & XV.

§. LXXXVIII. Sublato A. C. 275. Aureliano dolo Amicorum, Tacitus & Frater Florianus imperium degustarunt, & his quoque animam reddentibus, omnium applausu *Aurelius Valerius Probus* in principatu successit. Hic sub initium statim sui regiminis ingenti cum exercitu Gallias petens, quæ omnes occiso Posthumio turbatæ fuerant & interfecto Aureliano ab Alemannis & Francis possessæ, tanta illic prælia feliciter gessit, ut ab Alemannis Francisque sexaginta civitates reciperet nobilissimas. Et cum jam in Romana ripa, imo per omnes Gallias securi vagarentur, cæsis prope quadringentis millibus, qui Romanum occupaverant solum, reliquos ultra Nicrum r) fluvium & Albim removit, tantum his prædæ tulit, quantum ipsi Romanis abstulerant. Contra urbes Romanas & castra in solo Germanico posuit, atque illic milites collocavit. Agros & horrea & domos, annonam Transrhenanis omnibus fecit, iis videlicet, quos in excubiis collocavit: nec cessatum est unquam pugnari, quum quotidie ad eum Germanorum capita deferrentur, jam ad singulos aureos singula, quamdiu reguli novem ex diversis gentibus venirent, atque ad pedes Probi jacerent: quibus ille primum obsides imperavit, qui statim dati sunt; deinde frumentum, postremo etiam vaccas atque oves. Dicitur jussisse his acrius, ut gladiis non uterentur, Romanam expectaturi defensionem, si forent a quibus vindicandi essent. Sed visum est id non posse fieri, nisi si limes Romanus extenderetur, & fieret Germania tota provincia. Maxime tamen ipsis regibus consentientibus, in eos vindicatum est, qui prædam fideliter non reddiderunt. Accepit præterea sedecim millia tironum, quos omnes per diversas provincias sparsit, & compositis omnibus rebus, post hæc Illyricum petens, Rhætias in transitu sic pacatas reddidit, ut illic nec suspicionem quidem ullius terroris relinqueret. s) Pacata itaque omnia: ast Probo paulo post a militibus, quos

molesto semper fatigaret labore, Sirmii in patria interemto, Alemanni una cum Francis cognita Probi morte, resumtis armis & propugnaculis in solo suo ab eo positis subversis, Gallicas incursiones repetebant; & licet *Carus*, tum Sceptro potiens per filium Carinum, adjunctis ipsi fortissimis viris, belli Ducibus, aliquoties eos reprimeret, impedire tamen haud potuit, quo minus semper redirent, & cuncta igne præda & ferro, omnium terrore, vastarent. *t*)

r) Ita emendat textum Vopisci & loco Nigri Nicer vel Neccarus legunt Casaubonus & Gruterus in notis ad eundem, eisque consentiunt B. Rhenanus Lib. I. p. 9. rer. Germ. Aventinus Lib. II. c. 42. n. 1. Annal. Boj. Crusius P. I. Lib. V. c. 6. p. 117. c. I. & Cluverius Lib. III. c. 4. Germ. antiqu. Et licet Schatenius Lib. III. p. 169. Hist. Westph. sub Nigro Vopisci Visurgim intelligat, Valesius vero Lib. V. rer. Francic. Vicrum interpretetur, priorlbus tamen vel ideo accedere, & Probum in hac expeditione Alemannos trans Nicrum, Francos vero trans Albim removisse credere malo, quod teste B. Rhenano c. I. & Latzio Lib. I. c. 8. de migr. gent. mira adhuc in Nicri ripa antiquitatis Romanæ vestigia cernuntur, a militibus Romanis procul dubio in hac expeditione Probi relicta; & Vopiscus insuper indicat, Probum post hæc circa Nicrum gesta Illyricum petiisse, & priusquam ibi advenerit, Rhætiis sic pacatas reliquisse, ut illic ne suspicionem quidem ullius terroris reliquerit, Rhætia enim Nicro proxima quam ab hoc flumine Illyricum tendens Probus peragrare omnino necesse habuit.

s) Hactenus hanc Probi expeditionem contra Francos Alemannosque susceptam verbis Flavii Vopisci in vita ejus c. XIII. — XVI. recensuimus. Ipse etiam Probus tales de hac obtenta victoria ad Senatum dedit Litteras: *Ago Diis immortalibus gratias P. C. quia vestra in me judicia comprobarunt. Subacta est omnis qua tenditur late Germania: novem reges gentium diversarum ad meos pedes, imo ad vestros, supplices stratique jacuerunt. Omnes jam barbari vobis arant, vobis jam serunt, & contra interiores gentes militant. Supplicationes igitur vestro more decernite. Nam & quadraginta millia hostium cæsa sunt, & sedecim millia armatorum nobis oblata, & septuaginta urbes nobilissimæ captivitate hostium vindicatæ. - - Præda omnis recepta est, capta etiam alia & quidem major, quam fuerat ante direpta. Arantur Gallicana rura barbaris bobus, & juga Germanica captiva præbent nostris colla victoribus: pascuntur ad nostram alimoniam gentium pecora diversarum: equinum pecus nostro jam fœcundatur equitatui: frumento barbarico plena sunt horrea. Quid plura? illis sola relinquimus sola, nos eorum omnia possidemus. Volueramus P. C. Germaniæ novum præsidem facere, sed hoc ad pleniora vota distulimus. Quod quidem credimus conferre, quum divina providentia nostros uberius fœcundarit exercitus.* Hactenus magnificæ Probi litteræ, quas ex Fl. Vopisci c. XV. c. I. exscribere placuit. conf. etiam de hoc bello Eusebius in Chron. ad An. 280. Eutropius Lib. IX. c. 11. Orosius Lib. VII. c. 24. & Zosimus Lib. I. c. 67. Histor.

t) vid. Fl. Vopiscus in vita Cari c. VII. A. Victor c. XXXVIII. de Cæsarib. & Eutropius Lib. IX. c. 12.

§. LXXXIX. Caro in expeditione Persica fulminis tactu conflagrato ejusque filiis Numeriano & Carino altero dolo soceri Apri, altero in prælio cum Domitiano habito interemtis, *Diocletianus* quidem A. C. 284. imperii insignia sumsit, sed remp. undique concussam, & se tantæ molis imparem ratus, *Maximianum Herculium* adoptans, regiminis socium fecit, eique inter alia Germaniam, Galliam & Britanniam pacandam dedit. Prima itaque Maximiano cura, quomodo pacem & tranquillitatem in Gallia, a Bagaudis turbatam, restitueret; sed vix miserum illum furorem sopiverat, cum omnes Germaniæ nationes excidium universæ Galliæ minarentur, neque solum Burgundiones & Alemanni, sed etiam Chaibones Erulique, viribus primi Germanorum, locis ultimi

ultimi, præcipiti impetu in has provincias irruissent. Contracto igitur contra eos exercitu, Maximianus Treviris ad Rhenum processit, & consilio prius, quam vi bellum gerendum ratus, Burgundiones & Alemannos locis angustis interclusos fame & ex fame orta pestilentia confecit, Chaibones vero Erulosque aperto Marte aggrediens, ingenti strage affecit. *u*) Victi itaque Germani astutia Maximiani & fortunæ iniquitate, sed non adeo attriti, quin vulnere hoc stimulum addente, vires adhuc superessent, quibus hanc cladem ulciscerentur. Rheno enim sequenti anno glacie congelato, transito hoc flumine, Gallias denuo vastabant & ipso die, quo Maximianus Treviri inter solennia sacra & festivos ludos plaususque consulatum inibat, agris sæpe laudatæ urbis imminebant. Sed par exitus hujus expeditionis priori. Victi namque a Maximiano Alemanni, e Gallia non tantum disturbati, sed & instanti vere in propriis sedibus ab ipso aggressi, milite Romano præliis, cædibus, ferro igneque cuncta replente, severissimas suæ temeritatis dederunt pœnas. *x*) Quies hinc ad tempus aliquod provinciis Romanis ab Alemannis: ast Diocletiano & Maximiano Julium *Constantium Chlorum* & *Galenium Maximianum Armentarium*, creatos Cæsares, in affinitatem & consortium imperii vocantibus, & priori quidem Britanniam & Rheni limitem contra irruptiones hostium tutandum concedentibus, Alemanni, pristinis cladibus ad iram & vindictam lacessiti, pace cum Burgundionibus, quibus cum ipsis hactenus negotium fuerat, facta, *y*) bellum cum Romanis renovare tentarunt. Superatoque itaque glacie indurato Rheno, in Gallias se effundebant, & in Lingones delati, agros eorum non solum populabantur, sed & *Constantium Cæsarem* cum exercitu obvium prospera acie cædebant, ita ut ipse saucius ex prœlio cum exercitu suo ad Lingonum urbem aufugiens, & postremum militum agmen ducens, portis metu hostili clausis, in manus eorum vivus devenisset, ni fune per mœnia demisso, in urbem fuisset sublatus. Ingens ex hac victoria Alemannis gaudium, sed eadem, qua obtenta, die, in majorem dolorem versum, castris enim temere positis, cum mox longe lateque prædandi causa divagarentur, & providus hoc videret Constantius, militibus & civibus congregatis, factaque, apertis portis, post quinque horarum spatium, eruptione, incautis supervenit eosque primum in campis Lingonum, post & juxta Vindonissam adoriens, non solum ingenti clade affecit, sed & omnem Galliam, dupplici hac deportata victoria, ab ulteriori eorum furore exemit. Cæsa in his prœliis supra sexaginta millia Alemannorum memorantur, *z*) & quo acrius eorum prædandi castigaret licentiam, Constantius paulo post trans Rhenum quoque adversus eos suscepit expeditionem. Capta in ea rex quidam Alemannorum, inter ipsas, quas moliebatur insidias, ipsa Alemannia a ponte Rheni Moguntiacensi ad Danubii transitum Guntiensem penitus vastata atque exhausta, *a*) & limes quoque Germaniæ Rhætiæque ad Danubii usque caput porrectus: *b*) unicum in hac calamitate afflictis Alemannis solatium, socios habere malorum, Quados scilicet & Marcomannos, quos tunc temporis quoque a Romanis cæsos & profligatos fuisse, annales eorum passim docent. *c*)

u) Mamertinus in Panegyrico Maximiano dicto c. V.

x) Idem c. VI. & VII. c. I.

y) De hoc Alemannorum cum Burgundionibus ratione finium gesto bello ita Mamertinus in Genethliaco Maximiano dicto c. 17. *Burgundiones Alamanorum agros occupavere, sed sua quoque clade quæsitos. Alamanni terras amisere, sed repetunt.*

 z) Hanc

z) Hanc Constantio ab Alemannis illatam cladem, & reparatis viribus ab ipso de Alemannis obtentam victoriam omnium optime his verbis describit Eutropius Lib. IX. c. 15. *Per idem tempus a Constantio Cæsare in Galliis pugnatum est circa Lingones: die una adversam & secundam fortunam expertus est. Nam cum repente barbaris ingruentibus, intra civitatem esset coactus tam præcipiti necessitate, ut clausis portis in murum funibus tolleretur, vix quinque horis mediis adventante exercitu, sexaginta fere millia Alamannorum cecidit.* Cui jungendi Orosius Lib. VII. c. 25. Eusebius ad An. 300. c. I. Cassiodorus in Chron. & Jornandes de regn. & temp. Success. p. 114. Alterius vero Constantii de Alemannis reportatæ victoriæ meminit Eumenius in panegyr. Constantino dicto: c. VI. *quid commemorem Lingonicam victoriam etiam imperatoris ipsius vulnere gloriosam? quid Vindonis campos, hostium strage completos, & adhuc ossibus repertos?*

a) Eumenius in Panegyrico Constantio Cæsari dicto. c. II. ubi vid. Cellarium in not. qui transitum hunc Guntiensem ad confluentes Guntiæ ponit, quod jam ante eum observarunt B. Rhenanus Lib. I. p. 42. rer. Germ. cui insuper lectionem Guntiensem debemus, cum prior Continensem & Continentem haberet, & Welserus in Annal. Augustan. Lib. III. p. 216. hucusque itaque Alemanniæ limes orientalis tum temporis fuit extensus. Adde de Rege in hac expeditione capto Crusium Tom. I. Lib. V. c. 8 p. 121. c. I. cui Erocus dicitur, idem ille, cujus auxiliis, A. Victore in epitom. c. 36. teste, Constantinus M. postea imperium cepit.

b) Eumenius c. III. c. I. conf. etiam Mamertinus in Panegyrico Maximiano dicto c. IX. & in Genethliaco eidem Augusto dicto c. V. qui tamen gloriam promoti hujus limitis Rhætiæ Maximiano tribuit.

c) A Victor. c. XXXIX. de Cæsarib. *Cæsi Marcomanni.* Eumenius c. I. c. X. *Quadi, Carpi toties profligati.*

§. XC. Mortuo A. C. 306. Constantio, & *Constantino M.* filio ejus, auxiliis Eroci Alemanorum regis, d) imperii habenas occupante, Alemanni quidem, suasu & auctoritate hujus regis, pacificos se & quietos sub initium ejus regiminis Romanos erga gerebant: Ast Constantino paulo post præliis aliquot Francorum vires frangente, eorumque reges & reliquos captos, diris, inaudito exemplo, cruciatibus interficiente, & bestiis quoque ad dilaniandum objiciente, e) Alemanni una cum vicinis populis, diritate horum suppliciorum, quibus nemo veterum imperatorum liberam gentem unquam tractaverat, commoti, & metuentes, ne Francis penitus deletis, jam ordo ipsos quoque tangeret, hæc mala prævertere & detestandum hoc facinus ulcisci constituerunt. Primum igitur Chamavi, Cherusci, Vangiones, Tubantes & Alemanni sigillatim, deinde pariter armati, conspiratione fœderatæ societatis, Romanis arma inferre tentabant: ast transito nondum ab ipsis Rheno, Constantinus de hisce consiliis edoctus, & tutius fore ratus, prævenire, quam præveniri, incautis & nec tale quid metuentibus ex improviso supervenit, eosque in propriis sedibus adoriens, tanta affecit clade, ut cæsi pene innumerabiles, capti plurimi, quicquid pecoris fuit, interceptum aut trucidatum, vici omnes igne combusti, & reges & puberes, qui vivi in manus victorum venerant, ad pœnas spectaculi dati, sævientes bestias sua multitudine fatigarent. f) Attriti itaque hac clade Alemanni, & videntes, se rem cum bellicoso & vigilanti imperatore habere, pacem non solum, quam diu vixit Constantinus, cum eo coluerunt, sed & negotium cum Maxentio & Licinio, imperii æmulis, habenti, dissimulato internecino odio, perpetui adsuere socii, g) domi interim amissas vires reparantes, quo majori imposterum impetu, data occasione, Romanos adoriri, & illatas sibi injurias vindicare valerent.

d) A.

d) A. Victor in epitom. c. XXXVI.

e) v. Nazarius in panegyrico Constantino M. dicto c. XVI. & qui hæc fusius recenset Eumenius in Panegyrico in honorem ejusdem Augusti conscripto c. 21.

f) Nazarius c. l. c. XVIII. Eumenius c. l. c. XII. imprimis vero Eutropius L. X. c. 2.

g) Zosimus Lib. II. c. XV.

§. XCI. Constantino igitur An. CCCXXXVII. fatis concedente, & gravissima inter filios ipsius *Constantinum, Constantem* & *Constantium* de divisione imperii orta altercatione, Alemanni commodam hanc occasionem rati, pristinas sibi a Romanis illatas injurias vindicandi, communi consilio, una cum Francis, quasi classico dato signo, Rhenanas ripas transcenderunt, & hi quidem inferiores, Alemanni vero superiores Galliæ provincias incursarunt. *h*) Sed nondum aderat fatalis ille terminus, quo Gallia in prædam harum gentium cederet: igitur a Constantino victæ & trans Rhenum pulsæ, inconfectis rebus, ad sua redierunt. Interemto paulo post Constantino insidiis fratris Constantis, & hoc quoque dolo Maxentii tyranni occiso, Alemanni cognito horum principum interitu, & omnem Rheni limitem Magnentii cum copiis in Italiam discessu a præsidiis pene nudatum cernentes, expugnationem Galliæ denuo tentarunt, maxime cum ipse Constantius, quo Magnentii in Gallia vires distringeret, precibus & muneribus ad bellum hocce suscipiendum eos concitaret. *i*) Transito igitur Chnodomarii regis auspiciis Rheno, Decentium Cæsarem, a Magnentio ad tuendas Gallias relictum, & a transitu eos prohibere tentantem, æquo marte congressi, non solum superarunt, *k*) sed & devicto eo, longe lateque divagantes, dirutis urbibus, vicis incensis, agrisque direptis, non exiguum Galliæ occuparunt tractum, quasi jure perpetuo possidendum. Gratus partim Constantio, partim ingratus hic nuncius: debellato itaque Magnentio Victor Galliam intrans, omniaque fœdum in modum ab Alemannis expilata & devastata cognoscens, bellum contra eos, quos modo in auxilium adversus Magnentium evocaverat, decernit. Magna tum temporis Gundomadi & Vadomarii fratrum & regum inter Alemannos auctoritas: hos, quod crebris excursionibus Gallias vastabant, armis primum adoriri, præter alios Constantius statuit. Omnibus igitur ad hoc bellum necessariis comparatis, exercitum primum prope Rauracos trans Rhenum tentat ducere; verum a resistente multitudine Alemannorum, grandinis instar ex ulteriori ripa tela in transituros emittente, prohibitus, alio in loco, indice regionum gnaro de vado edoctus, transitum nocturno tempore, nullo id opinante hoste, suscipit; nec Alemanni de hoc commonefacti undique concurrentes, ulterius illum impedire potuerunt, sed reges eorum, discordiis internis laborantes, dirimentibus quoque auspiciis, vel congredi prohibente auctoritate sacrorum, missis ad Constantium legatis, delictorum potius veniam & pacem petierunt, eamque facili quoque obtinuerunt negotio, Constantio fortunam belli experiri detrectante, quam semper adversam erat expertus. *l*) Rebus itaque ab hac parte compositis, Constantius Lentiensibus Alemannorum pagis, Rhætiam vastantibus, bellum quoque indicebat. Gloriosum hoc ab initio Alemannis; fuso enim Arbetione, magistro equitum, juxta lacum Brigantinum in loca occulta & iniqua delato, non mediocrem de Romanis reportarunt victoriam: ast hac, ut fieri solet, elati, & ferocibus animis ipsa munimenta Romanorum incaute adorientes, a præsidiariis, eruptionem facientibus, repulsi, partam antea gloriam fœda fuga non parum contaminarunt. *m*) His in Alemannia a Constantio perpetratis, Mediolanum ad hyberna

 ovans

ovans & lætus revertit; sed vix ibi advenerat, cum omnes Germaniæ, & Sarmatiæ nationes, nova conspiratione facta, Romanis ubique subjectas provincias iteratis incursionibus vexarent. Franci enim, Alemanni & Saxones quadraginta ad Rhenum sitas expugnabant civitates, eisque prorsus devastatis, cives & incolas, infinitæ multitudinis, cum innumerabili spoliorum copia, secum abducebant; Quadi cum Sarmatis magna licentia & securitate per Pannonias perque Mysiam superiorem grassabantur, & Suevi denique Rhætiis molesti esse non desinebant. *n*)

h) De suscepta hac Constantini junioris adversus Alemannos expeditione obtentaque de iis victoria vid. Schatenius Lib. IV. p. 201. Hist. Westph. qui quod priores Ammiani libri, hoc bellum procul dubio referentes, injuria temporis perierunt, testes hujus rei adducit Constantini nummos percussos, in quibus victoriæ hujus trophæa, cum laureato titulo: Alemanniæ devictæ, conf. etiam Spanhemius de præstant. & usu numismat. Diss. VIII. p. 750.

i) Socrates in Hist. Eccl. Lib. II. c. 1. Sozomenes Lib. V. c. 1. & 2. Hist. Ecclef.

k) Zosimus Lib. II. c. 45. Ammianus Lib. XVI. c. 12. Rer. gest. Roman.

l) De hac Constantii adversus Alemannos suscepta expeditione vid. Ammianus Lib. XIV. c. X. c. I.

m) De hoc bello Constantii cum Alemannis Lentiensibus gesto vid. iterum Ammianus Lib. XV. c. 4. c. I.

n) Desumta hæc sunt ex Zosimi Lib. III. c. 1. cui jungendi Eutropius Lib. X. c. 7. & Ammianus Lib. XVI. c. 10. & Lib. XV. c. 8. ubi inter alia refert: *Coloniam Agrippinam, ampli nominis urbem in secunda Germania pertinaci barbarorum obsidione reseratam magnis viribus & deletam*: adde Mamertinum in Panegyrico Juliano dicto c. IV. ubi: *florentissimas quondam antiquissimasque urbes barbari possidebant, Gallorum illa celebrata nobilitas aut ferro occiderat, aut immitibus addicta Dominis serviebat.* Ipsum quoque imperium, teste Eutropio c. I. dubia jam calamitate nutabat.

§. XCII. His igitur calamitatibus ad animum revocatis, & quodnam ipse remedium adhiberet, *Constantius* ambigens, suasu tandem Eusebiæ Conjugis, *Julianum* patruelem e Philosophiæ scholis Athenis evocat, eumque Cæsarem & consortem imperii declarans, Germanico bello in Gallis, dum ipse in Pannoniam Mœsiamque, ad sedandas ibi Quadorum *o*) Sarmatarumque motus proficiscitur, præficit. Hic superatis Alpibus ad Gallicas nationes, attributas sibi, perveniens, Germanos omni licentia grassari, & obsidioni Augustodunensis urbis intentos esse deprehendit. Contractis igitur copiis Romanis sub initium veris anni CCCLVI. Augustodunum primum, per veteranos milites, felici omine, recipit: ast postea in Alemannos per Decem Pagos movens, eosque nubilo cœlo aggrediens, parum abfuit, quin hi, tramite obliquo per ejus terga discurso, legiones duas arma cogentes adorti pene delevissent, si subito concitus clamor sociorum auxilia non coegisset. Hinc majori cura & prudentia progrediens, & ab exploratoribus edoctus, Argentoratum, Brocomagum, Tabernas, Salisonem, Nemetas & Vangiones & Moguntiacum civitates earumque territoria ab Alemannis habitari, primam omnium Brocomagum occupare decernit, eique jam appropinquanti, cum Alemannorum manus pugnam intentaret, captis nonnullis reliquos in fugam agit. *p*) Recuperata postea quoque Colonia Agrippensis, & licet sequenti hyeme Germanorum manus Julianum, apud Sennones commorantem, per tricesimum diem, spe capiundi oppidi, oppugnaret, inedia tamen oppressi, infectis rebus, discedere

dere cogebantur. *q*) Exacta sic hyeme & Vere anni 357. redeunte, Julianus duplici exercitu contra Alemannos movebat, quo sævientes ultra solitum vagantesque fusius, multitudine geminata, forcipis specie trusi in angustias, cæderentur. Verum dum hæc meditatur Julianus, Alemanni, intra utriusque exercitus castra occulte transgressi, Lugdunum invasere incautam, eamque populatam nisu valido concremassent, ni clausis aditibus repercussi, quicquid extra oppidum potuit inveniri vastassent. Qua clade cognita, redeuntibus quidem turmas aliquot equitum obviam misit Julianus, ast non nisi paucis interceptis, reliqui intacti & ingenti præda onusti, ad sua redierunt. Nec paulo post felicem hunc ex partibus Alemannorum successum novus excepit longe fecundior. Præerat alteri exercituum Juliani parti Barbatio magister peditum, hunc in terris Alemannorum frumento colligendo operam navantem, improviso impetu pars Alemannorum aggreditur, sequensque fugientem ad usque Rauracos, & ultra, quoad potuit, rapta sarcinarum & jumentorum, cum calonibus parte maxima, redit ad suos. *r*) Quo nuncio de hac obtenta victoria ad reliquos Alemannos perlato, Reges eorum Chnodomarius, Vestralpus, Urius & Ursicinus, cum Serapione, Suomario, Hortarioque in unum robore virium suarum omni collato, prope Argentoratum convenere, extrema jam Romanis in Gallia minantes, ejusque agris Julianum abscedere jubentes, quos virtute sibi & ferro acquisitos asserebant. Hic nihil territus, extrema experiri quam cedere maluit & contracto quoque omni exercitus sui robore, Alemannis prope Argentoratum prœlii copiam fecit. Magno in eo utrimque furore concursum, equites Romani, dextrum cornu tenentes, vulnerato rectore, in fugam acti, & jam integra Romanorum acies nutabat, cum Batavi ipsi Germani, celeri concursu Romanis laborantibus opitulatum concurrerent, & Alemannos undique Romanorum ordines turbantes, reprimerent, tunc demum tot ærumnis fessi Alemanni, multitudini hostium terga dederunt & ad Rhenum usque profligati, pars eorum fluctibus sese commisit. Cæsa dicuntur in hoc prœlio sex Alemannorum millia, plurimis insuper armorum pondere in Rheno mersis: captus quoque Rex Chnodomarius cum ducentis comitibus & omnis denique Alemannorum turba Gallia ejecta. *s*)

o) De hac Constantii adversus Quados suscepta expeditione fusius agit Ammianus L. XVII. c. 12. fusos ab ipso, & ad obsides dandos, & captivos reddendos, compulsos fuisse tradens.

p) Hæc gesta Juliani refert Ammianus Lib. XVI. c. 2.

q) Ammianus Lib. XVI. c. 3. & c. 4.

r) Hactenus dicta iterum narrat sæpe laudatus Ammianus Lib. XVI. c. 11.

s) Memorant atrocissimi hujus apud Argentoratum prælii plerique Scriptores Romani, & inter hos imprimis Ammianus Lib. XVI. c. 12. qui omnium accuratissime & magnificentissime illud describit, Libanius in oratione funebri de laudibus Juliani, Eutropius Lib. X. c. 7. Orosius Lib. VII. c. 19. & Hieronymus in continuat. Chron. Euseb. ad A. 361. addi possunt Cassiodorus in Chron. Mamertinus in Panegyrico Juliano dicto c. IV. cui una hac acie Germania universa deleta dicitur, uno prœlio Alemannia debellata, & A. Victor in epit. c. 39. ubi superbe satis inquit: *Iste* Julianus *in campis Argentoratensibus apud Gallias cum paucis militibus infinitas hostium copias delevit. Stabant acervi montium similes, fluebat cruor fluminum modo, captus Rex nobilis Chnodomarius, fusi omnes optimates, redditus limes Romanæ possessionis.* De numero cæsorum in hoc prœlio Alemannorum Romani scriptores non conveniunt, Zosimus enim Lib. III. c. 3. gloriæ Juliani plus æquo studens, sexaginta Alemannorum millia in campo constrata, totidemque

demque vi fluminis absumta fuisse tradit, cum contra Ammianus c. l. non nisi XXXV. millia Alemannorum convenisse referat, ex quibus VI. millia corporum inventa fuisse in campo constrata, & inaestimabiles mortuorum acervos per undas fluminum sublatos, quod & Libanius c. l. confirmat. Campum proelii prope Argentoratum fuisse, omnes scriptores unanimi ore referunt; inde locum non invenit conjectura Cluverii Lib. II. c. 12. Germ. antiqu. tradentis, hanc pugnam Argentoratensem dictam fuisse, non quod sub ipsis Argentorati moenibus pugnatum sit, sed quod notissima ejus tractus urbs esset Argentoratum, quae tamen XV. millibus inde abfuerit. Contigit autem insignis haec Juliani victoria in campis Argentoratensibus Constantio IX. & Juliano II. Coss. Anno Domini CCCLVII.

§. XCIII. Exultans hac victoria Julianus, Alemannos jam in propriis sedibus requirere decernit. Ponte igitur juxta Moguntiam Rheno instrato, exercitu transmisso, proximas hostiles terras petit. Qua re territi Alemanni, primum, simulata pacis petitione, misere legatos, cum verbis compositis, quae denunciarent concordem foederum firmitatem: ast mutato consilio, resumtis armis & animo acerrimum Romanis minabantur bellum, ni finibus eorum excessissent. Quo comperto, Julianus, prima noctis quiete octingentos milites navigiis quibusdam imposuit, cum mandato, ut secundum Rhenum vecti regionemque hostilem ingressi, obvia quaeque ferro violarent & armis. His mandata exequentibus, cum Alemanni ex incendiis vicorum cognoscerent, perruptas terras a Romanis vastari, desertis insidiis, quas per arcta loca & tenebrosa ipsis instruxerant, trans Rhenum ad opitulandum suis necessitatibus concurrerunt, & silvarum latebris, semitisque robore & caesis abietibus constratis impeditos ab ulteriori populatione retinuerunt. Neque enim amplius quid a Juliano in hac expeditione gestum, quam ut munimentum a Trajano quondam conditum, ab Alemannis vero destructum, tumultuario studio repararet, & tres Alemannorum Reges, qui apud Argentoratum victis auxilia misere, per decem menses in foedus reciperet, praestito antea patrio ritu sacramento, nihil inquietum acturos, sed foedera ad praestitutum usque diem cum munimento servaturos intacto, frugesque portaturos humeris, si defecisse sibi docuerint defensores. His peractis milites trans Rhenum in hyberna reduxit. z)

z) Ammianus Lib. XVII. c. 1. conf. etiam hic B. Rhenanus Lib. I. p. 45. qui munimentum Trajani, a Juliano in hac expeditione reparatum, non procul a Moeno Rhenoque situm, & hodiernum Cronburgum esse tradit.

§. XCIV. Juliano sequenti anno CCCLVIII. bello contra Francos, Germaniam secundam populantes, immorante, Junthungi Alemannorum pars, Italicis conterminans tractibus, Rhaetias turbulente vastabant, adeo, ut etiam oppidorum tentarent obsidia, praeter solitum. Missus ad eos repellendos cum valida manu Barbatio; qui, licet multos acerrime prostravisset, a) reliquos tamen hac clade inflicta longe ferociores reddidit, ut pro ea vindicanda, non quidvis non adversus Romanorum provincias machinarentur. Qua re comperta, Julianus, praestare ratus, ut non Romano, sed Alemannico in solo, bellum gereretur, hostiles hos conatus praevenire statuit. Devictis igitur Francis, in superiorem Germaniam cum exercitu movens, superato Rheno, Alemanniam denuo ingreditur, ibique obviam habet Suomarium regem, pacem & praeteritorum veniam orantem: qua quidem, ea tamen lege, concessa, ut captivos redderet, & si opus, militibus alimenta praeberet, ad Hortarii regis pagos pergit, eisque incensis, pecoribus abductis, captis obtruncatisque incolis, hunc quoque ad conditiones pacis, paulo difficiliores adegit, ita, ut dimissis captivis, carpenta quoque & materias ex suis suorumque opibus praebere promitteret,

mitteret, quorum ope oppida & urbes, pristinis incursionibus in Germania prima subversas, restaurare decrevit. *x*) Victi hoc modo quidem Suomarius & Hortarius Reges, ast non cœteri reges & populi vicini: Hos itaque cum vi aperta vincere non auderet Julianus, Tiberium imitans, dolo adoriri constituit. Missus ea propter Hariobaudus, tribunus, specie legationis ad Hortarium regem, ut dictum, jam pacatum, ut inde facilius ad collimitia progressus eorum, in quos erant arma protinus commovenda, scitari possit, quid molirentur, sermonis Germanici perquam gnarus. Hoc justo tempore redeunte, & quæ scire desideraverat, Julianum edocente, ipse cum exercitu Moguntiam versus movebat, Rhenum ibi transiturus. Ast Alemanni cognito imminenti periculo, Suomarium regem, amicum Romanorum ex pactione præterita, cujus pagi Rheni ripis adhærebant, monuerunt minaciter, ut a transitu Romanos arceret. Quo testante, resistere solum non posse, in unum cuncta omnis multitudo venit prope Moguntiacum, prohibitura magnis viribus Romanos, ne transmitterent flumen, videns hoc Julianus, pontem non nisi magno multorum discrimine jungi posse, aliud consilium cepit. Jussus Lupicinus, trecentis militibus, quadraginta navibus cursoriis impositis, obscura nocte, per flumen tacite decurrere, & in ulteriorem ripam loco opportuno transitum tentare. Accedit tunc forte fortuna, an dolo Juliani, ignotum, ut Hortarius rex, Reges omnes, & regales & regulos, ad conuivium corrogatos, ad usque vigiliam tertiam hujus noctis retineret. His conuivantibus Romani milites per flumen devecti ex improviso supervenie bant, omnesque pene cepissent, ni tenebrarum equorumque adjumento periculo sese subtraxissent. Transito hoc modo Rheno a parte Romanorum, hoc nuncio perculsi Reges eorumque populi, qui pontem, ne sterneretur, studio servabant intento, retrocesserunt & necessitudines opesque suas transferre longius festinantes, Juliano copiam fecerunt, ut difficultate omni depulsa, ponte constrato, cum reliquo exercitu, Alemanniam quoque ingredi posset. Tunc miles Romanus longe divagabatur & urens rapiensque omnia per medium infestorum regum solum, ad regionem usque, cui Capellatii vel Palus nomen est, & ubi terminales lapides Alemannorum & Burgundionum confinia distinguebant, grassabatur. Ibi Macrianus & Hariobaudus, fratres & reges, propinquare sibi perniciem sentientes, pacem precaturi advenerunt, eosque secutus Rex Vadomarius, pacem quoque pro se & pro Urio Ursicino & Vestralpo regibus obsecrans, *y*) qua concessa, cum cœli rigor ulteriora prohiberet, Julianus Parisios reversus, exercitum quoque trans Rhenum in Gallias in hyberna reduxit. Hic paulo post Juliano a militibus Gallicanis, quos invitos ipsi Constantius detrahi & in orientem adversus Persas transferri jusserat, per vim, Augusto appellato, & nec litteris, nec legationibus Constantii, ut in statum pristinum nomenque revertatur, commoto, Constantius magis magisque dolore ardens, atque talium impatiens, Alemannos mox pacatos, & imprimis Vadomarium regem contra eum denuo concitavit, quo, dum vicina sibi vexarent collimitia, Julianus, quem cum exercitu adversus se moturum audiverat, hoc metu detentus, nusquam a tutela Rheni discedere posset. Commorante igitur vere anni CCCLX. propinquante Juliano, ut diximus, Parisiis, nuncio inopino discit, Alemannos a pago Vadomarii, juxta Rauracos sito, egressos, confines Rhætiis vastare tractus, nihilque sinere intentatum manus prædatorias fusius discurrentes. Ingratus hic nuncius Juliano: hos tamen motus quo celerius sedaret, Libinonem comitem cum expedita manu contra eos mittit. Hic, cum mature prope oppidum Sanctionem venisset, longe visus ab Alemannis, qui jam certamina meditantes, sese per valles abdiderant, inconsulte eos aggreditur, interque dimicandi initia ipse primus concidit, & copiæ ipsius ab Alemannis in fugam aguntur. Territus hac

hac clade adhuc magis Julianus ad pristinas artes conversus, quæ aperto marte non poterat, dolo jam exequi statuit. Invitatum igitur cis Rhenum ad convivium Vadomarium & nil tale quid metuentem comprehendi, & ad Hispanias mitti jubet; eoque feliciter ex voto peracto, ipse alto silentio noctis Rhenum quoque transgreditur, & incautos ex improviso circumveniens Alemannos, quosdam occidit, orantes alios prædamque offerentes deditios cepit, reliquis, qui remansere, pacem precantibus dedit, quietem pollicitis firmam. z) Hoc successu elatus omnibus in Germania compositis, quam jam diu meditatus adversus Constantium expeditionem, orientem versus, suscipit, & hoc paulo post apoplexia extincto, ipse totius Imperii Romani moderator, Persis quoque bellum ultro inferre statuit. Ast paranti hanc expeditionem, tristes litteræ a) Salustii, Galliarum præfecti offeruntur, orantis, suspendi expeditionem in Persas, obtestantisque, ne ita intempestive hoc bellum susciperet, ingentem enim Galliis ab Alemannis Francisque imminere procellam, quam nisi præsentia sua averteret, provincias has in prædam harum gentium cessuras. Prudens hoc erat monitum, eoque tamen posthabito, cum Julianus nihilominus cœptis insisteret, & paulo post in ipsa hac expeditione extingueretur, mox evenere, quæ provida suspicione Salustius prædixerat.

v) Ammianus Lib. XVII. c. 6.

x) Idem Lib. XVII. c. 10. cui quoad pacis conditiones a Juliano cum Hortario pactas, jungi potest Libanius c. l. eadem fere referens. Adde quoque Zosimum Lib. III. c. 4. qui tamen principi suo mirum in modum adulari videtur, dum ingenti cum Alemannos prœlio in hac expeditione superasse, & ad saltus Hircynios usque, capto filio Vadomarii Ducis, fugientes persecutum fuisse memorat.

y) Ammianus Lib. XVIII. c. 2. Libanius c. l. adde de omnibus hisce expeditionibus Juliani Transrhenanis orationem ejus ad S. P. Q. Atheniensem habitam, ex qua judicare licet, an Julianus plus damni in hac expeditione Alemannis intulerit, an hi illi.

z) Ammianus Lib. XXI. c. 3. & 4. Libanius c. l. & Socrates Lib. II. c. 1. Hoc Sanctionem vero oppidum, juxta quod Libino ab Alemannis cæsus, hodiernum oppidum Seckingen, in dextra Rheni ripa, ex adverso Rauraci agri situm esse, tradit Cluverius Lib. III. c. 4. c. l. Captus Vadomarius, Dux postea Phœniciæ, Ammianus c. l. utiles Romanis, Valente imperante, contra Persas præstitit operas. Idem Lib. XXIX. c. 1.

a) Ammianus Lib. XXIII. c. 5.

§. XCV. Cognita enim morte Juliani, Germani, malorum memores, quæ sub ipso passi fuerant, quasi classico exciti, perruptis limitibus, proximas sibi undiquaque provincias incursabant, & Sarmatæ quidem Quadique Pannonias, Franci Gallias, Alemanni vero easdem Gallias Rhætiasque simul populabantur, b) hi etiam hac ex causa præter jam dicta, solito infestius moti, quod cum legatis eorum, missis ad aulam imperatoriam, certa & præstituta ex more munera præberi deberent, minora & vilia sunt attributa, quæ illi furenter agentes, ut indignissima projecere, tractatique asperius ab Ursacio, tunc magistro officiorum iracundo, ad suos reversi, factumque exaggerantes, ut contumeliose despectos gentiles suos concitarunt. c) Ubique itaque imperii limitibus a Germanis perturbatis, *Valentinianus*, qui post excessum Juliani & Joviani, principatum obtinuerat, tot hostibus occurrere se solum imparem videns, fratrem *Valentem* in consortium regiminis adsciscit, eoque ad tutandum orientalem limitem ordinato, ipsi occidentalem sibi restituendum sumsit.

sumsit. Missus ad hoc Dagalaiphus militiæ rector, cum expedita militum manu, ut Alemannos, omnium tremendos, primum coerceret: Sed hic vastatis longius propinquioribus locis, incruentos discedere permisit. *d*) Paulo post, cum per glaciales tractus hiemis rigidum inhorresceret sidus, turmatim egressa multitudo Alemannorum licentius per Gallias vagabatur, & Chariettonem Severianumque comites Romanos cum aliquot cohortibus sibi obviam euntes nacta, Comitibus cæsis, copias eorum in fœdam quoque agebat fugam. *e*) Qua clade cum ultimo mœrore percepta, Valentinianus denuo Dagalaiphum mittit, eoque vero diu cunctante, Jovinum, equitum magistrum, adversus eos ablegat. Hic Alemannos in tria agmina divisos securius agere videns, incautis ex improviso supervenit, & primum quidem prope Scarponna locum ad internecionem extinguit; post ad alterius globi perniciem movens, hunc quoque juxta flumen quoddam, otio & epulis vacantem adoritur, & funditus delet; nec tertius cuneus manus ipsius aufugit, maturato enim itinere prope Catalaunos ad congrediendum promtissimum inveniens, hunc quoque invadit, & Alemannis a primo auroræ exortu ad vesperum usque concertatione protenta, aliquot Romanis cohortibus repulsis, egregie se defendentibus, amissis IV. millibus sauciorum & VI. aliis interfectorum, tandem in fugam agit. Captus in hoc prælio rex quidam Alemannorum, & fœdo Romanæ crudelitatis exemplo, patibulo suffixus, quasi suppliciorum acerbitate vincendi, qui virtute bellica plane non vel saltim difficile poterant frangi. *f*)

b) Ammianus Lib. XXVI. c. IV. & Zosimus Lib. IV. c. 3. & 9.

c) Ammianus Lib. XXVI. c. 5. *d*) Ammianus Lib. XXVI. c. 5.

e) Ammianus Lib. XXVII. c. 1. Cladis hujus Romanorum meminit quoque Zosimus Lib. IV. c. 9. insuper addens: Valentinianum accepto hoc nuncio adeo exarsisse, ut Batauorum legionem, quæ prima hostibus terga dedit, exauctorare voluerit, exoratum tamen ab amicis ei tandem pepercisse.

f) De triplici hac accepta clade Alemannorum vid. Ammianus Lib. XXVII. c. 2. & Zosimus c. l. qui Victoriam istam Batavorum legioni, quam, ut mox indicavimus, Valentinianus exauctorare voluit, imprimis tribuit, novo argumento, Romanos, non nisi Germanis, Germanos vincere voluisse, adde quoque Idatium in fastis Consular. apud Labbeum Tom. I. Bibl. nov. Mstorum. Scarponnæ autem loci, circa quam primam cladem Alemanni acceperunt, meminit itinerarium Antonini Imp. inter Diuidurum — Tullum & Diuodurum, & in Tabula Peutingeriana conspicitur in leva Mosellæ ripa, non longe a fontibus hujus fluminis, Tullii e regione versus ortum. Inde Ortelius in thes. Geogr. & Chiffletius in H. V. cap. 5 p. 47. illum interpretantur Scarpaigne, castrum ad Mosellam olim munitissimum nunc vicum Montioni seu ponti Montionensi proximum. Nec incognitus Scarponnensis pagus ab hoc castro ita appellatus, de quo vid. Hadr. Valesius in not. Galliar. h. v. Gesta sunt hæc omnia A. C. 367.

§. XCVI. Occupato postea A. C. 368. Valentiniano bello contra Francos suscepto, Rando, Regalis quidam, pristinis cladibus excitatus, easque ulcisci flagrans, Moguntiacum cum expedita manu irrepsit, eamque præsidiis vacuam, per insidias expugnavit. Misere hac occasione in Christianos sævitum, quos more suo solennitatem quandam celebrantes, Alemanni partim jugularunt, partim in durissimam servitutem secum abduxere. Nec injuria hac irritatus Valentinianus hos motus statim reprimere potuit, bello, uti diximus, adversus Francos adhuc intentus; cognoscens tamen, Vithicabium regem, Vadomarii regis filium, primarium hujus irruptionis esse auctorem, & novos insuper in Romanos bellicos ardores succendere nunquam non allaborare, hunc sibi

ſibi præcipue perdere propoſuit, tentatumque aliquoties, cum nullo genere ſuperari & prodi potuit, fraude tandem alicujus miniſtri enecare curavit. Qua nece patrata, & Francico interim bello confecto, ad ipſam expeditionem in Alemanniam ſuſcipiendam ſeſe quoque accinxit, eamque, neceſſariis omnibus comparatis, tranſito Rheno, cum filio Gratiano ex improviſo ingrediens, cuncta ibidem non levi terrore complevit. Exploratis enim acceſſibus, per medias Alemannorum terras exercitum ductabat, & cuncta tectorum ſatorumque per militum manus depopulans, ad locum usque, cui Solicinio nomen, nemine reſiſtente, penetrabat. Hic demum Alemannos, præruptum & excelſum montem occupantes in armis reperiebat, quos poſtquam cum paucis ſpeculatum aduolaret, parum abſuit, quin vivus in eorum manus veniſſet. Collatis autem poſtea ſignis, cum eos in dicto monte, a fronte & a tergo, per arctoam partem, proclivem admodum, adoriretur, Alemanni, ingenti animi ardore maſcule diu reſiſtentes, multitudini hoſtium victi tandem ceſſere, & diſperſi per ſilvas, earum latebris ſeſe amandarunt; Nec auſus Valentinianus ulterius eos proſequi, ſed Trevirem reverſus, exercitum ſuum per hyberna quoque diſpoſuit. g)

g) Hactenus dicta refert Ammianus Lib. XXVII. c. 10. Triumphales vero ludos ob reportatam hanc de Alemannis victoriam Triviris a Valentiniano inſtitutos, imprimis celebrat Auſonius in Moſella, ſub fin. Alemannos inſuper in hac expeditione ultra Nicrum Danubiique Fontes remotos fuiſſe docens:

- - Auguſtæ veniens quod mœnibus urbis,
Spectavit junctos natique patrisque triumphos:
Hoſtibus exactis Nicrum ſuper & Lupodunum,
Et fontem Latiis ignotum annalibus Hiſtri.

Adde B. Rhenanum Lib. I. p. 6. & Latzium de Rep. Rom. Lib. I. c. 8. p. 55. quibus Luppodunum, ultra quod, ſecundum Auſonium, in hac expeditione Alemannos propulit Valentinianus, eadem eſt arx, non procul a Danubii & Nicri fontibus ſita, quam majores noſtri Lupffen dixere, & a qua nobiliſſima olim tractus ejus comitum familia nomen ſortita, ſecus ac Frehero, qui in orginib. Palat. Part. I. c. IV. & VII. & in libro quem privatim de Lupoduno conſcripſit, nomen hoc ad oppidum Ladenburg, Nicro amni impoſitum, pertinere contendit. vid. Cluverius Lib. III. cap. IV. Germ. antiqu. De Solicinio loco etiam inter omnes non conſtat, Cruſio enim Lib. VII. P. I. c. 2. p. 159. c. I. dicitur hodiernum Sulz inter Moguntiam & Trevirim ſitum, & B. Rhenanus L. III. c. I. locum eſſe putat Hercyniæ ſylvæ confinem, nec longe ab Heidelberga remotum, forte Billickeim. Sed omnium veroſimillima opinio Cluveri, qui Lib. III. c. 4. oppidum illud Sulz ad Nicrum amnem, olim forte Sulzen dictum interpretatur.

§. XCVII. Edoctus itaque hac expeditione *Valentinianus*, quam difficile ſit, Alemannos vi aperta in propriis ſedibus debellare, & metuens inſuper, ne viribus reſumtis, vindictæ cupidine, in Galliam redirent, omnem impoſterum eo intendebat nervum, ut ſecuritati hujus proſpiciendo, illos ſimul occultis artibus attereret, & fractos tandem penitus ſubjugaret. Hoc fine *Rhenum omnem a Rhætiarum exordio ad usque Oceanum magnis molibus communiebat, caſtra extollens altius & caſtella turresque aſſiduas* per habiles locos & opportunos, qua Galliarum extenditur longitudo, nonnunquam etiam ultra flumen ædificiis poſitis ſubradens Germanorum fines, quod imprimis circa Nicri ripas tentavit, ubi loco commodo occupato, munimentum celſum & tutum extru-

struxit: Nec Alemanni consiliorum ejus ignari, id impedire ab initio e re sua duxerunt; verum cum & in Piri monte novum moliretur opus, fraudem jam suspicantes, per preces primum & supplicationes, postea vero, cum nec audirentur, nec quietum aliquid, vel mite, referri sentirent, per arma quoque illud avertere contenderunt. Romanis itaque a coepto opere, posthabitis omnibus precibus, non desistentibus, hostilis globus ex abdito collis propinqui prosiliens supervenit, nudosque & humum gestantes milites adoriens, tanta affecit strage, ut caesis quoque duobus primariis ducibus, ne unus quidem praeter Syagrium notarium superesset, qui cladis hujus ad Valentinianum perferret nuncium. *b*) Hic moestus infelici hoc successu rerum, & anxia sollicitudine agitatus, quibus novis commentis Alemannos coerceret, & Macriani imprimis regis fastum frangeret, sine fine vel modo rem Romanam inquietis motibus confundentis, consilia alia post alia probans, ultimum tandem decrevit, Burgundiones in eorum excitare perniciem, bellicosos & pubis immensae viribus affluentes, ideoque metuendos finitimis universis. Scripsit proinde frequenter ad eorum reges per taciturnos quosdam & fidos, ut Alemannis tempore statuto supervenirent, pollicitus ipse quoque transito Rheno se occursurum pavidis, pondus armorum vitantibus insperatum. Gratanter hae litterae acceptae, maxime cum Burgundionibus perpetuae fere lites salinarum finiumque causa cum Alemannis intercederent. Missae igitur catervae lectissimae, quae cum antequam milites Romani, exstruendis munitionibus adhuc intenti, in unum congregarentur, ad usque ripas Rheni progressi, Romanis ipsis terrori fuere vel maximo. Hic paulisper morati, cum neque Valentinianus, ut spoponderat, die praedicto advenisset, nec promissorum aliquid adverterent factum, ad Romanos misere legatos, poscentes adminicula dari sibi redituris ad sua, ne nuda hostibus exponerent terga. Quod ubi negari per ambages sentirent & moras, moesti exinde discesserunt & indignati, Regesque eorum hoc comperto, ut ludibrio habiti, saevientes, captivis omnibus interfectis, genitales terras repetierunt. *i*) Alemannos interim, gentis ante dictae metu dispersos, aggressus per Rhaetias Theodosius, magister equitum, plurimisque caesis, quoscunque cepit, ad Italiam jussu Valentiniani misit, ubi fertilibus agris acceptis, tributarii Padum circumcolere jubebantur. *k*)

b) De consiliis hisce Valentiniani, Alemannos per munimenta, in solo eorum exstructa, coercendi & subjugandi, deque illata ipsi eapropter ab Alemannis clade, susius pro more agit Ammianus, Lib. XXVIII c. 2. & Lib. XXX. c. 8. Ipsa autem munimenta a Valentiniano in Alemannia exstructa quod attinet, de eo, quod circa Nicrum condidit, inter auctores non convenit; Welsero enim Lib. II. rer. August. p. 321. est ipsum Lupodunum, haud ita procul a Nicri fontibus situm. Crusius P. I. Lib. VIII. c. 3. p. 161. illud Ladenburg, quod ad dextram hujus amnis ripam conspicitur, interpretatur, & Schatenius plane Lib. IV. pag. 230. Hist. Westph. Mannheim habet; ad confluentes Nicri & Rheni positum. Aliud vero dicendum de castro in Piri monte constructo, hoc enim communiter de hodierna Heidelberga interpretantur. vid. Freherus in orig. Palat. Part. I. cap. VIII. & X. nisi quod Heroldus de stat. legion. in veter Germ. c. 19. de civitate Spira, ubi jam S. Guidonis fanum exstat, illud intelligit, sed absque sufficienti ratione; cum Ammianus c. l. hoc castrum non cis Rhenum, in territorio Romano, sed in solo Alemannico, trans Rhenum, a Valentiniano exstructum fuisse, expresse tradat.

i) Hactenus Ammianus Lib. XXVIII. c. 5. Numerum vero exercitus Burgundionum exprimit Hieronymus in continuat. Chron Euseb. ad An. 374. *Burgundionum LXXX. fere millia, quot nunquam ante ad Rhenum descenderunt.* Adde Cassiodorum & Prosperum Aquitanum in Chron. secundum quos & Ammia-

Ammianum accidit hæc Burgundionum adversus Alemannos suscepta expeditio, Valentiniano & Valente III. Coss. i. e. A. C. 370.

k) Ammianus c. l. cui jungi potest L. Pacatus in Panegyrico, Theodosio Augusto dicto c. 5. ubi inter bellicas laudes hujus Theodosii, qui pater erat Augusti recensetur: *Compulsus in solitudines avias omnis Alemannus.*

§. XCVIII. Contusis hoc modo Alemannis, pax & quies biennio abhinc provinciis Romanis, ast hoc elapso, Macriano rege caput iterum extollente, jamque in Romanos adultis viribus exsurgente, Valentinianus, his curis discruciatus, aut vivum capere, aut per insidias e medio tollere, denuo tentare constituit. Provisis itaque omnibus, quæ negotium poscebat, & ponte occulte, quam maxime potuit, Rheno superstrato, præmisso Severo, magistro militum, cum pedestribus copiis, ipse cum reliquo exercitu Alemanniam quoque ingreditur, & junctis viribus Mattiacas versus aquas ulterius pergebat. Hic militibus incendiis & rapinis contra mandatum imperatoris indulgentibus, ignium crepitu dissonisque clamoribus discursantium satellites Macriani exciti, idque quod acciderat, suspecti, carpento veloci impositum regem angusto aditu, circumfractis collibus, abdiderunt. Hac fuga Valentinianus defraudatus, ad usque quinquagesimum lapidem terris hostilibus inflammatis, Treviros rediit mœstus. Hic in Macriani locum Bucinobantibus Alemannis, qui juxta Moguntiam incolebant, Fraomarium regem ordinavit, Bitheridem vero & Hortarium Reges, Tribunos in militiam conscripsit, e quibus Hortarius, proditus relatione Florentii, Germaniæ Ducis, contra Remp. Romanam quædam ad Macrianum scripsisse, Alemannosque optimates, veritate tormentis expressa, conflagravit flamma pœnali. l)

l) Hæc omnia refert sæpe laudatus Ammianus Lib. XXIX. c. IV. & Lib. XXX. c. 8. adde Schatenium c. l. p. 232. cui Bucinobantes a faginis silvis Buchoniæ incolæ audiuut.

§. XCIX. Dum autem hæc a Valentiniano contra Alemannos peraguntur, novus a Quadorum gente, orientem versus, oritur motus, nec sine justa belli ratione. Jusserat Valentinianus nimia, ut jam antea monuimus, muniendorum limitum imperii cupidine incensus, Romana quædam præsidiaria castra, trans flumen Histrum, in ipsis Quadorum terris, quasi Romano juri jam vindicatis, ædificari. Hoc cum accolæ indigne ferentes, precibus & legatione missa, impedire haud possent, & Gabinius quoque eorum rex, ne quid novaretur, modeste petens a Marcellino, Valeriæ Duce, ut adsensuro, humanitate simulata, cum aliis ad convivium corrogatus inter ipsas epulas, hospitalis officii sanctitate nefarie violata, securus trucidaretur; atrocissima hac injuria efferati Quadi & circumpositæ Sarmatiæ gentes, in unum coactæ, prædatorias manus misere, quæ Danubium transgressæ Pannoniam & Mœsiam vastarunt, duas legiones Romanas funditus deleverunt, & multis quoque incolarum trucidatis non paucos domum, cum multitudine varii pecoris, secum abduxerunt, quid? quod etiam parum abfuit, quin & hac expeditione Constantii Imperatoris filiam, Gratiano Augusto nupturam & in Pistrensi villa cibum capientem vivam cepissent, & Sirmium quoque, Pannoniæ urbs nobilis, præsidiis nuda, in manus eorum venisset, ni hæc Probi præfecti Prætorio vigilantia conservata, illa vero Messala, provinciæ rectore, prospero casu, periculo fuerit exemta. m) Nuncio igitur hujus cladis ad Valentinianum perlato, gravissimis curis tortus, anxius diu hæsit, in quos arma sua prius converteret, Quados an Alemannos, nondum pacatos: postremo demum, omni-

omnibus probe ponderatis, bellum adversus Quados decernit. Ne autem, dum a tutela Rheni discederet, Gallia interim in prædam vicinarum gentium, & præcipue Macriani regis cederet, hunc prope Moguntiam ad colloquium amicum invitare curat, eoque comparente perpetuum, & quoad viveret Macrianus, firmum cum ipso pangit fœdus; quo solenni ritu consummato, ipse Treveros ad hyberna conversus, majori cura ad expeditionem adversus Quados suscipiendam sese accinxit, Macrianus vero in Francia, dum eam internecive vastando perrumperet, paulo post undique Mellobaudis, bellicosi regis, insidiis circumventus, oppetiit. *n*) Pubescente itaque vere anni CCCLXXV. Valentinianus a Treviris motus, per nota itinera, celeri gradu, in Quadorum & Sarmatarum terras contendit, ibique adveniens, statim Sarmatas, cladibus aliquot a Theodosio, Mœsiæ Duce, postea imperatore, attritos, pacem & præteritorum veniam, per legatos orantes, occurrere sibi vidit, quorum precibus cum annuisset, contabulato, celeri studio, ponte, Histrum trajecit. Quadis illaturus bellum; verum his in editos & diruptos montes sese recipientibus, agris eorum vastatis, vicis incensis, & ætate, quæcunque inueniri poterat, promiscue jugulata, incolumibus omnibus, quos secum duxerat, in hyberna Bregitionem rediit. Ibi cum Quadorum legati, de pace obtinenda acturi, paulo post advenissent, & inter alia superbius adseverassent: nihil ex communi mente procerum suæ gentis delictum in Romanos, sed per extimos quosdam amnique confines evenisse, quæ inciviliter gesta; etiam id quoque, ut sufficiens ad facta purganda addentes: munimentum exstrui cœptum nec juste, nec opportune, ad ferociam animos non parum accendisse; Imperator ad hæc ira vehementi perculsus, sanguinis impetu voce amissa, sensu integer, repente exspiravit. *o*)

m) Ammianus Lib. XXIX. c. 6. *n*) Idem Lib. XXX. c. 10.

o) De hoc bello Valentiniani cum Quadis gesto fusius agit modo laudatus Ammianus Lib. XXIX. c. 6. & Lib. XXX. c. 5. & 6. cui jungi merentur Zosimus Lib. IV. c. 6. A. Victor c. 41. in epit. Orosius Lib. VII. c. 32. Socrates Lib. IV. c. 31. Hist. Eccles. & Hieronymus in Chron. ad An. 378. & epist. V. de contemtu Seculi.

§. C. Inopina hæc Valentiniani mors insignium calamitatum, quæ postea Romanum undique concusserunt imperium, fatale fuit primordium. Vix enim rumor ejus ad circumjacentes Germaniæ & alias gentes pervenerat, cum Hunni, Alani Gothique in oriente, Alemanni vero in occidente arma hactenus ægre seposita, in manus resumerent, & hi quidem violato fœdere, confertis globis, superato glacie concreto Rheno in Gallias irruerent, & non nisi prædiis onusti ad sua redirent. Ibi cum Lentienses Alemanni a milite Romano, suæ gentis, negotio quodam ad lares revocato, perdiscerent, arcessitu Valentis patrui Gratianum, qui cum fratre Valentiniano, patri Valentiniano in imperio successerat, orientem versus mox signa moturum, ut duplicatis viribus repellerentur Gothi & alii plagarum vicinarum accolæ, ad Romanorum excidium conjurati; Commodam hanc occasionem rati, Gallia tota, cui per aliquot Secula avide inhiaverant, potiundi, collectis omnium pagorum incolis, ad quadraginta bellatorum millia Rhenum proruperunt & prope Argentoratum castra metati, obvia quæque suæ ditioni subjicere cœperunt. Quibus *Gratianus* cum formidine magna compertis, revocatis cohortibus, quas in Pannonias præmiserat, convocatisque aliis, quas in Galliis retinuerat, omnibus Nannienum Ducem præfecit, eique Mallobaudem pari potestate collegam, regem Francorum, adjunxit. Jamque in conspectum Alemannorum hi Duces

ces cum exercitu Romano venerant, cum subito inter eos orta dissensione, milites ad prælium jam instructi ab eo retinerentur, hoc alta cupiditate pugnandi accenso, in hostem absque mora ruendum, illo vero bellum trahendum. dum hostilis furor languesceret, tutius asserente. Prævaluit tandem intrepidus Mallobaudis ardor, & manibus consertis, tanta utrinque virtute pugnatum, ut Alemanni non nisi milite Romano prius disperso, postea vero resumtis viribus fidentius insistente, in fugam agerentur, ac in hac quoque resistentes, nunquam aliquid ultimæ rationis omitterent. Cæsi itaque maximam partem, ita, ut ex prædicto numero, non plus quam quinque millia, ut æstimabatur, evaderent, densitate nemorum tecta, inter plures alios audaces & fortes, rege quoque Priario interfecto, exitialium concitore pugnarum. Prosperi hac successus fiducia Gratianus erectus, transito Rheno, universam delere statuit turbarum avidam gentem. Sed Lentienses, urgentibus aliis super alios nunciis hoc cognito, impetu celeri obsessos petiuerunt inuiis cautibus colles, abruptisque per ambitum rupibus insistentes, rebus caritatibusque suis, quas secum duxerant, omni virium robore propugnabant. Qua difficultate perpensa, Imperator quingentos per singulas legiones lectos milites hos montes scandere jubebat; verum a meridie ad summam usque noctem egregie se defendentibus Alemannis, multis quoque Romanorum cæsis & vulneratis, mutato consilio, circumvallari eos placuit, inedia fatigandos. Sed nec hoc fracti, simili pertinacia resistentes, periti que locorum alios montes petentes, his, quos ante obsederant, altiores, Gratianus tandem pacem petentibus, eam concessit, & oblata juventute ualida tyrociniis Romanis permiscenda, reliquos ad genitales terras innoxios ire permisit. p)

p) Hactenus dicta desumta sunt ex Ammiani Lib. XXXI. c. 10. de prælio vero ad Argentariam habito conferri merentur A. Victor in epit. c. 43. Orosius Lib. VII. c. 33. Hieronymus ad An. 378. c. I. Cassiodorus in Chron. qui illud ad consulatum Gratiani IV. & Merobaudis, i. e. ad A. C. 377. refert, & Jornandes de regn. & tempor. success. p. 119. Argentaria autem, juxta quam hoc prælium commissum, & cujus itinerarium Antonini, tabula Peutingeriana & Ptolomæus in Triboccis meminit, hodie Colmar, urbs clara Alsatiæ, dicitur, ut putat Cluverius Lib. II. c. 12. vel potius, uti censet B. Rhenanus Lib. I. & III. rer. Germ. Horburgum hodie est vicus non magnus, Ello flumini imminens & agro Colmariensi finitimus. adde Stumpfium Lib. III. c. 48. Chron. Helvet.

§. CI. His ita feliciter transactis, & dispositis omnibus, quæ pro temporum captu per Gallias res rationesque poscebant, Gratianus exinde digressus, ad opitulandum Valenti porrectis itineribus in Pannoniam ire tendebat; verum illo non exspectato ejus adventu infeliciter cum Gothis dimicante, & in fuga in casa quadam, igne ab hostibus supposito, concremato, Gratianus, se rebus administrandis cum fratre non sufficere videns, barbaris nationibus imperio undique imminentibus, regimis socium *Theodosium* delegit, eumque limiti orientali tutando præficiens, ipse Rhenum, quem se absente Alemannos Francosque denuo transiisse, & prædabundos in Gallias irruisse, per nuncios didicerat, repetiit; quo cum incredibili celeritate advenisset, expeditionem statim adversus utramque gentem suscepit, bellumque, incertum qua fortuna ad Annum usque 483. prosequens, q) ultimo tandem a propriis militibus, se præ Alemannis & aliis Germanis, quorum more aliquando vestitus incedebat, despici suspicatis, & ea propter Maximum tyrannum e Britannia in Gallias evocantibus, proditus & desertus, prope Lugdunum profugus, jussu hujus tyranni, violenta morte interiit. Qua cognita, Alemanni Juthungi Rhætias, aut Maximo impulsore,

pulsore, aut fiducia civilium armorum illecti, incursarunt, eosque ut reprimeret, Valentinianus prudenti & felici Bautonis Franci consilio, Hunnos eis & Alanos, a fratre in subsidium adversus Maximum euocatos, opposuit, quorum ope victoria potitus, ea tamen noluit uti, ne Maximo suspicionis ansam praeberet, ejusque in se concitaret iram. r) Hic vero non ex dignitate res sibi succedere putans, si solis imperaret iis nationibus, quae Gratiano prius paruerant, de Valentiniano quoque regno dejiciendo cogitabat, deceptisque insigni fraude, quos pro firmanda pace Valentinianus ad eum miserat, legatis, ingenti celeritate, nemine resistente, exercitum suum in Italiam ducebat, & fugato Valentiniano Aquileja quoque potiebatur. Verum ibi commoranti, nec tale quid metuenti, Theodosius, orientis imperator, precibus Valentiniani excitus, ex improviso supervenit, proditumque a militibus suis Maximum capite plecti jussit. Qua de tyranno debita sumta poena, Valentinianus in patrium imperium restitutus, summa cum laude per aliquot annos illud administravit, usque dum A. C. 392. Arbogastis, magistri militum, cui ob summam erga se arrogantiam magistratum abrogaverat, dolo interemtus, imperium simul cum vita amitteret. Subrogatus occisi in locum, artibus hujus Arbogastis, Eugenius Grammaticus, qui cum in Italiam progressurus, imperium orbis ibi stabilire vellet, prius sibi Alemannorum & Francorum reges per foedera conciliare studuit, ne se ex Galliis discedente, superato Rheno, hostiliter eas devastarent; quod cum datis muneribus facile impetraret, s) multosque ex eorum juventute legionibus suis adscripsisset, t) his viribus auctus, ipsam expeditionem suscepit. Sed par ejus, qui Maximi, exitus, victus enim a Theodosio ad Frigidum flumen & capite truncatus, meritas perfidiae suae dedit poenas.

q) Mortuo Valente, Gratianum novam adversus Alemannos Francosque, Galliam incursantes, suscepisse expeditionem, constat ex Ausonii Panegyrico eidem dicto c. 37. hoc etiam bellum ad dictum usque annum & mortem Gratiani protractum fuisse, disci potest ex Socratis Lib. V. c. 11. & Sozomenis Lib. VII. c. 13. Hist. Eccles. quae vero ex utraque parte hoc bello gesta fuere, plane ignoramus, quod Ammianus in his rebus gestis historiam suam abrumpit, reliqui vero scriptores ea quoque alto silentio praetereunt.

r) De hac incursione Rhaetiarum ab Alemannis facta, vid. Ambrosius resp. Sym. relat. & epist. 27. ubi: *in medio Romani imperii sinu Juthungi populabantur Rhaetias.* Idem auctorem hujus incursionis Maximum appellat in epist. ad eundem: *Tu fecisti incursari Rhaetias;* & Valentinianum victoria sua uti noluisse, metu, ne concitaret in se Maximum, testatur idem: *adversus Juthungum Hunnus ascitus est: Idem tamen, quia de finitimo proterebat Alemanniam, etiam de vicinia mali urgebat Gallias, coactus est, triumphos suos deserere, ne tu timeres.*

s) Gregorius Turonensis ex Sulpitii Alexandri Historia Lib. II. c. 9. Hist. Franc.

t) Orosius Lib. VII. c. 35.

§. CII. Debellato itaque Eugenio tyranno, universus orbis Romanus iterum in unius Theodosii jura concessit, quo vero fato quoque A. C. 395. fungente, voluntate ipsius iterum inter filios ejus fuit partitus, ita ut *Arcadius* septendecim annorum puer orientem, *Honorius* vero, decimum annum agens, occidentem regendum obtineret, nomine quidem tenus, revera autem totius principatus potestas per orientem penes Rufinum, Gallum, per occidentem in arbitrio Stiliconis, Vandali, esset, quos Theodosius parens,

in testamento suo his filiis suis minoribus curatores reliquerat. Primum hoc decrescentis imperii malum, cui mox alterum successit, longe funestius, discordia nempe & æmulatio curatorum, eorumque erga minores suos perfidia: Cum enim omnia ex libidine sua gubernarent, diffidia & discordias inter fratres imperatores sererent, uterque, alius sibi, alius filio, affectaret imperium, &, quo facilius id obtinerent, certatim hostes vel immitterent, vel foverent, factum, ut imperium, tanto sanguine hactenus defensum, in prædam exterarum gentium, communi consilio illud irruentium, tantum cederet, & sensim discerperetur. Vix itaque Honorius in occidente regale solium conscenderat, cum primis statim annis ingens exterarum gentium procella immineret; quippe Rufinus, structas sibi a Stilicone, utriusque imperii tutelam affectante, insidias timens, quo eas evitaret, Alaricum Gothorum regem, pecunia sollicitatum, cum innumeris copiis Gothorum, Quadorum, Marcomannorum aliorumque in Græciam immiserat, *u*) & Alemanni quoque Francique, cognita Theodosii morte, perrupto Rheni limite, Rhætias & Gallias incursabant, hi quidem inferiores, illi vero superiores posterioris partes. Igitur tam subito undique imperii ruinæ imminentis nuncio perterritus Honorius, Stiliconem Ducem cum exercitu ad sedandos hos motus ablegabat, qui per Rhætiam profectus, Rhenum flumen pernavigans, primum Alemannos, post & Francos quoque ad petendam pacem, mira felicitate adegit, *x*) & inde in Græciam, ad debellandos Gothos conversus, hos quoque armis suis coercuisset, ni subdolis Rufini artibus consilia ejus penitus fuissent interuersa. *y*) Qua fraude postea cognita, Stilico ea lacessitus, Rufinum, lateri principis hærentem, per orientales milites, Roma domum redeuntes, interfici curat, *z*) & videns insuper eos, qui Arcadianum imperium administrabant, animis erga se infestis esse, adjuncto sibi Alarico, quem Italiam tum vastantem, tribus ad Hastam, Pollentiam & Veronam vicerat prælis, *a*) socio, cunctas in Illyriis nationes ab Arcadio avertere, & Honorii regno adjicere cogitat. *b*) Verum ea de re cum Alarico contrahenti, & non nisi commodam pacta exequendi exspectanti occasionem, inopinus adfertur nuncius: Radagaisum Gothorum regem, adjunctis sibi ex Transistrianis & Transrhenanis Germanicis nationibus, ducentis millibus, repentino impetu, Italiam inundasse, & devastatis Tusciæ agris, haud procul Roma, spe potiundæ urbis, castra locavisse. Igitur abrupto hoc cum Alarico negotio, novo huic & formidabili hosti, sine mora occurrere statuit; sed se solum tantæ multitudini imparem videns, Uldin & Sarum, Alanorum & Hunnorum Duces, ingenti mercede conductos, una cum copiis suis in societatem belli traxit, eorumque auxiliis Radagaisum in aspero & arido Fesulani montis jugo cum exercitu conclusum, & sæva fame & siti laborantem eo usque ad incitas redegit, ut ipso in fuga capto & interfecto, reliqua ejus plebs ad internecionem funditus deleretur. *c*)

u) Hanc gentium in Græciam & adjacentes provincias factam irruptionem his verbis consignat Hieronymus, testis horum temporum fide dignus epist. 3. ad Hel. *Viginti & eo amplius anni sunt, cum inter Constantinopolim & Alpes Julias quotidie Romanus sanguis effunditur, Scythiam, Thraciam, Macedoniam, Dardaniam, Daciam, Thessaliam, Aetiam, Epiros, Dalmatiam, cunctasque Pannonias Gothus, Sarmata, Quadus, Alanus, Hunni, Vandali, Marcomanni vastant, trahunt, rapiunt*, adde Zosimum Lib. V. c. 5. &c. cui auctor horum malorum & concitator dicitur Rufinus.

x) Suevos sub Honorio Rhætiam oppugnasse, colligi licet ex Claudiano bellum Geticum describente v. 280.

Non

Non si perfidia nacti penetrabile tempus
Irrupere Getae, nostras dum Rhaetia vires
Occupat - -

Et Alemannos quoque eodem fere tempore Gallias incursasse, postea vero Stilicone ibi adventante ad patrios Lares reversos, testatur idem de IV. Honorii consulatu. v. 438.

Hunc tamen imprimis populos lenire feroces
Et Rhenum pacare jubes; volat ille citatis
Vectus equis, nullaque latus stipante caterva,
Aspera nubiferas qua Rhaetia porrigit Alpes
Pergit, & hostiles, tanta est fiducia, ripas,
Incomitatus adit. Totum properare per amnem
Attonitos reges humili cervice videres.
Ante Ducem nostrum flavam sparsere Sicambri
Caesariem, pavidoque orantes murmure Franci
Procubere solo. Juratur Honorius absens,
Imploratque tuum supplex Alemannia nomen.

conf. eundem de Laudib. Stilic. Lib. I. v. 222. & in Eutrop. Lib. I. v. 394. seqq. ubi plura de hac Stiliconis victoria, magnificentius licet & inflatius, quam verius, refert.

y) Zosimus Lib. V. c. 7. Claudianus de IV. Honorii consulat. v. 458. seqq. & Jornandes de regnor. & tempor. Success. p. 121.

z) Zosimus Lib. V. c. 7. Jornandes c. l.

a) Claudianus de bello Getico. Orosius Lib. VII. c. 37.

b) Zosimus Lib. V. c. 26. Jornandes c. l. & P. Diaconus Lib. XIII. c. l.

c) De hisce gestis Stiliconis conferri potest Orosius c. l. Augustinus Lib. III. de Civ. Dei c. 23. & Serm. 29. in Lucam, Jornandes p. 122. c. l. & P. Diaconus in Hist. misc. Lib. XIII. eisque consentit Zosimus Lib. V. c. 26. nisi quod numerum exercitus Radagaisi ad quadringenta millia extendat & Stiliconem, non exspectato ejus in Italiam adventu, contractis copiis, Istroque trajecto, eum nec opinantem adgressum & ad internecionem cecidisse tradat. Sed probe pro Ἴστρον legendum esse Ἄρνον, cum Leunclavio observat Cellarius ad h. l. hoc enim Italiae flumen non longe a Ticino, Liguriae urbe, remotum, qua Stilico cum copiis suis adversus Radagaisum, eodem Zosimo teste, profectus; & sic restituto hoc textu, reliqua Zosimi, si numerum Radagaisi exercitus excipias, cum supra laudatis auctoribus in omnibus conveniunt. adde Cassiodorum & P. Aquitanum in Chron. qui irruptionem Radagaisi in Italiam ad consulatum Stiliconis & Aureliani, victoriam vero Stiliconis, ad ejus II. & Anthemii, i. e. ad A. C. 400. & 405. referunt.

§. CIII. Inflatus hac incruenta victoria *Stilico*, altiores spiritus gerebat, neque contentus, quod sub imperatore genero imperaret, jam Eucherium filium in imperio substituere, magno perfidiae scelere, nitebatur. Quam ob rem Alaricum non solum, cunctamque Gothicam gentem datis magnis muneribus, occulto foedere fovebat, sed & Alanos, Sueuos, Burgundiones & Vandalos, unde ipse genus ducebat, magnis quoque donis illectos, clam ad incursandas Gallias evocabat, sperans, turbato rerum statu milites necessario, a sceleris conscius incitatos, contemta Honorii ignauia, filium suum Eu-

cherium ad imperium vocaturos, ſeque omnes has gentes uti excitaſſet, ſic in medio armorum curſu facile repreſſurum. *d*) Igitur Alani, Reſpendiale Duce, per mediam Germaniam impune vagantes, adjunctis ſibi partim metu direptionis aut cædis, partim libidine prædæ in belli ſocietatem Quadis, Marcomannis, Alemannis, Gepidis, Burgundionibus, Herulis & Saxonibus aliisque vicinis populis, ad Rhenum perrexerunt, eosque ſecuti Vandali, Godegiſilo rege; qui cum per Franciam vi tentarent iter, a Francis id prohibentibus, ad internecionem pene deleti fuiſſent, ni Reſpendial, cum agmine ſuo prægreſſus, laborantibus auxilio veniſſet, & profligatis Francis, de ſalute jam deſperantes ab imminenti periculo opportune liberaſſet. *e*) Obtenta itaque hac de Francis victoria, nemine amplius reſiſtente, Alani Reſpendiale Rege, Vandali Gunderici, filii Godegiſili in prælio cum Francis cæſi, auſpiciis, Suevi Hermerico Duce & Burgundiones ductu Gundicarii, Rhenum, glacie obduratum, & Stiliconis dolo præſidiis nudatum, pridie Calendas Januarias A. C. 406. trajecerunt, & quicquid inter Alpes & Pyrenæum eſt, quidquid Oceano & Rheno clauditur occupantes, univerſas Gallias fœdum in modum devaſtarunt; capta enim Moguntiacum, & multis hominum millibus interfectis, everſa, Vangiones longa obſidione deleti, Remorum & Rauracorum urbes præpotentes expugnatæ & exciſæ, Ambiani, Attrebatæ, Morinique, Tornacum, Nemetes & Argentoratum in Germanicam ditionem redactæ, & Aquitanniæ quoque, Novemque populorum, Lugdunenſis item & Narbonenſis provinciæ, præter paucas civitates, populatæ. *f*)

d) De his artibus & perfidia Stiliconis, quibus plurimas gentes ad excidium imperii Romani concitavit, ita loquitur Oroſius, ſcriptor probus & fide dignus Lib. VII. cap. 38. *Quamobrem Alaricum, cunctamque Gothorum gentem pro pace optima & quibuscunque ſedibus ſuppliciter & ſimpliciter orantem, occulto fœdere fovens, publice autem, & belli & pacis copia negata, ad terendam, terrendamque rempublicam reſervavit; præterea gentes alias copiis viribusque intolerabiles, quibus nunc Galliarum, Hiſpaniarumque provinciæ premuntur, hoc eſt, Alanorum, Suevorum, Vandalorum, ipſoque ſimul motu impulſorum Burgundionum, ultro in arma ſollicitans, deterſo ſimul Romani nominis metu, ſuſcitavit: eas interim Rheni ripas quatere, & pulſare Gallias voluit, ſperans miſer ſub hac neceſſitatis circumſtantia, quia & extorquere imperium genero poſſet in filium, & gentes barbaræ tam facile comprimi, quam commoveri valerent.* Oroſio in omnibus conſentit, ejusque fere verbis utitur P. Diaconus Lib. XIII. c. I. & qui jam ante hunc claruit Jornandes p. 122. c. I. adde Hieronymum in ep. 11. ad Ageruchiam, qui calamitates, quibus ſua ætate imperium Romanum affligebatur, non vitio principum, Honorii & Arcadii, ſed ſcelere ſemibarbi proditoris, uti Stiliconem appellat, accidiſſe tradit.

e) De clade hac Vandalorum a Francis, tranſitum eis per terras ſuas prohibentibus, accepta ita loquitur: Renatus Profuturus Frigeridus apud Gregorium Turonenſem Lib. II. c. 9. *Interea Reſpendial Rex Alanorum, Goare ad Romanos transgreſſo, a Rheno agmen ſuorum convertit, Vandalis Francorum bello laborantibus, Godigiſele Rege abſumto acie, viginti ferme millibus ferro peremtis, cunctis Vandalis ad internecionem delendis, ni Alanorum vis in tempore ſubveniſſet.* Francos vero poſtea ſuperventu Alanorum quoque cæſos & fugatos fuiſſe, teſtatur. Oroſius Lib. VII. c. 40. *Interea ante biennium Romanæ irruptionis, excitatæ per Stiliconem gentes Alanorum, ut dixi, Suevorum, Vandalorum multæque cum his aliæ, Francos proterunt, Rhenum tranſeunt, Gallias invadunt, directoque impetu Pyrenæum usque perveniunt, cujus obice ad tempus repulſæ, per circumjacentes provincias refunduntur.*

f) Hos gentium motus & irruptiones, inſtigante Stilicone, in Gallias inſtitutas, omnium optime deſcribit & Occidentis ſimul ruinam deplorat, Hieronymus, teſtis σύγχρονος, cit. epiſt. ad Ageruch. *innumerabiles & ferociſſimæ*

fimæ nationes universas Gallias occuparunt. Quicquid inter Alpes & Pyrenæum est, quod Oceano & Rheno includitur, Quadus, Vandalus, Sarmata, Alani, Gepides, Eruli, Saxones, Burgundiones, Alemanni, & ô lugenda Respublica! hostes Pannonii vastarunt. Etenim Assur venit cum illis. Maguntiacum nobilis quondam civitas capta, atque subversa est, & in Ecclesia multa hominum millia trucidata. Vangiones longa obsidione deleti. Remorum urbs præpotens, Ambiani, Atrebatæ, extremique hominum Morini, Tornacum, Nemetæ, Argentoratus, translatæ in Germaniam. Aquitaniæ, Nouemque populorum, Lugduuensis & Narbonensis provinciæ, præter paucas urbes populata sunt cuncta; quas & ipsas foris gladius, intus vastat fames. Non possum absque lacrimis Tolosæ facere mentionem, quæ ut hucusque non rueret, sancti Episcopi Exsuperii merita præstiterunt. Ipsæ Hispaniæ jam jamque perituræ, quotidie contremiscunt, recordantes irruptionis Cimbricæ; & quidquid alii semel passi sunt, illæ semper timore patiuntur. Olim a mari Pontico usque ad Alpes Julias, quæ erant nostra, non nostra sunt: & per annos XXX. fracto Danubii limite in mediis imperii Romani regionibus pugnatur. Cui jungendus Salvianus Lib. VI. & VII. de providentia Dei, qui Vandalos cæterosque barbaros per provinciam Germaniam' eo nomine primam, deinde per Belgicam & Aquitaniam iter fecisse, hisque regionibus igne & ferro vastatis, singula Galliarum membra laceravisse & Moguntiacensium atque Basileensium civitates ab eisdem excisas atque delatas fuisse, commemorat. Et P. Aquitanus in Chron. qui cum Cassiodoro c. l. hanc gentium in Gallias irruptionem ad Consulatum Arcadii VI. & Probi i. e. ad A. C. 406. refert. adde Orosium & P. Diaconum c. l.

§. CIV. Quemadmodum autem nulla calamitas sola, ita misere afflicto imperio jam nova imminebat ab aquilone tempestas: Territi enim memorata gentium in Gallias irruptione Britanni milites & veriti, ne iis penitus subactis, ulterius progrederentur, concitata seditione, quo id sub Ducis auspiciis eo facilius averterent, *Marcum* primum, & post eum *Gratianum*, Augustos salutarunt, eisque vero moribus suis non respondentibus statim enecatis, ultimum demum *Constantinum*, gregarium militem, nudi nominis ominisque causa, in imperio substituerunt. *g*) Is ordinatis omnibus, quæ ad securitatem hujus insulæ pertinere videbantur, ea relicta, hostili animo in Galliam trajecit, *h*) & conciliatis sibi legionum Gallicarum animis, illectisque in societatem belli Francis Alemannisque, *i*) omnes hos populos, Gallias turbantes, eis disturbare decrevit. Acri itaque prœlio commisso, victoria quidem potitus est, sed quod fugientes non esset insequutus, scopum suum nullo modo obtinuit. Resarcita enim, quam acceperant, clade, & collecta nova gentilium multitudine, omnes hi populi mox rursus Constantino pares evaserunt: *k*) quod ille cernens, jam alia via incedendum ratus, quovis modo eos sibi devincire contendit; verum incertis semper illusus fœderibus, *l*) posthabita eorum amicitia, ultimo demum ad Hispaniarum occupationem sese accinxit, sperans hac reportata, se non solum structas sibi ab Honorio insidias evasurum, sed & ulteriores Germanorum motus majori impetu repressurum. Igitur liberatus a Valentiæ, qua paulo ante a Ducibus Honorii cingebatur, felicissimis Ducum suorum Edobinchi & Gerontii auspiciis, obsidione, *m*) dum ipse Rheni limites Alpiumque claustra præsidiis validis munit, *n*) filium Constantium, habitu Cæsaris indutum, cum barbaris quibusdam, Honorianis cognomine, adversus Dydimum & Verinianum, fratres & propinquos Honorii, in Hispaniam mittit, qui ambobus in Lusitania acie superatis, captis & interemtis, omnem quidem provinciam obtinuit, *o*) sed remota rusticorum fideli & utili custodia, & temere Honorianis Pyrenæi montis claustrorumque concredita cura, cunctis simul gentibus, Gallias tunc pervagantibus, commodam occasionem dedit, eam irruendi & nemine resistente occupandi. Vix enim his peractis a patre evocatus in Galliam redierat, cum milites Honoriani prædæ & rapinis de-

 diti,

diti, quo magis scelus impunitum foret, atque ipsis sceleris plus liceret, prodita Pyrenæi custodia claustrisque patefactis, Vandalos, Sueuos, Alanosque per Gallias effusos, invitarent, ut junctis sibi viribus Hispaniarum possessiones invaderent sibique vindicarent. *p*) Grata his gentibus hæc militum invitatio; igitur relicta Gallia, superatis sine mora montibus Pyrenæis, avide eam ingrediuntur, & occupatis longe lateque agris eos ita inter se dividunt, ut Sueui & Vandali Bæticam & Galliciam, Alani vero Lusitaniam cum Carthaginensi tractu sortirentur, sola Tarraconensi provincia Romano populo relicta, quæ fortiter defensa ad breve tempus ægre fuit conservata. *q*)

g) Vid. Zosimus Lib. VI. c. 3. Orosius Lib. VII. c. 40. Jornandes p. 123. c. I. & P. Diaconus Lib. XIII. c. I. Annum vero cœptæ hujus rebellionis indicat P. Aquitanus in Chron. scilicet 407. post C. N. Honorio VII. & Theodosio II. consulibus.

h) Zosimus & Orosius c. l. *i*) Sozomenes in hist. Eccles. Lib. IX. c. 13.

k) Zosimus Lib. VI. cap. 3. c. I. *l*) Orosius Lib. VII. c. 40.

m) Zosimus Lib. VI. c. 2. *n*) Zosimus Lib. VI. c. 3.

o) De hac Hispaniarum occupatione per Constantium, filium Constantini tyranni, consulendi Zosimus & Orosius c. l. eisque jungendus Sozomenes c. l. ubi Franci & Alemanni socii ejus in hac expeditione expresse recensentur.

p) Ita hanc Hispaniarum jacturam imprudentiæ Constantii & perfidiæ militum Honorianorum tribuit Orosius Lib. VII. c. 40. secus ac Zosimus, qui nequam Stiliconis sui memoriæ notam inurat, Lib. VI. c. 5. ut recte observat Valesius Lib. III. rer. Franc. p. 167. a Gerontio, Constantino infenso, quod alium quam se Ducem cum Constante filio in Hispaniam misisset, barbaros Transrhenanos accersitos in Galliam, post & in Hispaniam transiisse tradit.

q) De hac Hispaniarum per Alanos, Vandalos & Sueuos occupatione, præter jam allegatum Orosium & Zosimum c. l. omnino videndus Isidorus Hispalensis in Historia Vandalorum & Sueuorum apud Labbeum Tom. biblioth. nov. Mstorum, ubi inter alia ad Æram 446. hist. Sueu. inquit: *Sueui principe Hermenrico cum Alanis & Vandalis simul Spanias ingressi sunt, atque omnem Galliciam cum Wandalis occupant.* Eique ex veteribus jungendi Gregorius Turonensis Lib. II. c. 2. c. I. P. Diaconus Lib. XII. in f. hist. miscell. Cassiodorus & P. Aquitanus in Chron. & Idatius in fasc. Consul. qui posteriores omnes hanc irruptionem ad Honorii VIII. & Theodosii III. consulatum, i. e. ad A. C. 409. referunt; nec evoluere ex recentioribus pœnitebit Rod. Sanctium P. I. c. 7. & 10. Histnr. Hisp. Alph. a Carthagena in anacephal. Reg. Hisp. c. VI. p 253. L. Marineum Siculum de reb. Hisp. memorabil. Lib. VI. p. 353. Fr. Tarapham de orig. ac reb. gest. Reg. Hisp. sub Honorio pag. 539. Jo. Vasæum in Chron. ad An 415. & Jo. Marianam Lib. V. c. I. qui omnes extant inter scriptores rerum Hispanicarum, qui A. C. 1603. ex bibliotheca Andr. Schotti Francofurti in IV. T. in fol. conjunctim prodierunt. De divisione vero terrarum Hispanicarum inter has gentes, ita loquitur jam semel laudatus Isidorus, Æra 449. *Tandem barbari ad pacem ineundam Domino miserante conversi, sorte in possessionem sibi ejus provincias dividunt. Galliciam enim Sueui occupant, Alani Lusitaniam & Carthaginensem prouincias, Wandali autem cognomine Silingi Bæticam sortiuntur. Spani autem per civitates & castella residua plagis afflicti barbarorum dominantium se servituti subjiciunt.* Quibus jungenda, quæ habet ad æram 446. *Wandalis autem in Africam transeuntibus, Galliciam soli Sueui sortiti sunt.* Cum ex his constet, Sueuos non statim ab initio integram Galliciæ provinciam obtihuisse, sed ad tempus aliquod cum Vandalorum,

parte,

parte, communi fœdere, ibi regnasse, usque dum his in Africam trajicientibus, reliquis quoque potirentur; his postea Rex Rechila virtute sua Bæticam, nec non Carthaginensem provinciam adjecit. Isidorus ad æram 470. Quæ vero facta eorum heroica & bella cum Alanis, Vandalis, Romanis & ab his contra eos in Hispaniam evocatis Wesigothis gesta attinet, de his, quod longum foret, omnia secundum ordinem recensere, præter jam allegatos auctores conferri merentur, Jornandes de rebus Geticis, R. Toletanus in Hist. Alan. Vandal. Siling. Sueuor. & præcipue in Hist. Ostrogothor. Mich. Ritius de regib. Hispan. & Gracias nec non Lambertinus in Hist. Hisp. Hoc tantum adhuc monendum, Sueuorum hunc in Hispania dominatum per CLXXVI. annos, ad annum usque DLXXXV. durasse, quo Leuigildus Gothorum rex eo fuit potitus, atque ultimo eorum rege Audica capto & monasterio mancipato, omnem potestatem & jura transtulit in suos Gothos.

§. CV. Hactenus itaque indulgentia & perfidia Stiliconis summa imis, ima summis undique in imperio commixta, ast non diu post A. C. 408. proditor ille, justo Dei judicio, debitas luit pœnas. Mortuo enim Arcadio in oriente, cum Honorius eo proficisci, & qui Arcadio successerat, res Theodosii constituere cuperet, Stilico vero idem illud iter suscipere & quæ stabiliendo hujus pupilli imperio facerent, ordinare cogitans, sub vario prætextu principi suo illud dissuaderet; hic ægre hoc ferens & ab aulicis insuper, interque eos præcipue Olympio, splendido Palatino munere fungente, undique divulgantibus: Stiliconem non aliam ob causam iter illud in orientem sibi demandari curasse, quam ut Theodosio minori morte per insidias structa, regnum Eucherio filio suo traderet, excitatus, miserum Ravennæ commorantem, & Ecclesia, quo conservandæ vitæ gratia aufugerat, extractum, per milites ablegatos interfici jussit: r) qua quidem morte auctor & promotor omnis mali, imperium Romanum affligentis, extinctus, sed non ipsæ quoque calamitates sublatæ: quippe qui maximam Hispaniarum partem sibi subjecerant Alani, Suevi & Vandali, vastationes & neces cruentis excursibus in reliquas Romanæ ditionis terras continuo exercere non intermittebant, s) cum interim, qui prioribus annis eorum socii ad Rhenum substiterant, Burgundiones firmas in superioribus Galliarum partibus sedes figerent, t) qui hactenus eas quoque turbaverat Constantinus tyrannus, purpuram plane ac Augustalem dignitatem, turpe dictu, Honorio extorqueret. u) Nec temperabant sibi antiqui imperii hostes, Alemanni Francique in viscera ejus sævire: perpetui enim laudati modo tyranni in bellis socii, Gallias quoque percursabant & ruinæ proximis ferales inferebant manus; x) ipsæ harum provinciarum & Britannicæ insulæ incolæ & nationes, non paucæ numero, furori barbarorum a Romanis relictæ, ab ipsis deficiebant, & horum Legibus non amplius obedientes, in pristinam libertatem sese vindicabant, y) & ne Italia quoque ab his cladibus intacta maneret, Alaricus, qui hactenus quiete se gesserat, eam non solum igne & ferro vastabat, sed & adjunctis sibi triginta barbarorum millibus, quorum necessarios a Stilicone per præsidia Italiæ dispositos, detestabili exemplo contra datam fidem Romani trucidaverant, z) & capta ac direpta urbe Romana a) quæ totum olim orbem cepit, collocatoque Attalo præfecto hujus urbis in Augustali solio, purpura coronaque cincto, tantum Honorio, Ravennæ latenti, incussit metum, ut ipse, missis legatis, Attalo societatem imperii offerret; hoc vero respondente: Honorio nisi privato, relegatoque in insulam & manibus & pedibus truncato, vitam se non concessurum, ad fugam in orientem, relicto occidente, jam capessendam sese præpararet, b) eaque procul dubio salutem quæsivisset, ni Heraclianus interim, Africæ præfectus, ipsi tum adhuc fidelis, pessimam ejus rem utcunque restituens & occupatis Africæ portibus, di-

ſpoſitisque in littoribus ejus cuſtodiis, frumentum aliasque res ad victum neceſſarias Romanum portum invehi vetans, Alaricum cum Pſeudo-Auguſto ſuo Attalo fame & inopia laborantes ad tantas anguſtias redegiſſet, ut ille relicta urbe, Attaloque ante eam imperii inſignia deponere juſſo, celeri gradu in Campaniam recederet, eaque cum proxima Lucania igne, ferro & præda vaſtata, cum tranſitum in Siciliam meditaretur, Conſentiæ morbo correptus, paulo poſt animam exhaleret. c)

r) Ita occaſionem mortis Stiliconis recenſet Zoſimus L. V. c. 31 – 34. cui quoad genus ejus conſentiunt Oroſius Lib. VII. c. 38. Jornandes pag. 122. de regnor. & tempor. ſucceſſ. & P. Diaconus Lib. XIII. p. 421. hiſt. Annum vero hujus necis ad annum XIV. regiminis Honorii, i. e. ad A. C. 408. refert chronicon, quod a plerisque P. Aquitano, vel alii ejusdem nominis tribuitur, apud Labbeum Tom. I. Biblioth. nov. MStor.

s) Iſidorus æra 446. *Vandali, Alani & Suevi Spanias occupantes, neces vaſtationesque cruentis diſcurſibus faciunt, urbes incendunt, ſubſtantiam direptam exhauriunt, ita ut humanæ carnes vi famis devorarentur a populis, edebant filios ſuos matres, beſtias quoque morientium gladio, fame ac peſte cadaveribus adſuetæ, etiam in vivorum efferebantur exitium.* adde auctores §. præced. cit.

t) P. Aquitanus in Chron. Lucio V. C. Coſ. i. e. A. C. 413. *Burgundiones partem Galliæ propinquam Rheno obtinuerunt.* h. e. partem ſuperioris, ſeu primæ Germaniæ, ripæ fluminis appoſitam. adde Caſſiodorum in Chron. eadem tradentem, nec non Sidonium Apollinarem Lib. II. epiſt. Gregorium Turonenſem Lib. II. c. 9. hiſt. Franc. & ex recentioribus Chiffletium P. I. c. 46. p. 192. de Veſontio, Vignierium in Chron. ad An. 413. & B. Schurzfleiſchium in hiſt. vet. regn. P. Q. Burgund. c. II. §. 1.

u) Zoſimus Lib. V. c. 43.

x) Sozomenes Lib. IX. c. 13. adde dicta §. præced. & mox dicenda §. ſubſequenti.

y) Zoſimus Lib. VI. c. 5. ubi inprimis inter alias Galliarum a Romanis deficientes provincias tractus Armoricorum expreſſe meminit.

z) Zoſimus Lib. V. c. 35.

a) Fuſius hanc obſidionem, qua ſic dicta urbs æterna ab Alarico cincta fuit, eamque ſubſecutam expugnationem deſcribit ſæpius laudatus Zoſimus Lib. VI. c. 6. &c. cui jungendi Oroſius Lib. VII. c. 39. Jornandes c. 30. reb. Getic. & de ſucceſſ. regnor. & tempor. p. 123. Procopius Lib. I. Hiſt. Vandal. ab init. & Paul. Diaconus Lib. XIII. p. 419. c. I. Ipſa autem expugnatio ſecundum P. Aquitanum & Caſſiodorum in Chron. Flau. Varane V. C. Coſ. & quem hic addit, Tertullo, accidit, vel ut P. Diaconus c. I. ſcribit, anno MCLXIV. V. C. qui annus eſt CCCCX. poſt Chriſtum natum.

b) Zoſimus Lib. VI. c. 8.

c) Hactenus dictorum fides collecta ex Zoſimo Lib. VI. c. 11. & 12. Oroſio Lib. VII. c. 42. Procopio Lib. I. ab Init. c. I. & P. Diacono Lib. XIII. p. 418.

Extincto itaque Alarico, hoſtium Romanorum omnium maxime tremendo, & Honorio utcunque in imperio, Heracliani virtute, confirmato, a gravi jam, cui hucusque ſumma ſecuritate indulſerat, ſopore excitatus, paulo majori cura imperium adminiſtrare & deſperatis rebus medelam aliquam adferre incipiebat. Comparatis igitur hoc intuitu omnibus, quæ ad arduum hoc negotium exequendum videbantur neceſſaria, Conſtantium Naiſitanum, rei bellicæ

ficæ disciplinæque militaris exercitatissimum magnique animi Ducem, exercitui præponit *d*) & sine ulla mora in Galliam ad opprimendum Constantinum tyrannum mittit, quo sic domestico hoc devicto hoste, jam exteras quoque gentes, imperii quietem perturbantes, majori cum successu disturbari & debellari possent. Accidit tunc forte fortuna, ut Gerontius, Constantino antea addictus, & quem filius ejus Constantius omnibus Hispaniis præfecerat, cum valido quoque exercitu Galliam ingrederetur, ejusdem sibi, clientis sui, Maximi Anti-Cæsaris nomine, affectans imperium: quod ubi Constantino relatum, Edobinchum Francum, a quo ante, fuso fugatoque circa Valentiam Honorii exercitu, obsidione liberatus fuerat, trans Rhenum ad gentiles suos misit, eorum Alemannorumque rogatum auxilia. Hic dum mandata sibi exsequitur, Gerontius primum Viennam juxta castra metatur, eaque capta, Constanteque filio tyranni, ibi deprehenso, occiso, jam ipsi Arelatæ, in quam salutis causa Constantinus sese receperat, hostilia infert arma. Acriter hic ab utraque parte pugnatum, Gerontio fortiter urbem oppugnante, Constantino vero pari virtute hostium insultus sustinente; Ultimo tamen Gerontius, nuncio de adventu Constantii territus, militibus suis undique dispersis, inconfectis rebus in Hispaniam recessit, ibique etiam a reliquis suis copiis contemtus, desperata salute, violentas sibi intulit manus. *e*) Quo extincto, & Maximo quoque, deposita purpura, ad Germanos, qui per Hispanias effusi erant, confugiente, hostis quidem Constantini erat immutatus, sed non simul immutata fortuna; quippe Constantius cum exercitu Honoriano Gallias ingressus, Arelatem non solum acriter obsidebat, sed & non quidvis non ad eam expugnandam tentabat. Comperiens itaque Edobinchum cum magnis Francorum Alemannorumque copiis obsessis auxilio adventare, transito Rhodano proxime appropinquanti obviam processit, divisoque exercitu & altera præmissa ejus parte, cui Ulphilam Gothum præfecerat, cum mandato, ut Edobincho progresso, cum ipse a fronte prælium committeret, a tergo eum adoriretur, incautius incedentem & quasi forcipe in angustiis inter utrumque exercitum inclusum, tanta affecit strage, ut eo vix solo fuga elapso, in ea tamen ab hospite Ecdicio, violatis hospitalitatis privilegiis, occiso, reliqua ejus plebs ut pecora cæderetur. *f*) Nec caruit hæc victoria felicissimo quoque successu, quippe Constantinus hac clade suorum & morte Edobinchi cognita, ubi per quatuor adhuc menses obsidionem sustinuisset, spe omni abjecta, purpuram deponebat, & templum ingressus habitum presbyteri induens, tradita urbe, gratiæ victoris sese committebat, a quo in Italiam deportatus, missis ab Honorio obviam percussoribus, juxta Mincium flumen interfectus, debitas paulo post suæ tyrannidis solvit pœnas. *g*)

d) Factum hoc Thedosio Aug. IV. consule, i. e. A. C. 411. colligi licet ex P. Aquitani chronico.

e) De hac Gerontii a Constantino defectione, eamque inter utrumque subsecuto bello, conferri possunt Orosius Lib. VII. c. 42. & P. Diaconus Lib. XIV. p. 422. histor. imprimis vero Renat. Profuturus Frigeridus apud Gregorium Turonensem Lib. II. c. 8. Sozomenes Lib. IX. c. 13. & Nicephorus Lib. XIV. histor. qui, inter alia, etiam Edobinchum trans Rhenum ad accersenda Alemannorum Francorumque auxilia a Constantino ablegatum fuisse, expresse referunt. add. P. Aquitanum in Chron. qui hæc gesta sub Consulatu Theodosii Aug. IV. i. e. A. C. 411. recenset.

f) De clade hac Alemannorum Francorumque, sub Edobinchi auspiciis, a Constantio accepta, consulendi Sozomenes & Nicephorus c. l.

g) Ita exitum vitæ hujus tyranni describunt Orosius c. l. R. Profuturus Frigeridus c. l. Sozomenes c. l. & P. Diaconus Lib. XIV. p. 422. Annum

vero, quo hic motus compositus, Constantinique caput in conto fixum ad Honorium perlatum fuit, indicant Idatius in fasc. consul. nec non P. Aquitanus & Marcellinus in Chron. scilicet A. C. 411. quo Theodosius Aug. Consulatum IV. gerebat.

§. CVII. Extortis hoc modo vigilantia & virtute Constantii Galliarum provinciis e manibus bellicosissimi tyranni, pax quidem & tranquillitas ibi videbantur renasci, sed non multo post omnia rursus in pristinum statum redacta. Quippe hoc tempore adeo fœcundæ tyrannorum Galliæ, ut resectis aliorum atque aliorum capitibus, ut Hydræ Lernææ, in exitium sui illico plures renascerentur. Vix igitur motus Constantini compositus, cum repente ex ulteriori Gallia nuncius adferretur: Jovinum, virum nobilem inter Avernos, imperatoris nomen sumsisse, adscitoque Sebastiano fratre suo in consortium regiminis, cum ingentibus Alemannorum, Francorum, Burgundionum & Alanorum copiis Arelatem, spe potiundæ ejus, advolare. Perturbatus primum inopino hoc nuncio Constantius, mox vero, ut subita bella poscunt, consilio ex arena capto, sine mora cum exercitu suo in hostem movere decrevit, ne hujus interim cum Ataulfi, qui relicta Italia spoliis ejus & Romanæ urbis onustus, cum Gothis suis in Narbonensem Galliæ provinciam, sedium causa, migraverat, *b*) viribus junctis, victoria sibi difficilior redderetur. Consertis itaque manibus, Jovinum non solum, undique diffluentibus Alemannis, Francis & Burgundionibus, ad ultima compulsum in fugam egit, sed & paulo post utriusque tyranni capita ab Ataulfo, quem Dardanus præfectus Galliæ interim ab eorum amicitia & societate averterat, in certissimum victoriæ suæ signum transmissa accepit, quæ præfixa hastilibus Ravennam postea ad Honorium perferri jussit. *i*) Grata hæc Ataulfi Romano populo opera: cum vero ad pristinas artes conversus Gallias nihilominus hostiliter vastaret, & Narbone capta, Burdigalaque direpta, Attalum quoque ad imperii insignia resumenda instigaret, Constantius levissimi hominis pertæsus, bellum tandem contra eum quoque decrevit, & Narbonæ inclusum arcta obsidione & exinde orta fame ita fatigavit, ut ea cum Gothis suis vi expulsus, in Hispaniam discedere, ibique efferato ejus animo Placidiæ, quam ab Alarico Romæ captam, fratris Honorii consensu, uxorem duxerat, blanditiis & verbis non parum mitigato, pacem tandem & quietas sedes per legatos suos petere cogeretur. Quibus facile quoque ab Honorio impetratis, cum Barcinone moraretur, a suis paulo post dolo interemtus, hac sua morte Romanis ad non breve tempus exoptatum otium a bellis Gothicis fecit: *k*) quippe qui post obitum ejus sceptrum inter Gothos obtinuit Segericus, pacem & perpetuam amicitiam cum eis coluit, *l*) & licet qui in regno ei successerat Wallia, primis regiminis sui annis eam iterum tollere & aliquid adversus eos in Africa tentare meditaretur, mox tamen damnato hoc consilio, reddita Placidia apud se honeste habita Honorio fratri, paceque cum eo, datis lectissimis obsidibus, pacta, Romanorum in gratiam bellum contra Vandalos, Suevos Alanosque, Hispaniam tunc adhuc tenentes, suscepit, quos & Alanos imprimis in Lusitania considentes, funditus delens, Vandalos vero in Bætica ad internecionem cædens, ultimum tandem ob egregias has de his gentibus obtentas victorias, præmii loco omnes terras, a Garumna flumine ad oceannm usque vergentes, h. e. Novem populos, & provinciam Aquitaniam, cognomine secundam, ac clarissimam Galliæ Narbonensis urbem, Tolosam Tectosagum, Gothorum postea per LXXXVIII annos regiam, ab Honorio sibi concessas meruit, *m*) quas, quam diu vixit, socius Romanorum quiete rexit.

b) Hanc

h) Hanc Gothorum in Galliam, Ataulfi auspiciis, immigrationem ad consulatum Honorii IX. & Theodosii V. i. e. ad A. C. 412. refert Prosper Aquitanus in Chron. cum quo etiam consentit Cassiodorus c. l. & Procopius in Histor. Vandal. Lib. I. ab init.

i) Hanc Jouini rebellionem in Galliis excitatam paucis verbis ita describit R. Profuturus Frigeridus l. c. *Vix dum quartus obsidionis Constantini mensis agebatur, cum repente ex ulteriori Gallia nuntii veniunt, Jovinum assumsisse conatus regios & cum Burgundionibus, Alamannis, Francis, Alanis, omnique exercitu imminere obsidentibus.* Dissentiunt vero ab eo quoad tempus Idatius & Prosper Aquitanus c. l. cum initia hujus motus non ad tempora Constantini tyranni sed potius ad secundum post obitum ejus annum i. e. ad A. C. 413. Lucio consulatum tenente referant: quibus quoad integram historiam tumultus etiam jungi possunt Chronicon Prosperi Pithœanum ad XIX regiminis Honorii annum, apud Labeum Tom. I. Bibl. nov. MStor. p. 58. Orosius Lib. VII. c. 42. Sozomenes Lib. IX. Nicephorus Lib XIV. Jornandes p. 123. de regn. & tempor. success. & P. Diaconus Lib. XIV. p. 423. Histor.

k) Quæ hactenus de gestis Ataulfi cum Romanis ejusque A. C. 415. subsecuta morte narravimus, desumta sunt ex Orosii Lib. VII. c. 43. Isidori orig. & gestis Gothorum, æra 448. Jornande de reb. Get. c. XXXI. P. Diaconi Lib. XIII. p. 420. histor. & P. Aquitani Chronico, qui hæc gesta sub consulatu Constantii, nec non Honorii X. & Theodosii VI. recenset.

l) Orosius, Isidorus & P. Diaconus c. l.

m) De hoc studio pacis Walliæ erga Romanos & eorum nomine adversus Germanos, Hispaniam insidentes, suscepto bello, omnino videndi Orosius c. l. Isidorus ad æram 454. c. l. & P. Diaconus Lib. XIII. p. 420. & Lib. XIV. p. 424. Aquitaniæ autem cum ejusdem provinciæ civitatibus vicinis ab Honorio ipsi factæ donationis, præter jam allegatos auctores, meminit Prosper Aquitanus in Chron. Monoxio & Plinta consulibus i. e. A. C. 419.

§. CVIII. Collapsis itaque Galliarum rebus virtute & industria Constantii undique restitutis, nisi quod Burgundiones n) præter Gothos terras quasdam in citeriori Rheni ripa ex permissu ejus tenerent, Franci vero, his deterioris conditionis esse nolentes, violato Rheni limite, interdum eas incursarent, & capta excisaque aliquoties Trevirorum metropoli, sedes quoque perpetuas ibi figere tentarent, o) Honorius tot beneficiorum, sibi & imperio præstitorum, memor, Constantio Placidiam, germanam suam, diu promissam, matrimonii titulo copulavit, p) cernensque insuper, se ubique virtute & ingenio ejus, sive in belli, sive in pacis negotiis sublevari, cunctis applaudentibus, sanguine sibi junctum tandem quoque in consortium imperii admisit. q) Grati hoc ex parte Honorii luculentum erga Constantium animi erat indicium, licet non diu huic summæ hujus dignitatis fructus percipere licuerit: fastidiente enim Theodosio, orientis rectore, imagines ejus, ut novi hominis, ad se missas, & pro more eas accipere recusante, hac sibi illata injuria ira ita excanduit, ut lateris dolore oppressus septimum cum vita simul regiminis sui finiret mensem. r) Gravis hic Constantii casus occidentis imperio, ast longe fatalior, qui eum A. C. 423. insecutus inopinus Honorii interitus; s) quippe eo in hoc tempus incidente, quo Placidia Augusta, nescio quam ob causam, a fratre pulsa cum filio parvulo & legitimo ejus in his partibus successore in oriente morabatur, t) milites Palatini pristina sibi vindicantes jura, commoda hac occasione arrepta, Johannem, scribarum magistrum, Augustum appellabant, & purpura coronaque indutum, ceu principem, solito satellitio comitabantur. Cruentæ hinc undique in imperio turbæ; Theodosio enim orientis mode-

moderatore, a quo in consortium imperii suscipi impudenter nimis Johannes petierat, postulata ejus generoso animo rejiciente, & legatis ejus carceri inclusis, in gratiam amitini sui Valentiniani bellum contra tyrannum declarante, hic se viribus ejus longe inferiorem videns, Aetium, tum præfectum prætorio, ad Hunnos auxiliares copias petitum, proficisci jussit; quo eas conducente, Theodosius interim Valentinianum, octo duntaxat annorum natum, Cæsarem renunciatum, cum exercitu suo, Ducibus Ardubario & Aspare, in Italiam mittit, eorumque ope non solum Aquileja primo, sed & brevi post Ravenna, ibique levi pugna commissa, Johanne ipso, primo regiminis sui anno a suis prodito & capto, fuit potitus, cui Aquilejam postea deportato, dextram præcidi & in asino contumeliose circumducto caput tandem irata Placidia amputari jussit. Ingens hæc Theodosianorum victoria, sed restabat adhuc Aetius, hostium omnium formidolosissimus, qui LX. Hunnorum millibus, pecunia conductis, tertio post obitum tyranni die in Italiam irruerat, quemque Aspar post commissum atrox prœlium iterum aggredi non audebat. Igitur hunc quo sibi quoque conciliaret, ejusque minas averteret, Placidia, cui a Theodosio tutela filii tradita, data venia, ad comitis dignitatem evexit, distributaque inter Hunnos ingenti pecunia, his quoque per eundem domum redire persuasit, *u*) quo remigrantibus, & reliquis tumultus auctoribus pro meritis punitis, omnis quidem a Johanne excitatus motus quam felicissime sedatus, sed hac ipsa rerum compositione non levia quoque novorum malorum semina, præter spem, ubivis fuere relicta.

n) V. Supr. §. CV. not. (t.)

o) De hisce Francorum in provincias Romanas incursionibus & Trevirorum imprimis quarta vice ab eis capta & direpta metropoli, agit Salvianus Lib. VI. de gubernat. Dei. cui ex recentioribus jungi possunt Brovveri annales Trevirenses Lib. V. p. 282. Valesii rer. Franc. Lib. III. p. 211. &c. & Schatenius in Hist. Westph. Lib. IV. p. 260. &c.

p) Contractum hoc matrimonium Theodosio VII. & Palladio consulibus. i. e. A. C. 416. testibus Prospero Aquitano & Cassiodoro in Chron.

q) Facta hæc Constantii in consortium imperii admissio, testibus modo laudatis Prospero, Aquitano & Cassiodoro in Chron. sub consulatu Theodosii IX. & ejusdem Constantii III. i. e. A. C. 420.

r) Agricola & Eustathio Coss. i. e. A. C. 421. cit. Chronologi.

s) Mariano & Asclepiodoro consulatum gerentibus, i. e. A. C. 423. Cassiodorus & P. Aquitanus c. l.

t) Causam hujus discordiæ inter Honorium ejusque sororem Placidiam indicat Cassiodorus in Chron. scilicet, suspicionem invitatorum hostium. Ipsa autem ejectio facta, eodem & Prospero Aquitano testibus, Mariano & Asclepiodoro Coss. vide etiam P. Diaconum Lib. XIV. p. 426.

u) Quæ hactenus de hoc Johannis motu ejusque compositione dicta, auctoritate Prosperi Aquitani in Chron. Gregorii Turonensis in histor. Franc. Lib. II. c. 8. Procopii Lib. I. hist. Vandal. ab init. Jornandis p. 124. de regn. & tempor. success. & Pauli Diaconi Lib. XIV. p. 427. nituntur.

§. CIX. Vicerat Aetius, in gratiam receptus, Theodoricum, Gothorum regem, Arelas oppidum circumfuso exercitu prementem, *x*) eoque datis legibus fœdere sibi adstricto, Francos quoque, Galliarum partem, Rheno proximam, possidentes, multis eorum cæsis, trans flumen in pristinas sedes

des repulerat. y) His secundis successibus elatior, cum jam antea immodica ambitione partem habere nequiret, ægre ferebat, quod Bonifacio, suo æmulo, in remunerationem fidelium adversus Johannem in Africa officiorum præstitorum, provinciæ hujus cura a Placidia demandaretur. Quo igitur occultis eum e medio tolleret insidiis, profectum jam in Africam apud tutricem criminari cœpit, ut regni appetitorem, & ipsi & imperatori Africam erepturum. Neque rem exploratu difficilem; si enim Romam Bonifacium vocaret, non venturum. Traditis his fœmina fidem facile adhibens, & Aetii insuper consilium sequens, Bonifacium ex Africa revocavit. At hunc jam litteris clam scriptis Aetius præoccupaverat: matrem imperatoris insidias in ipsius exitium struere ejusque rei indicium prædixerat: fore, ut sine causa subito ex Africa revocaretur. His igitur litteris neutiquam spretis, Bonifacius negavit, se aut imperatori, aut matri ejus pariturum, Aetii monita silentio premens; quod ubi Placidia intellexit, tam Aetium fidelissimum principi credidit, quam suspectum Bonifacium habuit. Misso itaque Mauortio & Gallione Ducibus cum exercitu in Africam, & his a Bonifacio interemtis, Sigisvulto etiam cum novis copiis eo ablegato, Carthagine commorantem obsidere jubet; quod ille sentiens, non leve sibi periculum instare, cernensque, se imparem esse imperatoriæ potentiæ, nec salutem sperans, si Romam proficisceretur, missis in Hispaniam legatis, Vandalorum opem implorat, eosque LXXX. millibus, Genserico rege, fretum Gaditanum trajicientes, Africæ immittit. Imprudens hoc & longe perniciosissimum & ipsi Bonifacio & toti imperio factum: igitur vix assignatas sibi in Mauritania sedes occupaverant, cum hujus eum rursus pœniteret, impetrataque commissorum, interpositis amicorum precibus, a Placidia venia, quos modo sub variis promissis socios ex Hispania in Africam acciverat, jam ea quoque blanditiis expelli allaboraret. Verum his dicta ejus non modo non probantibus, sed & in contumeliam suam interpretantibus, res tandem a verbis ad verbera veniebat. Victus in hoc bello primo statim commisso prœlio Bonifacius, & licet transmisso sibi Roma & Byzantio novo exercitu belli fortunam denuo tentaret, mox tamen iterum superatus, Africa discedere, eamque in harum gentium manibus relinquere fuit coactus. Gratus hujus cladis nuncius Aetio, ast ingratissima nova benevolentiæ declaratio, qua Romam sese recipientem Bonifacium, concessa ei militum magistri dignitate, Placidia susceperat. Dolo igitur & occulta fraude, qua fortunam ejus hactenus subvertere frustra tentaverat, se ei haud nocere posse videns, jam vi aperta eum aggredi statuit, ast pari rursus, quo prioris conatus successu; victus namque a Bonifacio prœlio commisso, nec se tutum in solo Romano fore putans, ad Rugilam Hunnorum regem aufugit, nec antea in Italiam reversus, cognita nisi Bonifacii ex vulnere in hoc prœlio accepto morte: Tunc enim in gratiam Placidiæ, mobilis animi fœminæ, denuo admissus, pristinos non solum recuperavit honores, sed & ordini patriciorum adscriptus, rei militari, sub militum magistri titulo, ab ea fuit præfectus. z)

x) Accidit hoc secundum P. Aquitanum in Chron. Theodosio XI. & Valentiniano Cæsare Coss. i. e. A. C. 425. historiam vero hujus belli referunt Isidorus ad æram 457. de origg. & gest. Gothor. & Paulus Diaconus Lib. XIV. pag. 428.

y) Ita enim in chronico suo, uno velut ore, cum P. Aquitano, Cassiodorus, Felice & Tauro Coss. i. e. A. C. 428. *Pars Galliarum propinqua Rheno, quam Franci possidendam occupaverant, Aetii comitis armis recepta.* Cui etiam jungi possunt Brovverus Lib. V. p. 284. & Valesius Lib. III. p. 126. c. l.

z) Hactenus dicta desumta sunt imprimis ex Procopii histor. Vandal. Lib. I. ab init.

init. & P. Diaconi Lib. XIV. p. 430. &c. histor. quibus etiam jungi possunt Jornandes de reb. Getic. c. XXXIII. & de regnor. & tempor. succesf. pag. 225. nec non qui annum institutæ migrationis Vandalorum in Africam ad consulatum Hierii & Ardaburis i. e. ad A. C. 427. in Chron. suis referunt Prosper Aquitanus & Cassiodorus Senator. Duravit autem hoc bellum intestinum ad A. C. 432. Aetio & Valerio consulatum gerentibus, quo in prœlio cum Aetio habito Bonifacius vulneratus vitam cum morte commutavit. c. auctores.

§. CX. Dum itaque occidentis, ut dictum, primarii Duces, Aetius & Bonifacius, malo publico ambitione & æmulatione concitati, de primatu obtinendo invicem certarent, & in exteros hostes convertenda arma in se ipsos detorquerent: Hi commoda hac occasione pro viribus utentes, dilaceratum jam alias imperium undique invadebant, & veluti Gallieni & Honorii temporibus accidit, obvia quævis, nemine resistente, in prædam rapiebant. Vandalos enim, Africam vastantes, ut taceam, misera Hispania sub Gothorum Sueuorumque gemebat dominatu, Galliam civiles motus & rebelles Bagaudarum, Armoricorumque factiones, convolantibus simul ad arma Gothis, Francis, Alemannis & Burgundionibus affligebant, & Pannonia insuper a barbaris vexatâ, Vindelici quoque hoc turbato rerum Romanarum statu jugum eorum sibi molestissimum excutiebant, seque Alemannis, inito fœdere, jungebant. Permixtis itaque omnibus in imperio spoliis & incursionibus hostium & perduellium subditorum armis, unicum adversus tot calamitates remedium inopina, ut diximus, mors Bonifacii videbatur; quippe hoc extincto, Aetius ab æmulo, longe sibi molestissimo liber, imperii res majori cura procurare, & omni virium suarum nervo, quem hactenus contra illum intenderat, unice in hostes imperii converso, jam longe prosperiori cum successu eos debellare & provinciis ubique disturbare aggrediebatur. Intercesserat jam cum Bonifacio adhuc de primatu litiganti, non leve cum Junthungis Alemannis, Noricum & secundam Rhætiam depopulari solitis negotium, quos una cum sociis eorum Noticis & Vindelicis, ab imperio deficientibus, prosperis armis vicit, & ad pristinam partim obedientiam reduxit. *a*) Igitur inita quoque cum Vandalis, concessa ipsis non exigua Africæ portione, pace, *b*) primum impetum in Burgundiones faciebat, quos non contentos agro provinciæ Germaniæ primæ, quem ante annos XXII. occupaverant, Rege Gundicario in Belgiæ fines sese inferentes. non solum repressit, sed & bis adeo fregit, ut non jam de proferendis finibus, sed de sola salute cogitarent, missisque legatis pacem supplices orarent, quam assignatis sibi novis in Gallia interiori sedibus, ne Rheno proximi Transrhenanis denuo sese jungerent, & sic parua ex scintilla majus oriretur incendium, facile quoque obtinuerunt. *c*) His, ut dictum, debellatis, ordo jam tangebat Bagaudes, quos cum Armoricis rebellibus castigandos dedit Euchario Alemannorum regi. Hic magno impetu ad eos exscindendos raptus, sine mora imperata fecisset, ni precibus Germani, Antisiodorensium præsulis, motus, miseris adhuc pepercisset, & Aetius quoque jam clementior iram suam ad pacis fœdera reprimi fuisset passus. *d*) Tunc Tibatone rebellionis hujus principe & cæteris ejus asseclis partim vinctis, partim enecatis, victricia sua arma Aetius in Gothos convertit, junctisque sibi Hunnorum auxiliis, ad eos coercendos Litorium Comitem cum valida manu ablegavit, qui Aquitaniæ regno non contentos pleraque Romanæ ditionis oppida vicina sibi occupantes, & Narbonam urbem longa obsidione fatigantes, primo quidem concursu non sine magna eorum clade repulit, mox vero hac inflatus victoria, cum Aetii gloriam superare contendens, regni Gothici caput, Tolosam, obsideret, & haruspicum fallacibus responsis nimium fidens, temere de-

nuo

nuo cum pacem petentibus confligeret, ab his quoque fœde cæsus & captus, misere in vinculis eorum contabuit. Justa hæc stolidæ hujus Ducis remeritatis pœna, ast non levis simul hac clade Aetii jam partæ gloriæ macula contracta: quippe hac obtenta victoria ad fœdera jam rigidiores Gothi, Gothiæ suæ fines in Ligerim Rhodanumque, qua lubitum, proferentes, nec precibus, nec pecunia, inflecti poterant, ad pacem ineundam, usque dum Auiti, Præfecti prætorio, perpetui Aetii in his expeditionibus socii, litteris non parum mitigato regis eorum Theodorici animo, jam proniores ad eam adeo desideratum à Romanis fœdus tandem pangerent, & datis dextris, illud confirmarent. *e*) Quo facto, hoc successu lætus Aetius, novum contra Francos expeditionem suscepit, quos supra dicta ab ipso apud Rhenum accepta clades adeo non terruit, ut potius reparatis viribus in Gallias rursus irruerent, captisque Tornaco & Cammeraco oppidis, omnibusque inde ad usque Suminam flumen perpetuæ possessionis causa occupatis, jam Attrebates quoque suæ ditionis facere tentarent. Hos igitur labori huic immorantes tumultuaria quidem vicit pugna, sed Hunnis interim imperio Romano interitum minantibus, ut his occurreret, a Valentiniano in Italiam revocatus, amissas semel ab eis provincias recuperare haud potuit, quin potius contentus, quod transito Sumina flumine in interiora Galliæ non penetrabant, pacem cum eis ante discessum suum fecit, occupatas Galliæ provincias, ab omni vectigalium onere solutas, in manibus eorum relinquens, ea tamen lege, ut quietos imposterum se gererent & adversus Hunnos, si res posceret, socialia conjungerent arma. *f*) Novum hoc occidentis detrimentum, cui mox aliud successit, amisso nempe Britanniæ partis ad meridiem vergentis. Cum enim incolæ ejus, continuis Pictorum Scotorumque incursionibus vexati, diu frustrà à Romanis, aliis bellis implicitis, auxilia petiissent, & non nisi responsum accepissent: suis ipsi rebus consulerent, deligerentque ex gente sua aut Ducem, aut Regem, qui eos contra injurias vicinorum defenderet, *g*) his miseriis oppressi, desperata salute, Saxones tandem una cum Anglis Sueuis in subsidium vocarunt, qui læto animo in Britaniam profecti, dictos quidem Pictos Scotosque represserunt, mox vero, nescio quam causam prætendentes, quasi parce sibi, ac maligne, depensum stipendium, in Britannos ipsos arma verterunt, totamque pene ab oriente ad occidentem insulam, igne ferroque vastatam, in suam potestatem redegerunt, *h*) luculento posteris exemplo, quam periculosum tempore necessitatis auxilia à potentiori expetere.

a) Expeditionis hujus Aetii adversus Junthungos Alemannos & rebelles Noricos Vindelicosque susceptæ meminit Sidonius Apollinaris in panegyrico Auito Augusto Socero dicto, quem comitem in hac expeditione Aetius habuit. vers. 234.

> *Nam post Juthungos & Norica bella, subacto*
> *Victor Vindelico, Belgam, Burgundio quem trux*
> *Presserat, absolvit.* - -

Nec hanc Alemannorum cladem, licet sub generali Sueuorum nomine & paulo magnificis verbis, tacere etiam videtur Jornandes c. XXXIV. de reb. Getic. scribens: Aetium *superbiam Sueuorum Francorumque barbariem immmensis cædibus servire Romano imperio coegisse.* Annum vero hujus expeditionis indicat Chronicon, quod communiter Prospero Aquitano tribuitur apud Labbeum c. I. pag. 59. Scilicet VII. post obitum Honorii annum i. e. A. C. 429.

b) Hanc necessariam magis, quam utilem vocat Paulus Diaconus Lib. XIV. p. 432. adde Procopium Lib. I. Hist. Vandal. ab init. & qui sub consulatu Theo-

Theodosii XV. & Valentiniani IV. i. e. A. C. 345. ejus quoque mentionem faciunt, Prosperum Aquitanum & Cassiodorum in chronic.

c) Hæc gesta Aetii cum Burgundionibus ad consulatum Theodosii XV. & Valentiniani IV. referunt P. Aquitanus & Cassiodorus c. l. qui A. C. est 435. quibus addi possunt Idatius in chronic. P. Diaconus L. XIV. p. 432. & ex recentioribus Nic. Vignierius in chron Burgund. ad An. 435. & B. Schurtzfleischius in Hist. veter. regn. P. Q. Burgund. c. II. §. 2. qui insuper ex Socratis Lib. VII. & Nicephori Lib. XIV. hist. Eccles. præter jam dicta, devictis postea ab Aetio Hunnos immissos, eorumque ope omne pene Burgundionum nomen ac stirpem deletam fuisse ostendunt. Annum vero, quo reliquiis eorum in interioribus Galliæ partibus, i. e. Sabaudia, sedes assignatæ, indicat Chronicon Prosperi Pithœanum apud Labbeum c. l. cum XX. post obitum Honorii anno, qui 442. post C. N. est, dicitur: *Sabaudia Burgundionum reliquiis datur cum indigenis dividenda.*

d) Causas hujus Armoricorum & Bagaudarum rebellionis indicat Salvianus Lib. VI. de gubernat Dei. Scilicet insatiabilem Romanorum præsidum & magistratum avaritiam & superbiam. Ipsum autem motum auxiliis Alemannorum & interventu precum Germani præsulis sedatum fuisse, ex vita beati hujus Germani comprobat Schatenius Lib. V. p. 274. hist. Westph. cui insuper addi potest Chronicon, quod communiter P. Aquitano tribuitur c. l. ubi compositio hujus motus ad annum XIV. post mortem Honorii, i. e. ad A. C. 436. refertur.

e) De hoc bello Gothico ab Aetii II. & Sigisvulti ad Theodosii XVII. usque & Festi consulatum, i. e. ab A. C. 437. ad 439. per tres annos gesto, videri possunt P. Aquitanus, Cassiodorus & Idatius in chronic. imprimis vero Salvianus Lib. VII. de gubernat. Dei, Isidorus de orig. & gest. Goth. ad æram 457. P. Diaconus Lib. XIV. p. 432. & 437. c. l. & quidem omnium elegantissime non minus quam vere, quam anxie & humiliter Romani pacem a Gothis poposcerint, recenset Sidonius Apollinaris c. l. vers. 297.

f) Hujus Francorum in Belgium & Galliam, Clodionis regis auspiciis, susceptæ expeditionis imprimis meminit Gregorius Turonensis Lib. II. c. 9. Aimoinus Lib. I. c. 5. de gestis Franc Marianus Scotus in chron. ad A. C. 438. & qui hunc sequitur, Sigebertus Gemblacensis in chronograph. nisi quod hæc gesta ad annum demum 445 referat. Victoriam autem Aetii de iis, nuptialibus epulis effusius se hilarantibus, reportatam, Majoriano jam Augusto gratulatus, carminice celebravit Sidonius Apollinaris, vers. 212. cui ex recentioribus jungi possunt Schatenius Lib. V. p. 275. c. l. & H. Valesius Lib. III. p. 130. c. l.

g) Paulus Diaconus Lib. XIV. p. 439. c. l.

h) De hac Anglorum Saxonumque in Britanniam A. C. 441. migratione, eamque insecuta maximæ hujus insulæ partis ab eis occupatione, præter jam supra ad §. XII. allegatos auctores, conferri possunt, Guillelmus Malmesburiensis Lib. I. de gest. reg. Anglor. Galfredus Monumetensis de orig. & gest. reg. Britan. Lib. VI. c. 15. Asserius in Annal. ad An. 449. Nennius in Hist. Britan. c. 42. Rob. Scheringamus de Anglor. gent. orig. c. II. p. 14. H. Valesius Lib. III. p. 142. c. l. & Schatenius Lib. V. p. 282. c. l.

§. CXI. Hactenus igitur Valentiniani regimen non nisi continuum cum Germanicis populis bellum; cum præter Suevos, Burgundiones, Gothos, Francos & Saxones, haud exiguam Hispaniæ, Galliæ & Britanniæ portiones vastantes, Vandali quoque fracta paulo ante cum eo inita pace Carthaginem A. C. 437. expugnarent, & Siciliam invadentes, hanc quoque sibi subjecissent insulam, ni transitu Sebastiani Ducis cum exercitu Romano in Africam revocati, confirmata pace, executionem hujus conatus in tempus magis commodum

dum differre fuissent coacti. *i)* Ast jam praecedentium tempestatis fluctuum omnium ei ab Hunnis imminebat maximus. Praebuit materiam hujus belli Honoria, soror ipsius natu maxima, quae cum ob aulae decus ac castitatem teneretur metu ejus inclusa, ultionis ac licentiae peccandi cupida, nec dolore minus quam libidine accensa, Attilam eorum Regem, tunc cum Bleda fratre orientis devastationi inhaerentem, per eunuchum sibi fidum clanculum invitavit, ut, superatis Italiae Alpibus, miseram se a potestate fratris liberaret, acceptaque dotis loco occidentis dimidia parte, quam a patre Constantio relictam sibi debitamque crederet, duxeret in uxorem. *k)* Grata haec barbaro regi invitatio, qui prosperis in oriente successibus elatior, & sublato Bleda fratre, structis a se insidiis, opibus quoque & potentia auctior, Scythiae, Pannoniae Daciaeque terras, prae orbis terrarum imperio, genti suae angustos nimis terminos esse, jam diu reputaverat. Ambabus igitur eam amplectens manibus, ingentes faciebat armorum apparatus, innumera populorum agmina contrahens, & bello quoque necessaria undique conquirens. Stabant siquidem in hoc bello a partibus ejus subjectae ei gentes Hunni, Ostrogothi & Gepides, hi Ardarico Regi, illi Valamiro, Theodomiro & Vindemiro, fratribus & Ducibus, Hunnorum tributariis, parentes: nec qui ejusdem conditionis, Quadi, Marcomanni, Sciri, Eruli, Rugi, Geloni, Neuri, Bastarnae, Turcilingi, Alani, Bellonoti & Burgundiones Sarmatae, ab hac quoque expeditione immunes, quid? quod & in itinere, partim spe praedae opulentissimae, partim odio erga Romanos, partim denique metu adactae plurimae Germanicae gentes ei sese jungerent, & communem facerent causam, quas inter Thuringi imprimis & Bructeri cum Francorum parte a scriptoribus numerantur. *l)* Ingens haec ferocissimarum gentium in excidium occidentis excitatarum multitudo: cum vero Attila pro ea, qua pollebat, sagacitate, nihilominus non satis sibi provisum intelligeret, si Wesigothi, gens belli gnara, cum Romanis arma jungerent, & conjunctis sibi resisterent viribus, ad dolum conversus, omnem impendit operam, ut consilii fallacia dissociatos vinceret, quos conjunctos armorum fortitudine aggredi haud audebat. Missis itaque dupplicibus legatis, altero ad Theodoricum Gothorum regem, altero ad Valentinianum Augustum, huic persuaderi contendit; non sibi cum eo, quo cum factam pacem incorrupta fide custodiret, & cui Galliae Hispaniaeque provincias, dudum amissas, armis restituere pararet, sed cum Theodorico, communi utrorumque hoste, esse certamen. Illum vero pari fraudis obtentu admonet, ut quantocyus a Romanorum societate discederet, memorque pristinae injuriae a his sibi illatae, tale quid non metuentes in Gallia aggrederetur, se eodem tempore in Italiam irrupturum. *m)* Solers haec barbari regis astutia, qua cum odiis internis hostes suos collidere studeret, currenti jam in expeditionem non leve quoque addidere calcar litterae Genserici Vandalorum regis & Clodionis regis Francorum filii natu majoris, sibi transmissae, quibus uterque eum quoque in Galliam invitaret; hic quidem ut regnum Franciae sibi assereret, a quo per Meroveum erat dejectus; ille vero ut adversus Theodoricum Vesigothum se praemuniret, cujus filiam, Hunnerico filio suo nuptam, ob suspicionem parati ab ea veneni, naribus auribusque amputatis, decore naturali spoliatam, Tolosam remiserat, & ne pater puellae injuriam ulcisceretur, non immerito timebat. *n)*

i) Conf. de hactenus dictis P. Diaconus Lib. XIV. Histor. p. 437. & 438. & Lib. XV. p. 443. & P. Aquitanus in Chron. qui Carthaginis expugnationem ad Theodosii XVII. & Festi, expeditionem Vandalorum in Siciliam, ad Valentiniani V. & Anatolii, pacis vero conclusionem ad Dioscori & Eudoxii consulatum, i. e. ad A. C. 439. 440. & 442. refert.

k) Jornandes c. XLII. de reb. Getic. in f. & de successf. regnor. & tempor. p. 125. conf. etiam qui hunc in omnibus sequitur Conradum Vespergensem in Chron. p. m. 105.

l) Harum gentium, quibus innumerabilis Attilæ exercitus compositus, meminerunt Sidonius Apollinaris in Panegyrico Avito dicto, carm. VII. v. 319. P. Diaconus Lib. XV. p. 443. Jornandes c. 38. c. l. & qui hunc exscripsit Conradus Urspergensis c. l. quibus insuper Aventinus Lib. II. c. 53. n. 23. Annal. Bajor. Alemannos addit, rege suo Gibuldo.

m) Jornandes c. XXXVI. c. l. Paulus Diaconus pag. 444. c. l. & Conradus Urspergensis c. l. p. 103.

n) Hujus inuitationis Genserici Vandalorum regis & Clodionis regis Francorum filii natu majoris mentionem faciunt Jornandes c. XXXVI. c. l. & Priscus Panites, in excerptis, quæ hodie de historiis ejus, in quibus Attilæ gesta omnium optime consignavit, supersunt.

§. CXII. Tot igitur litteris & nunciis, præter insignem, qua ipse occidente potiundi flagrabat cupidinem, invitatus *Attila*, necessariis omnibus ad tam longam profectionem comparatis, cum exercitu quingentorum, o) vel ut aliis placet, septingentorum p) millium, ex Pannonia movit, diu meditatum iter in Galliam suscipiens. Dubium adhuc, an per Quados, Marcomannos, suæ ditionis tunc populos, & inde Thuringorum, Cattorum, Bructerorum, Francorumque agris etiam emensis, ad Rhenum tenderit, q) an per Romanas provincias, Noricum, Vindeliciam & Rhætiam ad Lacum Brigantinum & Rauracorum Basileæque fines iter tenuerit; r) cum negligentia veterum id nobis scire prohibeat, eorum posteri vero temere hac, illac, qua suspicionum aura impelleret, conjecturis sint diuagati. Hoc certum, Attilam ad Rhenum perlatum, arboribus ex Hercynia defectis, s) & singulis scapharum instar excavatis, hoc flumen eorum ope inter initia t) A. C. 451. trajecisse, fingensque primum, se Valentiniani nomine belli Vesigothis inferendi causa in Gallias venisse, non paucas quoque earum urbium, partim dolo & simulatione pacis, partim vi, cepisse & expugnasse. Capta enim Hunnico hoc tumultu Diuodurum Mediomatricum civitas, magnaque inde egesta prius præda, incolis quoque partim in captivitatem abductis, partim ritu victimarum mactatis, ipsa misere incensa tota in favillis suis fuit consepulta; u) destructum quoque Scarboniæ castrum, non longe inde dissitum & Alemannorum olim clade famosum, x) excisa ac direpta Augusta Trevirorum, y) Durocortorum Rhemorum diruta, Aduaca Tungrorum solo æquata, ejusque territorium fœde vastatum, z) ac, ut quidam referunt, celeberrimæ Germaniæ primæ civitates, Argentoratum, Nemetes, Vangiones, Maguntiacum & Antenacum sævitiam Hunnorum satis manifeste etiam fuerunt expertæ, a) omnisque denique Rhenum inter & Ligerim regio spoliis, rapinis, necibus & incendiis repleta, nulli ætati, honori & sexui parsum & ubique innumera barbaræ feritatis, avaritiæ & libidinis exempla edita, donec in Aurelianos delatus Attila, gradum jam ibi sisteret, & oppugnationi hujus urbis inhærens, Romanis interim occasionem præberet respirandi, & de remediis, quomodo provincias suas a tam immani hoste liberarent, cogitandi.

o) Hunc numerum exercitus Attiliani definiunt Jornandes c. 35. c. l. Sigebertus Gemblacensis in Chron. ad An. 453. & Conradus Urspergensis p. 103. c. l.

p) Sic numerum Hunnorum & sociallum populorum, Attila Duce, provincias Romanas Cis-Rhenanas irruentium, extendit P. Diaconus Lib. XV. pag. 443.

q) Hæc

q) Hæc putat Crusius in Annal. Sueu. Part. I. Lib. VII. c. 10. p. 183. Rhætiæ autem Vindeliciæ & Norici civitates, quarum integrum p. 185. seq. exhibet catalogum, ab Attila ex Gallia domum redeunte demum vastatas & excisas fuisse arbitratur. Consentiunt ei Valesius Lib. IV. p. 158. rer. Franc. & Schateoius Lib. V. p. 286. hist. Westph.

r) Mens hæc Aventini est Lib. II. c. 53. n. 23. Anoal. Bajor. Longe vero ab hac & præcedente opinione recedit Welserus in Anoal. August. Lib. VIII. p. 331. numerosissimas Attilæ copias utramque Danubii ripas in itinere suo opplevisse, & secundum eas migrationem in Gallias instituisse, haud incongrue conjiciens. De Romanis enim provinciis fidem facit Procopius de ædif. Justin. Lib. IV. cum Attilam, ait, subvertisse propugnacula ab Impp. olim huic fluvio imposita, & Germaniam magnam partem ejus exercitus etiam pervagasse, testantur copiæ ejus auxiliares, Thuringi, Catti, Bructeri, Franci &c.

s) Sidonius Apollinaris in panegyr. Avito Aug. dicto carm. VII. vers. 325.

t) Hanc enim Attilæ irruptionem io Gallias inter initia propemodum Anni 451. contigisse, persuadet, quod Gregorius Turonensis Lib. II. c. 6. hist. de excidio Metensis urbis narrat: Hunnos *in ipsa Sanctæ Paschæ vigilia ad Metensem urbem, reliqua depopulando, pervenisse*; & quod hanc Galliæ cladem P. Aquitanus & Cassiodorus in Chron. ad consulatum Marciani Augusti & Adelphii referant, qui iocidit in annum Christi 451.

u) Gregorius Turonensis c. l. Aimoinus Lib. I. c. 6. de gest. Franc.

x) P. Diaconus in libello de Episc. Metens. Eccles. p. 173. apud Freherum T. I. Rer. Fr.

y) Aimoinus c. l.

z) Aimoinus & Sigebertus c. l. adde Robertum, monachum cœnobii S. Mariani apud Altissiodorum in Chron.

a) Tradita hæc sunt Schatenii c. l. & qui jam ante eum, ut diximus, catalogum excisarum ab Attila circa Rhenum urbium composuit, Crusii c. l. nisi quod hic jam memoratis adhuc Basileam, Viodonissam, Coloniam Aggrippinam, & Victoriacum addat: quæ, si Coloniam, ex rationibus a Schatenio allegatis, excipias, vel ideo verosimilia, quod Sidonius diserte Attilam *hostem Rheni* Lib. VII. epist. 12. appellat, & Idatius quoque in Chron. Attilam Germaniæ primæ non pepercisse tradit. Confirmant dicta ulterius, quæ de hac provinciarum Romanarum per Attilam vastatione in medium producunt Beda in hist. Eccles. Lib. I. c. 13. & Sigebertus c. l. hoc enim teste, *per totas Gallias per eos*, Hunnos, *tanta efferbuit Dei indignatio, ut nullam omnino civitatem, castellum, vel oppidum aliqua a furore eorum potuerit tutari munitio*, & illo referente: *adeo intolerabilis reipublicæ remansit hostis*, Attila, *ut totam pœne Europam, excisis invasisque civitatibus atque castellis corroderet.* Inde jam dictis Chiffletius quoque de Vesontio Part. I. c. 5. p. 208. ex Roberti chronico Vesontium annumerat, qui & ipse Lingonum & Tulli oppidorum ab Attila eversorum meminit. Et Wurtenbergensem denique agrum ab ejus exercitu, vel in itinere in Galliam, vel in reditu in Paononiam, conculcatum fuisse, haud incongrue conjicit sæpe laudatus Crusius p. 183. c. l. quod & de dulcissima patria scriptores domesticos unanimi ore tradere, testatur historiæ ejus scriptor gravissimus, nunquam laudibus satis evehendus Velserus Lib. VIII. p. 332. c. l.

§. CXIII. Missus hoc fine *Aetius*, columen tunc imperii, cum exercitu Italico in Galliam; qui ibi adveniens, junctis sibi Vesigothorum, Theodorico rege, auxiliis, b) Aurelianos primum ab obsidione liberavit, c) inde adscitis sibi insuper Francis, Sarmatis, Armoriacis, Litianis, Burgundionibus, Saxonibus, Ripuariis & Brionibus, aliisque Galliæ & Germaniæ nationibus in

commilitium, *d*) ad communem hostem depellendum, aversum jam ab hujus urbis obsidione Attilam tandem quoque in campis Catalaunicis ingenti prœlio superavit. Atrox hoc, immane, multiplex & pertinacissimum, cui simile nunquam memorat antiquitas, prœlium, ejusque initium Gepides inter & Francos factum, qui noctu ante congressionem publicam sibi invicem occurrentes, adeo pertinaciter pugnarunt, ut XC. Gepidarum & Francorum millia, mutuis vulneribus conciderint, his pro Romanorum, illis pro Hunnorum parte certantibus. *e*) Secuta hunc conflictum altera die ipsa decretoria pugna. Licet enim haruspices, exta victimarum intuentes, infausta quævis Attilæ prædicerent, decertare tamen, quam longius recedere maluit, quod simul hoc adderent solatii, summum hostium ductorem de adversa parte in hoc prœlio casurum, relictaque victoria sua morte fœdaturum; quod cum de Aetii nece interpretaretur, quam etiam sua cum pernicie duceret expetendam, circa nonam diei horam copias suas trepidus in prœlium eduxit, sperans, si non secus cederet, noctem imminentem laboranti sibi subventuram. *f*) Regebat dextrum ejus exercitus cornu Ardaricus, rex Gepidarum, & lævo quoque Walamere Gotho præfecto, ipse mediam cum Hunnis suis tenebat aciem. Contra ex parte Romanorum Theodoricus Rex Gothorum dextro cornu præerat, & Alanis, cum Sangibano eorum rege, ut suspectis, ne fugere possent, in medio agmine constitutis, Aetius lævum sibi ducendum sumserat. Erat inter utramque aciem spatiosus collis, quem qui possideret, opportunitate loci victor futurus videbatur: Hunc dum a dextra parte Hunnus, a sinistra vero Gothus cum Romano milite superare contenderet, & alter alterum prævenire studeret, res a tumultuaria pugna in apertum legitimumque bellum exarsit, Thorismundo, Theodorici regis filio, cacumen montis tandem occupante & præsidio valido firmato, Hunnos eo dejiciente. Tunc Attila exercitum suum hac jactura non parum perturbatum videns, habita ad eum oratione, animos militum confirmare studet, datoque signo, prœlium denuo restaurare jubet. Atrox fit concursus, Hunnis de gloria, Romanis de libertate, multis datis & acceptis invicem vulneribus, pugnantibus; cadit inter primos Theodoricus Rex Vesigothorum, ordines suorum obequitans & ad fortitudinis specimina edenda cohortans; tanta etiam de reliqua plebe ab utraque parte edita strages, ut integri cadaverum aggeres in medio acierum exporrecti starent, rivulusque, prœlii campum secans, cruore humano auctus, in modum rapidissimi torrentis inundaret, quo sitis vehementiam non pauci postea sedarunt. Cæsa enim utrimque fuisse referuntur centum ogoginta millia hominum, *g*) & nisi nox intempesta cruentum hoc diremisset prælium, exitio foret atque internecione copiarum utrinque certatum. Tunc vero Attila a Visigothis, ab Alanis sese separantibus, magno impetu aggressus & pene trucidatus, desperans de victoria, receptui cani jussit, copiasque suas reliquas, in castra reducens, illico intra ea, Germanorum more, rhedis & plaustris sese communivit; quæ cum Thorismundus, qui cum Aetio collem anticipans hostes de superiori loco deturbaverat, sua ratus, cœca nocte, accessisset, a sagittariis, intra septa castrorum collocatis, crebris ictibus arcitus, & fortiter dimicans a quodam in capite vulneratus equoque dejectus, in manus hostium pene vivus venisset, ni suorum adhuc providentia ab hoc eum periculo liberasset. Similiter Aetius noctis confusione divisus, cum inter hostes medios vagaretur, trepidus, ne quid adversi accidisset Gothis, inquirens, tandemque ad socia castra perveniens, scutatorum custodiis undique dispositis, reliquum noctis sub armis transegit. *h*) Postera die, luce illucescente, cum cadaveribus plenos campos adspicerent Aetius & Thorismundus reliquique eorum socii, & Hunnos non audere e castris suis munitis erumpere, tunc demum vicisse se intellexerunt, justisque Theodorico

dorico in conspectu hostium persolutis, filioque ejus Torismundo in locum ejus a suis surrogato, quid agerent cum superato Attila, armorum sonitu, tubarumque cantu fiduciam & eruptionis faciendæ consilium simulante, deliberarunt. Placuit Vesigothis Francisque castris inclusum arcta obsidione fatigare, omnique commeatu intercepto, orta inde fame, ad deditionem cogere: Et certe, dubio procul Attilæ sanguine manibus genitoris sui parentasset Torismundus: ferunt enim, eum, desperatis omnibus, jam pyram ex equinis sellis construi jussisse, cui se hostibus castra expugnantibus injiceret, flammis prius absumendus, quam in hostium potestatem ludibriumque veniret. *i*) Ast longe in alia abiit Aetius: veritus enim, ne Hunnis funditus interemtis, remotoque bellicosissimi hostis metu, Franci ac Vesigothi æque ac illi imperio perniciosi forent, vel ut alii volunt, pristinorum ab Hunnis, cum ad eos sese recepisset, beneficiorum acceptorum memor, eos funditus delere nolens, quo, si res posceret, penes eos semper sibi refugium esset, & in imperium receptis Romanos quoque oppugnare posset, Torismundo persuasit, ut ad proprias sedes remearet, regnumque quod pater reliquerat, arriperet, ne germani ejus, domi relicti, opibus paternis sumtis, illud prius invaderent & præoccuparent; *k*) idem etiam cum Merouco, rege Francorum, simili agens dolo effecit, ut confestim ad suos rediret. *l*) Ipse vero, lectis & distributis inter milites suos spoliis, Arelatum rediit, & hoc suo discessu Attilæ simul occasionem dedit, secure sese ad Rhenum recipiendi, & ab hoc flumine ulterius quoque in Scythiam remigrandi, *m*) unde reparatis viribus mox ipsi Italiæ hostilia sua arma erat ostensurus.

b) Sidonius Apollinaris in Panegyrico Avito socero dicto vers. 330. Hujus enim interpositione Gothos sibi adjunxerat Aetius.

c) De hac liberatione Aurelianensis urbis ab obsidione Hunnica imprimis videndi sæpe laudatus Sidonius Apollinaris Lib. VIII. epist. 15. qui eo tempore vivens has Galliæ calamitates sensit, & peculiari insuper libro hanc obsidionem & reliqua gesta Attilæ conscribere in animo habuit, sed magnitudine operis victus, tandem conticuit. Gregorius Turonensis Lib. II. c. 7. Aimoinus & Sigebertus c. l.

d) Ita Aetii copias auxiliares in hac expeditione contra Hunnos recenset Jornandes c 36. c. l. & qui eum, ut jam sæpius monitum, communiter sequitur, Conradus Urspergensis c. l.

e) Hujus Gepidarum & Francorum cladis meminit præter alios Jornandes c. 41. c. l.

f) Superstructa hæc quoque auctoritati Jornandis c. 37. c. l. & Conradi Urspergensis c. l.

g) Differunt auctores in numero cæsorum: Jornandes enim c. 41. CLXII. tantum eorum habet millia, cum contra Sigebertus c. l. eum ad CLXX. P. Diaconus vero Lib. XV. p. 445. ad CLXXX. millia extendant; quibus tamen plus fides habenda Idatio in Chron. & Isidoro de orig. & gest. Goth. ær. 457. qui CCC. plane interfectorum connumerant; nisi quis dicere velit, eos Gepides simul & Francos, qui præcedente nocte ante initium prælii mutuis vulneribus conciderunt, sub hoc numero quoque comprehendisse.

h) Quæ hactenus de cruentissimo hoc inter Hunnos Romanosque eorumque confœderatos habito prœlio dicta, desumta sunt ex Jornandis c. 38. 39. & 40. c. l. Conrado Urspergensi & Sigeberto c. l. P. Aquitano, in Chron. Marciano Aug. & Flavio Adelfio Coss. Isidoro c. l. & Paulo Diacono Lib. XV.

Lib. XV. p. 445. quibus ex recentioribus imprimis jungi potest H. Valesius Lib. IV. rer. Franc. p. 162. &c. & in notitia Galliarum, artic. Catalauni, ubi in Campos hujus prœlii inquirit, eosque olim in provincia Belgicæ secundæ sitos, hodie non longe ab urbe, quæ communiter Chalons dicitur, & Campaniæ provinciæ civitas est, remotos esse fusius ostendit.

i) Hactenus Jornandes c. XL. XLI. c. l. & Conradus Urspergensis c. l.

k) Jornandes c. l. Gregorius Turonensis Lib. II. c. 7. c. l. & Conradus Urspergensis, c. l.

l) Gregorius Turonensis c. l.

m) Jornandes & Conradus Urspergensis c. l.

§. CXIV. Vix igitur ver, anni pars melior, A. C. 452. redierat, cum *Attila* copiis suis de integro majorem in modum auctis, accepta Catalaunica clade, ceu fera bestia, jaculis venatoris vulnerata, longe furentior, trajecto Danubio & Alpibus Juliis superatis, in Italiam, omnium imperii provinciarum opibus florentissimam irrumperet, & extrema quævis minaretur. Primum impetum Aquileia, Venetum metropolis experta, quam captam, direptam, atque incensam solo æquavit, ita ut vix ejus vestigia reliquerit. Inde victor fulminis instar reliqua quoque perrumpens, Veronam, Mantuam, Brixiam, Cremonam, Bergamum, Ticinum & Mediolanum, aliasque Italiæ urbes, fœda strage attrivit, Aetio interim nunc a tergo, nunc a latere ejus hærente, nunquam vero summam rei prælio experiri auso. Postremo Attila ad Mincium amnem castra fuit metatus; ubi dum cum suis deliberabat, Romæ ne infesta inferat signa, hi eum ab hoc proposito sunt dehortati, Alarici Vesigothorum regis exemplum allegantes, quem ideo tam protinus rebus humanis excessisse judicabant, quod æternam urbem ceperit. Igitur dum hic a superstitione retentus anceps diu animum in utramque partem de Romana expeditione versaret; id ipsum metuens Valentinianus Imp. cui ad prohibendum deerant vires, communi Senatus populique Romani consilio Leonem, Episcopum Romanum, cum Auieno consulari & Trigetio præfectorio, legatos ad eum misit, qui pacem & fœdus a rege Potentissimo precibus & muneribus impetrarent. Non ingratus hic legatorum adventus Attilæ, maxime quod præter litteras imperatoris etiam munera & pecuniam, quibus unice vinci poterat, ad ipsum deferebant. Itaque his magis quam precibus & auctoritate majestateque pontificis, animo ejus feroci lenito, supplicibus pacem concessit, suosque ab omni cæde & devastatione abstinere jubens, tandem per eandem, qua venerat viam, in Daciam Transdanubianam recessit; n) ubi cum nuptias cum excellentis formæ virgine Ildico cognomine celebraret, vino somnoque gravatus, animam paulo post evomuit, sanguine, qui e naribus ei largiter effluebat, dum supinus jacebat, in fauces delapso eumque suffocante. o) Hic miser vitæ potentissimi hujus regis, qui se ipsum flagellum Dei appellabat, exitus, quem ei turpis temulentia acceleravit, quemque ingentes brevi post bellici motus & ipsa denique variarum gentium ab Hunnico imperio defectio subsecuta. Cum enim filii ejus, quos incredibili numero reliquerat, invicem de hæreditate acerrime nimis contenderent, & subjectas sibi gentes cum bellicosissimis regibus, ad instar familiæ, in sortem mittere & dividere conarentur; Hoc ægre ferens Ardarricus, Rex Gepidarum, tot validissimas gentes vilissimorum mancipiorum conditione tractari, & ex usu suo civile Hunnorum bellum fore ratus, primus omnium cum Gepidis suis contra eos surrexit, mox vero junctis sibi Ostrogothis, Marcomannis, Quadis, Alanis, Erulis, Rugiis, Sciris

ris atque aliis gentibus, quæ eodem premebantur servitutis jugo, hos quoque in pristinum libertatis statum restituere tentavit. Atrox inde inter utramque partem bellum, & variis iisque gravissimis hinc inde datis & acceptis cladibus notabile, quod non nisi cruentissima in campis Sicambriæ ad Danubium habita pugna decretoria & totali vastissimi imperii Hunnici interitu tandem fuit diremtum. Victis enim in hoc prælio Hunnis, & XXX. fere eorum millibus cum Ellace, filio Attilæ natu majore, gladio Ardarici & sociorum interemtis, reliqui, qui ab hac clade superstites erant, se tot hostium coadunatis viribus imposterum resistere impares videntes, relictis sedibus Istrianis, celeri fuga ad littora maris Pontici sese receperunt, ibique pristinas Ostrogothorum sedes occupantes, his interim & supra laudatis populis hoc suo discessu commodam occasionem dedere, quæ felicissimis Ardarici auspiciis ceperant, ad optatum tandem perducendi finem, & penitus excusso importuno jugo Hunnico, in pristinæ sese libertatis splendorem vindicandi, *p*) quam maiores eorum adeo adamarunt, & pro ea asserenda non quidvis non semper fuere ausi.

n) Ita hanc Attilæ in Italiam susceptam expeditionem describunt Jornandes c. 42. P. Aquitanus in Chron. Herculano & Sporatio Coss. Procopius Lib. I. hist. Vandal. ab init. p. m. 15. P. Diaconus Lib. XV. p. 445. Gregorius Turonensis Lib. II. c. 7. Sigebertus Gemblacensis ad An. 454. & Conradus Vespergensis p. 104. c. I. omnes vero dicere puduit, Romanos pacem ab Hunnis pacto stipendii pensionis emisse, unicum si excipias Jornandem; apud hunc enim c. 49. equites Hunni in exequiis Attilæ cantu funereo ejus laudes ita celebrant: *præcipuus Hunnorum rex Attila, Patre genitus Mundzucco, fortissimarum gentium Dominus, qui inaudita ante se potentia solus Scythica & Germanica regna possedit, nec non utraque Romanæ urbis imperia captis civitatibus terruit, & ne præda reliqua subderent, placatus precibus, annuum vectigal accepit.* Adde ex recentioribus H. Valesium Lib. IV. p. 166. c. I.

o) Jornandes c. 49. Conradus Urspergensis c. I. & qui annum emortualem indicat, P. Aquitanum in Chron. Opilione Cos. qui A. C. est 453. Quæ Jornandes c. XLIII. c. I. de altera Attilæ in Galliam adversus Alanos susceptam expeditionem refert, consulto omisimus, ex rationibus à Valesio allegatis Lib. IV. p. 171. c. I.

p) De hac inter filios Attilæ de successione in regna orta contentione, eamque insecuta variarum gentium, & imprimis Marcomannorum Quadorumque defectione, Hunnorumque ad littora maris Pontici fuga, inter alios videndi Jornandes c. 50. P. Aquitanus c. I. Isidorus ad ær. 457. de orig. & gest. Goth. Sigebertus Gemblacensis ad An. 456. & Conradus Urspergensis c. I. adde Caroli Stephani dict. Hist. Geogr. voce Sicambria, ubi Sicambriam, circa quam dictum prœlium decretorium commissum, Buda vetus ex Latzio interpretatur, ita appellatam a legione Sicambrorum, quæ hic præsidio collocata, hanc urbem ædificavit, & à suo nomine Sicambriam vocavit, ut apparet ex lapide antiquo, tempore Matthiæ regis in Buda veteri effosso, cum fundamenta ædium Beatricis reginæ jacerentur.

§. CXV. Mortuo sic Attila, terrore orbis Romani, ejusque vastissimo regno in varias, ut diximus, partes distracto, qui solus rem Romanam hactenus adversus eum aliasque barbaras gentes, utcunque sustentaverat Aetius, occidentalis imperii salus, & singularis spes populi Romani, *q*) nec diu quoque superstes vixit, sed eodem dolo, quo in Bonifacium Comitem peccaverat, punitus, debita naturæ cruenta morte A. C. 454. exsolvit. Causa hujus cædis, præter falsam Heraclii Spadonis delationem, ingens vindictæ cupiditas Maximi, Senatoris primi ordinis, & indomita ipsius Valentiniani imperatoris libido. Cum enim hic amore illius conjugis excellentis formæ fœminæ turpiter exardesceret, & insigni dolo in palatium suum invitatam vi stupraſſet,

prassset, Maximus atroci hac illata sibi excitatus injuria animum statim in ipsius Cæsaris exitium induxit; sed videns se Aetio, summo Duce vivo, scopum suum nullo modo obtinere posse, hunc prius quoque e medio tollere statuit, fretusque spadonum aulæ in se benevolentia, eorum & Heraclii imprimus artibus imperatori persuasit, Aetium novis rebus intentum Galliæ dominatum affectare: Nec quicquam magis Valentinianum movit, ut crimini fidem haberet, quam invidia ejus gloriæ, itaque in palatium venire jussum propria manu & circumstantium gladiis non solum interemit, sed & amicos ejus pari sævitia crudeli morte mulctavit. r) Sapientissime tunc percunctanti Imperatori, an non recte fecisset, quod Aetium e vita sustulisset, a Romano quodam responsum: rectene id factum esset, nec ne sibi ignarum, id certum sibi Imperatorem eo facto manum sibimet dextram altera manu abscidisse. s) Præterquam enim quod ipse Valentinianus dolo Maximi, ab amicis Aetii, quos imprudenter sibi custodes corporis legerat, in campo Martio trucidatus alterum annum non superuixerit, t) omnis quoque Romana fortitudo & felicitas cum Aetio videbatur sepulta, cum post mortem ejus occidentis imperium, quod ab Augusto inde steterat, jam funditus corrueret & ubique variis malis afflicta misere tandem discerperetur. Intestina enim bella & arma plusquam ciuilia ut taceam, quibus umbræ illæ Cæsarum, qui post obitum Valentiniani, novem numero, paucorum mensium vel annorum scenam egere, & quorum vires non multum ultra Italiæ regnum porrectæ, se ipsos invicem conficiebant, ferocissimæ quoque gentes, veluti repagulo solutæ, imperium certatim irruebant & ad spolia ejus undique concurrentes obvia quæque armorum vi rapiebant. Siquidem præter Britanniam Scotos inter & Anglo-Saxones partitam & Hispaniam sub Sueuorum Gothorumque dominatu jam diu gemiscentem, Vandali ex Africa, ab Eudoxia Augusta, Maximo infesta & commissum facinus in Valentinianum ulcisci cupida, in Italiam invitati, Romam diripiebant, Campaniam vastabant & in reditu in Africam ipsam Augustam secum abducebant. u) Saxones totum illud Armoricæ & occidentalis Galliæ littus occupabant, Franci, Gothi & Burgundiones reliquas Galliarum, Germaniæ secundæ & utriusque Belgii provincias inter se dividebant, & ut alias gentes in imperii viscera sævientes omittam, qui de confirmandis opibus suis, & finibus aliarum gentium exemplo proferendis, æque solliciti Alemanni, perrupto Rheni limite, Germaniam primam, Maximam Sequanorum & vicinos ad caput hujus fluminis tractus, x) antea sæpe tentatos, sibi quoque vindicabant, & cum latissima Rhætiæ primæ, y) ab Oeni fluminis ortu ad Danubii fontes usque, parte perpetuo jure possidenda, nemine id prohibente sumebant. Prima hæc, quantum ex illius seculi caligine compertum Alemannorum trans Danubium & Rhenum fixarum sedium fundamenta, quos impotentia Romanorum imposterum expellere haud potuit. Quamvis enim Mæcilius Auitus, peditum equitumque magister, a Maximo Augusto laborantibus Galliæ provinciis suppetias ire jussus, Alemannos Cis-Rhenanos vel solo nominis sui fama, ut Sidonius, ipsius gener more poetarum magnifice nimis loquitur, ad pacis conditiones accipiendas adegerit; z) & Burto quoque, quem Majoranus ante sumtam purpuram, militum adhuc magister, in Rhætiam ad coercendos Alemannorum motus miserat, Caninam ejus regionem occulte populantes represserit; nunquam tamen eos ab ullo horum Ducum provinciis his, quas bello ceperant, penitus ejectos & trans Rhenum Danubiumque ad pristinas sedes remeare compulsos fuisse, vel ideo credibile, quod quo minus ad extrema eos Romani adigerent, multis aliis implicabantur bellis, & Auitus quoque relicta Gallia, mox Romam remigrabat, ad capessendum imperium, quod per obitum Maximi rectore carere, fama ubique vulgauerat.

g) Hisce

q) Hisce elogiis virtutem Aetii prædicant Marcellinus in Chron. & P. Diaconus Lib. XV. p. 445.

r) De hac cæde Aetii vid. Procopius Lib. I. hist. Vandal. ab init. Gregorius Turonensis Lib. II. c. 8. P. Aquitanus & Cassiodorus in Chron. Aetio & Studio Coss. Sidonius carm. VII. v. 359. & Jornandes de success. regn. & tempor. p. 127.

s) Vid. modo de cæde Aetii allegati auctores, quibus addi potest Nicephorus Lib. XV. c. I.

t) Procopius Lib. I. p. 15. c. I.

u) Vid. Procopius Lib. I. p. 16. c. I. Isidorus in Hist. Vandal. æra 467. Jornandes p. 127. c. I. Sidonius in Panegyr. Majorano dicto v. 385. P. Diaconus Lib. XV. pag. 446. & qui hanc Romanæ urbis per Vandalos expilationem ad A. C. 455. Valentiniano VIII. & Anthemio Coss. referunt P. Aquitanus & Cassiodorus in Chron.

x) Alemannos jam sub Honorii principatu sedes fixas in Cis-Rhenano, maxime Helvetico agro habuisse, putat quidem H. Valesius Lib. V. p. 257. rer. Franc. auctoritate *Servii Mauri Honorati Grammatici*, Honorii coævi, seductus, qui Lib. IV. vers. 278. Georgic. *populos, habitantes juxta Lemannum fluvium* (quem lacum dicere debuerat) *Alemannos vocari*, tradit. Verum cum Sozomenes Lib. IX. c. 13. qui brevi intervallo post Honoratum, scilicet sub Valentiniano III. vixit, Constantinum tyrannum, Honorio rebellantem, Edobinchum Francum trans Rhenum ad imploranda Francorum Alemannorumque auxilia misisse, expresse referat; quod non opus habuisset, si jam hoc tempore in Gallia nidulati: & Honoratus insuper Alanos, Goare Duce, sub Honorii imperio, in Galliam transgressos & postea in agro Valentino ad Rhodanum sedem figentes (vid. Chron. Prosperi Pithœanum ad Annum XVII. post obitum Honorii) cum Alemannis confundere videatur, merito hoc casu Honorati fides nobis suspecta, & a Valesio recedentes, Sidonio Apollinari potius subscribimus, qui omnium sui ævi Galliarum calamitatum testis occulatus, hanc Galliæ tractus circa ripas Rheni per Alemannos occupationem, in Panegyrico Avito Augusto dicto, statim cum Aetii morte, nec non initio regiminis Maximi, ceu temporum ordine proximam, conjungit, & veluti rem novam & antea inauditam commemorat, quando vers. 359. ita canit:

Aetium placidus mactavit semivir amens,
Vixque tuo impositum capiti diadema Petroni,
Ilico barbaries: nec non sibi capta videri
Roma Getis, tellusque suo cessura furori,
Raptores ceu forte lupi, queis nare sagaci
Monstrat odor pinguem clausis ab ovilibus auram:
Irritant, acuuntque famem, portantque rapina
In vultu speciem, patulo jejunia rictu
Fallentes. Jamjamque tener spe frangitur agnus,
Atque absens avido crepitat jam præda palato.
Quin & Aremoricus piratam Saxona tractus
Sperabat, cui pelle salum sulcare Britannum
Ludus & assuto glaucum mare findere lembo.
Francus Germanum primum, Belgamque secundum
Sternebat: Rhenumque ferox Alemanne bibebas
Romanis ripis, & utroque superbus in agro
Vel civis, vel victor eras. - -

Inde etiam B. Rhenanus Lib. I. rer. Germ. pag. 116. hæc verba Sidonii explicans, postquam antea migrationes Francorum in Gallias institutas recensuisset, rectissime concludit: *Nec Alemanni cunctantur, posteriores minime laturi, ubi de imperio Galliarum dividendo ageretur. Mors Aetii certam & duraturam provinciarum possessionem spondebat. Igitur ruinas urbium verius, quam urbes, quas sæpe suis ipsi manibus, sed post Attilam funditus exciderant, occupare pergunt. Transgressi Rhenum Germaniam primam invadunt & Maximæ Sequanorum partem usque ad Burgundiones, qui prius transcenderant: item superiores ad Rhenum agros, & Turgauiam ac vallem Pœninam, quam Valesiam vulgus nominat. Trans Danubium vero latissimam illam Rhætiam primam, & hanc ante sæpe tentatam, nunc tandem sibi vindicant.* Et Guillimannus c. III. de Episc. Argent. inquit: *sed ab hoc sane tempore* (Attilianæ scil. Galliarum vastatione) *& interfecto etiam Valentiniano III. Imp. easdem quoque provincias & urbes* (Cis Rhenum) *retinuere, inferiores Franci, Alemanni superiores.* Licet hanc suam sententiam mutasse videatur Lib. II. c. V. n. 8. p. 84. de reb. Heluet. primam originem Dominatus Alemannici in Heluetia ad tempora Gratiani Imp. referens, quem captivos ex hac gente in Heluetiam & Rauracos traduxisse, agrisque consignatis terram colere, riparum curam tenere & vacua complere jussisse tradit; adde Bucherium Lib. XIX. c. 11. Belg. Rom. ubi eum Galliarum tractum, qui Auentico ad orientem obtenditur, nec non omnem Triboccorum agrum, Argentoratum fere usque, Alemannos statim post Attilæ in Gallias irruptionem occupavisse, sibique perpetuo jure possidendos vindicasse scribit.

y) Alemannis brevi post obitum Aetii Valentinianique intervallo haud exiguam Rhætiæ primæ portionem paruisse, omnium luculentissime ex Jornande de reb. Getic. c. 55. constat. Hic enim cum Sueuos, Leone in oriente (ab A. C. 457. ad 476.) regnante a Theodemiro Ostro-Gothorum rege cruento bello victos fuisse commemoret, hos eis quodammodo ditionis suæ fines assignat: *regio illa Sueuorum ab oriente Bajobaros habet, ab occidente Francos, a meridie Burgundiones, a septentrione Thuringos, quibus Sueuis tum juncti Alemanni etiam aderant, ipsique alpes erectas omnino regentes, unde nonnulla fluenta Danubio influunt, nimio cum sono vergentia.* Nec dictu difficile, quænam illa regio, quam Rhætiam irruentes Alemanni primum insederunt: Scilicet omnis illa a fontibus Danubii, secundum Brigantinum lacum ad Oeni usque ortum latissime patens tractus. Ex hoc enim nonnulla flumina, quæ inter ipse Oenus, Lycus & Ilarus nobilissimi sunt, profluere & tandem Danubio immergi, in Geographicis docemur. Et ex his etiam judicare licet de conjectura Goldasti Lib. I. c. 8. p. 65. de reg. Boeh. quasi scil. Theodoricus, Ostro-Gothorum rex, subjectos sibi Marcomannos & Quadorum gentem in societatem belli adversus Odoacrum, Herulorum in Italia regem, traxerit, & bene merentibus tandem jam laudatas in Rhætia sedes, præ suis Bohemicis, per Hunnos & Gothos miserrime vastatis atque eversis, præmii loco incolendas concesserit. Sicut enim quæ de obsequio harum gentium erga Gothos ex Jornande, Bonfinio, Curæo & Velsero adducit, aut nihil plane probant, aut non nisi de Alemannorum parte, post prœlium Tolbiacense ad Theodoricum aufugiente, intelligenda, ita e contra ex allegato Jornandis testimonio Alemannos non demum a Theodorico, præmii loco, in sæpe laudatas Rhætiarum sedes immissos, sed jam antea, sub parente ejus Theodomiro, eas possedisse, omnino constat.

z) Sidonius Apollinaris c. I. vers. 375.

- - Sed perdita cernens
Terrarum spatia, princeps jam maximus, unum
Quod fuit in rebus peditum equitumque magistrum
Te sibi Avite legit. - -

Et

Et paucis interjectis v. 388. pergit:

Ut primum ingesti suscepit pondus honoris,
Legas, qui veniam poscant, Alemanne, furori.

a) Sidonius Apollinaris in Panegyrico Majorano Augusto dicto vers. 373.

- - Conscenderat Alpes,
Rhætorumque jugo per longa silentia ductus,
Romano exierat populato trux Alemannus.
Perque cani quondam dictos de nomine campos,
In prædam centum nouies dimiserat hostes.
Jamque magister eras, Burconem dirigis illo
Exigua comitante manu: sed sufficit istud,
Cum pugnare jubes, certa est victoria nostris
Te mandasse acies; peragit fortuna triumphum,
Non populo, sed amore tuo.

Adde Cellarium in notit. orb. antiqu. Lib. II. c. VII. p. 533. & c. IX. p. 677. qui dubitat, an campi illi Canini, per quos Alemanni provincias Romanas invadere consueverant, in finibus Rhetiæ & Mediolanensis agri juxta flumen Ticinum & Verbanum lacum, cum Cluverio, Sirmondo & Jac. Gothofredo, qui hoc auctoritate Gregorii Turonensis subnixi statuunt, sint quærendi, an cum aliis, qui hoc ex Ammiani Marcellini Lib. XV. c. 6. demonstrare satagunt, Grisonibus dandi, & non longe a civitate Curia ponendi, quod ultimum inter alios existimat indeque etiam Grisones Graupündter dictos fuisse, conjicit Crusius Part. I. Lib. VI. c. 4. pag. 139. c. l.

§. CXVI. Miseræ itaque Germania prima, Maxima Sequanorum & vicini tractus Alemannici furoris & crudelitatis scenæ. Vix enim in cis-Rhenano agro novi hi hospites nidos locaverant, cum veriti, ne rursus occupatis sedibus, ut antea sæpius, redintegratis Romanorum viribus ejicerentur, & ne repulsis forte æque difficilis imposterum transitus redderetur, obvia quæque Romanorum castra & munimenta, quæ rabies immanissimi illius Rheni hostis Attilæ intacta reliquerat, funditus subverterent & dirutis mœnibus solo undique æquarent. *b)* Nec melior quoque Rhætiarum conditio: quippe qui a borea eas attingebant & non nisi Danubio disterminabantur Alemanni, regum suorum Gibuldi & Hunnimundi auspiciis Rhætiam secundam, ad Quintana usque & Bataua, continuis incursionibus vexabant, oppida pleraque capiebant, capta diripiebant & ubique barbaræ suæ crudelitatis specimina edebant: *c)* & licet de Rhætiæ primæ calamitatibus in tantis priscorum monumentorum tenebris certum & distinctum quid definiri haud possit, vix tamen credibile, eam, & tractum imprimis circa Augustam coloniam, ab his miseriis penitus fuisse immunem, cum quos modo circa lacum Brigantinum sedes fixisse memoravimus, Alemanni quotidie inde proserperent, & omnem cis Lycum amnem provinciam postea fuerint adepti. *d)* Hoc certum, Augustulo, ultimo occidentis imperatore, vel rege potius, A. C. 476. ab Herulis devicto, & Italiæ regno ad horum regem Odoacrum, qui se omnium Germanorum Romanorum regem in Italia primus dicebat delato, Alemannos cum Rhæticis Noricisque populationibus haud contenti Italiam quoque invaderent, & obuia quæque devastarent, ab hoc, adjuncto sibi Childerico Francorum rege, belli socio, gravi clade affectos & ad sua quoque fuisse repressos. *e)*

b) Ita enim B. Rhenanus Lib. III. p. 264. c. I. *Itaque quum primum Alemanni labente jam imperio Romano, dictas regiones ad Gallicam Rheni ripam vergentes invasissent, quicquid erat munimentorum, & quicquid erat urbium, exciderunt, veriti, ne redintegratis viribus reverterentur Romani, & ipsos depellerent, quod ante sæpissime contigerat, recuperatisque arcibus & oppidis, terras eas rursus facerent inexpugnabiles. Tum igitur concordia munimentum Romanorum, & alterum, cui Tribonis nomen fuit, in tractu Argentoratensi, Argentoratum Saletio, Brocomagus, Elcebus, Argentuaria Vindonissa, Forum Tiberii, Aueticum & ista nostra Augusta (sc. Rauracorum) sed & interiores aliquot urbes, ut Diuodurum in Mediomatricis, Tullum & Nasium in Leucis & similes eversæ sunt; præcipuam tamen violentiam iis expertis, quæ in ripa Rheni, vel proximis Rheno locis sitæ erant, quo ipsis per vim Romanorum repulsis facilior in futurum esset transitus:* adde Stumphium Lib. IV. c. 26. Chron. Helvet. & Guillimannum de Episc. Argent. c. 3. eadem fere tradentes; licet negandum non sit, multarum urbium excidium, quod his Alemannis tribuit Rhenanus ab aliis Attilæ populatori adscribi. vid. supr. §. 113. not.

c) Eugippius in vita S. Seuerini, quam ex Msto bibliothecæ S. Emerani Reginoburg. primum edidit Velserus c. 19. 22. 25. 27. 31.

d) Conjectura hæc est sæpius laudati Velseri Lib VIII. Annal. August. p. 335.

e) Gregorius Turonensis Lib. II. c. 19. *Adouacrius cum Childerico fœdus iniit, Alemannosque qui partem Italiæ peruaserant, subjugarunt.*

§. CXVII. Jam ante hæc gesta atrox quoque Ostrogothos inter & Transistrianos Sueuos intercesserat bellum, quod non nisi exitiabili horum pernicie tandem fuit finitum. Auctor & incentor ejus *rex Hunnimundus*, quem paulo ante rem Romanam in Rhætia secunda quoque turbasse diximus. Hunc magnum armenti Gothici ex Pannonia numerum abigentem Theodomir, Walameri Gothorum regis frater, circa Pelsodis lacum haud levi pugna victum, cum omni exercitu suo in potestatem suam redegerat, sed mox clementia motus sibi prius in filium adoptatum cum omnibus captivis ad sua remiserat, f) sperans, se hoc beneficii genere ferocem ejus erga se animum non parum mitigaturum & ad pacis quoque studia compulsurum. Verum hic gratiæ hujus immemor, & infamiæ acceptæ cladis abolendæ cupidine flagrans, omnem contra Gothos Scytorum gentem, Danubium juxta considentem, ad arma concitabat, eorumque ope securos, nec tale quid metuentes, ex improviso denuo adoriebatur. Cruentum itaque inter utramque partem committitur prœlium; cæsus in eo Walamir, rex Gothorum, dum ante aciem equo vectus cuncta conlustrans, suos ad edenda fortia specimina factis potius quam verbis adhortaretur: ad ultimum tamen Scyri funditus deleti, ut vix ex tota gente remanserint, qui cum dedecore gererent nomen. g) Quod videntes Sueui, & eadem quoque fata a Gothis metuentes, Sarmatarum reges, Beugan & Babain sibi conciliarunt, & reliquiis Scyrorum, vindictæ cupidine, Edico & Vulfo Ducibus, jam acrius pugnaturis, cum ingenti Gepidarum, Rugorum, aliarumque gentium multitudine, sibi quoque adjunctis, castra regum suorum, Hunnimundi & Alarici, auspiciis ad Bolliam amnem in Pannoniis sunt metati, extrema his stipatis auxiliis hostibus suis, Gothis, jam minantes. Hi defuncto, ut diximus, Walemire, fratrem ejus Theodemir regem sibi elegerant, qui licet dudum cum fratribus regnaret, tamen jam auctioris potestatis insignia sumens, belli curas cum Widemire fratre fuit partitus, & necessariis cunctis ad hanc expeditionem comparatis, tandem quoque ad arma prosiliit. Conserto itaque prœlio, superior extitit Gothus, tanta de Sueuis eorumque sociis edita strage, ut campus cæsorum sanguine madefactus, tubrumque pelagus appareret, & armorum cadaverumque colles extruerentur, eorum plus

plus decem millibus cæsis. *h*) Tunc appropinquanti hyemali frigore & glacie, utramque Danubii ripam jungente, Theodemir, victoria parta usus cum pedestri exercitu ipsas quoque Sueuorum sedes perlustravit, & cuncta depopulans, magnam eorum partem suæ ditioni pene subjecisset, *i*) ni a suis, summa interim omnium rerum inopia laborantibus, revocatus, derelicto hoc bello, novum adversus Romanos quo, suis ex raptu viventibus, victum pararet, decrevisset, sibi longe utilius. *k*) Hoc feliciter quoque finito, Theodemirus fatali tandem ægritudine occupatus, regnum Theodorico filio reliquit, qui Zenonis, orientis imperatoris, auctoritate adjutus, relicta Pannonia, postea cum omni suo populo Italiam immigravit, victoque & interemto Odoacro Herulorum ibi rege, omnem ejus possessionem sibi vindicavit, & sub regio titulo cum successoribus suis per LX fere annos tenuit. *l*) Tunc Slauis Sarmatiæ populis, Zeccho Duce in Germania interiore invalescentibus & cuncta sibi subjicentibus, Marcomanni, cum sociis populis Hercyniæ campos cum adjacenti tractu incolentes, ab his quoque pulsi, & relictis his sedibus ad partes magis occidentales, & agros, Rheno Danubioque vicinos concessisse videntur; quo vero hæc accidit migratio tempore, accurate definiri nequit, cum nobis scriptorum negligentia hujus rei scientiam inviderit. *m*)

f) Jornandes Cap. LIII. Sigebertus Gemblacensis in Chron. ad An. 459. Pelso autem lacus, juxta quem hoc prœlium commissum idem est, quem hodie dicimus den Neusiedler-See. Cellarius in not. orb. antiqu. L. II. c. VIII. pag. 553.

g) Jornandes c. l. Sigebertus ad An. 461.

h) Jornandes c. LIV. c. l. Sigebertus ad An. 462.

i) Jornandes c. LV. Sigebertus ad An. 463. c. l.

k) Jornandes c. LVI. c. l.

l) Jornandes c. LVII. c. l. & de success. regnor. & tempor. p. 132. Procopius Lib. I. de Hist. Gothic. P. Diaconus Lib. XV. p. 447. & Cassiodorus in Chron. qui initia expeditionis Theodorici ad consulatum Probini & Eusebii, mortem Odoacri vero ad consulatum Albini i. e. ad A. C. 489. & 493. refert.

m) Inde mirum in modum litigant auctores, quo tempore hæc Slauorum in Bojohemum irruptio, & Sueuorum contra in partes Germaniæ occidentaliores acciderit migratio? Ad Attilæ enim tempora eas referunt Cromerus Lib. I. c. ult. rer. Pol. Spangenberg cap. 50. in Chron. Saxon. & qui hisce subscribunt, Welserus Lib. II. p. 66. rer. Bojicar. & Goldastus Lib. I. c. IX. §. 3. pag. 69. de Regno Bohem. ita tamen, ut nec eorum opinionem reprobent, qui Attila demum mortuo, quum unius regni interitu multa passim orirentur, Sarmaticis primum in Germaniam irruptionibus viam patuisse malunt, quod imprimis statuit Aventinus Lib. III. c. 2. p. 214. Annal. Boj. dum hanc Slauorum in Bojohemum expeditionem statim post Attilæ mortem, eamque subsecuta Sueuos inter & Ostrogothos dissidia & bella recenset, secus ac Machiavellus in tractat. de migrat. popul. Septentr. & ruina Rom. imperii; & qui eum sequitur P. Albinus in Chron. Misnens. tit. VI. f. 70. aut consentiunt B. Rhenanus Lib. I. p. 149. rer. Germ. Latzius Lib. VIII. p. 506. de Migrat. gent. & D. Chytræus in Saxon. Lib. I. f. 32. qui omnes hæc gesta sub Mauritio, aut Heraclio Impp. circa finem sec. VI. aut initium VII. contigisse affirmant. Et certe, si dicendum, quod res est, sententia Aventini omnium est verosimillima, post Attilæ enim mortem sec. V. Sueuos adhuc Bojohemum incoluisse docent, quæ paulo ante de bello Theodemirum, Gothorum regem inter & Hunnimundum Alaricumque, Sueuorum reges, gesto, diximus.

ximus. Ante finem autem hujus seculi, relictis his sedibus, ad interiora magis Germaniæ jam recessisse, nomen eorum posthæc in Bojohemo funditus extinctum, nec unquam renatum, luculenter ostendit.

§. CXVIII. His igitur novis advenis aucti Alemanni in cis-Rhenano & Rhætico tractu considentes, terras Romanis semel ereptas continuis accessionibus quotidie augere, & suæ ditionis terminos mirum in modum quaqua versum extendere pergebant. Licet autem ob frequentes eorum migrationibus limitum mutationes nihil fere perpetuum in finium ratione constitui possit, videntur tamen ex communi illa occidentis præda, ante infelix illud ad Tolbiacum prœlium, omnem fere illum ad se rapuisse tractum, & florentibus rebus suis possedisse, quem Vangiones olim, Nemetes, Mediomatrices, Tribocci, Sequani, Leuci, Lingones & Helvetii inhabitarunt, & linea à Vangionum *n*) civitate per oppida Altzey & Kirn *o*) ad Theodonis villam *p*) usque & inde rursus per Nanceium *q*) ad Lingones *r*) & Ararim *s*) usque ducta, hoc ipso flumine, Rhodano *t*) & lacu Lemanno, *u*) Alpibus Penninis *x*) ad fontes usque Rheni protensis, & ipso denique hoc flumine circumdatum fuisse docemur. Quæ regio hodie Palatinatus Rhenani imprimis Ducatus Bipontini, Episcopatuum Spirensis & Wormatiensis, Lotharingiæ item haud leves portiones, nec non integram Alsatiam *y*) & Campaniæ portiunculam, qua oppidum Langres, cum maxima comitatus Burgundici & Helvetiæ omnis fere parte comprehendit. His ex spoliis Rhætiæ ingens quoque ille ab ortu Danubii ad Oeni usque fontes accedebat tractus, *z*) qui hodie Comitatum Bondorfensem, Landgraviatus Sultz & Nellenburg, partem ditionis Fürstenbergicæ & Episcopatus Constantiensis, terras advocatiæ Austriacæ, comitatum Montfortensem, particulam Episcopatus Augustani, nec non comitatus Tyrolensis & Grisonum rerum publ. haud leves portiones constituere solet. Ultra quod & in Germania magna, quicquid Danubio, Rheno, Lona *a*) amne, monte, qui dicitur **der Vogels-Berg** / *b*) indeque linea ad Werræ & Salæ usque fontes *c*) ducta, montibus denique Bohemicis & Naba *d*) flumine includitur, antiquas sedes possidebant, ubi hodie præter reliquam circuli Suevici, lævæ Danubii ripæ connexam partem, & omnem fere Franconiam, *e*) etiam Electoratus Moguntini, Landgraviatus Hassiaci, comitatuum Nassoviensis & Hanoviensis, Abbatiæ Fuldensis, ducatus Neoburgici & Palatinatus superioris haud exiguas partes florere videmus; quæ omnia de potentia & incredibili amplitudine Suevicæ gentis satis manifeste testantur; quemadmodum gloriam bellicam jam diu partam, non parum quoque auxisse videntur innumera castra & civitates Romanis vi armorum extortæ, quas inter ab ipsis postea possessas, Lingones *f*) imprimis, Bizuntia, *g*) Nantes, *h*) Mandroda, Gormetia, *i*) Altripe, *k*) Sphira, *l*) Porca, *m*) Argentaria, *n*) Brececha, *o*) Bazela, *p*) Augusta, *q*) Carstena, Cassangita, Wreacha, *r*) Constantia, *s*) Rugium, Bodungo, *t*) Arbor felix, *u*) Bracantia, *x*) Alaja, *y*) Choruft, *z*) Ziaberna, *a*) Frincina, *b*) Aon, *c*) Laguirion, Brara, *d*) Albisi, *e*) Ziurichi, *f*) Duebon, *g*) Crino, *h*) Stafulon, *i*) Cariolon, Theodoricopolis, *k*) Vermegaton, *l*) Augusta nova, Rizinis, *m*) Turigoberga, *n*) Ascis, Ascapha, *o*) Uburzis *p*) & Solist *q*) memorantur. *r*)

n) Hanc ultimam Alemannorum ad Rheni ripam in confinio Francorum fuisse civitatem, docet Anonymus Ravennatensis Lib. IV. §. 26 Geograph. dum ait: *Item juxta supra scriptum Rhenum sunt civitates, i. e. Gormetia, quæ confinalis est cum prænominata Moguntia civitate Francorum.*

o) Has conterminales urbes cum Francis Alemannis quoque attribuit modo laudatus Anonymus Ravennatensis v. infr.

p) Hanc

p) Hanc Theodoricopolim Anonymi Ravennatensis esse, quousque etiam ab hac parte Alemannorum fines extendit, infra ostendemus.

q) Ita idem auctor Nanceium, Lotharingiæ metropolim, Alemannis quoque, labente occidentis imperio, in prædam cessisse affirmat. v. infr. not.

r) Horum quoque civitatem, Langres hodie dictam, Alemannis, patriam eorum describens, attribuit modo citatus Anonymus.

s) Ab hoc enim flumine non multum distat Vesontium, quam Alemannos quoque possedisse ex auctore hactenus allegato discimus. Inde eum Dubis amnis, ad quem hæc urbs ædificata, postea infra eam Arari, hodie Saone dicto, immergatur, facile credibile, Alemmannos secundum eum progressos, quicquid inter utrumque flumen, sibi quoque vindicasse, & ad Araris usque inferioris partes ditionis suæ terminos promovisse, maxime cum & in superioribus partibus hoc flumen transgressi Lingonum civitatem sibi quoque subjicerent, & per aliquod tempus potirentur.

t) Alemannos provincias Romanorum cis-Rhenanas, maxime Helvetiam irruentes, in his partibus meridiem versus suæ ditionis terminos ad Rhodanum usque protulisse, omnium optime ex iis patet, quæ supra de sedibus Burgundionibus ab Aetio in Sabaudia assignatis, observavimus, & quæ Jornandes Ravennatensium Episcopus, sub Theodorici, Ostrogothorum regis, principatu in Italia florens de finibus Sueuorum & vicinis eorum populis c. LV. de reb. Getic. refert: *Regio illa Sueuorum, inquiens, ab oriente Bajobaros habet, ab occidente Francos, à meridie Burgundiones, à Septentrione Thuringos.* Cum enim secundum hunc Burgundiones Sueuorum finitimi, & Sabaudia, quam Inhabitabant Burgundiones, Rhodanum Septentrionem versus attingat, necesse est, Sueuus eo usque se extendisse Hoc jam olim observasse videtur B. Rhenanus Lib. II. pag. 152. cum ab Alemannis omnem Helvetiam occupatam tradat, cujus fines meridiem versus Rhodano & lacu Lemanno à Cæsare Lib. I. c. 1. de B. G. terminantur: & haud ita pridem eadem quoque B. Hertius P. III. cap. 1. §. 3. in notit. veter. Germ. pop. B. Junckerus in seiner Anl. zur mittl. Geograph. Part. II. c. 3. p. 155. & Guil. Turckius in Disp. de Georg med. æu. § 21. docuerunt. Postea vero Sueuorum in his partibus potentia & auctoritas non parum fuit imminuta: Invalescentibus enim Burgundionibus & ditionis suæ pomœria quaqua versum amplificare annitentibus, omnis ille tractus, qui Rhodano, Juræ Monte, Rheno, Arola & Ursa amnibus includitur, in horum prædam cessit & ab ipsis fuit occupatus. Juræ enim deserta suo ævo Alemanniam & Burgundiam disterminasse, disertis verbis asserit Gregorius Turonensis, dum in vitis patrum c. 1. de Lupicino & Romano fratribus in eremo juxta hunc montem tria monasteria exstruentibus inter alia inquit: *Hi communi consensu eremum petunt & accedentes simul inter illa Jurensis deserti secreta, quæ inter Burgundiam Alemanniamue sita Auentica adjacent ciuitati tabernacula figunt.* Conf. hic quoque Fredegarium in Chron. Lib. V. c. 37. & Arolam quoque ubi Rheno immergitur, limitem occidentalem, Burgundiones versus constituisse, Wallafridus Strabo in præfat. ad vit. B Galli apud Goldastum T. I. S. R. A. p 143. testatur, *partemque*, inquiens, *Galliæ circa Ararim* (melius dixisset Arolam, Germanice die Aar) *obsederunt Alemanni.* Sic Vindonissam porro, nobilem olim ad confluentem Ursæ civitatem, ambitu Burgundiæ postea comprehensam & ab Alemannia avulsam fuisse, patet ex catalogo Episcoporum, qui concilio Epaonensi A. C. DXVII. sob Sigismundo penultimo Burgundionum rege subscripserunt, horum enim numero Bubulcus, Vindonissensis Episcopus, etiam comprehendebatur; v. Valesius in notit. Galliar. voce Vindonissa. p. 612. Et ipsum denique amnem Ursam hunc Comitem inde Alemannos inter & Burgundiones continuasse, ex variis monasterio Murensi ab Impp. concessis privilegiis & diplomatibus, quæ Stumpfius Lib. IV. c. 25. 26. & 54. Chron. Helvet. & Guillimannus Lib. IV. c. 3. p. 195. & Lib. V. c. 3. pag. 261. Habspurgic. passim adducunt, facile liquet: Cum in his omnibus comitatus Rore, qui Ursæ flumini proxime adjacet, in pago Argoja,

goja, & prouincia Burgundiæ expresse ponatur. conf. Valesium c. l. voce Alemanni pag. 8. & voce Heluetia p. 244. nec non B. Pregizerum c. III. pag. 16. in Teutschen Regents und Ehren-Spiegel/ qui etiam posteriori tempore Ursam amnem Burgundiones inter & Alemannos terminum statuunt. Et ab hac migratione Burgundionnm deriuandum, quod incolæ Ursam inter & Juram montem a Francis Transjurani aut Ultrajurani, ipsa vero regio Burgundia Transjurensis, aut Burgundia minor dicerentur v. Stumpfius Lib. IV. c. 26. c. l. Jodoc. Coccius in Dagoberto c. VII. p. 67. & Valesius voce Heluetia c. l. Quo autem casu, & quo tempore hunc tractum obtinuerint, & regioni suæ adjunxerint, in tanto Scriptorum silentio res dictu difficilis. Stumpfius quidem c. l. per modum cessionis, inito inter utramque gentem fœdere, has terras ad Burgundiones deuolutas fuisse refert, sed unde hæc hauserit, non addit. Inde longe verosimilius, deuictis ad Tolbiacum a Clodovæo Alemannis, & magna eorum parte, derelictis sedibus suis, ad Theodoricum, Ostrogothorum regem, in Italiam concedente, Burgundiones commoda hac occasione utentes, vacuas has terras occupauisse, sibique asseruisse. Hoc interim certum, jam Agapeto Cos. i. e. A. C. DXVII. non solum sæpe nominatam regionem, sed & omnem simul inter Juram montem & Ararim tractum Burgundiones tenuisse. Numerantur enim in actis supra laudati concilii Epaonensis, sub Sigismundo, penultimo Rege Burgundionum habiti, inter XXVIII. ciuitates, quæ tunc regnum Burgundicum constituebant, expresse quoque Vindonissa, Aueoticum, Basilea, Vesontium & Lingonum ciuitates, & ab omni Alemannorum eximuntur potestate. vid. Valesius voc. Burgundia c. l. Relictum igitur ab omni Heluetiæ præda Alemannis non nisi exiguum segmentum, pagi scilicet Tigurinus & Turgouiensis, quos Rheno & Ursa amne circumflui videmus, & quorum in medio æuo in diplomatibus antiquis, sub communi Turgouiæ nomine, (quod ut probe observat Stumpfius Lib. IV. cap. 54. c. l. omnis ille a Rheno ad Ursam usque tractus vulgari vocabulo ita quoque appellatus fuit) frequens fit mentio, ita tamen, ut simul ducatui Alemannico annumerentur. Sic in litteris, quibus Ludovicus Germaniæ rex Turegum & Uraniam Hildegardi filiæ suæ donat, inter alia inquit: *Curtim nostram Turegum, in ducatu Alemannico, in pago Turgaugensi, & pagellum Uraniæ - tradimus - dilectissimæ filiæ nostræ Hildegardæ.* v. Guillimannus Lib. I. pag. 119. c. l. & in diplomate Gynecæo Tigurino ab eodem Ludouico dato, dicitur: *nostram jurisdictionem & prefecturam in Turego, in Ducatu Sueuiæ seu Alemanniæ, quæ est in circuitu Turgojæ - - donauimus dominarum monasterio.* v. Crusius Lib. II. Part. II. c. 7. pag. 46. & Stumpfius Lib. IV. c. 54. c. l. Tigurum insuper castrum Ducum aliquando Sueuiæ sedes & residentia erat, Goldastus Lib. I. c. VIII. p. 66. §. 55. de regn. Bohem. Lacus cui adjacet hæc urbs a Walafrido Lib. I. c. 11. c. l. in Alemannia ponitur, & ipse denique Limagus fluuius Guillimanno Lib. IV. c. 1. o. 6. inter Alemanniæ partes dicitur situs. adde Aimoinum Lib. I. c. 5. de gest. Franc. & Hugonem Floriacensem in Chron. qui Heluetiorum pagum ab Alemannis inhabitari quoque tradunt: quod recte non de tota Heluetia, sed de parte tantum ejus nimirum de Tigurino & Turgouiensi pago interpretatur sæpe laudatus Guillimannus Lib. I. c. 2. c. l.

u) Hunc lacum Alemannis quidem meridiem versus terminum quoque assignat Isidorus Lib. IX. in orig. verum cum Honoratum Grammaticum exscripsisse videatur, quem supra Alemannos cum Alanis confudisse osteodimus, consulto ejus testimonium not. præc. allegare omisimus.

x) Hucusque enim Alemannorum fines extendit Walafridus Strabo pag. 143. c. l. *nam juxta scriptores authenticos* inquiens, *pars Alemanniæ vel Sueniæ inter Alpes Penninas & meridianum littus Danubii Retia dicitur.* quæ verba Goldastus qui integrum ad hunc locum de Alemannia commentarium promisit, in præfat. ad script. rer. Alem. ita illustrat: *Alemanniam his finibus circumscribunt ac definiunt, quæcunque regiones ab utroque Rheni latere Alpibus includuntur, ab ortu ejus, usque ad Rauracos, comprehensis ad Acronii dextram Alpigouia & in Rheni defluxu continentibus terris, qua parte sese Brisgouia extendit ac finit: ad sinistram vero pleraque Helvetia & bona Burgundiæ parte.*

y) Alsa-

y) Alsatiam Alemannus quoque labente occidentis imperio ad se rapuisse, extra omnem controuersiam positum. Satis enim hoc innuunt Sidonii verba, supra a nobis allata, quibus Alemannos utramque Rheni ripam, cui cohæret Alsatia, insedisse expresse testatur: præterea quæ paulo infra de ciuitatibus, ab ipsis in agro cis-Rhenano possessis, dicturi sumus, hanc rem ulterius declarabunt. Hæc prouincia cum Tigurino & Turgouiensi pago unica postea fuit, quæ deuictis ad Tolbiacum a Clodouæo Alemannis ex cis-Rhenanis Romanorum prouinciis sub Merouingis regibus Ducatui Alemannico fuit adscripta, reliquis, quæ circum circa Alemannis quoque parebant, terris penitus ab ipsis auulsis & partim Burgundiæ partim Franciæ attributis. Inde etiam Willelmo Brittoni in Lib. X. Philippid. Alsatia Alemannia vocatur hoc versu:

Lingones & Vogesos tangens Alemannia fines.

Et licet sub Carolingis a Sueuia separata peculiares rationes habuerit, mox tamen post horum discessum cum Alemanniæ seu Sueuiæ Ducatu iterum unitam & perpetuo ad fatalem usque familiæ Hohenstauffícæ interitum fuisse conjunctam, fusius docet rerum Alsaticarum callentissimus scriptor Ulric. Obrechtus vol. I. c. X. p. 207. &c. prodrom. rer. Alsatic.

z) Præter jam dicta Alemannis quoque omnem illum a Rauracis & fontibus Danubii ad Oeni usque fontes paruisse tractum, ex iis, quæ supra de primis eorum in Rhætia sedibus retulimus, liquido patet, & ex situ urbium *Bracantiæ*, *Brera*, *Duebon*, *Rizinis*, *Turigoberga*, *Ascapha* & *Iburzis*, quas ipsis Geographus Ravennatensis attribuit, nos vero Bregentz/ *Pfullindorff*, *Fussen*, *Resums*, *Turberg*, Schaffhausen und Uberlingen reddidimus, pago itidem *Algævv* vel *Almansgævv*, ab ipsis dicto, & vicis *Allmannsbach* & *Allmannsdorff*, non procul ab insula Meinau jacentibus, ulterius comprobatur. Reliquæ autem Rhætiarum provinciæ, ceu claustra & propugnacula Italiæ, Gothi, Theodorico rege, tenebant, sibique vindicabant; quod imprimis ex laudati regis & successoris ejus Athalarici ad Rhætiæ Duces datis litteris apud Cassiodorum Lib. I. ep. 21. Lib. VII. ep. 4. & L. IX. epist. 8 & 9. variar. apparet: usque dum Gothis Italici belli cum Justiniano Imp. cura præpeditis, Transalpinis prouinciis animum adjicere non valentibus, Alemanni, exoptatissima hac occasione utentes, omnem quoque, quæ eis Lycum prouinciam est, tanquam vacuam possessionem arriperent & postea quiete possiderent, ceu hoc egregie, ut solet, ex monumentis historicis deducit Velserus Lib. VIII. p. 337. &c. rer. Augustan. conf. etiam Gulerum p. 62. Rhætiæ.

a) Septentrionale Alemannorum latus ex parte Franci tegebant: ubi, utrum Mœnus, an Nicer, an Lona amnis, limites fuerint? inter auctores adhuc controuertitur. Prius statuit B. Rhenanus Lib. II. p. 152. Nicrum autem Alemannis terminum assignant, & eo usque vel ad Hercyniam plane siluam Francor. vel Bructerorum sedes fec. IV. extendunt Conringius de fin. imp. c. II. & de orig. Jur. Germ. c. VII. p. 24. Freherus in orig. Palat. P. II. c. 3. p. 9. & M. Altingius in descript. Germ. veter. infer. p. 21. p. 69. & 70. his scil. rationibus inducti, quod primo Bructeri hoc situ in Tabula Peutingetiana litteris pedalibus conspiciuntur, secundo, apud Claudianum Honorii IV. consulatu,

- - accola siluæ
Bructerus Hercyniæ. - -

dicitur. Tertio, Sidonio Auernorum Episcopo carm. VII. v. 325. Nicri accolarum nomine expresse veniunt:

Bructerus ulvosa vel quem Nicer abluit unda
Prorumpit Francus - -

Quarto, Probus Imperator in iis paludibus prostratos Francos, testante Vopisco in Aurel. Tacito & Probo, & ultra Nicrum & Albim remouit. Quinto, Gratianus Alemannos quoque circa ejusdem Nicri ripas deuicit, ubi secundum Ausonium, eandem victoriam in precatione consulari describentem, Francorum Alemannorum confinia:

Hostibus edomitis, qua Francia mixta Sueuis.

Sexto, Agathias Lib. I. histor. Francorum mentionem faciens, eos utrinque Rhenum accolentes Italiæ finitimos facit. Et septimo denique Hieronymus in vita Hilarionis Monachi inquit: *inter Saxones & Alemannos gens extat non tam lata, quam valida, apud historicos Germania, nunc vero Francia vocatur.* Ex his itaque & ex ultimo imprimis adducto loco Freherus concludit: quicquid gentium, ne Hermunduris quoque & Nariscis exceptis, Oceanum inter, quem Saxones accolebant, & Rhætiis imminentes Alemannos, in Francorum transiisse nomen, & ad Nicrum usque suæ ditionis protulisse fines. Tempus quo hoc factum, dafiniit Altingius, scil. mox post Maximi in Germaniam transrhenanam susceptam expeditionem, insuper in mappa Geographica, ubi Bructeros a Luppia flumine ad Martianam siluam usque habitantes depingi curauit, addens: *Bructeri Francorum antesignani, Alemannis, Mattiacis, Usipiis, Tencterisque ejectis.* Verum si dicendum, quod nobis videtur, falsum primo, Bructeros hoc situ in Tabula Peutiogeriana reperiri; qui enim laudatam mappam vel leui saltim inspicit oculo, facile deprehendit, Bructeros ibi non Nicro terminari, sed sedes eorum non ultra Mosellæ confluentem extendi. Secundo, Hercynia silua olim non tam angustis limitibus circumscripta, ut illum tantum comprehenderit tractum, quem hodie Hercyniam dicimus, sed Cæsare Lib. VI. c. 21. de B. G. teste, tanta ubique ejusdem vastitas, ut longitudo plusquam LX. dierum iter, latitudo vero IX. dierum expleuerit spatium. Igitur nil impedit, quo minus Bructeri siluæ hujus sint accolæ, etiamsi & recte quidem in Tencterorum, Cattorumque derelictis collocentur agris. Tertio jam olim Valesius Lib. V. rer. Francic. & Hertius c. l. §. IV. in not. veter. Franc. regn. probe obseruauerunt, locum ex Sidonio allegatum librariorum incuria corruptum & pro Nicer, Vicer esse legendum, qui Franciæ trans-Rhenanæ amnis, & oppidum sui nominis attiogens, tandem in Oceani ingentem sinum, siue æstuarium, vulgo Zuiderseе, hoc est Paludem austrinam dictum, influit, & Vectus hodie nuncupatur. Quarto, jam supra ostendimus, duplex Probo cum Germanis intercessisse bellum, alterum cum Francis, alterum cum Germanis; hos trans Nicrum, illos vero trans Albim remouisse, circumstantiæ doceot. Quæ quinto ex Ausonio afferuntur, integra adduci, nec mutilata proferri debuissent, quæ enim sequuntur verba: *Certat ad obsequium Latiis ut militet armis,* satis manifeste indicant, poetam nod dicere voluisse, hostes fuisse edomitos, ubi Fraocia miscetur Sueuis, sed ut probe monet Cluuerius Lib. III. c. 20. c. l. postquam hostes edomiti, certasse Francos cum finitimis Sueuis ad ejus obsequium. Vel ut placet Schatenio Lib. IV. p. 237. c. l. Gratianum moribus utriusque gentis captum & Francos & Alemannos in castra & aulam recepisse, inque iotimam familiaritatem admissos, militiæ adscripsisse. Quæ porro sexto ex Agathia, Francos utrinque Rhenum accolentes Italiæ fuisse proximos in medium producuntur, de temporibus infelix ad Tolbiacum prœlium subsecutis intelligenda, quibus Alemanniæ fines mirum quantum mutati, & ipsa Alemannica gens haud raro quoque scriptoribus sub Francorum nomine venit. Hieronymi denique verba generalia admodum sunt, & non nisi Alemannos Saxonesque antiquæ Franciæ vicinos fuisse ostendunt. Ex dictis itaque luculentissime patet, quam falso Francorum fines Sec. IV. ad Nicrum usque extendantur, cum contra ex Ammiano Marcellino, scriptore graui, & qui ipse in his oris hoc æuo militauit, constet, Alemannos non ad Nicrum modo, sed ad ipsum Mœnum, & ultra hunc quoque ad Lonam usque amnem, uti egregie hoc docet Cluuer. Lib. III. c. 20. p. 84. c. l. incoluisse. Primo enim Ammian. L. XVIII. c. 2. Suomarii Alemannorum regis meminit, cujus pagos ripis ulterioribus Rheni, e regione Moguntiæ, adhæsisse

adhæsisse dicit. Deinde bella Juliani cum Alemannis gesta describens Lib. XVII. c. 1. munimentum Trajani in prima ejus expeditione reparatum refert, quod uti supra ad §. 93. ostendimus, communiter de Cronburgo, non procul à Mœno Rhenoque sito intelligunt. Hinc postea alteram expeditionem Lib. XVIII. cap. 2. subjungit, qua ponte juxta Moguntiam Rheno instrato, Julianus quidem denuo in Alemanniam transire constituit, sed ab Alemannis prohibitus, cogitata prius exsequi non potuit, præmissis nisi secundum flumen militibus nauibus impositis, & his clanculum in hostilem ripam penetrantibus. Tunc Julianus hoc transitu territos ad regionem usque, cui Capellatii vel Palas nomen erat, & ubi terminales Burgundionum & Alemannorum lapides, fuit persecutus, & victor tandem ad sua trans-Rhenum recessit. Ubi autem terminalis hic lapis, cujus nomen à Germanica voce Palanz, Palatium, Cluverius Lib. III. c. 36. p. 149. c. l. a Palis vero Germanis termini regionum dictis recte derivat Schatenius Lib. IV. pag. 220. c. l. situs? auctores adhuc litigant: B. Rhenano enim Lib. III. pag. 235. Crusio P. I. Lib. VI. cap. 8. p. 151. aliisque Palatinatus, Heidelberga, & via montana dicitur, cum contra Capellatium, ubi hodie oppidum Steina, Cluverius c. l. & recte quidem collocet. Trans Mœnum enim situm esse quærendum, non solum allatæ circumstantiæ docent, sed & quæ idem Ammianus Lib. XXVIII. cap. 5. de eodem Burgundionum Alemannorumque confinio refert, hanc rem ulterius declarant. Scilicet in hoc conspiciebantur quoque Salinarii fontes, quorum ratione perpetuæ lites utramque gentem intercedebant, & quos Cluverius c. l. & Chiffletius de Vesont. P. I. c. 46. p. 195. ad Salam amnem, qui in Mœnum sese exonerat, ponunt, ubi hodie vicus Saltz, sub Vogelsberg monte. adde Schurtzfleischium in Hist. veter. Regn. P. Q. Burgund. c. l. §. 4. not. f. qui Salæ quoque hos fontes proximos facit. Nec multum quoque inde aberant Mattiacæ aquæ, quo usque Ammiano Lib. XXIX. c. IV. teste, Valentinianus Imp. adversus Macrianum Alemannorum regem mouens cum exercitu penetravit, quasque hodiernum Weisbaden, ex aduerso Moguntiaci esse Cluverius Lib. III c. VII. pag. 25. fusius docet. Eodem Valentiniano imperante, Bucinobantes quoque Alemannor. gens è regione Moguntiæ collocantur à sæpe laudato Ammiano c. l. & Jouino denique juxta vix nominatam urbem tyrannidem sub finem imperii Honorii occupanti studium operamque præter alios Germanos etiam Alemannos vicinos attulisse, ab Olympidoro apud Photium in excerptis p. 183. & Renato Profuturo Frigerido apud Gregorium Turonensem Lib. I. c. IX docemur. Quæ omnia hactenus dicta manifeste satis ostendunt, Alemannos florentibus suis rebus non ad Mœnum tantum, sed ad Lonam plane usque fluvium, qui in Hassiæ superioris parte oriens, à Rheno supra Confluentem absorbetur, sub ditionis pomœria protulisse, quod præter allegatum Cluverium jam olim quoque agnoverunt Chiffletius P. I. c. 46. p. 195. c. l. Schatenius Lib. IV. p. 216. c. l. Valesius in notit. Galliar. voc. Francia, p. 200. & haud ita pridem Hertius P. III. c. 1. §. 3. notit. veter. Germ. pop. & Cl. Turckius in Geograph. Germ. med. ævi. §. 32.

b) Sub hoc enim monte in Hassia fontes Salæ, & juxta eos vicus Salz conspicitur, ubi Salinarii fontes, de quibus finiumque causa Burgundiones Alemannosque sæpius inuicem jurgasse, vix antea diximus. Conf. Hertius in notit. veter. Germ. pop. Lib. III. c. 1. §. 3. in not.

c) Hos terminos ideo Alemannis nostris Septentrionem versus assignamus, quod teste Jornande c. LV. de reb. Getic. regio eorum à Septentrione Thuringos habebat, & referente Procopio Lib. I. hist. Goth. p. m. 174. super Thuringos Sueui & Alemanni, nationes validæ, agunt, vetustis in finibus ac libertate. Quod & Geographus Ravennatensis Lib. IV. §. 24. pag. 68. ulterius affirmat: iterum propinqua ipsius Thuringiæ adscribitur patria Sueuorum, quæ & Alemannorum patria, confinalis existit Italiæ. Thuringia autem meridionalis olim omnem illum comprehendit tractum, quem dicti amnes cum fluuio Unstrut, docente Junckero P. II. c. V. p. 285. c. l. cir-

cumfluunt, vel ut Sagittarius Lib. II. c. 12. §. 29. de antiqu. regn. Thuring. loquitur: hodiernam Thuringiam appellamus, cum parte fortassis Franconiae adjacente, quam Cl. Turckius §. 48. c. I. Hennebergicum comitatum fuisse conjicit.

d) Limes Alemanniae orientalis omnium obscurissimus. Ante irruptionem Slauorum in Bojohemum, & subsecutam Sueuorum in partes Germaniae occidentaliores, Rhenum & Danubium versus, migrationem, hunc limitem adhuc extra Bojohemum se extendisse, quae supra de praelio Theodoricum Gothum inter & Hunnimundum Sueuorum regem, a Dalmatica vastatione reditum in patriam parantem, juxta Pesoldem lacum (hodie Neusiedler See) in Pannonia commisso retulimus, nos credere mouent; quis autem postea terminus eorum orientalis, aeque difficili dictu, ac habitationes Bojorum definire, quos quidem Jornandes c. LV. de reb. Getic. Sueuis finitimos facit. Velserus vero, inter Bojorum scriptores facile Princeps, Lib. II. p. 73. quos de eorum rebus gestis conscripsit, utrum sub finem seculi V. adhuc in Hercyniae campis, ab ipsis jam olim cognominibus, quaerere, an a Slauis cum Marcomannis hac silua jam ejectos ad Danubium, qua inferiorem Rhaetiae partem Noricumque praeterfluit, & ubi hodie Transdanubiana Bauaria conspicitur, collocare debeas, non sine ratione ambigit. Videtur tamen, si conjecturis indulgendum, posterior sententia, quod & ipse Velserus c. l. observat, vel ideo veritati propior, quod Bojorum sors, irruentibus in Bojohemum Slauis, dubio procul Marcomannorum, sub quibus eodem teste per aliquod tempus latuerunt, fortuna haud fuit melior, & illorum insuper in Noricum & Rhaetiam, mortuo Theodorico Ostrogothorum rege, institutae migrationes, eos non longe a Danubio remotos fuisse testantur. His igitur rationibus inducti, Alemannis Nabam amnem orientem versus terminum posuimus, quod eo usque aut Bojos habitasse, aut his in Noricum & Rhaetiam concedentibus, Thuringos aliquando tractum inter Nabam & Regam amnes incoluisse credimus, inquit enim saepe laudatus Geographus Ravennatensis §. 25. c. I. quem supra quoque Alemannos Thuringis vicinos fecisse ostendimus: *per quam Thuringorum patriam transeunt plurima flumina, inter caetera quae dicuntur Bac & Reganum, quae in Danubium merguntur.* & Bac Nabam, Reganum vero Regen flumina, quae non procul a Ratisbona Danubio influunt, interpretatur Hertius, quem conf. in not. veter. Germ. pop. P. III. c. IV. §. 2. in not.

e) Ex iis quae not. (a.) de confiniis Thuringorum Alemannorumque Septentrionem versus disseruimus, praeter jam dicta facile quoque colligere licet, quam infirmo stet talo, & omni plane historicae veritati eorum repugnet opinio, qui cum Trithemio in orig. gent. Franc. apud Schardium Tom. I. script. rer. Germ. p. 151. ex spuriis istius Hunnibaldi commentis aliis persuadere volunt, Francos aduersus Sueuos a Thuringis in auxilium euocatos, jam Sec. IV. ab his praemii loco illum obtinuisse tractum, quem hodie Franconiam appellamus, & circulum imperii constituere videmus. Nunquam enim ejusmodi homines ex ullo scriptore probo fideque digno comprobabunt, Franconiae vocabulum, ante famosum illud ad Tolbiacum praelium, eodem sensu fuisse notum, ut illam comprehenderit regionem, quae hodie sub Franconiae nomine nobis venit: Sed veritati longe similius, Alemannos a Clodouaeo deuictos ad demulcendum victorem, abjecto proprio nomine, se postea Francos dixisse, vid. Hertius P. III. c. I. §. 4. in not. veter. Franc. regn. ubi citat Hachenbergii colleg. histor. diss. III. §. 10. aut, ut malunt Valesius in not. Galliar. voc. Francia p. 208. in f. & Werlhofius Lib. I. c. 2. §. 85. not. (t.) in notit. S. R. I. prouinciae huic circa utramque Moeni ripam nomen impositum a Francicis coloniis, eo deductis, in quibus eminuit Franconofurdum, aut Francofordia, originem suam vel una appellatione praeferens, villa regia, ad Moeni ripas posita; adde quoque Guil. Turckium §. 32. c. I. eadem referentem, & Schatenium, qui Lib. III. pag. 149. H. W. *Sero tandem*, inquit, *cum Francia orientali id nomen* Franconiae *invaluit, ex quo provincia illa in Francorum potestatem*

testatem concessit, quod vel Honorio Imperatore factum volunt, quando perrupto Rheni limite Franci una cum Vandalis ac cæteris barbaris Germaniam interiorem invaserunt, vel quod verisimilius est, Clodouei ævo post victoriam ad Tolbiacum cæsis Alemannis, qua clade tributarii facti perhibentur, cessisseque in partem Francici regni; vel quod multo certius reputo, a Theodorico, Clodouei filio, Francorum rege, id nomen una cum armis importatum est, quando ille circa annum 524. subacta Thuringia eam desertam Alemanniæ regionem inter Mœnum & Nicrum novis Franciæ incolis implevisse fertur. Ut vel inde in D. Kiliani vita Franconiæ regio nova Francia appelletur. Ab illis demum seculis Francia orientalis & pars ejus Franconia, Francofurtum, Frauckendalium, similiaque nomina a victoribus Francis invaluerunt.

f) Hodie Langres, urbs Campaniæ Gallicæ, ferme in confinio comitatus Burgundici sita. vid. Valesius in not. Galliar. voc. Lingones p. 278.

g) Vesontium, metropolis comitatus Burgundici v. Chiffletius in peculiari tractatu de hac civitate Lugduni 1618. in IV. edito.

h) Hodie Nancy, primaria civitas Ducis Lotharingiæ. Valesius in not. Galliar. voc. Nancejum p. 368.

i) Hodie Worms, civitas imperialis v. Valesius c. l. voc. Borbeto magus p. 92.

k) Alta ripa, hodie Altrip, urbs paulo infra confluentem Nicri, inter Spiram & Wormatiam posita v. Cellarius in not. orb. antiq. Lib. II. c. 3. p. 311.

l) Hodie Speier, urbs imperialis, cujus historiam & antiquitates in elegantissimo opere, Chronico Spirensi explicat C. Lehmannus.

m) Hodie Pfortzheim urbs Marchionatus Badensis.

n) Hanc Anonymus Ravennatensis falso Strasburgum interpretatur, dum ait: *Argentaria, quæ modo Stratisburga dicitur.* Strasburgum enim Romanis non Argentariam, quæ teste Cluverio Lib. II. c. 8. p. 31. Germ. antiqu. hodierna Colmaria, vel ut mavult B. Rhenanus, Lib. III. p. 283. rer. Germ. Horburgum est, vicus non adeo magnus, Ello flumini imminens, sed Argentoratum dictum fuisse, certo certius. conf. Valesium voc. Argantouaria & Argentoratum p. 41. c. l.

o) Forsan Brisach, fortalitium munitissimum, ad dextram Rheni ripam situm, veteribus mons Brisiacus dictus, quæ conjectura est B. Hertii Part. III. c. 1. §. 5. in not. veter. Germ. pop. licet vir alias doctissimus Braccum Saccum ibidem, castrum in tractu Andegavensi Galliæ, vulgo Brissac nuncupatum, cum monte Brisiaco confundere videatur. conf. Valesius voc. Braccum Saccum p. 93. & Mons Brisiacus p. 345. c. l.

p) Basilea, Basel / urbs præpotens, ad lævam Rheni ripam, quæ hodie fœderi Helvetico adscripta.

q) Hodie Augst, vicus exiguus, infra Basileam, ad lævam Rheni ripam situs, olim sub Augustæ Rauracorum titulo urbs celeberrima. vid. Valesius voc. Rauraci, pag. 466. c. l.

r) Hæc dicitur Hertio c. l. Aurach, oppidum & castrum ditionis Würtebergicæ.

s) Hodie Constantia, Costantz, Austriacæ ditionis urbs, ad lacum Bodamicum.

t) Forsan Potamum, Bodmen, juxta modo laudatum lacum situm. Urbs olim imperatoria tempore Carolingorum. v. Goldastus Tom. I. scriptor. rer. Alem. in not. pag. 108.

u) Hodie Arbon, ad lacum Brigantinum posita. B. Rhenanus Lib. III. pag. 244. & Guillimannus Lib. I. c. XI. n. 12. p. 41. de reb. Helvet.

& privatim expedire videbatur, alterutram gentem exscindi; & inter hos imprimis magistratus Romanor. qui insignes aliquot in Gallia urbes adhuc defendebant, oondum spe omni amissa restituendi imperii Romani: quod & a Borgundionibus & Gothis quoque clanculum factum fuisse conjicit.

t) Alemannis socios in bello Bojos quoque cum Aventino Lib. III. c. 1. num. 5. 6. c. l. adjunguot plurimi Juris publici Scriptores, & hos amisso Adalgerione suo rege in prælio Tolbiacensi, perpetuum quoque fœdus societatemque cum Francis fecisse, tradunt. Sed utrumque, quod scriptores antiqui ne verbulo quidem ulla ex parte id attingant, rectissime negat Andr. Brunnerus in Lib. IV. Annal. Bojor. insuper addens: Bojos *victricium Franciæ armorum admiratione, vel eorundem, cum proximus arderet paries, prudenti metu post Theodorici Gothi mortem rebus suis voluntaria deditione consultum ivisse, cumque in Theodorici successoribus nihil spei esset, maluisse orientem fortunæ Franciæ solem, quam Gothicum, jam in occasum vergentem, adorare; cum præsertim haud quaquam conquieturi Franci viderentur, quam diu superesset, quod vincerent, facile inventa causa, quæ bellum amantibus semper est obvia.* Conf. etiam Velserum, hæc tradita Auentini Lib. II. p. 73. rer. Bojic. ex instituto refutantem.

u) Alemannos decreto adversus Francos bello, Sigeberto regi arma prius quam Clodoueo intulisse, indicat Tolbiacum pugnæ locus; quod à Colonia Agrippina XVI. tantum leugas aberat, cujus regulus tum temporis hic Sigebertus. Gregorius Turonensis Lib. II. c. 42. Hist. Franc.

x) Locus juxta quem celebre hoc prœlium commissum, Tolbiacum, erat ut diximus, in finibus Ubiorum, ab horum metropoli, Colonia Agrippinensi, XVI. leugas, siue XXIV. passuum millibus, distans: hodie Zulpich, Züllich, vel contracto nomine Zulg & Zulck dictum, in Ducatu Juliaco, & regiuncula Eflia vel Eifiia, die Eifel, non procul à flumine Rura situm. Et hæc hactenus communis opinio fuit, tot testimoniis veterum superstructa, qui historiam hujus prœlii descripserunt. Ast in alia longe superiore seculo abiit Olivarius Uredus Ictus Brugensis, in sua Flandria Christiana, ubi p. 2. ita inquit: *Tulbiacum illud, iidem scriptores interpretantur Zullich, vicum aut pagum, non procul à Rheno, atque urbe Bonna, inter Mosam & Mosellam, prope fontem Ruræ, quod nulla ratione potest subsistere, cum clare oppidum nominet Gregorius, Züllich vero non sit nisi pagus. Deinde Alamanni Rhenum transgressi, non poterunt attingere Tulbiacum (si Züllich ita fuerit unquam appellatum) cum longe superius sedes suas habuerint, intra Rhenum videlicet, Danubium & Mœnum, ut constat apud omnes autores. Præterea cum certum sit, victoria obtenta Clodoueum statim Tullum advenisse, atque inde properasse Rhemos, ad suscipiendum baptisma, non potuit id fieri à Tulbiaco ad fontem Ruræ, quod Rhemis propius abest quam Tullo.* Proinde in Gregorio Turonensi legendum putat, apud Tulliacense aut Tullense oppidum, quo scilicet transito Rheno inter Nemetes & Triboccos Alemanni pervenirent. Sed si dicendum quod res est: primum argumentum Uredi vel ideo nil probat, quod modo oppidum vocat Tolbiacum Gregorius, Æthicus Cosmographus, mox vicum appellat (v. Valesius voc. Tulbiacum in not. Gall.) communi Veteribus loquendi modo, quo vicus ipsis aut oppidum haud raro pro Synonymis veniebant. Secundo, Alemanni jam ante hanc pugnam angustiis illis inter Mœnum, Rhenum & Danubium sedibus non amplius continebantur, sed fines suæ ditionis, uti ex superioribus patet, ultra Rhenum mirum quantum quoque extenderunt, & licet ii Tolbiacum non attingerent, in ipsas tamen Francorum terras fuerunt progressi. Tertium denique argumentum, Clodoueum post obtentam victoriam Tullum venisse, etiam nil probat, nisi quod Tullum primum à loco, quo usque Alemannos fugitiuos persecutus fuit, palatium fuerit. Hinc omnibus, quæ pro stabilienda sua sententia Uredus adducit, postpositis, communi potius subscribimus opinioni.

y) De tempore eruentissimi hujus prœlii inter auctores non conuenit; Baronius enim Tom. VI. Annal. Eccles. & cum eo Velserus Lib. II. p. 75. rer. Bojic. Crusius P. I. L. VIII. c. IX. p. 210. Lehmannus in Chron. Spir. Lib. III. c. 2. p. 181. & Conringius de ciuit. imp. th. 22. illud ad A. C. 499. referunt, quæ opinio hactenus communis fuit: ast ab ea longe recedit P. G. Daniel p. 16. c. I. ubi A. C. 495. ponit, & jam ante eum Dionysius Petavius P. I. Lib. VII. c. 2. Rat. temp. Brovverus Lib. V. p. 303. Annal. Trevirens. Valesius Lib. VI. p. 255. Rer. Franc. Schatenius Lib. V. p. 294. Werlhof Lib. I. c. 2. §. 85. not. S. R. I. Spec. I. & Hertius not. veter. Franc. Regn. c. I. §. 12. inter gesta anni 496. post C. N. & rectissime illud recensuerunt. Commissum enim fuit, uti ex Gregorio Turonensi Lib. II. c. 30. hist. Franc. p. 287. gestis Francor. c. XV. p. 701. & fragmentis de reg. Franc. reb. pie gestis, ex vita S. Remigii, Remorum ciuitatis Episcopi pag. 524. apud du Chesneum inter script. hist. Franc. apparet, anno XV. regiminis Clodouei, & si, uti ex Valesio, Labbeo, Cointio & Mabillonio obseruat Hertius c. VII. §. 6. c. I. Clodoueus A. C. 511. cum XXX. annos imperasset, ex hac vita migrauit, necesse est, hoc prœlium in annum Christi 496. incidisse.

z) Ita enim Gregorius Turonensis Lib. II. c. 37. c. I. *Hic Sigebertus pugnans contra Alemannos apud Tulbiacense oppidum percussus in geniculo claudicabat.*

a) Historiam atrocissimi hujus prœlii Gregorius Turonensis, fidelissimus Francorum historicus, qui Turonensem cathedram A. C. 572. conscendit, & A. C. 596. e vita excessit, hoc est, justo seculo post reportatam Francorum ab Alemannis victoriam, Lib. II. c. 30. Hist. Franc. p. 82 editionis optimæ, doctissimi Benedictini Monachi Galli, *Theoderici Ruinarti*, ita describit: *factum est autem, ut confligente utroque exercitu vehementer cæderentur, atque exercitus Chlodouechi valde ad internecionem ruere cœpit. Quod ille videns, eleuatis ad cœlum oculis compunctus corde, commotus in lacrymis, ait: Jesu Christe, quem Chrotechildis prædicat esse filium Dei viui, qui dare auxilium laborantibus, victoriamque in te sperantibus tribuere diceris, tuæ opis gloriam deuotus efflagito, ut si mihi victoriam super hos hostes indulseris, & expertus fuero illam virtutem, quam de te populus tuo nomini dicatus probasse se prædicat, credam tibi & in nomine tuo baptizer. Inuocaui enim Deos meos, sed, ut experior elongati sunt ab auxilio meo. Unde credo, eos nullius esse potestatis præditos, qui sibi obedientibus non occurrunt. Te nunc inuoco, & tibi credere desidero, tantum ut eruar ab aduersariis meis. Cumque hæc diceret, Alamanni terga vertentes, in fugam labi cœperunt. Cumque regem suum cernerent interemtum, Chlodouechi se ditionibus subdunt, dicentes: Ne amplius, quæsumus, pereat populus, jam tui sumus. At ille probibito bello, coarctatoque populo, cum pace regressus, narrauit reginæ, qualiter per inuocationem nominis Christi victoriam meruit obtinere.* Aliter paulo rem narrat Gregorii Epitomator Fredegarius Scholasticus cap. 21. *Cumque bellum contra Alamannos Chlodoueus rex moueret, suadente regina vouit, si victoriam obtineret, efficeretur Christianus. Cumque utræque phalanges certamina jungerent, & strages ingentes essent, dixit Chlodoueus: Deum inuoco, quem Chrotechildis regina colit, si me juuaret in hoc prœlio, ut vincam hos aduersarios meos, ero illi fidelis. Alamanni terga vertentes in fugam lapsi sunt. Cumque regem suum cernerent interemtum, nouem annis exsulet a sedibus eorum, nec ullam poterunt gentem comperire, quæ eis contra Francos auxiliaret, tandem se in ditionem Chlodoueo tradunt.* Sed generaliter hæc nimis dicta, & de parte tantum Alemannorum, ad Theodoricum Ostrogothorum regem in Italiam profugientium intelligenda, infra videbimus. Gregorio contra in omnibus adstipulatur Anonymus, Theodorico II. coæuus c. XV. cujus gesta regum Francorum ad hunc regem usque perducta extant apud du Chesneum p. 701. c. I. & iisdem fere verbis utitur, nisi quod Clodouæum, monitu amici sui Aureliani, in prœlio opem Christi implorasse tradat & circa finem quoque hæc verba addat: *Tunc jussit rex imminentem plagam cessare; Alemannos cepit, ipsos terramque eorum sub jugo tributarios constituit.* Eadem quoque habent & iisdem insuper verbis

bis hanc rem referunt fragmenta, quæ ex vita MSta sancti Remigii, Remorum ciuitatis Episcopi, quam partim ex vetustissima historia de ortu ac vita & virtutibus illius, quæ & a Gregorio Turonensi Episcopo citatur, partim ex aliis historiis, pitatiolis, ac usitata præcedentium relatione, Hincmarus ejusdem ciuitatis Episcopus, se descripsisse testatur, inter fragmenta de reg. Franc. reb. pie gest. scriptoribus Histor. Franc. Tom. I. inseruit sæpe laudatus du Chesneus p. 526. ibi enim in fine: *Tunc jussit Rex imminentem plagam cessare & Alemannos cepit, ipsosque ac terram eorum sub jugo tributarios constituit.* Nec contrariantur imo dicta potius confirmant, quæ de Chlodoueo I. ex antiqua & rudi vita MSt. sancti Vedasti, Atrabatensis Episcopi & confessoris, quam postea Alcuinus, petente Radone abbate emendauit, apud modo nommatum du Chesneum extant p. 523. c. I. *euenit ut quodam tempore inter incendia bellorum aduersum Alamannos gentem ferocem bellaturus pergeret* Clodoueus. *Quo cum venisset ab utroque acies, & nisi obuium hostem habuisset Rheni, tam Franci, quam Alamanni ad mutuam cædem inhiarent: commisso prœlio, ita vehemens terror Chlodouei animum obrepserat, ut in ea pugna se viuendi finem horrenda anxietate trucinaret. Cumque ergo suos pene ad internecionem opprimi cerneret, tandem diuino fultus auxilio in animo, oculosque in cœlum eleuatos attollit: unice, inquit, potestatis ac majestatis Deus, quem Chrotildis collaterranea mea confitetur, quemque humili prece die noctuque supplicare non cessat, tu mihi hodie de his hostibus concede victoriam: ut & ego te deinceps corde credendo teneam, & adorem. Cumque his hujusmodi precibus rerum auctorem pulsaret, cessit tandem hostis, terga vertendo, victoriam Chlodoueo. Victor deinde Alamannos cum rege in ditionem cepit, ouansque ad patriam festinus rediens, ad Tullum oppidum venit.* Rorico etiam monachus in gestis Francorum ab ipsius gentis origine, ad obitum usque Clodouei I. Regis Lib. II. postquam votum Clodouei iisdem fere verbis, quibus Anonymus, sub Theodorico II. viuens, recensuisset, hæc subnectit: *Et cum hæc ita peroraffet, ac nomen Domini cum interno rugitu cordis inclamasset, defectis viribus terga dederunt Alamanni, vitæ spem fugæ credentes. Sed cum & Regem suum cernerent interfectum, retrouersi Clodoueo supplicant, ut tantam stragem cessare præciperet, sua omnia, seque dedentes. Qui cum imminentem plagam cessare fecisset, terras eorum nimia populatione vastauit, & eos sub tributo constituit.* Et auctor excerptarum Chronici veteris ab init. regn. Franc. ad An. 819. apud eundem du Chesneum p. 132. Tom. IV. c. I. inquit: *Similiter* Clodoueus *Alamannos tributarios fecit.* Adde etiam Aimonum, qui Lib. I. c. XV. de gest. Franc. inquit: *verum rege in infidelitate permanente, tandem commouetur exercitus, bellumque a Francis & Alamannis, totis regnorum viribus excitur. Tunc vero Clodoueus signo suis dato, bellum aggredi imperat. Sed inter præliandum suos grauiter hostium mucrone sterni conspiciens, in hanc vocem prorupit: Christe, inquit, potentissime Deus, quem Crotildis conjux mea colit pura mente, trophæum meæ tibi voueo fidei, tribuas si his ex hostibus triumphum victoriæ. His peroratis Alamannos innadit timor: Francos accendit virtutis ardor. Igitur hostes terga vertentes victoriam Clodoueo relinquunt; demum regem suum gladio cæsum conspicientes jure tributario Francis se fore seruituros libentissime spondent.* Et Rheginonem in Chron. sub An. 421. ubi: *Clodoueus Alemannos tributarios fecit.* Quibus ex recentioribus jungi possunt Brovverus Lib. V. pag. 303. Schatenius Lib. V. p. 294. Daniel p. 16. & Valesius Lib. VI. p. 255. c. I. Hæc autem scriptorum testimonia maximam partem integra vel ideo adducere placuit, quo ex iis falsi & absurditatis illi eo melius conuinci possent, qui originem seruitutis in Sueuia a prœlio hoc Tolbiacensi deducere fuerunt conati, cum tamen scriptores, qui proxime ab his temporibus vixerunt, ne verbulo quidem mentionem hac de re faciant.

b) Cecidisse in hoc prœlio Alemannorum regem, ex testimoniis scriptorum modo adductis luculentissime apparet; quodnam vero illius nomen, non prodiderunt. Alaricum quidem eum vocat Aventinus Lib. III. c. 1. n. 6. c. I. sed unde hæc hauserit, non addit. Inde longe verosimilior conjectura P. Danielis c. I. cui idem Sibuidus est, cujus meminit Eugippius in vita Seuerini c. 19. Idem etiam c. 22. mentionem facit Chunnimundi,

quem Hunimundum Sueuorum Regem Jornandes c. 53. de rebus Getic. appellat, & de quo, ficut & de Sibuldo, quædam quoque retulimus fupra §. CX. Sed an hic vel ille in hoc prœlio occubuerit, definire non audet Hertius in not. veter. Germ. pop. P. III. c. 1. §. 7. in not.

c) Magnum Alemannorum numerum, imperium Francorum averfantes, poft infelix ad Tolbiacum prœlium ad Theodoricum, Oftrogothorum regem, in Italiam profugiffe, ex iis quæ not. (a.) ex Fredegario adduximus, & quæ Agathias Lib. I. hift. Goth. habet, fatis manifefte apparet, inquit enim hic pofterior: *Hos*, Alemannos, *quoudam Theudericbus, Gothorum rex, cum omnem Italiam teneret, in obfequio babuerat, fub tributi lege.* Et licet hi fcriptores infinite hoc de omnibus fcripferint, finite tamen id intelligi debere, quæ fupra eodem loco de geftis Clodouei poft reportatam victoriam recenfuimus, & infra quoque ex Procopio monebimus, fatis luculenter oftendunt. Tenuerunt in hac fua fuga per Noricum iter v. Caffiodorus Lib. III. var. ep. 50. & amice primum a Gothis recepti, & in Rhætia, quæ confinalis eft Italiæ, uti putat Valefius c. l. collocati, mox vero hoftiles in terras eorum impreffiones facientes, ab his bello victi, Gothico jugo colla fua fubdere fuerunt coacti. v. Caffiodorus Lib. XII. var. ep. 9. qui, *additur*, inquit, *Alemannorum nuper fugata furreptio, quæ inprimis conatibus fuis fic probatur oppreffa, ut fimul aduentum fuum junxiffet, & exitum, quafi falutaris ferri execatione purgata: quatenus & male præfumentium vindicaretur exceffus, & fubjectorum non omnino graffaretur interitus.* & Ennodius in panegyrico, ubi: *quid quod a te Alemauniæ generalitas intra Italiæ terminos fine detrimento Romanæ poffeffiouis inclufa eft? cui euenit babere Regem, poftquam meruit perdidiffe. Facta eft Latiaris cuftos imperii femper uoftrorum populatioue graffata. Cui feliciter ceffit, fugiffe patriam fuam, nam fic adepta eft foli noftri opulentiam, adquifita eft iis, quæ nouerit, ligouibus tellus adquiefcere.* Paruerunt itaque Gothis per XL. annos, Theodorico, Athalarico, Theodato & Vitige regibus, usque dum hic aut adulando Francis, ut eorum auxiliis contra Juftinianum Imp. quocum ipfi atrociffimum interceſſerat bellum, adjunaretur, aut quod eos amplius defendere, aut fub poteftate fua retinere haud poterat, omnes tandem domum remitteret, & Theodeberto, Francorum regi, Clodouei nepoti, traderet, ejus impofterum imperio cum reliquis popularibus parituros. Agathias & Fredegarius c. l. conf. etiam omnino hic Velferum Lib. VIII. p. 337.

d) Hæ litteræ extant apud Caffiodorum Lib. II. var. earumque tenor ita fe habet: *gloriofa quidem veftræ virtutis affinitate gratulamur, quod gentem Fraucorum prifca ætate refidem, feliciter in noua prœlia concitaftis, & Alemanuicos populos, caufis fortioribus inclinatos, victrici dextra fubdidiftis. Sed quoniam femper in auctoribus perfidiæ refecabilis videtur exceffus motus veftros iu feffas reliquias temperate: quia jure gratiæ merentur euadere, quos ad parentum veftrorum defenfioueni refpicitis confugiffe. Eftote illis remiffi, qui uoftris finibus celantur exterriti. Memorabilis triumphus eft, Alamaunum acerrimum fic expauiffe, ut tibi eum cogas de vitæ munere fupplicare. Sufficiat, illum regem cum gentis fuæ fuperbia cecidiffe. Sufficiat inuumerabilem uationem partim ferro, partim feruitio fubjugatam. Nam fi cum reliquis confligis, adbuc cunctos fuperaffe uon crederis, &c.*

e) Veritas dictorum luculenter apparet ex iis, quæ not. (a.) differuimus.

f) Non integrum Sueuorum populum poft reportatam hanc victoriam Cloдoueum fibi fubjeciffe, ex iis, quæ fupra not. (c.) de migratione non minimæ hujus gentis partis ad Theodoricum Oftrogothorum in Italiam regem differuimus, & Procopius Lib. I. Hift. Goth. ulterius refert: *Super Thuringos Sueui & Alemauui, nationes validæ, agunt vetuftis in finibus ac libertate*, luculenter fatis apparet. Inde etiam his rationibus procul dubio inductus Obrechtus c. X. prodrom. rer. Alfat. Gregorii verba fupra a nobis allegata adducens, in margine addit: *omnes Aleman-*

triam plurimi descripserunt Philosophi, ex quibus ego legi praenominatos Anaridum & Eldebaldum, Gothorum Philosophos; sed non aequaliter praefatam designaverunt patriam, sed & alius dixit aliter, alius vero alio modo. Ego autem secundum praefatum Anaridum praenominatae patriae civitates nominavi. In qua patria plurimas civitates fuisse legimus, ex quibus aliquantas designare volumus, i. e. Ligonas, Bizuntia, Nantes, Mandroda. Item juxta supra scriptum Rhenum sunt civitates, i. e. Gormetia, quae confinalis est cum praenominata Moguntia civitate Francorum. Item civitates Altripe, Sphira, Porca, Argentaria, quae modo Stratisburgo dicitur, Brececha, Bazela, Augusta, Carstena, Cassangita, Wrcacha, Constantia, Rugium, Bodungo Arboefelix, Beacantia. Item juxta supra scriptam civitatem Stratisburgo, i. e. civitas, quae dicitur Alaja, Chorust, Ziaberna, Frincina, Aon, Laguirion, Brara, Albisi, Ziurichi, Duebon, Crino, Stafulon, Caciolon, Theodoricopolis, Vermegaton. Item ad aliam partem sunt civitates, i. e. Augusta noua, Risinis, Turigoberga, Ascis, Ascapha, Ubuexis, Solist ex Alimannorum patria. Hunc Anonymum primus in lucem ex MSto regio edidit notisque illustravit Placidus Porcheron 1688. in 8 & deinde cum MSto Lugdunensi collatum editioni suae P. Melae 1669 in 8. adjecit Jac. Gronovius. Licet autem egregia multa, quae Geographiae mediae aetatis non parum lucis affundunt, afferat, ea tamen a plerisque, qui Geographicae rei illustrandae operam dederunt, B. Hertio excepto, hactenus neglecta fuisse, probe observavit Cl. Turckius c. l. §. 15. n. (e.)

§. CXIX. Hactenus itaque Alemannis omnia ex voto cedebant, ut quocunque modo victricia sua arma vertebant, victores semper discederent, & obuia quaeque virtute sua subjugarent. Ast quemadmodum res humanae perpetuae semper vicissitudini subjectae, & nimiam felicitatem haud minor calamitas plerumque excipere solet, ita secundas has Alemannorum res breui post atrocissimum cum vicinis Francis subsecutum bellum, quod non nisi subuersione integrae illorum Reip. formae tandem fuit determinatum. Ipsi utrum sua culpa hoc malum sibi contraxerint, an Franci, de quibus prouerbium illud jam olim inualuit: Francum amicum habeas, non vicinum; primi aggressores? res valde dubia, *s*) cum scriptores hujus aeui hoc annotare omiserint: id certum, amicitiam eorum vel ideo quoque diu stabilem esse haud potuisse, quod idem utriusque gentis Reip. scopus, arma scilicet & bellum, & suae ditiones fines quaqua versum quam latissime proferendi. His igitur rationibus inducti, aut a Francis antea lacessiti Alemanni, *t*) bellum aduersus eos decernebant, & tutius fore rati copias in hostilem terram educere, quam aduentum hostis domi exspectare, arma primum in Sigebertum, Agrippinensium regulum conuerterunt, *u*) quo hoc deuicto, jam liberior ipsis aditus ad Franciae interiora pateret. Praeerat huic tunc temporis Clodoueus, princeps quidem juuenis, sed natura ferox, & deletis tum Romanorum in Gallia reliquiis, tum Thuringis quoque victis, animo adhuc elatior. Hic vix nuncium de Alemannorum in Franciam irruptione acceperat, cum coactis undique copiis, euocatisque ad se Sigeberto & reliquis Francorum proceribus, magna celeritate, confestim ad hostem contenderet, huic, si non recusaret, pugnandi copiam facturus; quod cum Alemanni quoque eadem animi alacritate expeterent, castris ad Tolbiacum, *x*) quod Ubiorum non incelebre oppidum est, positis, res tandem ad decretorium & cruentissimum, quo saeuioris nulla unquam historia meminit, praelium deuenit. *y*) Acriter illo inter duas has bellicosissimas & potentissimas nationes certatum, & primo quidem pari animo, aequaque spe vincendi, donec multis utrinque caesis, fesso jam & languescente exercitus ardore, & Sigeberto quoque, quem Chlodoueus peditatui praefecerat, grauiter in genu vulnerato, *z*) ex quo vulnere postea semper claudus fuit, & inde quoque nomen sortitus, peditatus Francorum, impetum Alemannorum haud amplius sustinere valens, loco tandem cedere & hoc fugato, reliqua

Alemannos subactos hinc non recte concludunt vulgo ; & Velserus quoque Lib. VIII. pag. 336. tria Alemannorum genera statuit, dum inquit: *Neque tamen, quod plerique Gregorium parum caute interpretati existimant, victoria Alemanni omnes cessere, ex Procopio quippe vidimus, Alemannos adhuc Justiniani ætate liberos, & ut huic quantum quisque volet tribuat, illud certis testibus compertum, quod paulo post ex Agathia visuri, Theodorico quosdam fuisse subditos. Nam quamvis tam Procopius, quam Agathias de omnibus infinite scripserint, (nisi interpretes fallunt) rerum tamen diversissimarum natura cogit utrumque finite de aliquibus accipere. Theodorico paruere, qui Rhætiam incolebant, & in vicinia fortasse, qui Danubium prætexebant nonnulli; Clodoveo tum ii qui cis Rhenum in Gallia Argentoratensem tractum occupaverunt (cujus rei multa sunt indicia) tum, si quid conjecturæ in rebus dubiis licet, qui proximam Thuringis oram tenebant, quam Franconiæ eo nomen accepisse credimus.*



DISSERTATIO VII.

REGNA GENTESQUE IN EUROPA PRINCIPES EX SUEVIS.

THESIS I.

GErmania, Provinciarum *Europæ* princeps, & longe maxima, terrarumque versus Septentrionales ultima, partes vetustissimæ *Celticæ* reliquas, *Illyricum*, *Galliam*, *Britannicas Insulas*, & *Hispaniam*, prior his quoque civibus frequentata, non modo singulas, sed inter se junctas, magnitudine sua superavit omnes: præsertim cum *Dania* quoque, *Norvegia*, *Suedia*, '*Finnia*, *Prussia*, & *Livonia*, partim jam multis abhinc seculis, partim recentius ab hoc corpore avulsa, adhuc nomine illius continerentur. vid. Phil. Cluver. *de Germ. Antiqu. lib. 1. cap. 11.* Hanc *Ptolomæus* in tres divisit partes; in *Germaniam* scilicet *Superiorem*, *Inferiorem* & *Magnam*: ut, qui ad *Rheni* fontes, *Italiæ* vicini, usque ad *Vangiones*, nunc *Wormatienses*, habitant, *Superiorem*: qui vero viciniores *Oceano* Septentrionique sunt, *Inferiorem* teneant: *Magnam* trans *Rhenum*, penitiores vocat Populos, usque ad *Albim*. de quibus vid. Raph. Volaterr. *lib. 7. Geograph. fol. 69.* At recepta magis majoribus nostris illa Plinii *lib. 4. Hist. Nat.* nec non Corn. Taciti, & Pompon. Melæ, *de Situ orbis*, distributio, qua Germania in quinque divisa fuit Toparchias: quas *Oceano*, *Hercynia* sylva, amnibus maximis, *Rheno*, *Danubio*, *Vistula*, *Tyra*, *Hypani*, *Borysthene*, descripserunt, & determinarunt. Primam *Vistula* & *Venedico Sinu* inclusam, incoluere *Vandali*, quasi in medio omnium; alteram Oceano proximi *Ingevones* tenuerunt. Versus *Septentriones*

proximi *Rheno* fuerunt *Istevones*. Versus Occasum medii *Hermiones* erant, contingentes *Hercyniam* sylvam, spectantes *Danubium* versus Meridiem, ultimi *Germanorum* Melæ: pars eorum *Suevi*, *Boji*, *Catti*, *Cherusci*, *Cimbri*, &c. mediterranei, Plinio *Lib. 4. cap. 14.* Quinta pars *Peucini*, & *Bastarnæ* contermini *Dacis*, ad *Tyram* & *Borysthenem*, consederunt versus ortum. Strabo *Lib. 7. Geogr.* ubi *Bastarnas* dici *Peucinos* cœpisse, posteaquam in Insulam *Peucin* emigrarunt. Phil. Cluver. *in German. Antiqu. Lib. 3. cap. 43. & 46.* B. Rhenan. *Lib. 3. Rer. German. pag. 215.* Aventinus *in Annal. Bojor. Lib. 1. pag. 2.* Sic in varia Gentium Nationumque nomina, & varia Imperia divisa fuit universa *Germania*. Originem huius divisionis inquirit Phil. Cluver. *l. c. cap. 37.* juncto *capite 4.* ibidem.

II. Constat scilicet ex *Mosis*, Scriptorum antiquissimi monumentis, quod *Aschenaz* filius *Gomeri*, pronepos *Noachi*, aliis *Thuyscon*, a quo *Thuyscones* Germani, die Teutschen/ *Celtarum* omnium pater, primusque Conditor, post terrarum inundationem omnem *Celticam* obsederit. Hic Gentem simul & linguam nostram in *Celticam* terram deferens, unusque omnibus patrio jure ac potestate, veluti Rex subjectis imperans, cum complures haberet filios, quinque natu majoribus, ex quibus unus *Mannus* dictus, cujus *Berosus* & *Tacitus* meminit, omnem reliquit *Celticam*: unde hæc in quinque potissimum Gentes, & quinque nomina *Hispanorum*, *Britannorum*, *Gallorum*, *Theutiscorum* & *Illyriorum* universa divisa fuit. Ex *Aschenazis* filiis autem ille, cui *Theutiscia* hereditate obvenit, (cui quodnam fuerit nomen, nusquam se reperire ait Cluverius *l. c.*) cum itidem complures haberet filios, ex his quoque quinque majoribus natu omnem distribuisse fertur *Theutisciam*: a quorum imperiis nominibusque omnis *Theutiscorum* Gens in quinque divisa fuit nationes, *Istevones*, *Ingevones*, *Vandalios*, *Hermiones* atque *Bastarnas*, quorum fines describit Cluverius *loco cit. Lib. 2.* Singulis iterum *Aschenazis* nepotibus, cum complures progignerentur filii, complures etiam cujusque ditionis partitiones, compluraque de eorum nominibus nationum exorta sunt nomina, *Marsorum*, *Gambriviorum*, *Chattorum*, *Hermundurorum* & alia. Quorum regiones cum jam ultra in plura vocabula, pluraque imperia minutiora dividi ob agrorum angustias nequirent, in unum imposterum filium, natu maximum, imperii successio in quaque gente, sive natione, perpetuo delata fuit. Ubi vero filii defecerunt, in proximos Regiæ stirpis consanguineos, vel etiam nobilitate præstantissimos defunctorum successio transivit: reliqui omnes his paruerunt κατὰ νόμον, id est, jure ac legibus præscriptis; ut de primis illis Regnis adfirmat Aristoteles *Lib. 4. Politicor. cap. 2. & Lib. 3. cap. 14.* ubi πατρικὰς fuisse hasce Monarchias, sive βασιλείας κατὰ νόμον, censet, id est, Regna seu Monarchias, certo jure præfinitas, successione a patribus in filios delata. vid. Piccart. *in Comment. ad Arist. Lib. Pol. l. c.* Reineccius *in Prolegom. Syntagm. Heroici*, ubi de Imperiorum primordiis, generibus, vicissitudinibus agit.

III. At postquam deinceps exui æqualitas, & pro modestia ac pudore ambitio & vis incedebat, domi etiam in suos cives liberiores provenere dominationes, regnaque jam infinita, cum potestate imperandi absolutissima, quorum Conditorem primum post inundationem fuisse *Nimrodum*, sive *Ninum*, sacræ juxta profanæque testantur Historiæ. Unde absolutissima illa in Oriente Imperia, non tam in subditos & cives, quam in vilissima mancipia æternum mansere. Atque hoc tandem esse inquit Cluverius *l. c.* quod Aristoteles, haud

haud dubie ex veterum traditionibus adfirmet, κατὰ τὰς ἡρωικὰς χρόνους prima Regna fuisse exorta: Eademque postea cum in *Germania* quoque exorientur, nonnullos apud populos evaluisse quosdam, uti per vim ea atque libidinem a Regibus arrepta videbant, sic statim pari vi atque indignatione eripuisse, in plenamque sese & absolutam vindicasse libertatem; et hinc duas in antiqua *Theutiscorum* gente Rerumpublicarum formas, puras ac simplices, nulloque alio genere permixtas, Monarchiam & Democratiam ortas: Quosdam vero veterem illum atque avitum Gentibus morem ad posteriora Secula quoque retinuisse, vel saltem abolitum revocasse: unde tertium quasi genus, e Monarchia atque Democratia confusum, ac mixtum. Quorum singulorum generum exempla ex veterum ostendere monumentis atque clarius illustrare satagit Cluver. *l. c.* An autem ubique mixturam Reipublicæ a temperamento illius bene distinxerit, vix videtur: Quæ distinctio neglecta multas fraudes circa judicium de Statu Reipublicæ ferendum parere potest. Vid Boecler. *Dissert. De eo quod civitas egit pag.* 47. Sane Monarchia & Democratia, quia extremis adeo & tantis intervallis distant, difficillime inter se misceri possunt: quemadmodum facilius inter se miscentur ob propinquiorem cognationem Monarchia & Aristocratia, & cum hac Democratia: sed tamen Monarchia habere potest temperamentum aliquod Democraticum, quoad exercitium & administrationem juris statusque Regii; & vicissim Democratia ob eandem administrationem habere potest temperamentum aliquod Monarchium, vel Arioστraticum: Imo experientia ostendit, nullas hodie dari Democratias, quales nonnulli fingunt, id est, pure & mere populares, absque ullo temperamento Aristocratico, aut mixtura, vid. Boecler. *in Inst. Politic. Lib. 3. cap. 6.* ubi hoc jam suo tempore monuisse videri Aristot. *Lib. 3. & 4. Pol.* tradit. Pertinet huc etiam *Serenissimi Principis* ac *Domini, Domini*, GEORGII FRIDERICI *Ducis Würtembergiæ & Tecciæ &c.* belli & pacis artibus Inclyti, obsessæ superiori anno *Viennæ* Defensoris & *Turcarum* Victoris fortissimi, *Principis ac Domini nostri Clementissimi*, Oratio de *Causis Democratiam Belli tempore corrumpentibus*, in *Illustri Collegio* hoc habita. De cætero Boeclerus quoque, loco paulo ante citato, bene observavit, Aristotelem *Lib. 3. Politicor. cap. 5. 10. & seqq.* species Regni non satis explicate tradidisse. & multis hinc causam dubitandi & disputandi contra se dedisse: & quemadmodum Dominatus a Tyrannide, ita a Dominatu imperium absolutum debere distingui: nam hoc non statim esse herile, aut despoticum, sed posse quoque esse civile. vid. Boeclerum *l. c.* & in *Diss. Polit. X. pag.* 400. Grotius *de Jure Belli & Pacis. 1. 3. 8.* & ibi Boecleri *in Comment.*

IV. Quanquam autem verum sit, libertatem atque ex ea natam Democratiam, ut plurimum amplexos fuisse *Germanos* nostros, adeo ut uno ferme libertatis nomine atque fama Græcis pariter ac Latinis monumentis maxime celebrati sint: quippe Regno *Arsacis* acrior dicitur *Germanorum* libertas, Tacito *de morib. Germ. cap.* 37. non tamen defuerunt iisdem Monarchiæ quoque, & Regna, etiam infinita, & absoluta: interdum autem mixta. Tacitus, in eodem libello de *Suionibus*, civitates in ipso *Oceano* habentibus (quam gentem *Suevicam* esse infra probabimus) inquit: *Est apud illos & opibus honos: eoque unus imperitat, nullis jam exceptionibus, non precario jure parendi: non arma, ut apud cæteros Germanos, in promiscuo: sed clausa sub custode, & quidem servo, quia subitos hostium incursus prohibet Oceanus. Otiosæ porro armatorum manus facile lasciviunt. Enimvero neque nobilem, neque ingenuum ac libertinum quidem armis præponere regia utilitas est.* Ergo *Suionum*, sive *Sueonum*, qui nunc sunt *Suedi* perfecta omnibus numeris fuit

Monarchia, inquit Cluverius *loc. cit. cap. 40.* in qua unus opibus longe potentissimus omnibus reliquis, sine præscripto legum, sine exceptionibus, sine jure precario, superbe imperitabat. Atque hæc fuerunt Monarchica Septentrionalis *Germaniæ* Imperia: quibus similia quandoque ad *Rhenum* & *Danubium* quoque *Suevorum* fuerunt. Apud quos proinde etiam nomen Regis non tantum fuit nomen Magistratus & officii, sed potestatis quoque, & quidem summæ: aliud longe a nomine Ducis: quod notandum ad Willichium *in notis ad Tacit. cap. 11.* ubi de *Germanorum* Regibus Ducibusque agit.

V. Trans *Lygios* autem *Gothones* regnari paulo jam addictius, quam cæteras *Germanorum* Gentes, nondum tamen supra libertatem, protinus deinde ab Oceano *Rugios* & *Lemovios*, omniumque harum gentium erga Reges obsequium, tanquam insigne, autor quoque notat Tacitus *loc. cit.* quod Cluverius *loc. cit.* refert ad Rerumpublicarum genus ex Democratia atque Monarchia mixtum, & *Gothones* explicat *Rugios*, ac *Lemovios* inter *Viadrum* & *Vistulam* amnes, ad *Oceanum*, sive Oceani Sinum *Codanum:* in eo tamen deinceps sibi contrarius est Cluverius. *l. c. cap. 38.* dum in his ipsis populis puram putidam Democratiam merito dici debere, inquit: quidpe cum summa Imperii potestas Majestasque apud universum fuerit Populum. Si hoc, ergo illud Reipublicæ genus non fuit mixtum ex Democratia & Monarchia: nam in Statu Reipublicæ mixto summa Imperii potestas Majestasque non est in uno aliquo subjecto, sive populo sive alio, sed in subjectis pluribus divisim, per communicationem quandam.

VI. Quando autem *Tacitus* prædicto libro *de Germanis* scribit: *Reges ex nobilitate, Duces ex virtute sumunt: neque Regibus infinita, aut libera potestas: & Duces exemplo potius quam imperio, si promti, si conspicui, si ante aciem agant, admiratione præsunt*, hoc Cluverius *l. c. cap. 38.* refert ad Rempublicam Democraticam cum Principatu, quem definit in Democraticis *Germanorum* Rebuspublicis, *eminentem unius autoritatem, reliquorum omnium potestate atque legibus definitam.* Quamquam autem in istis *Taciti* verbis Reges *Germanorum* distinguantur a Ducibus, quod in his potissimum virtute opus fuerit ad profligandos hostes, in illis nobilitate domi, uti auctoritate pollerent in cives: item quod Duces in certum duntaxat constituti fuerint tempus, donec bellum, quod inciderat, profligaretur. Reges autem erant perpetui. Attamen Reges absolutos illos non fuisse, de quibus *Tacitus l. c.* loquitur, ex Conciliis *Germanorum*, quæ *Tacitus* quoque *l. c.* describit, apparet: quæ considerans Cluverius *loc. cit.* scribit, Regis ibi nomen impropriè pro Principis autoritate esse sumptum, idque satis disertè his verbis *Taciti* indicari: *Coeunt, nisi quid fortuitum & subitum inciderit, certis diebus, cum aut inchoatur luna aut impletur. Illud ex libertate vitium, quod non simul, nec jussi conveniunt, sed & alter & tertius dies cunctatione coeuntium absumitur. Ut turbæ placuit, considunt armati. Silentium per Sacerdotes, quibus tum & coercendi jus est, imperatur. Mox Rex vel Princeps, prout ætas cuique, prout nobilitas, prout decus bellicum, prout facundia est, audiuntur, autoritate suadendi magis, quam jubendi potestate, si displicuit sententia, fremitu aspernantur, sin placuit frameas concutiunt.* Hinc scilicet nullum inter Regis ac Principis imperium discrimen, inquit *Cluverius loc. cit.* idque exemplis aliis ex Historia *Germaniæ* clarius probare satagit. Et quando de Conventibus *Germanorum Tacitus* pergit: *De minoribus rebus Principes consultant, de majoribus omnes, ita tamen, ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, apud Principes pertractentur.* (alii legunt *prætractentur*, quemadmodum *Hugo Grotius*, & cum hoc

hoc Magnif. *Dn. D. Mauritius, Imperialis Cameræ Spirensis Assessor*, antehac *Antecessor in Academia Tubingensi, in Disp. de Recess. Imperii th. 1.)* & postea: *Licet apud Concilium accusare quoque & discrimen capitis intendere*, & iterum: *Eliguntur in iisdem conciliis & Principes, qui jura per pagos vicosque reddunt.* Addit his *Cluverius l. c.* sine ipsa igitur plebe nihil audebat statuere aut decernere Rex ille, aut Princeps, imo ne Proceres quidem, seu Primores. Bene tamen ad hæc loca *Taciti* notavit quoque Dominus D. *Mauritius l. c.* satis patere, particularia illa Gentis alicujus inter *Germanos*, non *Germanorum* omnium Conventus & Comitiorum Decreta fuisse. De cætero distinctum quoque apud ipsos *Germanos* fuisse Regem a Principe, & illi majorem potestatem & authoritatem competiisse, quam huic, ipse *Cluverius l. c.* fateri necesse habet, qui cæteroquin non ubique Rerum publicarum genera tum in thesi, tum in hypothesi videtur accurate satis distinguere, quod tum ex aliis apparet, tum ex illo, quod verba *Taciti*, quæ supra Reipublicæ Democraticæ applicavit cum Principatu, eadem quoque Rebuspublicis Democraticis *Germanorum* sine Principatu *loc. cit. cap. 39.* adscribat.

VII. Hoc etiam certum esse videtur, quod, quemadmodum *Germaniæ* olim varia Regna fuerunt, & varii Reges, ita diversa interdum singulis potestas fuerit, non una eademque; dum alii liberius, alii juxta leges magis imperarunt, non statim tamen nomine Regis indigni; sunt enim dissimiles formæ Regnorum, & alibi alii gradus libertatis, ut verba *Philippi Melanchthonis* huc applicemus cordata satis, in *Epit. Phil. Moralis pag. 249.* Hoc tamen verum esse observatur a Cluverio *l. c. cap. 38. pag. 316.* quod unum idemque Imperii genus *Romani*, & ex his *Julius Cæsar*, atque ipse *Tacitus*, modo Regis, modo Principis promiscue usurparint vocabulis, & quod quorundam *Germanorum* Principes, sive Reges, eodem modo, ut apud *Lacedæmonios*, solo nomine tantum fuerint Reges, re autem ipsa ἀρχὴ eorum nihil aliud fuerit, quam στρατηγία διὰ βίου, id est, Imperium bellicum per totam vitam, sive στρατηγία ἀΐδιος, Imperium militare æternum, ut tradit de Lacedæmoniorum Regibus Aristoteles *lib. 3. Politicor. cap. 13.* nam in hoc potissimum ab initio constituti fuerunt, uti hostem a suæ civitatis finibus propellerent, aut multitudinem in finitimorum agros educerent: omnis namque eorum vita nil nisi perpetuum fuit bellum: quod etiam de priscis *Germanis* dici potest. Fatemur igitur ipsi, *Romanos* ob *Lacedæmoniorum* Regum similitudinem, *Germanorum* interdum Reges dixisse, qui revera nil nisi Duces exercituum erant, quos Patria lingua dixit **Herzogen** / Latina, Principes, antiquo vocabulo *Germanico* **Forsten** / quod adhuc apud *Danos, Suedos*, atque *Norvagios*, primum numero significat, quem *Germani* superiores vocarunt **Ein Fürsten.** Sed hoc tamen de omnibus *Germanorum* Regibus affirmari non potest, ut deinceps videbimus. Qua ratione vero Cæsar *Octavianus* Princeps populi Romani appellari voluerit, non Rex, omnia Principis nomine sub Imperium accipiens, vid. apud Bœclerum *in Annot. Polit. ad Tacit. lib. 1. Annal. cap. 2. pag. 45.* & *ibidem cap. 9. pag. 246.* ubi hanc artem *Augusti* in censu arcanorum, vel simulacrorum Aristocraticorum ponit. de quibus vid. etiam Christophorus Forstnerus *in Notis Politicis ad Tacit. l. c. pag. 22.*

VIII. Licet autem in universum æstimanti, summa auctoritas tam in ea Democratia, quæ cum Principatu, quam quæ sine Principe vel Rege erat, penes unos Sacerdotes apud *Germanos* olim fuerit, cum domi in pace, tum foris in bello: rerum tamen forensium curam, summamque Reipublicæ administrationem non sustinebant. Sed domi Princeps jus habuit atque potestatem,

 indi-

indicendi Concilium: item præsidendi Conciliis ac Judiciis publicis totius Civitatis; id quod multo magis etiam dicendum fuit de Rege, qui locum juris dicendi obtinuit. In cæteris rebus gerundis simul Rex, simulque Populus ex Sacerdotis, qui sortes Deorumque nutus explicabat, nutu pendebant, cujus reverentia multo Regis, Principis Magistratusque observantia major: nam & in bello & in pace penes hunc unum omne erat jus coercendi, verberandi, vinciendi, graviusque puniendi, non quasi sua autoritate aut potestate, sed veluti Diis imperantibus, quorum ille habebatur Minister; uti ex *Tacito* cognoscitur de *morib. German.* ibi: *Cæterum neque animadvertere, neque vincire, neque verberare quidem, nisi Sacerdotibus permissum: non quasi in pœnam, nec Ducis jussu, sed veluti Deo imperante, quem adesse bellantibus credunt.* Ideo etiam in bellis prœliisque dirimendis, ac pace concilianda, maxima eorum fuit auctoritas, & summa reverentia, & in Conciliis quoque ac Judiciis publicis adsederunt Magistratui, tanquam Juris interpretes: qui antiquissimus omnium Gentium mos haud dubie inde ortus, quod Sacerdotes Deorum scire voluntatem, eorumque jussa ad populum perferre credebantur.

IX. Non disceptabimus quoque nunc multum, an priscorum *Germanorum* Principatus & Regna fuerint Hæreditaria & Successiva, an Electiva: licet pro Electione videatur stare locus *Taciti*, quo dicitur, Reges ex Nobilitate sumi, non vero succedere: stat pro Electione quoque libertas Gentis; illa enim minus servilis species capiendi Regnum, cum loco libertatis sit, si eligi incipimus. Tacit. *Hist. l. 30. §. 3.* vid. Willichium *in Tacit. de moribus German. cap. 11. pag. 48.* Et in Regno *Suevico* usitatam quoque aliquando fuisse Electionem, infra videbimus: licet *Tacitus* quoque in libro de *Germania* testetur, *Marcomannis*, *Quadisque*, (quæ *Sueuicæ* fuerunt Gentes) usque ad suam memoriam Reges mansisse, ex Gente ipsorum, nobile *Marobodui* & *Tudri* genus: deinde autem illos externos quoque passos. Licet hoc quoque verum sit, posse Electionem esse etiam ex una quadam Gente, ut olim apud *Bohemos* post *Marobodui* genus, item apud *Polonos*, & longo jam tempore in *Germanorum* Imperio fit. vid. Bœcl. *Notit. S. R. I. lib. 4. p. 91. & seqq.* Videtur hæc in summam quasi contrahere Beatus Rhenanus *lib. 1. Rer. German. pag. 5.* ubi Statum *Germaniæ* veteris ante *Julium Cæsarem*, & postea sub Cæsaribus, incolumi dum Imperio *Romano* ita describit: *Populi Germaniæ veteris in summa libertate vixerunt: ne tamen putes libertatem in Anarchiam exisse, Reges ex nobilitate quæque natio, Duces ex virtute sumebant, ut scribit Tacitus, nec Regibus infinita aut libera potestas, Duces exemplo magis quam imperio præerant, non vi sed dexteritate suis commendati. De majoribus rebus Principes consultabant, de minoribus omnes, sic tamen ut apud Principes consilia tractarentur, nam vulgus raro sapit. Regibus vel Principibus autoritas dignatioque ex ætate, nobilitate, seu laude bellica: in Conciliis eligebantur Principes, qui jura per Pagos Vicosque redderent. Centeni singulis ex plebe consilii autoritatisque gratia aderant. Sacerdotes Religio venerabiles faciebat, adulteria severe puniebantur &c.*

X. Sed ad *Sueuiam* progrediendum nunc penitius, maximam illam *Germaniæ Trans-Rhenanæ* partem, in qua quidem Phil. Cluverius *lib. 3. Germ. Antiq. cap. 34.* omnia obscuriora dicit, quam in illa *Germania* parte, quæ *Rheno*, *Sala* atque *Albi*, *Chalusoque* amnibus, ac *Sinu Codano* finitur, in qua satis certis limitibus cujusque Nationis fines circumscribi possint, quia crebra illic *Romanorum* bella, & de bellis accurata Scriptorum monumenta. At in *Suevia* non modo certos limites singulis Populis constitui non posse, sed quæ-

nam

nam inter se junctæ fuerint Nationes, haud facile esse dictu. Ipsum autem Terræ *Sueviæ* vocabulum antiquissimis usurpatum autoribus reperitur: *Tacito* de moribus German. *Hic Sueviæ finis*. Dioni Cassio lib. 4. de *Druso* loquenti: *Ad Sueviam usque progressus est*. Posteriores etiam auctores crebro *Sueviam* nominarunt, sed eam quæ minima tantum pars fuit antiquæ *Sueviæ*, de qua *Tacitus* dicto libro: *Nunc de Suevis*, inquit, *dicendum, quorum non una, ut Cattorum, Tencterorumve Gens, majorem Germaniæ partem obtinent, propriis adhuc nationibus nominibusque discreti, quanquam in communi Suevi vocentur*. Ita sane esse, & triplo majorem parte illa *Germaniæ*, quæ modo dicta, obtinuisse partem *Suevos*, ut qui ab *Albi* ac *Sala*, *Chalusoque* amnibus, ad *Vistulam* flumen usque, inter Occasum Ortumque, inter Meridiem vero ac Septentriones, a *Danubio* amne ad *Oceanum* usque glacialem, extensi fuerint, scribit Cluverius *l. c.* & sentit cum *Tacito* quoque *Aethicus*, scribens: *Germania, ubi plurimam partem Suevi tenent, quorum omnium gentes sunt LIV.* Fines igitur universæ *Sueviæ* dantur a Cluverio *l. c.* isti: a Septentrionibus *Oceanus* Septentrionalis: Ab Ortu idem Mare, ad *Cimbrorum* usque Peninsulam, quod inter *Germaniam* & *Britanniam* dicitur *Germanicum*: a *Cimbrorum* Peninsula fuere fauces Sinus *Codani*, sive Maris *Suevici*, quod & ipsum a Gente accola nomen habuit: deinde *Chalusus Billiusque* amnes: inde *Albis* ac *Sala* ad oppidum usque *Salefeld*: Hinc Linea ad *Mœni Radiacique* confluentes: inde *Mœnus*, ad *Redonitii* usque confluentem; & hinc *Redonitius*, moxque *Aeschius*: hinc linea ad Königsbrunn (non oppidum, sed Monasterium *Wirtembergicæ* ditionis) ducta; a quo *Brentius* amnis ad confluentem usque *Danubii*. A Meridie *Danubius* ad oppidum usque Hungariæ *Vaciam*. Ab ortu *Sarmatici* Montes, a dicto oppido ad *Grani* amnis fontem extensi. Inde *Hercynii* montes ac saltus, ad fontem usque *Solæ* fluminis, & hinc ipsum hoc flumen, & in quem id evolvitur *Vistula* amnis, ad mare usque *Suevicum*. Inde ipsum Mare & Sinus ejus, qui vocatur *Botnicus*, ad oppidum usque Botniæ *Thorn*. Hinc flumen quod e lacu supra oppidum *S. Andrees* profluit: & inde linea ad *Lacum Album*. Hinc ipse lacus, & ex eo profluens amnis in Mare Album, sive Sinum *Granvicum*, ad Mare usque Septentrionale, extrema *Sueviæ* claudens. Regiones igitur atque Dominia, tam vasto terrarum spatio, sunt hodie varia, recensente scil. Cluverio *l. c.* *Sueviæ* hodiernæ pars, qua oppida *Dinckelspühel* & *Nordlinga*: *Palatinatus* Superior, *Voitlandia*, *Misnia*, *Saxonia* Superior, *Bojohæmum*, *Austria* pars *Trans Danubiana*: *Hungariæ* item pars, ad dictos usque montes *Sarmaticos*; *Moravia*, *Silesia*, *Lusatia*, *Polonia Cis Vistulana*, Marchionatus *Brandenburgensis*, excepta ea parte, quæ cis *Albim*, *Pomerellia*, *Cassubia*, *Pomerania*, *Meckelburgiensis* Ducatus. Trans mare autem *Suevicum*, *Daniæ* partes, quibus vocabula Bleking/ Skane & Holland; inde *Suedia*, *Norvagia*, *Botnia* Occidentalis, *Finno Marchia*, *Scritofinnia*, *Lappia* & *Biarmia*.

XI. Antiquarum vero Gentium nationumque nomina in hac *Suevia* a *Tacito* aliisque auctoribus numerantur: cis *Suevicum* mare *Hermunduri*, *Narisci*, *Marcomanni*, *Quadi*, *Marsingi*, *Burii*, *Semnones*, *Lygii*, *Burgundiones*, *Gothones*, *Lemovii*, sive *Heruli*, *Rugii*, *Carini*, *Longobardi*, *Deuringi*, *Caviones*, *Angli*, *Darini*, *Eudoses*, *Suardones*, *Nuithones*: quibus accedunt alienigenæ *Osi* atque *Gothini*; trans *Suevicum* mare *Sitones* atque *Suiones*, magnæ Gentes, pluribusque nationibus distincti: qui *Sitones* (hodie *Norvagii*) soli *Germanorum* Imperia patiebantur fœminarum, de quibus *Tacitus l. c.* *Suionibus Sitonum gentes continuantur: cætera similes, uno differunt, quod fœmina dominatur, in tantum non modo a libertate, sed etiam a servitute*

vitute degenerant. De hac Gynæcocratia *Sitonum* vid. Althamerus *in not. ad Tacit. de Morib. German. pag. 36.* An igitur fœminæ etiam sint capaces Sceptri, otiose in thesi inter Politicos disceptatur, & quoties convitia in sexum adduntur, impie: in hypothesi ex legibus & moribus Gentium judicandum; sicut apud *Gallos* lex *Salica* est, ut verba Bœcleri *in Inst. Polit. lib. 3. cap. 2. p. 117.* huc repetamus. Videatur de hac quæstione ante alios quoque Lipsius *lib. 2. Polit. cap. 3.* ubi non omnino fœminam a Principatu excludit. Nec vero antiquis solum, sed & recentioribus seculis nota in Septentrione fuerunt fœminina *Suedia*, *Dania* & *Norvagiæ* Regna, in *Margaretha* & *Christina.* Et nimius fuit Willichius *in not. ad Tacit. de M. G. cap. 26.* ubi occasione *Sitonum* putat sibi ita licere invehi, & debacchari in Gynecratiam, tanquam contra naturam, & non paucis Scriptoribus, tam sacris quam profanis, damnatam. Sane in *Æthiopia* regnasse fœminas constat *ex Act. Apost. 8. Strabone, Plinio, Dione.* Idemque de *Sabæis*, aliisque *Arabum* legitur in Sacra Scriptura, probantque *Abenezra*, *Claudianus*, & *Chaldæus Jobi* Paraphrastes: *Saracenis* itidem imperasse mulieres, cum ad Christi fidem conversi sint sub *Valentiniano* Imperatore ex *Ruffino* & *Geographo*, *anonymo* sub *Constantino*, a doctissimo *Gothofredo*, ex magni *Salmasii* Bibliotheca edito, ostendit Bochartus *in Geographia sacra, Part. 1. lib. 2. cap. 26. p. 153.* Sed de dictis modo & aliis *Suevorum* Gentibus plura distincte videri possunt apud Phil. Cluver. *l. cit. cap. 25. & seqq.*

XII. Atque isti *Taciti* ævo quidem *Sueviæ* fuerunt fines: at antea sub *Cæsaris Augustique* Principatu, cum *Marcomanni Suevi* adhuc *Rhenum* adcolerent, & proxime hos *Sedusii* ac *Harudes* itidem *Suevi*, finis *Sueviæ* ab hac parte fuit *Rhenus.* Hos vero populos non in *Bojohæmo* demum *Suevorum* sortitos fuisse nomen, sed jam antea ad *Rheni* ripam id obtinuisse ostendit Cluverius *l. c.* ubi incertum quoque esse dicit, ipsum *Suevorum* nomen unde originem ceperit, item qua occasione, vel causa tot vastissimo terrarum spatio nationes in unum corpus nomenque coiverint. Esse quidem immensum montium jugum in Septentrione *Norvagiam* hodie a *Suedia* dispescens, olim Romanis autoribus *Sevo* dictum, cui jam inde ab antiquissimis seculis affixa fuerit *Suionum*, sive *Sueonum* magna Gens. (vid. de isto monte plura apud Cluver. *l. cit. cap. 37. pag. 155.* Jul. Solin. *in Polybist. cap. 23.*) Esse præterea & amnem, *Ptolemæo* Συήβον, *Suevum* in *Germanicum* Mare, sive Sinum ejus *Codanum* sese effundentem; quorum singula ex uno eodemque fonte cum universis *Suevis* sortita fuisse adpellationes suas, neminem temere negaturum: nec tamen facile quemquam dicturum, cujus vocabulum primum omnium extiterit, amnis nationis *Sueonum*, an vero universæ gentis *Suevorum.* Tacemus jam hic illam mundi partem, quæ ad Septentriones vergit, majori pollere fœcunditate hominum, ubi vetus Gothorum Scriptor *Jornandes* merito scribit esse officinas Gentium, & velut vaginas nationum. vid. Bochart. *loco cit. lib. 3. cap. 1. pag. 170.*

XIII. Cæterum uno atque altero Seculo post *Taciti* ætatem, cum *Alemanni*, *Franci*, ac *Saxones*, *Suevorumque* trans *Salam* atque *Albim* nationes, *Gothi*, *Burgundiones*, *Vandali*, *Quadi* ac *Marcomanni*, propriis ac discretis ab invicem nominibus clari haberentur, soli *Hermunduri* dicti fuerunt Romanis *Suevi*, & regio eorum *Suevia*: quod ea potissimum occasione sive causa factum credit Cluverius *loc. cit. lib. 3. cap. 28.* quia hi post *Alemannos* & *Francos Romanis* in *Gallia* Provincia ad *Rheni* ripas agentibus proximi, & hi *Suevi Hermunduri*, cum *Alemanni* reliquerunt *Germaniam*, dicuntur Cluverio *l. c.*

in eorum sedes paulatim ad *Danubium*, ac porro in *Rhætiam*, ad *Brigantinum* usque lacum successisse, nomenque his terris suum intulisse, quod in hunc usque diem manet: posterioribus enim Seculis ea ceu proprio peculiarique vocabulo dicta fuit *Suevia*, quæ antea particula permagnæ illius *Sueviæ*, *Hermundurorum* fuit sedes. Et *Suevia* dicitur hodie regio Ducatus titulo insignita, quæ his finibus nostra ætate descripta est, ab Oriente *Bojariis*, ab Occasu *Alsatensibus* & *Rheno* jungitur. *Alpium* juga a meridie habet, a Septentrione *Franconiam* & totius *Germaniæ* invenitur esse portio suprema. Sola namque duobus fluviis totius *Germaniæ* clarissimis, *Rheno* atque *Danubio* irrigatur, dicente Nauclero *Vol. 2. Chronograph. Gener. 43. pag. 842. 843.* quorum *Danubius* hodie *Sueviam* omnem in duas separat partes, *Superiorem* & *Inferiorem*. Altham. *in not. ad Tacit. de moribus German. pag. 4.* Et hæc *Suevia* hodie appellatur nova, sita ubi olim *Vindelici* & nonnulli *Rhæti* habitarunt, ut scribit Willichius *in not. ad Tacit. de morib. German. cap. 16. pag. 63. b.* Quemadmodum autem *Suevi* omnes origine *Germaniæ* sunt Gentes, ita *Suevia* hæc tota Provincia ad *Germaniæ* Regnum, etiam prius quam hoc cum Imperio *Romano* unitum fuit, pertinuit. Vid. Joh. Trittenhemius *de Origine Francorum pag. m. 169.* Constat itaque ex supra dictis, quod *Suevia* ævo *Taciti* nondum exortis *Alemannis* longius admodum & latius extensa fuerit. Postea vero discrimen inter *Suevos* & *Alemannos* fieri cœpit. Etsi enim e *Suevis* orti sint *Alemanni*, tamen crescente potentia distincti sunt populis & finibus. vid. Petr. Bert. *in Comment. Rer. German. lib. 1. cap. 23. pag. 145.* Aventinus *in Annalibus Boicis lib. 6. pag. 372.* ex *Strabone Teutonico*, suæ tempestatis doctissimo, hæc de *Sueviæ* divisione tradit: *Suevia triplex est, pars in Germania magna inter Rhenum Danubiumque amnes continetur: pars intra Hercyniam sylvam, Lycum, Rhenum, Danubium, ad Italiam pertinet. Cæteri in Gallia Celtica consident, nunc Suitones, Helvetiique adpellantur. Qui Germaniam incolunt, propriis nominibus sunt, Rhetii, Rhemi, Würtembergenses, Badenses, Ducatuum; hæc nomina ad utramque Nicri amnis ripam. Qui Rhetias tenent, Alpini, Hoegii, Engadini, Curienses, accolæ Vallis Venustæ, atque Oeni superioris nuncupantur.* Recentiorem autem *Sueviæ* divisionem, quæ etiam paulo ante notata est, retinet quoque Münsterus *lib. 3. Cosmographiæ pag. 568.* ubi hæc inter alia de situ *Sueviæ* verba profert: *In hac regione oritur Danubius seu Ister, celeberrimum Europæ totius flumen, dividitque Sueviam in duas partes. Superior, & quæ meridiem respicit, vocata fuit olim Rhætia & Vindelicia. Rhætia inferior & superior complectitur lacum Bodanicum, Algojam, Curienses montes, ubi in summis Alpibus Rhenus originem sumit, volviturque per saxa & montium angustias, quousque ingreditur amœnissimum lacum Constantiensem. Danubius vero ab occiduo fluit in Orientem, primo lentus, deinde auctus sexaginta fluminibus, clarissimas Gentes alluens, tandem septem ostiis mare Ponticum ingreditur.* Sed de fontibus *Danubii* dicetur alibi, & descriptio hujus fluvii videri potest, tum apud alios, tum apud Cluverium in *Vindelicia* & *Norico cap. 6.* ubi hunc merito ingentis famæ & non modo harum Regionum, sed totius *Europæ* maximum appellat, quique olim *Germaniæ* terminus meridionalis fuit. De quibusdam vero pagis *Suevicæ* nationis, in quos illa divisa fuit juxta *Jul. Cæsaris* tradita *de Bello Gallico*, infra dicetur.

XIV. De *Suevis* autem, qui, ut alias Regiones nunc taceamus, *Bojaria* quoque aliquot annis potiti sunt, deque illorum origine, potentia, virtute, celebritate & situ, non possumus hic præterire Aventinum *lib. 6. Annal. Bojor. pag. 372.* tradentem: *Suevos antiquissimos, latissimos, bellicosissimos atque notissimos Germaniæ Magnæ populos fuisse, interiora Germaniæ, partemque*

majorem intra Danubium, Albim, Vistulam amnes, Hercyniam sylvam, Sinum Codanum, ubi nunc Saxones partim, partim Venedi, Bojemi, Moravii, Bolii, Lusatii, Pomerii & aliæ Sclavorum nationes ferocissimæ consident, obtinuisse, propriis nationibus, nominibus discretos, a Suevo, octavo Rege Germaniæ, cognominatos esse, idque apud illustres constare Scriptores. Paria cum his tradit Crusius *lib. 1. Annalium Suevicorum part. 1. cap. 1.* ubi *Suevicam* Gentem a prima origine deducit, & hanc a *Japheto* oriundam (de quo vid. etiam Lazius *de migratione Gentium lib. 1. pag. 18. & seqq.*) diu latentem, a Rege *Suevo* nomen consecutam, tandem aliquatenus in lucem emersisse, scribit. *Suevum* autem Regem nomen habere a verbo Schweben / & inde Suevorum populum in *Germania* maximum, Regi huic subjectum, dictum, quod ipse facile locum mutabat, propter tenuitatem victus & quod agros non coleret fructusque reconderet, juxta Strabonem *lib. 5. Geograph.* more *Numidarum* hinc inde errando. Pari ratione ac *Galli* dicti videntur a *Celtica* voce *Gallen* (quam nunc dicimus Wallen / quod significat iter facere) cum scil. exundans domi multitudo patria relicta exteras perere regiones cepisset; parte eorum in *Italiam*, parte in *Illyricum*, atque inde in *Græciam* & *Asiam*, parte in *Germaniam* translata. Videatur Cluverius *de Germania Antiqua lib. 1. cap. 3. pag. 35. & cap. 9. pag.* 77. Sed de Rege *Suevo* infra alia dicenda occurrent.

XV. Quod autem Religionem & cultum Deorum, nec non Studia & opificia apud veteres *Suevos* attinet, de illis scribit Crusius *l. c.* quod ab *Iside*, quæ *Herculis Libii* mater, *Suevum* Regem invisisse scribitur, rationem agriculturæ, vini & olei, lini & cannabis, filandi & texendi, ac metallorum sibi ostensam, *Suevi* & *Germani* primum hauserint. Ideo a superioribus *Germanis* & *Suevis* cultam pro Dea esse, imaginemque ejus tanquam Liburnam vel naviculam factam, quod trans mare huc religio venisset, & in *Helvetia*, longo tempore post, illius Templum quoddam in pago *Wettinga*, ubi nunc Coenobium ad flumen *Limagum*, olim *Romanis* ibi dominantibus, a *Lucio Magiano Viraquensi* ædificatum, juxta Stumpffium *in Chron. Helvet. lib. 6. cap. 23.* Ita beneficentiam in genus humanum Deos Ethnicis peperisse, stulte ita dicente Plinio *lib. 2. cap.* 7. subjicit Crusius *l. c.* Sicque Regem *Suevum* ipsum quoque Deum a *Suevis* factum esse, eique sylvam horridam consecratam (quo in loco nunc *Gœrlicium* oppidum, & *Lausnicensis* Regio) humanisque victimis litatum. Quis autem nescit fabulam *Isidis*, quam *Aegyptii* vita functam, ob beneficiorum memoriam, quæ in ipsos contulerat, divinis honoribus sunt prosecuti, Sacerdotesque ei instituerunt: de qua multa *Plutarchus* peculiari libro scripsit, item Diodorus Siculus *lib. 1. Hist.* Pertinet autem huc locus Taciti *de moribus Germanorum cap. 9. Pars Suevorum & Isidi sacrificat. Unde causa & origo peregrino sacro, parum comperi, nisi quod signum ipsum in modum liburnæ figuratum, docet advectam religionem.* Argumento autem horum Sacrorum *Isidis* a *Suevis* usurpatorum Bochartus *in Geograph. Sacra part. post. lib. 1. cap. 23. pag. 505.* credibile esse scribit, ex *Aegypto* priscam aliquam Coloniam ab *Aegyptio Hercule* in *Alemanniæ* terram esse deductam. De iis quæ per *Isidem* significantur ex sacris *Aegyptiorum* literis, vide Pier. Valer. *in Hieroglyph. lib. 39.* Addatur Cluverius in *Germania Antiq. lib. 1. cap. 25.* ubi de falsorum Numinum venerationis origine agit: & de origine ac progressu Idololatriæ vid. G. J. Vossium *in Theologia Gentili*, ubi *lib. 1. cap. 5.* etiam quædam de *Iside*, tanquam principio passivo *Aegyptiis* (v. idem *l. c. lib. 2. cap. 21.*) & quæ Plutarcho natura mundana habita fuit, tradit. Videatur idem *l. c. cap. 17.* ubi *Cererem* frugum Inventricem & Legiferam eandem esse scribit, quæ Ægyptiis *Isis*, Soror & Uxor *Osiridis* Regis, quæ cum marito, tum sationem docuisse

cuisse frumenti, tum leges de agrorum discretione ob *Nili* inundationem annuam tulisse dicitur: unde Sacra *Situla Cereris*, seu *Aegyptia Isidos*, apud *Graecos* instituta. Hinc quoque in *Isidis* Pompa ab iisdem, ad celebrandam beneficii accepti memoriam, tritici & hordei vascula circumferebantur. Vid. idem *l. c. cap. 27. pag. 200.* qui *cap. 38.* difficulter se posse in animum inducere scribit, *Germanos* vetus *Isidis* numen, cujus sera adeo notitia *Graecis* & *Romanis* accepisse ab *Aegyptiis*: sed, si superstitione tot seculis intermortua locus aliquis sit conjecturis, dicit, *Germanis* fuisse reliquias primaevae traditionis de *Adamo* & *Eva*, quorum ille *Mannus* sit, haec *Isis*: ac fortasse ex longa traditione *Germanos* retinuisse Hebraeum *Ischa*, quod apud *Mosen* & veterum *Latinorum* lingua *Viram* sonat. *Romanis* autem, cum audirent *Germaniae* genti cultos *Man* & *Ischa*, ut ex illo *Mannum*, ita ex hoc *Isidem* fecisse, quia non viderent, quod Numen *Ischa* quam *Isis* esse posset, in quo multum falsi sint: Nisi & *Aegyptiis* ut *Osiris* Adamus, sic Eva *Isis*: nec enim putandum, primorum parentum memoriam in *Asia* penitus intercidisse apud Gentiles, *Isenaco* autem *Germaniae* oppido haud nomen esse ab *Iside*, ut quidam putant, sed a ferro, quod *Germanis Iser*, Vossius quoque *loco cit.* notat. Navigium autem *Isidis* coluisse *Aegyptum* testis est Fulgentius *in Mythologico* & Lactantius *lib. 1. cap. 11.* *Certus dies habetur in fastis*, scribens, *quo Isidis navigium celebratur, quae res docet, non tranasse illam in Aegyptum, sed navigasse.* Christophorus Colerus *in notis ad Tacitum de moribus Germanorum* suspicatur, hujus *Pelagiae Isidis* Sacra ab ipsis *Graecis* suscepisse *Suevos*, qui ad *Istri* ripas habitantes, saepe cum *Sarmatis* ad Pontum usque *Euxinum* excurrerint: sed vehementissime hunc errare scribit Cluverius *in Germ. Antiq. lib. 1. cap. 26.* quia is nullos *Suevorum* cum *Sarmatis* ad *Euxinum* mare excursus monstraverit adhuc ante tempora *Trajani*, in cujus Principatu *Tacitus* de *Germania* scripsit: tum vero haud ita facile peregrina sacra adsciscí per excursores: denique non terra, sed mari navigio advectam *Isidis* in *Germaniam* religionem. Et licet Vossius *l. c. Isidem Germanicam* vult aliam videri ab *Aegyptia*, illam tamen pro *Aegyptiaca* proprie habitam fuisse priscis *Graecis* atque *Latinis*, ex auctorum lectione manifestum esse scribit Cluverius *l. c.* At quia & *Aegyptii* & *Graeci* & *Latini*, & simul *Germani* nostri, Sacra ejusdem iisdem coluere ritibus, haud obscure inde patere, non ex *Aegypto* demum posterioribus temporibus eam accepisse superstitionem *Latinos*, *Graecos* atque *Germanos*, sed jam inde a dispersione Gentium ex una *Asia* omnes pariter in suam quosque terram detulisse, quemadmodum & reliquorum Numinum religiones, sacra item & ceremonias. Quaenam tamen haec revera fuerit *Isis*, haud facile quem dicturum in tanta opinionum discrepantia, porro ait Cluver. *l. c.* ubi id nihilominus planum atque clarum reddere conatur, & aliarum Gentium de *Iside* inspicit Theologiam; illamque Lunam esse, ex *Aegyptiorum* Theologia constare scribit, de qua vid. Vossius *l. c. lib. 2. cap. 24.* Signum tamen ejus cur fuerit navigium, haud facile dicit, nisi suspicari libeat, significare id *Noachi* Arcam, quae celebrata fuit priscis mortalibus, ob memoriam servati ab aquarum inundatione generis humani. Ea tamen res quomodo ad Lunam quadret, dispicere nequit Cluver. *l. c.* nisi quod *Isis* idem fuerit Numen cum uno ex *Castoribus* Fratribus. At Vossius *l. c. cap. 27. Aegyptios* finxisse *Isidem*, quae sit Luna, navigio vehi credit, ob humidam Lunae naturam, quia luna corniculata navigium refert. Nomen autem *Isis* Dea quod habuerit apud *Germanos*, velle indicare, id demum fore divinare, quando nullum ejus rei extet apud auctores indicium vel argumentum, scribit Cluver. quoque *l. c.* Quia autem *Suevi* quondam *Isidi* sacrificabant, ea causa sibi persuadet Conradus Peuttingerus *in Sermonibus Convivalibus* de *Germania*, *Augustenses* suos falso *Cisam* Deam appellare, Templumque

hoc quod fuisse credunt, ubi nunc *Augustæ* Prætorium conspicitur, non *Cisæ*, ut multi dixerunt, (videatur Knipschild *de Civitatum Imperialium Juribus & privilegiis Lib. 3. cap. 3. §. 10. & 11.*) sed *Isidis* fuisse, collemque ibi publicum non *Cisen* sed *Isenberg*, quasi *Isidis* montem, appellare. Quod autem rationem vini ab *Iside* ostensam *Germanis* attinet, alii tradunt, invexisse in *Galliam* & *Germaniam* vinum, illiciendæ gentis causa, *Aruntem Clusinum*; ira corruptæ uxoris a *Lucumone* (cui tutor is fuerat) ipso præpotente juvene, & a quo expeti pœna (nisi externa vis quæsita esset) nequiret. Vid. Aventinus *in Annal. Bojor. lib. 1. pag. 29.* Vid. plura quoque de *Iside* apud Althamerum & Willichium *in notis ad Tacitum de moribus Germanorum pag. 11. & 43.* Cæterum præterire hic non possumus monumentum antiquitatis, quod in Ducatu *Würtembergico* prope pagum *Feldtbacchum* (qui intra *Stutgardiam* & *Weiblingam*, unde *Gibelinorum* Principum origo, situs est, non procul a civitate *Canstadio*, & Castro *Würtemberga*, urbicorum ædificiorum frequentia, & incolarum opibus, agrorumque feracium multitudine & vinearum copia & præstantia laudatissimus) in viciniæ vineæ maceria, qua per collem *Eslingam* versus ascenditur, olim inventum est, atque *Stutgardiam* in Aulici Horti turrim inferiorem ad dextram modo repositum cernitur, cum *Osiridis* & *Isidis* signis & figuris; simile plane illi imagini vetustæ, quæ ex marmore *Romæ* in ædibus *Octaviani Ceno*, prope Theatrum *Pompeji*, & Campum *Floræ*, hisce signis ornata extat, cujus exemplar Statuarius Stutgardianus *Jacobus Rument*, natione *Belga*, secum *Roma* huc transportans communicavit M. *Simoni Studioni*, Ludi literarii quondam apud *Martisbaccenses* Moderatori, cujus industria & labore etiam hoc cum aliis Antiquitatis *Romanæ* in Agro *Würtembergico* conquisitis monumentis explicatum est, in manuscripto libro doctissimo *de vera Origine Serenissimæ & Antiquissimæ Domus Würtembergicæ*, hunc in modum: *Osiris* fuit *Jovis* filius, ex *Niobe* filia *Phoronei*, successitque *Phoroneo* in Regnum *Argivorum*: postea *Aegialeum* fratrem præfecit Regno *Achaiæ*, & ipse ad *Aegyptios* transfretavit gloriæ desiderio. Quos cum subegisset, *Isidem* quæ & *Jo* vocabatur, *Inachi* Regis primi *Archivorum* filiam duxit uxorem: ubi quum illa litteras, *Osiris* autem varias artes *Aegyptios* docuisset, uterque divinos honores meruerunt: de quo Eusebius *lib. de Præparat. Evangel. Diodorum Siculum* inducens, *Aegyptios* ferri, scribit, primos omnium motum ordinemque cœlestium corporum admiratos, Solem & Lunam Deos putasse, ac Solem quidem *Osirin*, Lunam vero *Isidem* nuncupasse, a proprietate quadam inditis ipsis nominibus; nam si quis ad *Latinam* linguam verba transferat, multis oculum. *Osirin* dici posse: neque id abs re, radiis enim suis quasi multos rebus immittere oculos, quibus omnia perspiciat, ut etiam Poeta dicit:

Sol qui terrarum flammis opera omnia lustras:

Quamvis nonnulli *Græcorum* Poetæ *Dionysium* esse *Osirin* fingant; *Isin* vero priscam latine dici posse: Lunæ hoc nomine indito, quoniam sempiterna priscaque sit, cui idcirco cornua appingant; vel quia quum minor est, cornuta dicitur: vel quod bos apud *Aegyptios* ipsi dedicetur. Ferri quoque *Osirin* apud *Aegyptios* sationem & aratrum vinique usum primum reperisse, idem addit. Sed de Solis quatuor equis observandum, quod quatuor anni partes notent. De *Osiride* quoque meminit *Berosus* fictitius quidem ille, & potius *Annius Viterbiensis* in *Nino*, anno Mundi 2000. quod inventis a se & a sorore (*Iside*) adolescentula frumentis & frugibus, cœperit docere illa in *Palæstina*: inde reversus in *Aegyptum*, & invento aratro, & his quæ ad agriculturam pertinent,

tinent, sensim universum peragraverit orbem, docens quæcunque invenerat, & ita universo imperavit orbi, exceptis gentibus, quæ jam in *Babyloniorum* potestatem venerant. Hæc ibi. De *Iside* filia *Inachi*, *Jo* dicta prius, refertur etiam amplius, quod quum a *Jove* adamaretur, metu intervenientis *Junonis* in Juvencam fuerit transmutata, appositoque a *Junone* custode *Argo* centoculo, arctissime sit observata: tandem implorato *Jovis* auxilio, quum ad *Nilum* pervenisset, pristinam formam receperit, & ab *Aegyptiis* mutato nomine *Isis* dicta fuerit, à quibus etiam numinis loco habita. *Lucanus Lib. 6.*

Nos in templa tuam Romana recepimus Isim.

Lunæ autem seu *Isidis* currus trahi fingitur a duobus equis, quorum alter accrescentem, alter vero decrescentem Lunam ostendit; Ipsa vero *Isis* pingitur cornuta, instar Lunæ: inde de *Iside* sic scribit *Ovidius lib. 9. Metamorph.*

Visa Dea est movisse suas, & moverat, aras:
Et templi sonuere fores, imitataque Lunæ
Cornua fulserunt, crepuitque sonabile sistrum.

Et rursus *lib. 6. Metamorphoseos:*

Inachis ante torum pompa comitata sacrorum
Aut stetit, aut visa est, inerant Lunaria fronti
Cornua, cum spicis nitido flaventibus auro.

Berosus etiam ille fictitius porro in *Nino* scribit, *Isin* natam esse Anno Mundi 1959. ante 3600. & amplius annos abhinc. Cujus hoc reperitur Epitaphium apud *Diodorum lib. 1. Ego sum Isis Aegypti Regina a Mercurio erudita, quæ ego legibus statui nullus solvet. Ego sum uxor Osiridis: Ego sum prima frugum inventrix: Ego sum Ori Regis Mater &c.* Coluerunt ergo etiam *Isin* hanc *Suevi* teste *Tacito* supra cit. Liburna autem signum *Isidis*, est genus navigii levissimi velocissimique, quod Livius *lib. 3. Decad. 4.* levem biremem appellat: Liburna quasi Lieffer/ vel Lauffer/ a currendo *Suevis* sic dicta, & forsan ex proræ & puppis rostris Lunæ effigiem faciens, & in ventrem sub medio desinens. Adde his Herm. Witsii *Aegyptiaca II. 4. 19.* & Pignorii *Mensam Isiacam.*

XVI. Porro *Tacitus* in eodem libro de *Germania*, de *Aestiorum* Gente, maris *Suevici* sive *Codani* Sinus, trans *Vistulam* amnem accola, *Matrem*, inquit, *Deum venerantur. Insigne superstitionis formas aprorum gestant, id pro armis omniumque tutela securum Deæ cultorem etiam inter hostes præstat.* Quam Deam variis *Latini Græcique* appellavere nominibus e. gr. *Dea Magna*, *Rhea*, *Agdestis* & *Phrygia*: a locis vero *Idea*, *Dindymene*, *Berecynthia*, *Mygdonia*, *Phasiana*, *Cimmeris*, *Pylene*, *Pessinuntia* & *Cybele*, cujus sanctissimæ & antiquissimæ habebantur religiones, & quam Lunam fuisse Cluver. *l. c.* perspicui scribit. v. Pignorius de hac Dea. Cur vero Lunæ divinos tribuerent honores Gentiles, vid. Vossium *in Theol. Gentili lib. 2. c. 18.* Vid. Idem *l. c. 53.* ubi de cultu *Telluris*, quæ etiam sub nomine *Rheæ* & *Cybeles* venit, apud *Phrygas.* *cap. 54.* ubi de Matre *Phrygia*, qua significatur principium naturæ passivum, præcipueque Luna ac Tellus, & cur dicta Mater tum Deorum tum hominum. *cap. 55.* ubi de cultu horum Numinum apud *Aegyptios*, sub nomine *Isidis*, quæ eadem cum *Cybele.* cap. 57. ubi de sacris Telluris apud *Samothraces.* *cap. 58.*

58. ubi de cultu hoc apud *Græcos* & *Athenienses cap.* 59. ubi *Vestam* esse Tellurem; *cap.* 60. ubi *Proserpinam* esse Tellurem. *cap.* 61. ubi varia nationum nomina ad Tellurem refert; & *cap.* 62. ubi de cultu Telluris apud *Gallos* & *Germanos* sub nomine *Hertha* agit.

XVII. Cæterum idem auctor *Tacitus* eodem libro de septem *Suevorum* Nationibus, quæ proxime Oceanum, sive Sinum *Codanum*, inter *Albim Chalusumque* & *Vindrum* amnes colebant, deque illorum religione, hæc tradit: *Deuringi deinde & Caviones, & Eudoses, & Angli, & Vareni, & Suartones, & Nuithones fluminibus aut sylvis muniuntur. Nec quicquam notabile in singulis, nisi quod in commune Herthum, id est, Terram Matrem colunt, eamque intervenire rebus hominum, invehi populis arbitrantur.* De cujus Deæ nomine vide quæ diligentiori manu excutit Cluverius *in Germ. Ant. lib.* 1. *cap.* 27. *pag.* 232. ubi etiam Terram Matrem eandem esse & Lunam, & Matrem Deûm probare cupit. Tellurem quoque Germanis cultam fuisse sub nomine *Hertha*, Vossius ex *Tacito* tradit de *Theolog. Gentili lib.* 2. *cap.* 62. ubi etiam de nomine isto quædam notat: Terram scilicet, Germanis Erde / Anglis Earth / ejusdem originis esse ac *Græcum* ἔρα: nempe ab *Hebræo Erets*, quod idem signat; In illa quoque Regina Cœli, quæ apud *Jeremiam cap.* 7. *v.* 18. *Melecheth Haschamajm* dicitur, Deum matrem reperiri, tradit Seldenus *de Diis Syris Synt.* 2. *cap.* 2. *p.* 245. *& seqq.* & ex illo nuperrime *Dignissimus Dn. Müllerus, SS. Th. Doctor & Prof. in Academia Eberhardina Celeberrimus, & h. t. Rector Magnificus, in Exercit. Theol. V. de Sanctor. Invocatione Th.* 1. *pag.* 115.

XVIII. Illa autem *Suevorum* Gens, cujus Regnum hic inquirimus in quinquaginta circiter Populos Regionum longissime inter se dissitarum, divisa legitur; quorum nomina passim apud *Tacitum* & plenius apud *Orosium* leguntur: ex quo illa recenset Spangenbergius *in Chronico Thuringiæ*, et ex hoc *Mart. Crusius* utriusque linguæ in Celeberrima hac *Tubingensi Academia* quondam Professor Clarissimus, qui *Suevicæ* Antiquitatis Annales laboriosos sane atque anxia & accurata quadam inquisitione collectos, circa finem superioris Seculi eleganter in lucem edidit, cujus tamen ut omnia quæ in citato opere *lib.* 1. *part.* 1. *cap.* 3. de vetustissimis *Suevorum* Gentibus, & earum sedibus, ac migrationibus, nominumque derivationibus & appellationibus tradidit, approbemus, nec dum adduci possumus. Ex his autem Populis (ut paucos & celebriores tangamus) *Angili*, Ptolomæo Ἀγγειλοὶ, *Pomeraniæ* aliquando habitatores, postea vero loca incoluerunt, quæ deinde *Bochi*, *Turogi*. *Misniique* possidebant, ab *Hercynia* sylva usque ad medium *Albis* protensi, Tacito *Angli* dicti: qui cum *Saxonibus* ex *Cimbrica* Chersoneso contra *Scotos* & *Pictos* auxilio vocati a *Britannis*, ipsi se Dominos Insulæ fecerunt, & hanc a suo *Angliam* dixerunt, ultimi quondam *Suevorum* atque infimi ad *Albim*: Gens ad hæc usque tempora in posteritate clarissima, in qua adhuc *Angliæ* & *Scotiæ* Regnum possidet, extatque hodie vocabulum eorum integrum in *Cimbrica* Peninsula, inter celebria duo oppida *Slesvig* & *Flensburg*, in ea regione, quæ vulgo vocatur *Angelen*, & contracte Anglen / quo post *Taciti* ævum, sive sponte antiquis sedibus cedentes, sive a finitimis pulsi, transmigrarunt vid. de illorum termino Cluverius *in Germ. Antiq. lib.* 3. *cap.* 27. *pag.* 105. Ubi credit illos *Saxonum* finitimorum permissu, vel etiam ope, Regionem proxime ultra *Saxones* sitam occupasse, unde perpetua iis cum *Saxonibus* societas, vel cum fide eorum clientela. Qua occasione postmodo etiam una cum illis ad *Rheni* ostia, atque hinc in *Britanniam* transgressi, ubi tandem inclytum illud, & per omnem terræ orbem celeberrimum Regnum condiderunt, cujus

nomen

nomen in hanc usque diem claret: quanquam omnes nunc *Britannicæ* Insulæ (excepta ultima *Thule*) sub unius Regis Imperium redactæ. Aliis autem *Angli* quoque *Saxonum* pars habebantur, ut putat Cluv. *l. c.* quia una cum illis, gente multo majore, sed quam ipsi denique in *Anglia* vicerunt, profecti, tum quia illorum putabantur clientes: unde posterioribus Scriptoribus ex duarum nationum nominibus unum vocabulum compositum, quo utrique junctim dicebantur *Anglo Saxones.* Vid. *Beda* ipse *Anglo-Saxo* in *Historia Ecclesiastica Gentis Anglorum.* Ponticus Virunnius *in Historia Britannica*, Gilda Sapiens *de Excidio & conquestu Britanniæ.* Wilhelmus Neubrigensis *de rebus Anglicis.* Georgius Lilius Britannus *in Chronico Anglorum Regum.* quibus addantur Paulus Aemilius, Nauclerus *Volumine secundo Chronographiæ Generat. 43. pag. 842.* Aeneas Sylvius *in Europa cap. 30.* Stumpfius *in Chronico Helvetiæ lib. 1. cap. 1. p. 22.* Althamer. *in notis ad Tacitum de morib. Germ. p. 30.* Ortelius *in Thesauro Geogr.* & Crusius *loco* paulo ante *cit.* Dresserus *in Millen. 2. p. 2.* Fuit autem is annus, quo *Angli* & *Saxones*, Ducibus *Hengisto* & *Horsa* a *Vortigerio* Rege *Britannorum* contra *Scotos* & *Pictos* auxilio accersiti *Britanniam* primo ingressi sunt, humanæ salutis a *Christo* CCCCXLIX. ut author est paulo ante *citatus* Beda *Anglo-Saxonum* Presbyter, luculentissimus istorum temporum Historiæ Scriptor. Primis vero illis temporibus fuit Eptarchia *Anglo-Saxonum* in *Britannia:* primum *Cantianorum* Regnum in *Cantio* ab *Hengisto* inchoatum; post quem *Edbelbertus* primus Rex Christianus effectus, anno *596.* Secundum Australium *Saxonum*: Tertium Orientalium *Anglorum*, quorum *Sigisbertus* Rex primus bonarum literarum Autor, suasu *Felicis Burgundiæ* Episcopi cujusdam, *Cantabrigiam* publicam Academiam excitasse fertur, anno Salutis *630.* Quartum, Orientalium *Saxonum.* Quintum *Merciorum*, hoc est mediterraneorum. Sextum *Northumbrorum*, id est Septentrionalium, citra *Humbrum* fluvium. Septimum *West-Saxonum.* Cum autem *Britannia* in hæc septem Regna *Northumbria*, *Cantii*, *East-Angliæ*, *Merciæ*, *East-Sexiæ*, *Suffexiæ*, & *West-Sexiæ* divisa esset, semper tamen unus fuit, quem reliqui ut supremum Dominum agnoscerent, adeoque illa *Monarchia* ambulatoria modo penes hunc, modo illum populum fuit. Demum *Egbertus* ex *Saxonibus* Occidentalibus, sive *West-Sexiis*, pleraque Regna Heptarchiæ destruxit, & proprium *Anglicum* Regnum constituit, unde ab eo Regum principium commode numeratur. Ex isto autem tempore sex familiæ Thronum occuparunt. 1. *Saxonica.* 2. *Danica.* 3. *Normannica.* 4. *Andegavensis*, sive *Plantagenestarum.* 5. *Tideria.* 6. *Scotica*, sive *Stuartica*, quæ nunc quoque feliciter Sceptrum gerit, *Anglis* & *Scotis* commune, post unionem Seculi hujus principio factam a *Jacobo VI.* R. sub nomine *Magnæ Britanniæ*, qua etiam *Hybernia* continetur unius Regis Sceptro.

XIX. Inter hos porro *Suevorum* Populos recensentur quoque *Eburones*, qui & ipsi ad Regnum adspirarunt, quos *Germanos* fuisse autor est Julius Cæsar *lib. 2. Comment. Belli Gallici*, *Condrusi*, *Eburones Cæraesi*, *Pæmani*, *qui uno nomine Germani adpellantur.* De finibus illorum idem Cæsar *lib. 5. Comment.* scribit, quod pars illorum maxima inter *Mosam* & *Rhenum* sub Imperio *Ambiorigis* & *Cativulci* fuerit. Vid. de iisdem Cluverius *in German. Antiq. lib. 2. cap. 15.* ubi *Eburonum* spatio nunc Regiones istas contineri scribit: *Namurcensis* Comitatus partem, item *Brabantiæ*, *Leodiacensis* agri, & *Limburgensis* Ducatus partem versus Septentriones: item totam *Eifaliam*, *Aquensem* agrum, & Ducatum *Juliacensem* totum. Caput Regni *Eburonum*, & *Ambiorigis* Regiam Hubertus Thomas Leodius ex Annalibus suæ Civitatis profert *Eburram*,

burram, putans *Ambiorigem* non *Eburonibus* solum, sed & *Condrusiis*, *Pæmanis*, *Caræsis*, *Segnis*, & *Tungris* imperasse: quod falsum nugatoriumque esse multis rationibus arguit Cluverius *l. cit.* ubi ex Cæsare *lib. 5. & 6. Comment.* ostendit, non omnium *Eburonum*, ne dum reliquorum, Regem fuisse *Ambiorigem*; sed dimidiæ tantum partis, inter *Aduaticos* & *Mosam* sitæ: alteram vero partem *Mosam* inter & *Rhenum* Regio Imperio continuisse *Cativulcum*, adeoque humilem atque ignobilem fuisse *Eburonum* civitatem. Verum Hubertus Thomas ille in *Eburonum* agro *Leodiaci* natus, contemni a Cæsare antiquas patriæ vires ac fines, quos immensos ipse finxit, ægre ferens, redarguere fidem ejus haud vererur, & ceu ipse Cæsar sibi contradixisser, insimulare: de quo videatur Cluverius *l. c.* ubi falsos esse, & ab imperito aliquo nugatore Monacho, ut multa alia regionum Regnorumque Chronica, conscriptos illos *Leodiacenses* Annales, quibus *Eburones* suos nimium extollens confidat *Leodius*, scribit, monens e diverso, quod eosdem *Leodios* nimium deprimat *Ortelius*, qui in *Thesauro Geographico* eosdem *Trevirorum* clientes facit: sui enim juris autoritatisque fuisse *Eburones* (at tales manere possunt clientes. v. Grot. *de J. B. & P. 1. 3. 21.*) cum Regibus suis *Ambiorige* & *Cativulco*: qui qua potestate inter suos fuerint, ostendit idem Cluverius *l. c. lib. 1. cap. 38.* ubi ex Cæsaris *Belli Gallici Commentario 5.* & ex *Ambiorigis* Romanos alloquentis verbis probat, ipsum suadendi magis autoritate quam jubendi potestate Regem fuisse, ita ut etiamsi in Concilio bellum in *Romanos* civitati *Eburonum* dissuasisset, tamen a multitudine ad inferendum ducendumque, vel saltem juberi potuisse. Quin suos, ut *Romanorum* castra oppugnarent, non jussisse, sed concitasse cum *Cativulco* alterius *Eburonum* partis Rege, testante Cæsare *eodem Commentario.* Cæterum falsa illa commentitiaque *Eburra* Leodii & *Eburonia* Ortelii rejecta, Cluverius *loco citato lib. 2. cap. 15. pag. 69. & 70.* ostendit, *Atuatucam* Castellum caput fuisse totius Gentis *Eburonum.* Hodie autem oppidum in mediis *Eburonum* finibus *Tongeren* sive *Tungren*, esse *Atuatucam Tungrorum* credit Cluverius *l. c.* cujus tanta antiquitas, celebritas & dignitas olim fuit, ut post *Agrippinensem Coloniam* secundo ordine haberetur totius. *Germaniæ* inferioris: nunc autem ad exiguas reliquias redactum oppidum illud, cujus muros etiam antiquissimi operis *Galli* nupero bello Belgico devastarunt.

XX. Ad has *Suevicas* Gentes pertinent quoque *Gothones*, qui posterioris Seculi Scriptoribus passim *Gothi* dicuntur. Hos *Pytheas Massiliensis* Græcus Auctor apud Plinium *lib. 37. cap. 2.* in litore Oceani, sive *Suevici* maris ponit, de quibus ex Poetis multa *Sidonius*, *Claudianus*, atque *Ausonius*, plura ex Historicis *Jornandes*, *Gothorum*, sub Imperatoris *Justiniani* tempora Episcopus, *Procopius*, *Orosius*, *Spartianus*, *Hieronymus* quoque, *Paulus Diaconus*, *Olaus Magnus Gothus* Archi Episcopus Upsaliensis, *Raphael Volaterranus lib. 2. Geograph. fol. 7. & seqq.* & alii, sed interdum fabulosa & falsa quædam scripserunt, uti ostendit Cluverius *in Germ. Antiq. lib. 3. cap. 34.* Hæc Gens autem in duas distincta partes, *Gothos* nimirum Orientales, *Ostrogothos*, qui ad Orientem versus ac Pontum incolentes, a Mundi Regione ita dicti: & *Gothos Occidentales*, *Wisigothos*, in Occidentem, & *Germaniam* versus habitantes: utrique postmodum per *Thraciam* atque *Illyricum* in *Italiam*, *Galliam* ac *Hispaniam* irruperunt, pars etiam in *Bithyniam* atque *Phrygiam*, & conterminas Regiones, a quibus varia Regna, & tot Reges orti. Hæc igitur fuit nobilissima illa totius Germaniæ, unis exceptis *Cimbris* Teutonibusque, & antiquissima Gens *Gothonum* sive *Gothorum*, jam inde ad

Pythea

Pythea vetustissimi Scriptoris ævum, id est annis ante natum Christum CCL. Græcarum literarum monumentis celebrata: post *Taciti* vero tempora per omnem fere *Europam*, partemque *Asiæ* (& hoc superavit *Cimbros*) annis famosissima. Non una tamen hæc Gens tam valida tamque numerosa fuit, ut prædictas *Europæ* terras una sola propriis tantum viribus pervaserit, sed se illi adjunxerunt aliæ *Germaniæ* Nationes, *Heruli*, *Vandali*, *Rugii*, & tandem *Bastarnæ*, quibus & ipsis sui Reges fuerunt. vid. Cluverius *l. cit. cap. 36. & seqq.* & Grotius *in Historia Gothica*. Cæterum de *Gothis* etiam hoc constat, quod post *Theodosii* Junioris Imperatoris obitum cum illa Imperii Orientalis & Occidentalis conjunctio dirimi cœpisset, atque inter utrosque Principes sæpius male sarta amicitia tandem omnino dissoluta esset, Occidentalis Imperii convulsio consecuta sit, quod a *Gothis*, exactis Augustis, oppressum & eversum fuit. Ille enim *Momyllus Augustulus* coactus ab *Odoacro Herulo*, primo *Gothorum* in *Italia* Rege, anno Christi 476. *Ravennæ* abdicavit, cum quo Imperium Romanum in Occidente concidit, *Gothis* illud obtinentibus, usque ad *Tejam* IX. & ultimum *Gothorum* in *Italia* Regem, qui prælio victus, a *Narse* Duce *Justiniani* Imperatoris (suo jure *Gothici* adpellati) occisus est: *Gothique* omnes *Italia* pulsi circa mensem Majum Anno Christi DLIII. De *Gothorum* autem Sedibus ac Republica, deque origine discriminis *Ostrogothorum* & *Wisogothorum*, nec non bellis eorundem cum *Romanis*, ut & Conciliis in *Hispaniis*, videatur Wolffgangus Lazius *lib. 10. de Migratione Gentium*: ubi etiam agit de Regibus gentis *Gothicæ* ad Paludem *Mæotida* in *Gothlandia*, Maris *Baltici* Insula, ad *Vistulam* amnem, in *Dacia* & *Thracia*, in *Italia*, ubi præpotens illius Regnum constitutum: in *Gallia* (ubi adhuc terra Gothorum *Languedoc*) *Lugdunensi* & *Aquitania*, nec non in *Hispaniis*: unde postea mixtis *Romanis*, *Suevis*, *Alanis*, *Maurisque* & *Saracenis*, Reges *Arragoniæ*, *Castiliæ*, *Legionis*, *Asturiæ* & *Gallicia* defluxerunt, ac *Barcinonenses* Comites: qui primis temporibus *Gothiæ* & postea *Gothlandiæ* corruptoque Teutonico vocabulo, *Catalaniæ* & *Arragoniæ* Reges cognominati erant, quorum potentia victis & expulsis *Mauris* ac *Saracenis* crevit: accesserunt his alia minora Regna, *Toleti*, *Valentiæ*, *Granatæ*, *Sobrarbiæ*, *Majoricæ* & *Minoricæ*. Catalogum vero Regum *Gothorum*, qui a *Radagaiso* anno Christi 308. in *Hispania* regnarunt, usque ad *Infantem* sive *Sanctium* Regem D. *Pelagium*, vide apud Vasæum *cap. 15.* & Franciscum Tarapham. Alibi autem terrarum *Suevi* & *Gothi*, jam ab initio conditi in Septentrione Imperii in unum corpus coaluerunt; uti non solum Olaus Magnus *in cap. 2. Præfationis Hist. Suecicæ*, sed & ipsæ Leges *Sueciæ* (quas etiam *Joannes Loccenius* JCtus in Latinam linguam traductas & brevibus notis illustratas, & Joh. O. Stiernhook *de Jure Sueonum & Gothorum vetusto*, edidit) docent, postea vero propter æmulationem mutuam, aut crudele nonnullorum Regum Imperium & sub imagine quadam libertatis, secessione a *Suecis* sub *Alarico* vel *Alrico* Rege facta, separatos & proprios sibi Reges aut Principes eligere cœperunt, donec sub *Ingello II.* vera & solida *Sueonum* & *Gothorum* conjunctio fieret: unde adhuc hodie in Insignibus Regni *Sueciæ* conjunctio *Gothici* & *Suecici* symboli cernitur. Vid. Joannes Schefferus *de Antiquis utrisque Regni Sueciæ Insignibus*. Loccenius *in Antiquitatibus Sueo-Gothicis lib. 2. cap. 9. p. 58.* Dignissimus Dom. D. Spenerus *in Historia Insignium Illustrium*, seu *Operis Heraldici Parte Speciali lib. 2. cap. 95. §. 8. & 9. pag. 542. & 543.* qui etiam *l. c. lib. 3. cap. 12. §. 8. pag. 607.* tradit nonnulla de *Gothlandia* maris *Baltici* Insula, aliis *Gothia* dicta, modo *Suecis* modo *Danis* subjecta, & in quam *Suecia* Pace *Stetinensi* omnem prætensionem abdicavit, sed pace *Bromsebroensi* iterum recepit. Sunt autem adhuc hodie in illis terrarum partibus tres *Gothicæ* Provinciæ, *Scania*, *Hallandia* & *Blekinga*. Et quod

quod *Danorum* quoque originem attinet, illos *Gothos* fuisse, non *Sueci* solum & antiqui Septentrionalium rerum Scriptores omnes, sed & ipsi *Dani* affirmant: Licet non omnibus probabile videatur, quod Chronicon antiquum *Gothicum* & Johannes Magnus & alii affirmant, jam *Sarugi* Seculo *Daniam* a *Gothis* occupatam fuisse. Circa Seculum autem a Christo nato Tertium *Dani* sive *Cimbri*, in Historia *Romana* sub *Gothorum*, *Vandalorum*, *Longobardorum* & *Rugiorum* nomine inclaruerunt, cum hæ Gentes ex *Cimbrica* Chersoneso & vicinis Regionibus emissæ in *Romanum* Imperium irruerent, donec mox ex eadem veluti vagina Gentium prorupere *Angli*, *Vitæ*, *Saxones* & in *Angliam* incumbentes, suis quoque appellationibus *Danicum* nomen involverunt: iisdem *Danis* decies *Angliam* & *Hyberniam* octies debellantibus, sed & *Scotiam* & *Saxoniam* aliquando vectigales sibi facientibus: videatur Paulus Hachenbergerus, *Eloquentiæ & Histor. quondam Professor in Academia Heidelbergensi celeberrimus*, & postea *Serenissimi Principis Electoris Palatini Intimæ Admissionis Consiliarius*, vir longiore vita dignissimus, in Disputatione IV. *Collegii Historici*, de *Historia Danica* & *Norvegia*. Thesi *XII. XIX. & XXXVII.*

XXI. Sequuntur jam *Gothos* in hac classe Gentium *Suevicarum* ipsi *Suiones*, a quibus *Sueones* vel *Sueci*, & ab his *Suiceri* (*Helvetii*) orti fuerunt. Equidem Althamerus *in notis ad Tacitum de moribus Germanorum p. 34.* gloriari *Suecos* de hac sua ex *Suevis* origine scribit. In gravi autem circa annum Christi LXX. *Suecorum* Expeditione (quam *Gothericus* Rex eorum in exteras terras suscepit potius, quam ut se ad civile bellum, ab Aulicis contra fratrem suum natu minorem *Haldarum* Regni consortem incitari pateretur) pars exercitus, post varios errores, ad illa aspera *Alpium* juga pervenit, in quibus nunc eorum posteritas *Suetziorum* nomen habens, perseverat. vid. Joannes Magnus *lib. 5. Gothorum Suecorumque Hist. c. 1. & 2.* hinc *Pomeraniæ* Mare, olim *Suevicum*, hodie *Suedicum* Mare appellatur. Sed de his *Suevis* par est judicium *Casparis Peuceri* ad *Jacobum Monavium*, omni liberali eruditione ornatissimum: *Suevos ego non dubito totam illam oram Septentrionalem tenuisse, quam nunc incolunt Cassubii, Poloni ex parte & Pomerani universi, ad Austrinum latus maris Balthici, quod Suevicum Mare ab iis denominatum, ea in parte ubi & flumen Suevi nomine*, die Schwei / *in mare influit. Quorum denique ἀπόγονοι sunt Sueci, nominis exigua mutatione, qui in illa magna & fatali migratione Gentium in ulteriorem ripam trajecerunt, cedentes appulsis ex Oriente Dacis & Gothis.* Cluverius *lib. 3. Germ. Ant. cap. 37.* *Germaniam* quatenus se in Septentriones immenso supercilio attollit, partem *Sueviæ* multo maximam appellat: sed in illa cuncta, ut situ remotiora, sic fama obscuriora dicit. Ipsum autem mare illud, quo ulteriora *Sueviæ* a continenti terra *Germaniæ* separantur cinguntur que, est Oceanus Septentrionalis, *Germaniæ* ab Septentrionibus terminus, unde *Germanicus* dictus, qua *Germaniam* alluit: cujus ingens Sinus, qui *Codanus* vocatur *Melæ*, ac *Plinio* & *Tacito*, Mare *Suevicum*, parsque ejus *Venedicus* Sinus *Ptolemæo*. Vocatur autem mare *Suevicum* a *Suevis* Populis, in Insula seu potius Peninsula hujus maris & in continenti *Germania* accolis, verba *Taciti* sunt: *Eundem Germaniæ Sinum proximi Oceano Cimbri tenent* (hodie *Holsatiæ* atque *Jutiæ* Gentes) & infra: *Ergo jam dextro Suevici maris littore Aestiorum gentes abluuntur.* Hos *Prussiæ*, *Livoniæque* littus adcoluisse demonstrat Cluverius *l. c. cap. 44.* vid. Hartknochii Altes und Neues Preussen / *P. 1. c. 1. p. 10. seqq.* Tacitus de *Germania*, post memoratos in citeriori maris *Suevici* littore *Rugios* & *Lemovios*, *Suionum* hinc, inquit, *civitates ipso in Oceano præter viros armaque classibus valent*, & mox: *Est apud illos & opibus honos, eoque unus imperitat; nullis jam exceptionibus*

nibus, non precario jure parendi, nec arma ut apud cæteros Germanos in promiscuo, sed clausa sub custode & quidem servo, quia subitos hostium incursus prohibet Oceanus. Otiosa porro armatorum manus facile lasciviunt. Enim vero neque nobilem, neque ingenuum, ne libertinum quidem armis præponere regia utilitas est. Trans Suiones aliud mare pigrum ac prope immotum, quo cingi claudique terrarum orbem hinc fides, quod extremus cadentis jam Solis fulgor in ortus edurat, adeo clarus, ut sidera hebetet. Sonum insuper se mergentis audiri, formasque Deorum & radios capitis aspici, persuasio adjicit. Et postea: *Suionibus Sitonum gentes continuantur, cætera similes, uno differunt, quod fœmina dominatur, in tantum non modo a libertate, sed etiam a servitute degenerant: hic Suevia finis.* Totam igitur Peninsulam *Scandinaviam* duo *Suevorum* genera incoluerunt, *Suiones* & *Sitones*. Terminus inter eos statuitur a Cluverio *l. c. cap. 41.* mons *Sevo* a *Codani* Sinus faucibus, qua oppidum *Norvagiæ* est, *Opslo* sive *Arslo*, ad Lacum usque *Album*, ita ut *Norvagia* cum *Finnomarchia* ac *Scricfinnia* tribuatur *Sitonibus*; *Lappia* autem, *Biarmia*, *Botnia* Occidentalis, *Suedia*, *Gutia*, cum *Danici* Regni partibus *Bleking*, *Skaane*, *Halland*, *Suionibus*. Hodie Regnum ipsis incolis, conterminisque Gentibus *Danis* ac *Nortmannis*, vulgo vocatur Suerige id est, *Sueonum* Regnum. Ipsa vero gens *The Suenske*, vocabulo derivato a *Suen* sive *Sueen*, quod antiquissimum Gentis nomen vetustiores *Germani* efferebant *Sueon*, unde Latinum *Sueones Eginhardo*, *Suiones Tacito*, hodie omnibus *Germanis* cis *Codanum* Sinum dicuntur die Schweden / Latine *Suedi*. Cæterum plures fuisse *Suionum* in una Gente nationes, diserte testatur *Tacitus l. c.* & tales sunt apud Plinium *Hillevionės*, *Scandinaviam* quoque incolentes, ubi hodie regio *Halland*, cujus caput *Halmsted* & Helmsted / quasi *Hellensted*: & supra *Scandios* ac *Helleviones*, *Guta* sive *Guti*, quorum Regio etiam nunc vocatur Gudland: *Firasi*, qui Regionem hodie incolunt *Fiering*: *Lapiones*, qui Russis *Loppi*, *Suedis*, *Danis* & *Norvagis Lapper*, cæteris Germanis Lappen dicuntur, quibus ab Occasu contermina gens hodie *Sueonum* Regi paret, *Scritofinni*, *The Skrikfinner*. vid. quoque Bertii *Comment. Rer. Germ. c. 24.* ut & Schefferus *in Historia Lappia.*

XXII. Hinc Regnum Sitonum a lævo *Sueonis* latere, tertia parte *Sueonum* Regno angustius, plures tamen etiam gentes *Taciti* ævo comprehendens, ex quibus creduntur *Finni* in *Finnomarchia*, quam *Norvagici* Regni etiam nunc partem vulgo appellant *Findmarck*, jam inde antiquis temporibus colentes. Cæterum ipsa *Sitonum* Gens nulla alia fuisse dicitur Cluverio *c. l.* quam qui posterioris ævi Scriptoribus dicuntur *Nortmanni*, nunc vero sibi ipsis & conterminis Gentibus vulgo Normänner / Latine *Norvagii*, & Regio illorum vulgo Norrige / id est, *Normannorum* Regnum, quam vulgo dicimus *Norvagiam.* Licet autem *Vermelandi* & *Finnvedi Norwegos* a *Sueonibus* diriment, ut propterea *Pontanus* dubitet, *Hachenbergerus* autem *l. c.* neget, *Sitones* esse *Norwegios* posse, cum illos *Suionibus* continuari *Tacitus* scribat: tantum tamen interstitium nec dum videmus, quod impediat, quo minus *Sitones Taciti* esse *Norwegos*, dicamus cum *Philippo Cluverio* & *Hugone Grotio*. Atque hæc sunt juxta verba *Cluverii l. c.* duo illa vetustissima, simulque vastissima & absolutissima totius *Europæ* Regna, *Sueonum* atque *Sitonum*, quæ jam ultra MDC. Annos, ex quo in *Romanorum* pervenerunt notitiam, perpetuo eodem tenore durarunt: quanto vero temporum spatio ante *Romanorum* notitiam, in tanta corpora tantamque firmitudinem coaluerint, incertum est. Hic igitur immensæ illius *Suevia* finis. vid. de Origine Gentis *Danorum* & de Regibus ejusdem Gentis, deque eorum rebus gestis, Historica narratio *Erici* Regis *Daniæ* & Historia compendiosa *Daniæ* Regum continuata per *Erp. Lindenbruchium.*

Series & Historia Regum *Sueciæ* & *Gothorum*, ex *Joanne Magno Gotho*, Regum *Norvagiæ*, ex *Achille Pyrmenio Gassaro* descripta. Addantur his *Saxo Grammaticus* in rebus *Danorum*. *Æneas Sylvius cap. 33.* Volaterran. *lib. 7. Geograph.* Joach. Vadianus *in lib. 3. Pomponii Melæ.* Cranzius *in Vandalia lib. 2. cap. 18.* Putat autem *Philippus Melanchton*, *Suevos* ex ultimis oris *Pomeraniæ* deduxisse colonos in *Sueciam*, quia mira fuit veteribus cupiditas occupandi Insulas, ut quærerent tanquam secessus loca tranquilliora. Quod ad potiores autem Scriptores Rerum *Danicarum* attinet, id judicium ex Prolegom. *Stephani in Saxon.* & *Wolffii* in Præfat. ad *Crantz.* nec non de suo quoque ferre libuit Hachenbergero *l. c. Th. 48. & 49.* *Saxo Grammaticus* gentis suæ Historiam splendide magnificeque contexuit, tanta dictionis elegantia, ut ætatis illius captum plane excedat. Fabulas tamen plurimas admiscet, quamvis nimis rigide ea de causa apud *Ludovicum Vivem*, *Goropium*, *Becanum* & *Hieronymum Cardanum* vapulet. *Albertus Crantzius* magna fide, diligentia & industria scripsit, ut *Johannes Wolffius* judicat. In Gentium tamen *Danicarum* Originibus tradendis semper scopum non attingit. *Johannes Suaningius* vitam *Christierni* eximio candore & multa rerum publicarum observatione scripsit. *Stephanus*, *Johannis Stephani* in rebus *Christiani III.* magnificus & comptus; *Johannes Isacius Pontanus*, florentissimus Scriptor & unus ad instar omnium; *Johannes Meursius*, tersus & prudens: *Olaus Wormius* accuratissimus Antiquitatis *Danicæ* indagator. Regni *Suecici* autem Geographica & Politica Descriptio videatur autore *Andrea Bureo Sueco* & Theatrum Nobilitatis *Suecanæ* a *Johanne Messenio Sueonio*, ubi de Regia Familia *Sueciæ* agitur, cui addatur, Leonis Septentrionalis Notitia *Johannis Martini Rauscheri*, Eloquentiæ & Histor. in Academia Tubingensi Professoris quondam celeberrimi, sub nomine *Aretii Suevi*: item Descriptio *Sueciæ* ex Officina *Elzeviriana*. Addatur Dn. D. *Spenerus* in Historia Insignium Illustrium *Lib. 2. cap. 95.* ubi inter antiquissima *Europæ* Regna *Suecicum* commendat & Familias illius Regnatrices recenset, cum aliis huc pertinentibus, quibus jungendus Celeberrimus *Loccenius* in Historia *Suecica* & Antiquitatibus *Sueo-Gothicis*, nec non *Johannes Schefferus* de eodem argumento.

XXIII. Inter *Suevos* recensendi quoque sunt *Longobardi* autore Tacito *lib. 2. Historiarum*, & Ptolemæo *lib. 2. cap. 2. Geograph. Ant.* quibus accedit Stumpffius *in Chronico Helvetiæ part. 1. pag. 22.* Crusius *in Annalibus Suevicis lib. 1. part. 1. cap. 3.* Fuerunt hi *Semnonibus* contermini a Septentrionibus, uti tradit Phil. Cluverius *in Germ. Ant. lib. 3. cap. 25. & 26.* De his ita *Tacitus* de Mor. German. *Longobardos paucitas nobilitat, quod pluribus ac valentissimis nationibus cincti, non per obsequium, sed præliis & periclitando tuti sunt.* Valentissimæ autem quibus cingebantur nationes fuere, *Semnones*, *Hermunduri*, *Cherusci* & septem Populi infra *Longobardos* inter *Albim Suevumque* amnes ad mare usque extensi, qui unum corpus inter se conficiebant; deinde *Burgundiones*. Limites igitur habuerunt istos; A meridie eundem quem *Semnones*; a Septentrionibus inter *Albim & Suevum*: Ab Occasu *Albim*, quo a *Cheruscis* arcebantur, a *Sala* confluente ad confluentem usque *Havela*; ab Ortu qua *Burgundiones* occurrebant, *Suevum* sive *Viadrum*, quibus finibus nunc continentur Marchia *Brandeburgica* media, Ducatus *Magdeburgici* pars, dextræ *Albis* ripæ affixa, Principatus *Halberstadiensis* & Comitatus *Barbiensis*. Sed antea pars *Longobardorum* cis *Albim* coluerunt, testibus Strabone *lib. 7. Geograph.* Suetonio *in vita Augusti.* Vellejo Paterculo *lib. 2. Histor.* quibus Cluverius *l. c.* limites circumscribit, *Albim* & *Oram* amnes, qua Marchia *Brandenburgica* antiqua sita, cum dimidio Comitatus *Danebergensis.*

gensis. Cæterum de *Longobardis* mira fabulantur medii Seculi Scriptores, *Prosper*, *Diaconus*, *Sigebertus* & alii, quos refutat Cluverius *loco citato*, ubi etiam de nomine *Longobardorum* vera tradidisse *Diaconum lib. 1. cap. 9.* credit, scribentem: *Certum tamen est Longobardos ab intacta ferro Barba longitudine appellatos.* De quo nomine videantur plura apud Crusium *l. c.* nec non Wolffgangum Lazium *lib. 12. de Migrationibus Gentium pag. 802. & seqq.* ubi de *Longobardorum* Origine & etymo, nec non sedibus ac habitationibus agit. Fuit autem hæc natio inquieta & germana feritate ferocior, nobilitate tamen cæteris antecellens, quæ per *Schonlandiam* (alii *Scotiam*) *Livoniam*, *Prussiam*, *Mauringiam*, *Rugiam*, *Poloniam*, *Moraviam*, *Hungariam*, Oram *Rhenanam* & *Italiam* vagata, tandem in hac constitit, & ubi hodie *Lombardia* atque Ducatus *Mediolanensis* Regnum instituit. Catalogum vero Regum *Longobardorum* in *Germania* & *Pannonia* ab Anno Christi CCCLXXXX. vide apud Lazium *l. c. pag. 813. & 814.* ubi etiam Catalogum Regum *Longobardorum* in *Italia* recenset. Constat enim, quod deficiente in *Augustulo* Occidentis Imperio, *Longobardi Gothorum* Reges in *Italia* secuti sint, qui a *Narse* Patricio invitati *Pannonia* egressi sunt, & in *Italiam* cum Rege *Alboino* venerunt Anno Domini DLXVIII. quarto Nonas *Aprilis*, a quo die *Longobardorum* Regnum in *Italia* inchoatur; quam intra triennii tempus cæsis *Romanis* Ducibus, pulsisque præsidiis, post egregia facinora, omnem fere occupavit & subegit *Alboinus* Rex. Duravit hoc *Longobardorum* Regnum in *Italia* ultra CC. annos usque ad *Desiderium* ultimum Regem, qui a *Carolo* Magno *Francorum* Rege Anno Domini DCCLXXIV. mense *Majo* prælio victus & captus, in exilium actus est, *Ticino* quoque Regni Metropoli in ditionem accepta. Sic *Longobardorum* Regnum defecit, paruitque sub *Francorum* ditione.

XXIV. Vetustissimos autem se nobilissimosque *Suevorum* memorabant *Semnones*, centum pagis habitantes & magnitudine corporum se *Suevorum* caput credentes, teste Tacito *in lib. de Germania*: quorum etiam meminit Strabo *lib. 7. Geographiæ*, Ptolemæus, Vellejus Paterculus *lib. 2.* & Zosimus *lib. 1. Historiarum.* Hæc Gens vicina *Bojohæmo* ac *Marcomannis Hermundurisque*, magnam & amplam habuit civitatem ad *Albim*, versus Occasum, ad utramque *Viadri* ripam late habitans, & a Septentrionibus atque ortu Solis limite *Varta* fluvio cincta; cujus finibus hodie continentur *Poloniæ* minoris pars: Ducatus *Crosnensis*: Regio *Sternbergensis*, *Silesiæ* pars: *Lusatiæ*: Marchiæ *Brandenburgicæ* portiunculæ: *Anhaltinus* Principatus: *Saxoniæ* item Superioris & *Misniæ* partes trans *Albim.* Videatur Albinus *in Chronico Misniæ.* Cluverius *in Germania Antiqua lib. 3. cap. 25.* Crusius *in Annalibus Suevicis lib. 1. part. 1. cap. 3.* ubi putat Comites *Sonnenbergenses*, Baronesque *Schonbergenses* ex *Semnonibus* ortos esse. Comitatus autem *Sonnenbergius* non procul a *Gerolzthal* & valle *Pretigovia* supra *Feldtkirchiam* situs, nunc cum *Bludenz* una Dynastia est: & Dapiferorum Comitumque de *Waldpurg* linea quædam *Sonnenbergia* fuit, jam extincta, de qua videatur D. Spenerus *in Historia Insignium Illustrium lib. 2. cap. 107. §. 9. & 10.* Illustrissimique *Schönburgii* in *Voitlandia* Dynastæ originem referunt ad veteres *Bohemiæ* Duces seu Principes, ipsique inter Imperii quondam Ordines antiquitate & affinitatibus illustribus inclarescentes. De quibus vide D. Spenerum *l. c. lib. 3. cap. 33.* & *in Theatro Nobilitatis Europeæ part. poster.* Sed an hæ Familiæ ad *Semnones* usque referri possint, nullis adhuc claris certisque putamus constare documentis. De *Suevis* in *Misnia* plura vid. apud *Albinum l. c. tit. 3. 12. 13.*

XXV. Inter claras *Germaniæ* Nationes haud postremi fuerunt posterioribus temporibus *Burgundiones*, quos nonnulli ad *Suevos* quoque referunt: Crusius autem & alii in hac Gente illos omitunt. Plinius *lib. 4. Historiæ Naturalis cap. 14. Burgundiones* partem dicit *Vindilorum*. Ex Strabone *lib. 7. Geographiæ* hos nonnulli ad *Marobodui* Regnum referunt. Cluverius in *German. Antiq. lib. 3. cap. 26.* agros his pro modulo priscæ civitatis relinquit, inter *Lygios*, *Semnonas*, *Carinos*, *Rugios*, *Lemovios* sive *Herulos*, atque *Gothones*, in parte *Poloniæ*, qua oppidum *Giezno* cum vicinis, & lacus *Goplo*. Profecti illi autem sunt una cum *Lygiis*, *Probo* Romanis imperitante, ad *Rhenum* cum LXXX. amplius millibus armatorum, uti constat ex *Orosio* & *Zosimo lib. 1.* & ostendit *Cluverius l. cit. cap. 33.* qui etiam *cap. 36.* ostendit, quemadmodum circa nomen eorum atque situm varie multumque oberret *Ptolemæus*, turbator in quibusdam *Germaniæ*. *Agathias* hos facit *Gothicam* nationem, qua ratione ad *Suevos* referri possent: sed *Cluverius l. c.* in eo non adstipulatur *Agathiæ*. Postmodum *Burgundiones* in *Gallia* & *Germaniæ* confiniis fixis sedibus corrupto vocabulo dicti *Burgognons*, a quibus gemina adhuc hodie dicitur *Burgundia*, Superior Ducatus, atque Inferior Comitatus, uterque jam Regno Galliæ subjectus. Primo tamen *Burgundos* in Cattorum solo proxime *Alemannos* trans *Mænum* consedisse probat *Cluverius loco cit.* ex Historia *Ammiani Marcellini*, *lib. 28.* idemque constat ex Procopio *lib. 1. Rer. Goth.* ubi aperte *Burgundiones* a *Suabis* sive *Suevis* & *Alemannis* distinguuntur. *Alemannis* autem deinde in *Rhætiam Helvetiamque* transgressis, in eorum agris inter *Mænum*, *Danubium* ac *Rhenum*, *Burgundiones* bella prius cum illis gerentes consedisse, indeque sub *Theodosio II.* & *Valentiniano III.* tandem in *Galliam* trajecisse ab *Hunnis* pulsos, ex Eumenio in *Genethliaco Maximiani*, Socrate *lib. 7. Hist. Ecclesiast.* Cassiodoro *in Chronico*, & Orosio *lib. 7. cap. 31.* probat Cluverius *loc. cit.* Ab his autem conditum fuit quoque Regnum *Burgundicum*, alias *Arelatense*, a Civitate primaria *Arelate* ad Ostia *Rhodani* dictum, quod Imperatores *Suevi* deinceps Seculo post Christum natum XI. Provinciam Imperii *Romano-Germanici* fecerunt, cujus se Archi-Cancellarium scribit Archi Episcopus *Trevirensis* unus ex Septemviris, quibus Imperatoris deligendi commissa cura; de quo videatur B. Rhenanus *lib. 1. Rer. Germ. pag. 93. & 179.* Limnæus *lib. 3. Juris publici cap. 5.* Conringius *de Finibus Imperii*, *lib. 1. cap. 12. & 13.* & *lib. 2. cap. 24. & 25.* Mallincrot *de Archi Cancellariis Imperii part. 1. memb. 3. Browerus* in digressione de Regno *Arelatensi* in *Annal. Trev. lib. 16.* Bœclerus *in Notitia Sac. Rom. Imperii lib. 6. cap. 6. Burgundionum* autem Reges dum adhuc ad *Vistulam* amnem in finibus *Germaniæ* & *Sarmatiæ* manerent, dumque in *Capellatio* (de quo loco vid. *Cluverius l. c.*) rerum potiebantur, item Reges eorundem in *Gallia Sequana* & *Heduis*: item in *Gallia*, ex *Francis* constitutos: nec non alios ex posteritate veterum *Burgundionum* vid. apud Lazium *lib. 2. de Migrat. Gentium pag. 771. & seqq.* qui etiam *loc. cit. pag. 777. & seqq.* Duces & Principes *Burgundiæ* jam in angustias redactos, ex diversis prosapiis, posteritate scilicet *Burgundiæ*, & Comitibus *Viennensibus* & *Matisconensibus*: item ex *Germanis*: exque Comitibus *Chabilonensibus* & *Salinarum*: ut & ex *Valesiis* & *Francorum* Regibus in *Gallia*, recenset. De quibus vid. etiam Nic. Vignierius *in Chronico Burgundiæ*, item Pontus Heuterus *in Rebus Burgundicis*.

XXVI. Certius jam ad *Suevorum* Gentem referuntur *Marcommani*, quos *Ariovistus* Rex *Germanorum* in Exercitu quoque suo in *Gallia* habuit, & quorum antiquissimæ sedes inter *Mænum*, *Danubium* atque *Rhenum*: quos ex istis

istis finibus *Marobodaus*, homo privatus, natione *Marcomannus*, cum *Romæ* dominationem, certumque in populares Imperium, animo concepisset, *Augusti* beneficiis auctus, in patriamque reversus, in *Bojobæmum* deduxit, pulsis inde *Bojis*: cujus rei testes *Vellejum Paterculum* & *Strabonem lib. 7.* allegat Cluverius *in Germ. Antiq. lib. 3. cap. 3.* In *Bojobæmo* autem tutum sibi Regnum constituit *Maroboduus*, procul a *Romanorum* potentia, qui *Alpes* ab hac parte nondum transgressi, & *Rhætias Noricumque* nondum perdomuerant. Fuit autem Regnum istud potentissimum, multis perdomitis Nationibus, aut etiam conditionibus ad se pertractis, de *Maroboduo* Juvene inchoatum; de quo Tacitus *lib. 2. Annalium.* In *Marcomannorum* vero fines, priusquam hi in *Bojobæmum* transducti fuerunt, ponitur a Cluverio *l. c.* Ducatus *Würtembergicus* totus *Rhenani* Palatinatus pars inter *Rhenum* & *Nicrum*, *Brisgavia* & *Sueviæ* Ducatus pars. Cum autem *Marcomanni* tenerent *Bojobæmum*, sibi quidem ipsis ac *Romanis* dicti fuere *Marcomanni*, conterminis vero circum populis *Germanis* a sede *Bojobæmi*, sive *Bojæmi*, Patriæ lingua die Böheimen/ sive Boehmen: quæ nominis usurpatio postea quoque perduravit in novis iterum cultoribus *Venedis*, sive *Slavis*, qui suo sibi vocabulo, & antea, & nunc, *Czechi*, *Germanis* die Böhmen/ in hanc usque diem idigitantur. Cæterum oppidum illud, quod *Ptolomæus* in *Germania* habet Μαρόβουδον, *Marobudum* de *Marobodui* Regis nomine denominatum, Regiam *Marobodui* in *Marcomannis* fuisse, tum situm tum nomen & alias conjecturas indicare notat Cluverius *l. c. cap. 30.* ubi concedit urbem istam eodem situ fuisse, quo Regia nunc sedes Gentisque *Czechorum* caput, ingenus urbs *Praga* conspicitur. De virtute autem *Marcomannorum* bellica plura vid. apud eundem Cluverium *l. c.* ubi ostendit quoque Regibus semper hunc Populum paru sse. vid. de eodem Lazius *in Migrationibus Gentium in Præfat.* ubi inter Provincias olim *Germanico* nomini præreptas, & *Suevis* debitas, *Bohemiæ* Regnum nominat, ob *Marcomannos* scilicet. De quibus vid. plura apud eundem *l. c. lib. 9. per totum*; ubi de illorum Exordiis, Sedibus ac reliquiis, nec non Regibus ad *Albim* in *Bojobæmo*, *Moravia*, *Austriaque* regnantibus, ab initiis constitutæ *Romanæ* Monarchiæ agit. An vero Reges *Danemarcborum* & *Normanndorum*, quos recenset Lazius *l. c. pag. 646. & seqq.* ex *Marcomannis* provenerint, incertum sane est: qualiter quæ de *Cimbris*, sive *Cimmeriis*, idem Lazius congessit, aliena a ratione & male cohærentia appellat Hachenbergerus *in Disput. supra citata th. XV.* ubi etiam illum Regum *Cimbrorum* Catalogum, quem satis amplum contexuit idem *Lazius*, nullam fidem invenire inquit, idemque fere de aliarum Familiarum tanquam ex *Marcomannis* oriundarum Familiis, quas *Lazius l. c.* recenset, dicendum est. De nomine autem *Marcomannorum* non contendemus vel cum *Crusio*, vel cum aliis, qui dictos hoc nomine volunt, quod *Marcas*, sive fines ac limites *Germanis* contra *Ungaros* & *Sarmatas* tuerentur, quasi limitanei homines: licet hoc nomine *Marcomannos* jam ante *Romanis* ad *Rheni* ripam & in *Gallia* cognitos fuisse, observet Cluverius *loc. cit. cap. 30.*

XXVII. Ad hos Suevorum *Populos*, ut alios plures taceamus, pertinent quoque *Virtungi*, ab illis profecti, qui Trebellioni Pollioni *Virtingi* dicuntur. A quibus Origo *Würtenbergensium*, ex sententia quorundam, deducitur. Vid. B. Rhenanus *lib. 1. Rerum Germ. pag. 81. & 82.* Apud *Ptolemæum* autem populi χαριτνοὶ *Charitini* leguntur, qui juxta *Ortelium*, *Melanchthonem* & *Peucerum*, *Würtembergenses*. Infra quos *Vispi* Marchionatus *Badensis*, cum Provincia, quam *Brisgaudiam* dicunt (licet Willichio χαριτνοὶ & *Caritini* Ptolomæi in ipsam Marchiam *Badensem* locentur) & Nigra, sive

five *Hercynia* Sylva, *Helvetiorum* eremus & folitudo dicta. In agrum autem *Wirtembergicum* aliquot retroactis Seculis *Probo* vel *Valentiniano* Imperatoribus, *Suevorum* manum, videlicet *Virtungorum* transgressam, nomenque loco reliquisse, haud absurde ex *Vopisco* & *Ausonio* longe doctissimum virum B. *Rhenanum* colligere, scribit Wolffgangus Lazius *lib. 8. de Migrationibus Gentium pag. 475.* ut qui olim Comitatus *Würtembergiæ* fuerat, postea Ducatus, non ab Hospite montis, sed a *Virtungorum* agro denominatus existat; qui a tenuioribus principiis, deficientibus vicinis quibusque Dominis & Comitibus, *Calvensibus*, *Aspergensibus*, *Herrenbergensibus*, *Uracensibus*, *Achalmensibus*, *Vaybingensibus*, *Niffensibus*, *Weinspergiis*, *Eberspachensibus*, *Blochingensibus*, *Hellensteiniis*, *Aichelbergensibus*, *Schlüsselbergiis*, *Winendensibus*, *Pfullingensibus*, *Monbeimiis*, *Beilsteiniis* &c. nec non extinctis *Suevia*, *Teccia* & *Urslinga* Ducibus, sed & aliis titulis ac juribus ad hoc usque fastigium, in quo hodienum cernitur, creverit. Verba autem B. Rhenani *Germ. Rerum lib. 1. l. c.* cap. *de Alemannis*, qui & ipsi *Suevorum* populi fuerunt, hæc sunt: *Porro non poterant quiescere nostri, nam Virthungi Alemannorum pars (quos possibile est Würtenbergensi ditioni dedisse nomen, ab illis profectos, qui Trebellio Pollioni, Virtingi dicuntur) Italiæ minantes, Rhetias misere devastabant, ita ut etiam oppida obsiderent, quod prioribus incursionibus non erat factum. Sed Barbatio Magister peditum post Sylvanum Francum, & Nevita Præpositus Equitum, cum valida manu illos depulerunt. Sub Valentiniano tertio Virthungos rursum in Rhetiam secundam, quæ Vindelicia prius dicta fuit, & in Noricum incursasse constat, qui eosdem ab Avito repulsos commemorat hoc carmine:*

Jam post Vithungos, & Norica bella, subacto
Victor Vindelico.

Atque hæc vera esse & genuina *Würtenbergensium* primordia, scribit Lazius *l. c.* ubi tamen in eo videtur errare, quod *Ansibarios*, qui ad *Usippios* & *Tubantes* concesserunt, illos esse scribit *Suevos*, qui *Enzam* fluvium accolunt, secantem *Würtenbergiam* a *Pforzhaima* & *Neccarum* ad *Besfickaim* ingredientem. *Ansibariis* enim pulsis a *Chaucis*, & ad *Rhenum* in *Usippiorum* fines pervenientibus, alias sedes tribuit Cluverius *lib. 3. Germ. Antiqu. cap. 16.* ubi illos collocat in ea *Chaucorum* parte, quæ *Cattis* simul atque *Angrivariis* fuit proxima, inter duo oppida *Bremen* & *Minden*. Pulsis autem *Chaucis*, quomodo *Ansibarii* varias sedes per varia loca quæsiverint, tandemque in *Cheruscis* occubuerint, ex *Tacito* recenset Cluverius *l. c.* & licet pars quædam illorum superstes post cladem suorum iterum inclaruerit, multis auctoribus celebrata sub paulo alia quidem scriptione *Ansivariorum*, *Amsibariorum*, *Ampsibariorum* & *Ampsivariorum*, tamen iterum *Cluverius loc. cit.* longe alias sedes illis tribuit, *Angrivariorum* scilicet & *Dulgibinorum* agrorum partes, juxta oppida & arces *Bilefeld*, *Ravensburg*, *Dietmelle*, *Limburg*, *Lübbecke*, *Lemgau* & *Falkenburg*, qui ipse autor quoque *Amsibariorum* nomen quæsitum esse a vocabulo *Amisiæ* Fluminis, quod illi ab initio accoluerint, suspicatur, ob varias mirificasque gentium in his oris, haud perinde latis, transmigrationes. Quod autem *Virtungos* attinet, nonnulli per hos intelligunt *Virtinguos*, populos *Scythiæ* apud *Trebellium Pollionem* in vita *Claudii* Imperatoris. Vid. Ortelius *in Thesauro Geographico* voce *Scythæ*. Nonnulli *Vitungos* & *Jutungos* intelligunt nomen Gentis, quæ *Istrum* trajecit, & cujus meminit D. Ambrosius *in Epistolis* & Ammianus Marcellinus *lib. 17. Histor.* vocatque *Alemannorum* partem *Italicis* conterminam tractibus. Ortelius *l. c.* voce *Jutungi* putat *Vitungos* ab *Eumenio* & a *Sidonio* in Panegyrico *Vithungos* vocari: item corrupte a *Pollione*

in

in Aurelio, *Virtunguos*, quos *Aurelianus* Imperator devicit, eosque in Comitatu *Tyrolensi*, (in quo *Crusius l. c. Jutingos* ponit) locat *Spangenbergius*. Huc referuntur ab aliis Ἰντεύεργοι *Intuergi*, populi *Germaniæ* apud *Ptolomæum*, quos nonnulli *Würtembergiam*, Aegidius Tschudius *Zaringiam* Ducatum *Brisgoviæ*, Birckheimerus, Peucerus & Gerardus Mercator, Palatinatum *Rheni* circa *Heidelbergam* & Stratam montanam, Regiones *Würtenbergiæ* vicinas, incoluisse putant; quas sententias refert etiam Stumpfius *in Chronico Helvetiæ part. 1. lib. 1. cap. 4. pag. 22.* Sed de his & aliis *Suevorum* Nationibus videantur plura apud Althamerum & Willichium *in notis ad Tacitum de Moribus Germanorum*, & ad eundem Henricus Glareanus, nec non Philippus Melanchthon in libello ejusdem argumenti, ubi etiam Ducatui *Würtembergico*, cujus duo latera ambiunt *Danubius* & *Rhenus*, dat Populos Ptolemæi *Charitinos* Provinciæ *Rhætiæ*, cujus limiti vicini fuerunt Decumates agri, adstipulante huic Birckheimero & Beato Rhenano *l. c.* De Agris autem illis Decumanis inter *Rhenum Danubiumque*, ubi *Alemanni* siti, vid. Tacitum *de Morib. Germ.* & plura apud Cluverium *l. c. lib. 3. cap. 4.* & Auctorem Chronicorum *Charionis*, qui *Parte tertia p. 13.* hæc scribit: *Decumates agri in confinio Germaniæ Rhätiaque fuerunt Rheno & Danubio inclusi, ubi Ptolemæus ponit Charitinos populos, qui hodie sunt in Ducatu Würtenbergensi.* Universa autem *Rhætia* inter *Danubium* & *Italiam*, Lacumque *Brigantinum* & *Oenum* amnem comprehensa, cujus Gens a *Tuscis* ex *Italia* Duce *Rhæto* orta & profecta, a *Romanis*, quorum fuit Provincia, in duas dividebatur partes; In *Primam* scilicet sive *Superiorem*, & *Secundam* sive *Inferiorem*: Hæc a *Lyco* ad *Oenum* sese porrigit, *Prima* autem illa & Superior *Rhætia* a fontibus *Rheni* terminatur usque ad *Lycum* flumen. Et hanc *Rhætiam* varii ab antiquo incoluerunt Populi, maxime vero *Alpestres* & *Suevi Alemannique*, unde & Ducatus *Alemanniæ* Superiore quondam *Rhætia* continebatur, in cujus mediterraneis, *Danubio* quidem & parti *Ripensi* jam vicinioribus, olim *Rivsiava* sive *Rinsiana*, nunc Civitas Imperialis *Gienga*, & Regio ipsa, quæ dicitur **das Rieß** / *Algoviæ* & *Würtembergiæ* quoque Ducatui vicina, in qua antiquissimus Comitatus & hodie Principatus *Oetingia*, cujus Hæres & Spes unica Principalis in Gente sua Familiæ superstes *Serenissimus Princeps ac Dominus, Dominus* ALBERTUS ERNESTUS *Princeps Oetingiæ, Princeps ac Dominus meus Clementissimus*, quem juxta Avunculum *Serenissimum Principem ac Dominum, Dominum* JOANNEM FRIDERICUM, *Ducem Würtembergiæ & Tecciæ &c. Illustris Collegii Præsidem Celsissimum, Principem & Dominum meum Clementissimum*, Musæ hæ inter nos *Würtembergicæ*, velut alterum *Illustris Collegii* hujus, imo ipsius *Palladis* Ocellum, humillima observantia submisse colunt & venerantur. Ad illa autem, quæ paulo ante dicta sunt, pertinent quoque, quæ *Simon Studion* in *Manuscripto* supra *citato* circa principium monet, de mutatione & alienatione nominum in Familiis & Regnis, nec non de Populorum nominibus Gentilitiis horumque rationibus, ubi etiam conjecturas aliquot de vocabuli *Würtenberg* causis affert & multas superstitiosas, quas hic recensere nolo, rejicit, & Decumates quoque *Würtenbergiços* esse conjicit *pag. 72. & seqq.* Eo autem loco, quo *Gibelinos* & *Würtenbergicos* Principes origine *Francos* esse scribit, inter alia deprehendere se ait *p. 102.* quod vocabulum *Würtenberg*, cum *Francicum* & *Germanicum* sit, proprietatem & naturam tam *Latini* quam *Græci* verbi ejusdem significationis, imitetur (*Germanicam* enim linguam ex *Græco* & *Latino* fonte habere multum, unde *Græca* & *Teutonica* Linguæ consonantia) Nam **Würt** Latinis sonare Hospitem, Græcis ξένον: Hospitem vero utroque modo, tam active quam passive dici. Imo proprie Hospites dici amicos diversarum patriarum, qui se mutuo recipiant, cum alter in alterius patria peregrinetur: deinde

etiam accipi hoc verbum pro peregrino & quolibet ignoto, & pari ratione sumi *Græcam* dictionem ξένος, id est, qui recipit & recipitur hospitio: notare etiam hominem alienum, novum & peregrinum: Item ξένοι dici milites quoque externos conductitiosque: Quæ omnia & singula optime conveniant cum *Germanica* vocula Wirtt/ quæ non unius significationis: Primum enim eam esse idem, quod novus & peregrinus, idque innuere nomen urbis Würtzburgk ad *Mœni* ripas in *Franconia* sitæ, & a novorum ac peregrinorum *Francorum*, ab Oceani *Germanici* littoribus ea loca, ejectis antiquis incolis, ingressorum, Castello nomen sortitæ, dici enim quasi peregrinorum & novorum indigenarum præsidium & castrum, vel præsidium & pyrgum militum externorum, & ex eo etiam ab Abbate *Spanheimensi* nuncupari *Marcopolim*, quasi urbem limitaneorum atque externorum populorum: *Herbipolim* autem Irenicum *lib. 11.* interpretari, variam domum: antiqui enim instituti fuisse, ut Hospitii necessitudo non inter privatos tantum, sed & Populos contraheretur, cujus nota pignusque Tessera Hospitalis: Indeque *Würzburgensium* Insignia Gentilitia juxta Hospitalem Tesseram nonnihil a *Francis* veteribus informatam fuisse, vel Cuneos in Scuto fulmina Jovis Hospitalis forsan referre: Unde cum veteres *Mœni* fluvii accolæ superati ad se *Francos* Victores in suam Patriam admittere essent coacti, novos Hospites etiam aliquos eorum forsan dictos hospites hospitum & inter sese mutuo post partam victoriam iterum amicos atque populares, hoc est, unius populi homines. Atque ad eundem modum dictionem Würtenberg sumi posse credit *Studion l. c.* quod nimirum *Franci* & *Alemanni* inter se mutuo hospites seu populares facti, iisdem legibus & ritibus uti, post *Alemannicam* stragem ad *Tolbiacum*, cœperint: Esse enim ejusdem nationis Würtenberg & Würtzburg/ & Castro *Würtenbergæ* suum nomen ab hospitibus & peregrinis *Franconibus* olim relictum, vel potius a Specula, loco edito & eminente, unde aliquid eminus videri & prospici potest, unde etiam fiunt excubiæ, an hostes veniant transeantve, an maneant, quales maxime circa *Würtenbergam* arcem, monti impositam, juxta quem Regia via ad *Nicri* ripam ducit transeuntes viatores, celeres veredarios & vecturas bonis onustas: Speculam enim Germanis verti Wartt/ quæ inter cætera diligentem & vigilantem curam de aliqua re sive persona significet, ut solent hospites: Et Matremfamilias seu uxorem etiam Nobilium, Germanis priscis Württin dictam, & ita quoque maritos appellatos, qui excipiunt uxores: hæ autem excipiuntur hospitio, hoc est, in convictum & societatem Conjugii. Denique illa originis ratio magis propria videtur *Studioni l. c.* qua ab uxoris monte Castellum Würtenberg denominatur: videlicet ab illa Regina *Clothylde*, filia *Hilperici* Regis *Burgundionum*, Conjuge seu Matrefamilias *Clodovæi Magni* Regis *Francorum*, a cujus etiam, tanquam uxoris nomine, *Waiblinga* defluxit, & cui maritus Rex, victor & Christianus per Conjugem factus, Trophæum ad *Beinstein*, pagum nunc prope *Waiblingam*, Sacrum erexit, cum hoc Titulo & Inscriptione Monumenti: CLODIUS. HOC. FECIT. UXORI. SUAE. Et sane in antiquissimis Sigillis & Documentis Archivalibus, nomen illud, de quo hactenus sermo, legitur *Wirtenberg*, item aliquando *Wirtinberc*. Sed & sub radice montis, cui imposita est arx *Wirtenberga*, qui subjacet egregius vicus *Türckheim*, vocabulo corrupto ita dici, observat quoque *Studion l. c.* in antiquis enim monumentis aliter scriptum reperiri, ita ut ejus etymon sit Thürnheim/ quasi Domicilium & Sedes puellarum seu Virginum *Franeicarum* in Gynæceo Reginæ *Clothyldis*, quæ nomine Thirn vel Dirnen veniunt. Dividi quoque *Würtenberga* Arcis montem posse secundum altitudinem in tres partes, bene observavit citatus Author *l. c.* Nam in ejus fastigio & vertice eminet ipsum *Castrum*: Sub ipso, in ejus medietate seu umbilico, versus

versus Septentrionem adhæret viculus *Rottenberga* : In ima ejus radice, quasi ad Orientem & Valle reducta, pagus *Olbach* conclusus, infra hortis & vineis, supra in summitate altera sylvis. Quamvis autem solum ejus loci sit rubellum & ab eo *Rottenberga* nomen suum hausisse videri possit; tamen potius a classibus & cohortibus *Francorum*, quas Germani Rotten vocant, denominatam illam sedem credit ex eo laudatus modo Author, quod ab eadem Gente Francorum Oppida duo Rottenburg cognominata sint, alterum in *Suevia* ad *Nicrum* amnem, quem etiam *Alemannici* juris fuisse apparet, alterum vero juxta *Tuberam* fluvium *Franconiæ*. At *Olbach* pagum contiguum monti Würtenberg derivationem nominis sui habere ab *Olbiaco Ubiorum* seu *Coloniensium* vico, juxta quem *Francorum* cum *Alemannis* pugna commissa a Rege *Clodovæo*. Geminæ autem derivationis cum paulo ante allegatis locis & civitatibus est *Rotwila*, urbs Imperialis in *Suevis*, prope fontem *Nicri*, quæ Ptolemæo *Taxgætium*, quasi τάξιων γαία, id est cohortium terra & mansio dicitur, teste Reusnero de *Urbib. Imper. part.* 2. *cap.* 11. Unde etiam Germanice Rothweil dicitur a Rott / id est cohorte, & Will / seu Will / id est villa, quasi Cohortium, puta *Cimbricarum*, Villa sive mansio. Limn. *J. P. tom.* 3. *l.* 7. *c.* 40. quia Cohortes *Cimbricæ* a *Romanis* olim cæsæ & profligatæ tandem hoc loco consedisse feruntur. Crusius *Annal. Suev. l.* 10. *part.* 2. *c.* 11. Dresser *Isag. Histor. part.* 5. *p.* 526. Knipschild *de Civ. Imp. l.* 3. *c.* 46.

XXVIII. His ergo & aliis *Suevorum* Gentibus, dicitur non solum a Crusio in *Annalibus Suevicis lib.* 1. *part.* 1. *cap.* 1. sed & pluribus Scriptoribus, quos allegare longum esset, & inter hos haud vulgarium cæteroquin sententiarum Sectatori *Thomæ Lansio* in Oratione pro *Germania*, imperasse SUEVUS, *Gambrivii* filius, Octavus Rex *Thuisconum*, Anno Mundi 2278. ante *Christum* 1686. per annos 46. Nomen habens a circumvagando, quod ille regiones Regni sui diligenter obiens bonis legibus & disciplina temperaverit, a quo *Suevorum* Populus, tunc in *Germania* maximus, Regi huic subjectus, nomen acceperit; qui Populus & ipse facile locum mutaverit, propter tenuitatem victus, & quod agros non coleret, nec fructus reconderet, teste Strabone *libro* 7. Condidisse quoque *Suevum* istum Regem *Tigurum* Helvetiorum, ex Huldrichi Mutii *Chronico Germaniæ lib.* 1. & Stumpfii *Chronico Helvetiæ lib.* 2. scribit Crusius *l. c.* addens quoque, putari Regem illum habitasse prope montem *Carpathum*, inter *Germaniam* & *Sarmatiam* (*Poloniam*) situm: qui *Carpathus* ex nomine ejus dictus sit *Suevus*: postea protulisse habitationem suam per *Saxoniam* usque ad *Rhenum*, & ab eodem *Saxoniæ* fluvium *Suevum* nominatum esse die Spree / qui oritur in *Bohemiæ* montibus & in *Albim* se exonerat, atque Decano, Peuthero & Nivemontio *Odera* dicitur: Ortelio potius *Pene* fluvius sic hodie appellatur, quia hujus ostium medio fere itinere sit inter *Oderam* & *Viadrum*, ubi Ptolemæi *Suevus* est. Quod autem montem *Carpathum* attinet, negat hunc *Suevum* esse Nauclerus *vol.* 2. *pag.* 849. ubi hunc longe alium facit ab ortu Solis *Germaniæ* initium facientem, & *Riphæis* ac *Hyperboreis* montibus cohærentem; licet cum priori sententia faciat quoque Althamerus *in notis ad Tacitum*, *de Moribus Germanorum pag.* 4. Et quidem, quod Civitatis *Tigurensis* fundationem a Rege *Suevo* factam attinet, illam alibi ipse Stumpfius *in Chronico Helvetiæ parte secunda lib.* 6. *cap.* 2. in dubium vocat, tanquam certo fundamento & authoritate firma carentem. Quare idem author *l. c.* longe aliter de istius civitatis, inter *Helvetios* quidem antiquissimæ, disserit. Præterea ex Gentibus illis, quibus imperasse dicitur Rex *Suevus*, pleræque recentiores sunt illis temporibus, in quæ Regnum Regis *Suevi* solet collocari. Quare sentimus cum Reinero Reineccio *in Historia Julia* sive *Syntagmatis He-*

voici parte 1. pag. 642. ubi *Berosi* & *Taciti* de Regno Regibusque *Teutonicis* assertionem refutat, atque firmiora Historiæ Regni *Teutonici* fundamenta jacit, nomen istud Regis *Suevi*, inter alia, quæ hoc antecedunt & sequuntur, ex *Berosianarum* narrationum fæce desumptum notans, & generis potius cujusdam *Germanorum*, quam Regis esse conjiciens, & quos Aventinus, Jodocus Willichius in *Tacitum* commentans, Franciscus Irenicus *Germ. Exeg.* asseruerunt Reges, sua sive censura, sive explicatione nulla indigere, & vel mediocriter antiquitatis peritis de iis pronunciare in proclivi esse: Summam tamen eo redire, quod commentitia veris mixta sint. Cæterum licet post Sacram Scripturam *Beroso* antiquissimo Scriptori ex *Chaldæis* palma inter Historicos, præsertim de Monarchia *Babyloniorum* & *Assyriorum* deferatur, illius tamen paucissima fragmenta apud *Josephum Athenæum* & *Eusebium* supersunt; quinque autem illi *Antiquitatum libri*, qui *Berosi Chaldæi* nomen gloriosum inscriptione referunt, fictitii sunt, & a fabuloso quodam Monacho *Annio Viterbiensi* suppositi; uti varii Scriptores, recentiores & antiquiores, & ex his Andreas Franckenbergerus, Professor in Academia Wittenbergensi *in Institutionibus Antiquitatis & Historiarum part. 1. pag. 45. & 46.* Fridericus Tillemannus, in eadem Academia Historiarum & Antiquitatum Professor *in Discursu Philologico de Historicorum delectu, part. 1. p. 78.* Varenius *in Censura Berosi*, Ludovicus Vives, hinc inde Volaterranus *lib. 14. Anthropologiæ*, Blondus item in *Italia* sua, ostenderunt. Optandum autem esset, ut reliquam Regni *Teutonici* Historiam e probatissimorum auctorum monumentis exceptam, & cum *Cimbrico* atque *Germanico* Regno, a citato Reinero Reineccio *in Monarchia tertia*, descriptam, Typis quoque publicis editam haberemus, hinc enim major quædam lux priscis *Germaniæ* rebus, satis quidem tenebris suis involutis, & ipsi Regno *Suevico* accedere posset.

XXIX. De cætero verum manet, quod Crusius *loco cit.* scripsit, apparere ex dictis, quam longe lateque quondam diffusi fuerint *Suevi*: utpote quibus Sedem præbuit *Wirtenbergia*, *Algoja*, *Vindelicia*, *Rhætia*, *Helvetia*, *Alsatia*, *Suntgoja*, *Bavariæ* & *Austriæ* pars, *Bohemia*, *Franconia*, *Hassia*, ora *Rhenana*, *Silesia*, *Lusatia*, *Poloniæ* pars, *Saxonia*, *Misnia*, *Thuringia*, *Marchia Brandeburgica*, *Megapolis*, *Pomerania*, *Borussia*, *Cassubia*, *Rugia*, *Livonia*, *Suecia*. Sed & iidem in *Liburniam Illyrici* aliquando invaserunt, inque *Tyrolensem* Comitatum, nec non in *Angliam*, *Galliam Hispaniæ*, *Insubriam* seu *Lombardiam*. Initio autem a Septentrione ad Meridiem progressi sunt, dum etiam circa *Rhætiam* & *Vindeliciam* quæsiverunt nova domicilia in Provinciis *Romanorum*. Et quidem Wolffg. Lazius *lib. 8. Migrat. Gent.* octo migrationes *Suevorum* facit: I. in *Liburnia* ad *Adriæ* sinum, hodie Archi-Ducibus *Austriæ* subjecta, secus *Istriam*, *Dalmatiam*, Forum-*Julium*. II. ad *Albim* & *Suevum* fluvium, ubi hodie *Bohemiæ* Regnum, *Lusatia*, *Misnia*, *Silesia*, *Moravia* atque *Austria* ulterior. vid. Ptolomæus *lib. 2. Geograph. cap. 2.* Albinus *in Chronico Misniæ locis supra cit.* III. in *Hassia* & *Westphalia* confiniis non procul *Rheno* in *Ubiis*, IV. in *Lotharingia*, *Alsatia*, *Suntgovia* & *Brisgoja*, in *Heduis*, *Treviris* & *Sequanis*, ultra *Rhenum*. V. in *Rhætiis*, quarum duæ, prima & secunda, amne Lyco distinctæ, vid. Johannis Guleri a Weineck *Rhætia*. VI. in *Wirtembergia* a Franconia usque ad *Helvetiorum* eremum, quo loco aliqui olim *Tubantum* agrum *Nicro* comprehensum scribunt, unde nomen habuerit *Tubingensis* Palatinatus. Sed constat aliunde ex Julio Cæsare, *de Bello Gallico lib. 4.* habitasse *Tubantes* supra *Cattos*, quam Regionem hodie Birckeimerus censeri ait, *Eisfeld* & Sylvam Hartz. VII. in *Tyrolensi* Comitatu & *Italiæ* finibus ad *Athesim* fluvium. VIII. in *Gallicia* parte *Hispaniæ*; ubi

ubi *Suevi* ab *Emerico* usque ad *Anthecum* decem habuerunt Reges, antequam a *Gothis* ibidem subacti sunt. Sed de his Migrationibus plura copiosius videri possunt apud Lazium *l. cit.* ubi etiam refert Catalogum Regum *Suevorum*, dum ad *Albim* adhuc, *Vistulamque* amnes, inque *Bojohemo*, locisque vicinis usque in *Daciam* colerent, atque ad Rheni ripam consisterent: iterum Suevorum Reges in *Tubantibus* ad *Rhenum*, *in Vangionibus*, *Ansiburiis*, & *Ubiis*: in *Norico* item mediterraneo, & *Liburnia*, ubi hodie *Carinthia* ac *Carniola*, Provinciæ cernuntur. Itaque, quasi *Suevi* soli *Germani* essent, utpote majorem olim *Germaniæ* partem obtinentes, *Germanorum* nomen ad eosdem sæpius excellenter pertinet, tum apud *Tacitum de moribus Germanorum*, tum apud alios Scriptores. Certe *Suevos* & *Francis* & *Saxonibus* & *Bavaris* in *Germania* antiquiores fuisse, & ante hos rerum gestarum gloria & regni potentia floruisse, dubium non est. Ut dehinc minus miretur de posteritate hujus Gentis Lazius *l. c. p. 455.* ac late ubique terrarum diffusa sobole, quæ imperio deinde ad *Germanos* devoluto, late per universam *Germaniam* non veterem illam solum, sed *Romanas* etiam Provincias, *Pannoniam*, *Noricum*, *Rhætias*, *Sequanam*, Tractum *Argentoratensem*, & *Moguntiacensem* Colonias deduxit, & minores populos, seu tribus excitavit, ut paucas jam Provincias Germanico nomini obnoxias existere, quæ non a *Suevis* originem ducant, scribat Lazius *l. c.* addens ibidem: *Austriaci nos a Suevis descendimus: Tyrolenses præterea, Rhæti, Helvetii, lacus Bodamici accolæ Würtenbergenses, Brisgaudi, & qui Nigram Sylvam tenent Populi, Sundgavienses, Alsata denique, & Rhenenses Suevorum nationi primordia sua debent.* Cum autem *Suevi* jam *Romanorum* tempore multos pagos, hoc est terrarum tractus, & centum quidem, Cæsare *lib. 4. Gallicæ Historiæ* possedissent, quos gentilitia lingua, *Græca* origine, *Gew*, appellarunt, hæc consuetudo populo usque mansit, multos ubique variisque in locis tractus ac territoria constituendi, quæ *Gew*, & eorundem Ditionem posterius *Landvogtias* nominarunt. Sic namque ante Patrum memoriam *Suevia* totius Ditio atque imperium dividebatur in Landvogtiam *Burgoviæ*, *Algoviæ*, *Curiensem*, *Ravenspurgensem*, *Hegoviæ*, *Rotenburgensem*, *Rotvilensem*, *Nigræ Sylvæ*, *Stullingensem*, quatuor Civitatum secus *Sylvam Harcianam*, (vulgo der Vier Wald-Stätt) *Turgoviensem*, *Tiguriensem*, *Ergoviæ*, *Nuitlandiæ*, & utriusque *Alsatiæ*: quas voces, utpote gentilitias, *Germanorum* Scriptores *Romani* Pagos appellarunt, hosque secuti *Franci*, ut in cæteris omnibus, in fundationibus atque primordiis Cœnobiorum, vetustisque diplomatibus integras passim Provincias atque Regiones Pagos appellarunt, ut videre licet apud Lazium *l. c. p. 449.* vid. de quibusdam Pagis *Suevicæ* Nationis, qui tamen nostro ævo alia habent, quam olim nomina, Münsterus *in Cosmograph. lib. 3. pag. 569.* ubi de Pago *Albensi*, vulgo Alb/ de Pago *Forcipensi*, vulgo Scher: Pago *Albucensi*, vulgo Albuch; Pago dicto Hanenkam/ vulgo *Gallinacea* crista, Pago *Hertenfeldensi*, &c. plura tradit. vid. quoque de his Cluver. *in Germ. Ant. l. 1. cap. 13. pag. 113.* ubi de communi omnium *Germaniæ* totius Populorum in Pagos divisione agit, & quid fuerint Pagi, quorum apud *Germanos* vernaculum fuit vocabulum Gaw/ & variantibus dialectis Gäw/ Gew/ Göw/ Gow/ tradit.

XXX. Sed & in *Asiam* penetrasse *Suevos*, & inter *Germanos* in Exercitu *Darii* Persarum Regis, quem variæ Gentes, ne Sociis quidem satis notæ, inter auxilia sequebantur, præter famam vulgatissimam, antiqua carmina, domestica videlicet testimonia; autorem *Q. Curtium* allegat Aventinus *in Annal. Boic. lib. 1. pag. 25.* ubi eosdem *Suevos* stipendia fecisse *Alexandro Magno* probat: Ad quos etiam responsum illud Germanorum eidem *Alexandro* da-

 tum:

tum: *Se nil timere, quam ne aliquando cœlum ruat*, Crusius *loc. cit. part. 1. lib. 2. cap. 4.* ex Arriani *lib. 1.* refert. vid. Lazius *de Migrat. Gent. lib. 8. in princ.*

XXXI. Ante ista tempora autem *Suevi*, jam *Tarquinio* Prisco *Roma* regnante, ætate *Nabuchodonosori* Regis *Babylonii*, & Prophetæ *Danielis*, cum aliis multis *Germaniæ Magnæ* & *Galliæ* Gentibus, Ductoribus *Bellovoso*, *Sigovoso*, *Medone*, *Helitovio*, Alpes eo usque insuperabiles transgressi, per *Taurinos* saltusque *Juliæ*, superfuderunt se *Italiæ*. Et in *Suevorum* vernaculi Annalibus canebatur quondam: *Brennum* Ducem suum, Regis *Angilorum Suevorum* filium, centum ac decem annos (at, quis credat tantum tempus, ab uno Duce?) cum Romanis belligeratum: Sex urbes in *Italia* ab eo conditas esse, *Hochosenam Teutonicam*, *Senam*, *Veronam*, *Brixiam*, *Ticinum*, *Mediolanum*, eo tempore, quo *Romæ* Capitolium conditum sit. De quibus videatur *Ptolemæus* Geographus. Habitarunt itaque *Suevi* in *Italia* quoque *Cisalpina* promiscue cum aliis *Germaniæ* populis, quos inter *Boji*, qui *Galliam* Togatam, quæ est sub *Apennino*, *Padoque* amne, a *Placentia* usque *Ravennam*, atque *Rubiconem* fluvium incolebant: Ultra hoc autem flumen consistebant *Suevi Senones*, quorum caput *Senagallica*. Causa his in *Italiam* veniendi, sedesque novas quærendi, intestina discordia & assiduæ domi dissensiones feruntur Aventino *l. c. pag. 19.* qui tamen fama quoque tradi refert, hanc Gentem dulcedine frugum, maxime vini, nova tum voluptate captam, Alpes transiisse. vid. Naucler. *vol. 1. Chronogr. Generat. 55. p. 263.* Crusius *in Annal. Suev. part. 1. lib. 2. cap. 1. & seqq.* ubi de transitu *Suevorum* in *Italiam*, urbe *Roma* Duce *Brenno Suevo* capta, & *Suevorum* contra *Romanos* bellis ex Livii *lib. 5. Histor.* Julio Cæsare, Spangenbergio, & aliis Scriptoribus tradit.

XXXII. Temporibus etiam *Ptolemæi Cerauni* magna hominum vis e *Germania* & *Suevia* profecta *Pannoniam* domuisse fertur, ubi per multos annos bella cum finitimis gesserunt: hortante deinde successu, divisis agminibus, alii *Macedoniam* Duce *Belgio*, alii *Græciam*, Ducibus *Brenno*, *Euridano* & *Thessalone*: alii *Thraciam*, Ducibus *Lomnorio* & *Luthario* petiverunt, tantusque eorum terror fuit, ut Reges etiam non lacessiti, ultro pacem ingenti pecunia redimerent, excepto solo *Macedoniæ* Rege *Ptolemæo Cerauno*, vid. Crus. *l. c. cap. 4.* ubi *Suevorum* quoque adversus alias Gentes gesta narrat, & *Gothos* vel *Getas* (inter quos tamen magna differentia, vid. Cluver. *in Germ. Ant. lib. 3. cap. 34. pag. 129.*) anno ante natum *Christum* 327. fines *Saxoniæ* vastantes, auxilio *Suevorum*, sed & *Francorum* & *Thuringorum* (quorum tamen nomina tunc nondum nota) victos refert, & verisimile esse ait, *Germanos*, præsertim *Suevos*, ut viciniores Orienti, vetustis illis temporibus (sicut longe post *Romani* Reges & Imperatores *Suevicæ* Stirpis) in *Thraciam* & *Byzantium* descendisse, flumine præsertim *Danubio* secundo. Addit ibidem *Crusius* quædam de *Germanorum* sedibus in *Asia*, deque *Gallogræcia* & *Galatia*, in qua etiam *Tectosagi*, quibus mediterranea *Asiæ* data fuit. Populus autem ille quondam *Galliæ Narbonensis*, circa *Tholosam*, loca tamen *Germaniæ* quoque circa *Hercyniam* Sylvam fertilissima occupavit, atque ibi consedit, teste Cæsare *lib. 6. de Bello Gall.* eosque Beatus Rhenanus *lib. 1. Rer. Germ. p. 143. 193.* *Nicri* fluvii accolas fuisse existimat, & ab eis arcem Teck/ Ducum olim *Teccensium* Sedem, nomen habuisse. vid. Lazius de *Migrat. Gent. lib. 5. p. 184.* ubi Catalogum Stemmatum quorundam a Populis *Gallicis* denominationem recensens, a *Tectosagibus* derivat pervetustum & nobilem Ducatum in *Rhætiis*, cujus hæreditatem Comites *Würtenbergenses* adierint, appellati inde quoque

quoque Duces a *Teckh.* Consentit his Stumpffius *in Chron. Helvet. part. 1. pag. 107. 119. 121. 123.* & Tschudus *de Nomin. German.* Quanquam non desit alia quoque istius nominis derivatio, illis præsertim placens, qui incertum putant, an *Tectosages* in hanc *Sueviæ* partem pervenerint, & qui vocabulum Teck vel ab angulo, quod Arx ista in Angulo *Alpium Suevicarum* sita, vel a cuneis malunt denominare, quales tessellatæ formæ in Insignibus Gentilitiis veterum Ducum *Teccensium*, diu jam a *Würtenbergiæ* Ducibus assumptis, comparent. Et hoc signum attribuebatur Ducibus militum, cum enim Duces sint, qui exercitum in aciem ducunt atque eidem præsunt, ab officio illis addebantur Cunei, instrumenta ferrea vel lignea, quibus finduntur ligna, quæque Germanis etiam dicuntur Wecken. Per translationem vero sumitur Cuneus pro peditum multitudine in cunei formam redacta, teste Vegetio *lib. 2. de re milit.* quæ *Græcis* σφῆνος dicitur, hoc est, quæ ita disposita est, ut ejus pars prima cunei angustior, deinde latior procedat. Sed & Cunei formam quidam montes, quibus castra & arces impositæ sunt, referunt, in planum frontibus cuneatis protensi, a quibus etiam Cunei appellari possunt, *Germanice* Weck / vel W. in T. converso, *Teck.* Ducatus autem *Teccensis* (qui & *Weckensis* primo dicebatur, cum Comitatus forma contineretur) ad Familiam *Würtenbergicam* pervenit, non ductu quodam Conjugii *Eberhardi Mitis Comitis Würtembergiæ* cum Filia unica *Friderici Ducis Teccensis* ultimi, quam alii *Judith† am*, alii *Beatricem* vocant (hoc enim Conjugium ignorant Documenta *Würtembergica*, quæ *Stutgardiæ* in Ducali Archivo leguntur, & quæ ibidem in Ecclesia Collegiata *S. Crucis* spectantur, Monumenta: & illud nunquam contigisse docet Die Vorstellung Stutgartischer Hoch-Fürstl. Würtemberg-Hessischer Heimführungs-Begängniß / und kurtze Historische Entwerffung der Herkunfft / und Stamms-Ursprungs deren beeder Durchleüchtigsten Häuser Würtemberg und Hessen / *pag. 20.*) sed alio potius & emptionis potissimum titulo ac jure. Quare *Eberhardus Barbatus* Anno Domini 1495. Primus *Würtembergiæ Dux* ab *Imperatore Maximiliano I. Vormatiæ* creatus, accepit eam novam Insignium Gentilitiorum auctiorem formam, additis ad tria cornua cervina, & duos pisces, cuneis croceis & nigris, in sinistra & suprema quadra, & Vexillo Imperii in altera dextra quadra.

XXXIII. Post illa autem, quæ paulo ante priori thesi memorata sunt, secutum est Bellum *Cimbricum* contra *Romanos*, anno ante natum *Christum CXII.* gestum, a quo bello *Suevos*, militiæ semper avidam & late fusam Gentem, non abfuisse, credibile esse scribit Crusius *l. c. cap. 5.* ubi de *Cimbrorum, Teutonum, Gallorumque Ambronum* cum Regibus suis *Celio*, *Teutobocho* & *Bolo Carmatorum*, migratione in *Illyricum*, armis item in *Gallos* & *Hispanos* conversis, deque incursione illorum in *Italiam*, plura tradit. De quibus videri etiam potest Nauclerus *Volum. 2. pag. 627.* Stumpffius *in Chron. Helvet. lib. 2. cap. 6. l. 4. cap. 10.* Philip. Cluverius *in Germ. Ant. lib. 3. cap. 22.* Franc. Guillemannus *de reb. Helvet. lib. 1. cap. 6.* Faciebant tunc cum *Cimbris Tigurini* pagus *Helvetiorum*, a quibus *L. Cassius Longinus Cos. Rom.* in finibus *Allobrogum* cæsus est. *Helvetii* autem, ut refert Conradus Peutingerus *de mirandis Germaniæ Antiquitatibus*, non sunt *Galli*, (etsi tales a *Cæsare* esse dicantur) sed *Germani Suevi*, scribuntque se juratos veteris consuetudinis *Sueviæ*. vid. tamen Stumpff. *l. c. lib. 4. cap. 1.* Franc. Guillemannus *de reb. Helvet. lib. 1. cap. 1.* Cluver. *l. 3. c. 2.* qui dissentiunt. Quantas autem *Romani* clades a *Cimbris* acceperint, satis loquitur Historia *Romana.* Sed & *Teutones* tunc & *Ambrones* stragem ad *Aquas Sextias* perpessi, & *Teutobochus* Rex *Teutonum* (*Cimbrorum*) a *Romanis* captus (vid. Florus *III.* 3.) & *Cimbri* postrema

strema clade in *Italia* cæsi a *Catulo* & *Mario*. Sic ab illo tempore, inquit Plinius *lib. 16. Histor. Natural. cap. 32.* majestas Populi *Romani* resurrexit, quæ ante vastata cladibus (quinque præcipue Consularium Exercituum amissione, *Carbonis*, *Cassii*, *Scauri*, *Capionis* & *Manlii*) fuerat. Tanta *Germanorum*, *Danorum*, *Saxonum*, & cum eis *Suevorum* tunc potentia visque fuit, exclamat *Crusias l. c.* ubi etiam refert, ex *Cimbris* quibusdam, qui ex clade elapsi, in Regione, quæ circa *Rotwilam* consederant, *Zimmerensium* Heroum propagationem extitisse, existimari vid. Münsterus *lib. 3. Cosmograph. pag. 591.* ubi scribit, putari Familiam antiquorum Baronum a *Zimbern*, qui superiori ævo ad Comitatus gradum ascenderunt, originem duxisse a *Cimbris*, populis Septentrionalibus, qui aliquot annis ante *Christi* nativitatem, propter aquarum inundationem coacti fuerint excedere patria sua, & alias quærere sedes, quas cum *Romani* ad illorum petitionem abnuissent, ventumque fuisset ad horrendum bellum, & utrinque multa millia interiissent, reliquiæ *Cimbrorum* egressæ *Italiam*, apud *Germanos*, qui eos comitati erant, sedem fixerunt, construentes castra & castella. Et quanquam ex his, ut Münsterus *l. c.* scribit, efficaciter probari nequeat, Barones *Zimbrenses* a dictis *Cimbris* descendisse, cum ex tantis antiquitatibus certi nihil haberi possit, & veteres in historiis conscribendis negligentiores fuerint, necesse est, ut verisimilibus conjecturis utamur, non obstante, quod quidam diversum sentiant. Hoc certum esse scribit citatus Author ex testimoniis Historicorum, quod in ultima pugna cum *Romanis* qui superfuerint *Cimbri*, consederint in *Germania*: quod cum alibi non nisi in *Nigra Sylva* comperiatur, liceat hinc conjicere Barones *Zimbrenses* originem sumpsisse a *Cimbris*, maxime cum in eo loco adhuc tot extent vici & Castra, quæ nobis suis nominibus in memoriam reducant *Cimbrorum* mansionem, ut sunt *Herrenzimbern*, *Waldzimbern*, *Marschalckenzimbern*, *Heiligenzimbern*, *Rotenzimbern*. Sed & in aliis Germaniæ locis inveniuntur vici hoc nomine, ut in *Zabergoia*, *Creichgoia* (vid. Oratio David. Chytræi *de Greichgau*) in *Rhætia Norlingensi*, in *Franconia*, & juxta fluvium *Lyn*, nullibi autem tot, ut in dominio Comitum quondam *Zimbrensium*. Nec obstat, quod veteres *Cimbri* cum C. loca autem nigræ sylvæ cum Z. hodie scribuntur; Cum in annalibus Monasteriorum *Sancti Georgii*, *Augiæ* & *Alperspachii*, ubi memorati Barones *Zimbrenses* sepulti inveniuntur, cum c. & non cum z. scribantur. Possent quoque Insignia ipsa nonnihil adstipulari huic proposito, cum & *Nortwegienses*, unde *Cimbri* putantur pro bona parte egressi, & Barones *Cimbrenses*, pro signo militari utuntur leone, gestante pedibus suis securim hastariam. Hæc suppeditasse sibi scribit *l. c.* Münsterus *Wilhelmum Wernberum Comitem a Zimbern*, antiquitatum singularem amatorem & indagatorem, qui Cameræ Imperialis Judex fuit *Anno 1540*. Paria his scribit quoque Lazius *de Migrat. Gent. lib. 3. & 8.* & alibi Crusius *in Ann. Suev. lib. 3. part. 2. cap. 7. p. 82.* Familiam autem *Cimbricam* deducere amant ab *Adelberto*, sive *Alberto* Barone *Cimbrico*, sive de *Zimmern*, circa Annum Christi DCCCCXII. qui *Mutliebam Comitissam Calvensem* Uxorem habuerit, cujus posteri continua serie enumerati leguntur apud Henning. *Theatr. Geneal. Tom. 3. Part. 1. pag. 437.* & quidem Baronum & Comitum promiscue titulis olim usi. Scutum vero Gentile coeruleum Familiæ hujus, quæ in *Suevia* ditiones habuit, refert argenteum Leonem, qui bipennem, sive securim *Amazonicam* nativo colore pictam tenet. Alibi eam manubrio recto, nonnunquam curvato, repræsentari vidisse se scribit Dignissimus Dn. D. Spenerus *in Histor. Insig. Illustr.* sive *Operis Heraldici Part. Spec. lib. 1. cap. 37. §. 7.* ubi addit, quod ex nomine *Cimbriæ*, & hoc Leone, qui cum *Norvegico* mutatis coloribus convenit, confirmare nitantur quidam suspicionem, vel etiam

tiam traditionem veterem, quod familiæ hujus Sator ex Regia *Cimbrorum* vel *Norvegorum* gente fuerit. Id certum autem esse scribit *l. cit.* & *l. 3. cap. 12. §. 4.* laudatus Dn. D. Spenerus Familiam hanc in *Germania* a pluribus Sæculis floruisse; unde si ex Septentrione huc delati sint, id a mille fere annis factum oportere, constare autem, eo tempore Insignium non eum, qui deinceps fuit, morem, neque usum hereditarium fuisse. Gentem autem hanc, quantum compertum est, clausit Seculo hoc ineunte extremus marium *Wilhelmus Comes in Cimbern*, Archi-Ducalis Aulæ *Ferdinandi I.* Præfectus.

XXXIV. Denique jam Ordinis ratio quidem posceret, ut de *Arioviſto* nunc, *Maroboduo* & aliis, quos Regnum *Suevicum* Reges a tempore Monarchiæ *Romanæ* sub *Julio Cæsare*, *Augusto*, *Tiberio*, aliisque Cæsaribus, ad *Constantinum Magnum* usque & ultra habuit, differere: quo loco etiam de Regno *Alemannico*, postea quoque ex *Suevis* enato, quædam memoratu digna referri possent, ne dicam de aliis Regnis, quæ *Sueviæ* Duces possederunt, *Neapolitano*, *Siciliæ* & *Hierosolymitano*, verum cum *Dissertatio* hæc præsens jam modum suum impleverit, & aliud institutum nos alio, & ad exteras Peregrinationes præsertim vocet, subsistimus hac vice, & quæ reliqua adhuc supersunt, aliis in aliud tempus relinquimus.



DISSERTATIO VIII.
GENTIUM ET REGNORUM EUROPÆ EX SUEVIS CONTINUATIO.

THESIS I.

Inter vetustissimas *Suevorum* Gentes, de quibus etiam in priori *Disputatione* quædam dicta, Crusius *in Annal. Suev. lib. 2. part. 1. cap. 3.* recenset quoque *Angrivarios*, Westphalos, addens tamen, quod hos alii pro *Saxonibus* habeant, quos inter *Witichindus Monachus Corbeiensis*, qui *lib. 1. Annal. p. 6. Angrivarios*, seu ut ipse vocat *Angarios*, accenset *Saxonibus*. Facit enim *Saxoniæ* Populos tres, *Orientales*, seu ut alii Germanicam vocem retinentes appellant, *Ostvalos*, *Angarios*, *Westvalos*, sive revera *Saxonibus Angrivarii*, quemadmodum & *Angli-Suevi* (unde *Angli-Saxones* quibusdam dicuntur, suntque iidem qui *Angliæ* nomen dederunt) se immiscuerint, seu cum hi sedes *Angrivariorum* occupassent, inde denominationem simul mutati

fuerint, ut *Reineccius* scribit. vid. *Meibomii* notæ *in Wittichindi Annal. Sax. l. c. p. 43.* In *Notitia Imperii Romani* leguntur *Anglevarii*, unde *Hofmannus in Lexico Universali, ejusque Continuatione*, cui etiam favere videtur *Münsterus in Cosmogr. l. 2. p. 45.* eandem his cum *Anglis* (quorum natales quidem ex *Suevis* in priori *Disputat. th. 18. p. 23.* repetiti) originem adscribit, & nomen *Angliæ* sive *Anglariæ* primum appellatæ, in *Angrivariæ* vocabulum abiisse, & qui *Engelsben* dicti, hos *Angersben* vocatos refert, consentiente *Alb. Cranzio*, qui *Angriam* olim *Anglariam* & pro *Anglis* dici cœpisse *Anglos*, scribit in *Saxonia lib. 1. cap. 21. & l. 2. cap. 24.* *Cluverius* tamen in *German. Antiq. lib. 3. cap. 14. p. 51.* correctius hos dici *Angrevarios* putat, qui inter *Amisiam* & *Visurgim* incoluerunt, ubi hodie Comitatus *Schauenburgensis, Lippiensis, Tecklenburgiensis, Ravensbergensis, Diepholti, Episcopatus Osnabrugensis, Principatus Mindensis* & *Hervordiæ* partes sitæ, quorum etiamnum nomen extat in vico *Engern* IX. millibus passuum in septentriones versus ab oppido *Osenbrugge* dissito: extat idem clariore fama in oppido *Angermund* ad confluentem *Anagri* & *Albis*, ubi genti antiquissima sedes, & deinde ad *Lupiæ* fluminis caput in oppido *Engern* vel *Engerben*, *Witechindi*, ejusque Majorum Regia, potentis *Saxonum* Dynastiæ, quæ Ducatus titulo insignita cum reliquo *Westvaliæ* Ducatu aliquoties Dominos mutans, tandem cœpit *Archiepiscopo Coloniensi* parere, qui ex die destituti *Henrici Leonis* sibi assumpsit *Angriæ* inscriptionis inter alios Titulum: Ducibus quidem *Saxoniæ Inferioris* in hunc usque diem, Titulum quoque Ducatus *Angriæ* & *Westphaliæ* gerentibus, una cum Insignibus. Est autem *Angria Westphaliæ* pars, ubi nati *Hengistus* & *Horsus*, *Saxonum* & *Anglorum* Duces, & sepultus *Witikindus* Magnus *Saxonum* Rex, qui victus a *Carolo* Magno, factus est Christianus. vid. *Reineri Reineccii* Commentatiuncula de *Angrivariis*, *Angaria* Oppido, & ibidem *Widechindi* Magni Monumento. *Cranzius* in *Saxonia* & Metropoli *l. c.* *Albinus* in Chronic. *Misniæ p. 419.* Huic *Witikindo* nepotem ex *Wigperto* filio *Walpertum*, Ducem *Angriæ* & Comitem *Ringelheimii* quidam assignant, cujus filius *Theodoricus Ringelheimii* quoque Comes, ex filiis *Immodo Sabaudorum*, *Witikindo Ferrariensium* Ducum, *Theodorico* Marchionum *Brandenburgicorum* veterum, & *Regimberto Oldenburgicorum* Comitum, adeoque *Slesvici* & *Holsatiæ* Ducum, *Daniæque* & *Norvagiæ* Regum modernorum Sator fuerit. vid. Digniss. Dn. D. *Speneri* Sylloge Genealogico-Historica in Familia *Oldenburgo-Danica* pag. 108. *El. Reusneri* Stemma *Witikindeum*. Inclaruit ergo bellicosissimus ille *Saxonum* Rex *Wedekindus* quoque imperio tituloque *Angrivariorum*, cui etiam bello victo *Carolus* Magnus terram istam generoso clementiæ exemplo reliquit. Et post hunc longi ævi spatio iidem *Angrivariæ*, qui *Saxoniæ* Principes. Donec in *Ascaniis* diversum evenit, quibus, translato in Marchionum *Misniæ* Familiam *Saxoniæ* Ducatu & Electoratu in *Friderico* Bellicoso anno 1423. a *Sigismundo* Imp. *Angrivaria* in *Bernhardi* (qui filius *Alberti* Ursi *Ascaniæ* Comitis, primus ex hac Familia Dux & Elector *Saxoniæ* fuit) posteritate, ad nostram usque ætatem permansit, juxta cum iis *Westfaliæ* terris, quas *Henrico* Leoni exautorato ablatas *Bernhardo Ascanio*, *Fridericus* Barbarossa Imp. adjecerat. vid. *Pfannerns* de præcipuis *Germaniæ* Principum Gentibus, cap. 10. *Hoffmannus* in Lexici Universalis Continuatione p. 106. h. v. D. *Spenerus* de Insignib. Sereniss. Domus *Saxonic.* cap. 1. §. 25. & in Histor. Insign. Illustr. l. 3. c. 8. §. 7. Author Notitiæ S. Rom. Imp. Procerum Histor. Herald. Genealog. lib. 2. cap. 4. §. 6. Transiit autem hæc *Angrivariæ* Ducum gloria quoque in hoc *Illustre Collegium*, quod de studiis trium Serenissimorum Principum Fratrum *Francisci Julii*, *Francisci Caroli*, *Rudolfi Maximiliani*, *Ducum Saxoniæ*, *Angriæ & Westphaliæ*, quorum hic in Consultatione

tione de Principatu inter Provincias *Europæ*, dixit contra *Galliam*, ille pro *Germania* Orationem habuit, ineunte hoc Seculo gratulari sibi potuit.

II. De *Æstiis*, *Æstionibus*, dextro maris *Suevici* littore circa *Revaliam Livoniæ* & in *Porussia* quoque habitantibus, propria lingua usis & mare scrutantibus, atque succinum, quod glessum vocabant, circa *Electrides* Insulas legentibus, dictum jam est aliquid in priori *Disputatione Th. XXI. pag. 30.* & plura de illis repeti possunt ex *Cluverio l. 3. cap. 44.* & *Hartknochio* in descriptione *Porussiæ* veteris & novæ. Taceamus etiam hic *Arios*, *Tacito* inter *Germaniæ* populos memoratos, ex quibus quosdam ad *Ardennam* Sylvam cum *Marcomannis* sedem posuisse, & ab illis *Arnstein* & *Arnstett* nomen habere *Crusius* l. c. putat. Est autem Comitatus hic ad *Hercyniam* (am Hartz) & in Torneamentis *Magdeburgicis* legitur *Henricus* Comes *Arnsteinius* Anno 934. ultimus autem hujus Familiæ Comes in prælio ad *Frossiacum* creditur cecidisse *Spangenbergero* in dem Adel-Spiegel *p. 1. l. 10. c. 15.* Inde Comitatus ille, incertum quo nomine, delatus est ad Comites *Reinsteinios*, ex quibus *Ulricus* Anno 1387. illum vendidit *Guntbero* & *Buffoni* fratribus Comitibus *Mansfeldiis*, quod authore *Spangenbergero* l. c. & *Hier. Henninges* Theatr. Germ. *T. 3. f. 2. p. 107.* didicisse se ait Dn. D. *Spener in Op. Herald. l. 1. c. 59. §. 2.* *Hofmannus l. c. h. v.* nominis *Ariorum* reliquias in *Ar-Danica* Insula vult esse: illosque ob societatem & amicitiam cum *Romanis* ejectos a *Francis* postea oram maritimam *Belgicæ* occupasse, nuncupatos autem vicinis corruptius *Armoricos* sive *Armorichos*. Silemus *Aviones*, de quibus vid. *Crusius l. c.* qui illos in *Borussiam* ad Portum Maris (am Hafen des Meers) & in Marchiam ad fluvium *Haveliam* habitantes ponit, *Ortelius* vero loco citato hac voce cum *Reudingis* miscet, quos ex *Rhenano* scribit *Althammerus Holsatios* vel *Pomeranos* esse. Præterimus *Arborichos Crusio* quoque in hac classe nominatos (forsan *Armorichos*) quos *Jacobus Mejerus* Zinlanders vocat, *Becanus Brabantos* docet & *Eburones* his adjungit, de quibus vid. *Ortelius h. v.* Quid dicamus *Butones*, quos *Maroboduus* sibi subjecit apud *Strabonem* lib. 7. (ubi quidem *Lipsius* mavult legere *Gutones*) *Bugentas*, quos *Crusius l. c.* a *Cassubiis Poloniam* versus usque ad *Regiummontem* ponit. *Burios* cognomine *Lutos*, ut *Hofmannus* vocat, quos *Crusius l. c.* considentes facit partim ad *Visurgim* & *Thornum Borussiæ*, partim in *Westphalia*, concedentes deinde ad *Mosam* juxta *Leodium*. *Cluverius* vero *l. cit. c. 32. p. 126.* terga *Marcomannorum* claudentes facit, *Christophorus Pyramius* censet *Silesios*, *Georgius Brunus* ex *Ranzovii* & *Andr. Velleji* sententia habitare Insulam *Bornholm* in *Suevico* mari putat, *Brietio* erant ubi nunc magna pars *Poloniæ* versus *Calisiam* urbem. De *Buris* vid. *Hofmann.* in Continuat. *Lexic. Univers. h. v.* Comitatum autem *Buriæ* in *Westphalia*, cujus *Crusius* l. c. mentionem inter *Burios*, sed alio loco facit, quod attinet, constat *Elisabetham* filiam *Joannis* de *Buren*, Dn. *Hochstratæ* ex *Eleonora Borselia* nupsisse *Gerhardo* Domino *de Culenburg*, & ei attulisse *Buram*, *Borseliam*, *Zulam*, *S. Martinsdyck*, *Swyck* & *Dodendal*. Deinde notum est, hujus *Gerhardi* filiam *Aleidam Buranum* Comitatum in *Batavia*, nec non *Leerdamensem*, nuptiis intulisse in *Egmondanam* Familiam, dum ex hac maritum duxit *Fridericum Iselsteinii Dynastam* primum Comitem *Buranum* a *Maximiliano I.* Imp. creatum, eique in dotem attulit ditionem *Buranam* & *Sanmartinsdyck*, unde filius *Florentius* & nepos in historia *Caroli V.* celebris *Maximilianus Egmondanus* Comes *Buræ*, qui 1548. extinctus est, pater *Annæ*, quæ *Buram*, *Iselstein* & *Leerdam*, *Guilelmo Nassovio* Principi *Arausionensi* attulit. vid. *Henninges* in Genealog. *p. 387.* Dn. D. *Spenerus* in Op. Herald. *l. 1. c. 21. §. 1. l. 2. c. 49. §. 4. l. 3. c. 26. §. 23.* ubi refert, quod vivo ad-

huc *Wilhelmo Nassovio* Principe *Arausionensi* filius illius ex *Anna Egmondana* *Philippus Wilhelmus* gesserit titulum *Burani* Comitis, & idem l. c. l. 2. c. 46. §. 4. ubi constat, quod *Robertus* Comes *Teisterbantiæ*, filius *Balduini*, Comitis *Cliviæ* inter alias ditiones *Culenburgiam* quoque & *Buranam* continuerit. Quod vero præcipui *Burii Ansibarii* dicti eo concesserint, ubi nunc *Wirtembergensis* Ducatus est, *Crusius l. c.* probare nequit, & ex falsa quadam opinione der Entz-Bauren hoc concludit, de qua in *Disput. priori Th. XXVII. p. 39. 40.*

III. Subjicit his *Crusius* l. c. *Chasuarios*, *Cattuarios* ab Orientali parte *Abnobiorum* montium supra *Suevos Angilos*, distinguens ab his *Chattos* vel *Cattos*, a quibus *Hassi* & *Cattenelenboga*, *Gottinga* & *Cassella* nomina habeant, quique magnam coluerint partem *Franconiæ* circa *Wirceburgum*. *Chasuarios* autem, sive *Chattuarios* conjungi in recensione *Taciti* & *Strabonis*, *Chattis*, *Marsis* ac *Tubantibus* observat *Cluverius l. c. lib. 3. cap. 15.* unde idem ex situ ac vocabulo partem eos ducit *Chattorum*, deque antiqua illorum sede plura tradit l. c. ubi etiam *Ptolemæi Casuarios Cæsaris* esse *Suevos*, hoc est *Cattos* aliorum scribit. Constat enim *Cattos*, qui & *Chatti*, & *Chassi*, & *Hassi*, *Julio Cæsari* & aliis ejusdem ætatis Auctoribus, *Straboni*, *Dioni*, *Suetonio* & *Floro*, *Suevos* dici, quod quidem falso nomine fieri, & *Suevos Cæsaris* esse eosdem populos, quos posteriores Scriptores adpellavere *Cattos*, *Cluverius l. c. lib. 3. cap. 5.* variis argumentis ostendere satagit, cum quo serram disputationis nunc haud reciprocabimus. An autem *Catti* tam amplos incoluerint agros, ut latiores in tota *Germania* unius Nationis, etiam *Suevicæ* (quæ *Julio Cæsari* longe maxima & bellicosissima *Germanorum* omnium dicitur *lib. IV. Commentar. Bell. Gall.*) fines haud sæpe demonstraveris, uti *Cluverius l. c.* asserit, adhuc dubitare licet. *Willichio* quidem *Catti* sunt, qui Marchiam *Badensem* & loca vicina habitant, quos & *Caritnos Ptolemæi* putat, de quibus, quod *Wirtembergenses* olim fuerint, dictum est in priori *Disputatione Th. XXVII. pag. 38.* *Cattos* autem *Saxones* esse, non *Cranzius* solum, sed & *Ortelius* vult in *Thesauro Geographico*, utraque voce repetens ibidem *Cattorum* in Insulam *Batavorum* transgressum ex *Tacito*, ubi hodie horum nominis vestigia supersunt in duobus vicis cognominatis, ad mare & ad Rhenum, *Cattwyck*. Accedit autem etiam *Willichii* sententiæ, *Wilhelmus* Schäffer cognomento Dilich in *Chronic. Hassiac. p. 11.* ubi de veterum *Cattorum* sede hæc tradit: Die Catten haben gewohnet mitten in Germania am Hartzwald / und darnach / als die Teucteri fast aufgerieben und vertilget worden / auch die Helvetii ihre Wohnung besser in Galliam verruckt / ihre Gräntzen auch biß an den Rhein / und forters biß in das Wirtenberger-Land / und gen Torlach erweitert. Gegen Mitternacht haben mit ihnen gegräntzet die Cauci und Cherusci, gegen Morgen die Hermunduri und Narisci, gegen Mittag die Felder / so man Decumates agros genennet / die Carithni und ein Antheil Usipiorum, und gegen Abend die Teuchteri. Und haben demnach die Catten innen gehabt und eigenthumlich besessen / ein Antheil des Landes Westphalen / der Graffschafft Bergen / das gantze Thüringen und Hessen / und das mehrer Theil von Francken / wie auch des Wirtemberger-Landes / wie solches alles aus Tacito, Ptolemæo, Plinio und Strabone erscheinet. Daß aber C. Cæsar der Catten nicht gedenckt / ist die Ursach / daß sie zu seiner Zeit nicht biß an den Rhein gegräntzet / sondern besser hereinwarts gewohnet / und daß auch zu ermeldten Cæsaris Lebzeiten die Suevi vor allen andern Teutschen Völckern floriret / und also unter ihrem Nahmen zugleich die andere umbligende Teutsche / so wol auch die / welche

ihnen

ihnen wider die Römer zu Hülff gezogen / begriffen worden. Letzlich als von den Römern die Catten bewältiget / und fast gar aussgeriben / und sich hierab die Sachsen ihrer angenommen / haben sie durch derselben Beystand den Antheil Landes / welchen sie noch heute bewohnen / erhalten rc. quo loco etiam *Dilichius* probat, *Cattos* sedes suas in Sylva *Hercynia* habuisse. Subjicit deinceps idem l. c. de Decumatibus agris deque *Carithnis* & *Suevis*, sequentia verba; *Decumates agri* haben im Anfang deß Hercyniæ bey Brißgow und dem äussersten Theil deß Wirtenberger-Landes gelegen. Carithni aber haben im Wirtenberger-Lande gesessen / nicht fern von dem Helvetischen und Schweitzerischen Gebirge und Wüsten / wie solches Ptolemæus anzeiget: Item Suevi waren das mächtigste und grösseste Volck unter denen samptlichen Teutschen / so auch ihre Wohnung nicht beyeinander gehabt / sondern hin und wider in Germanien zerstreuet gewesen / darob sie auch ihre besondere Zunahmen bekommen / als Suevi-Angli bey denen Ciubern oder Holsteinern werden von Ptolemæo genennt Angilli und Suevi Angillorum, Suevi Semnones, die in der Marck Brandenburg und Laußnitz gehauset / und sind gewesen die Edelste und älteste Schwaben / Suevi Longobardi, so an denen Chaucis und Cattis gewohnet / etwa in Stifft-Münster / und von Narsete nachmahlen in Italien abgefordert / und daselbsten ein mächtig Königreich angerichtet haben: Suevi Reudigni oder auch Vendigni nach deß Rhenani correction, Aviniones, Varini, Eudoses, Suardones und Nuithones, welche samptlich der alten Teutonum, als sie neben denen Cimbris an Italien verruckt / Sitze in Meckelburg und Pommern eingenommen / aber doch hiernacher daselbsten entweder abgezogen / oder von denen Slavis ausgereuttet worden. Dann die Vendigni sind in Rhætiam verrucket / und haben daselbsten die Statt Vendignum erbauet: Die Aviniones sind in Finland kommen / die Nuithones aber sind beneben denen Vandalern und Burgundionibus auffgebrochen / und haben Nuithlandiam oder Uchtland eingenommen. So waren auch die Hermunduri Schwaben / welche nachmahlen beneben etlichen aus den Semnonibus zun Vendignis in Rhætiam kommen / und daselben das jetzige Hertzogthum Schwaben angerichtet. Cæterum *Catti* a *Druso* domiti, sunt quoque *Baudrando* & *Hofmanno Hassi*, quorum Regio hodie *Hassia* cum parte Landgraviatus *Thuringiæ*, & Ducatus *Brunsvicensis* prope *Visurgim* fluvio & *Cheruscos*: illi autem transgressi in *Batavorum* Insulam locum & nomen ibi fecerunt duobus *Cattorum* vicis, vulgo *Catwick*, ad mare *Germanicum* & *Rhenum*, apud *Lugdunum* Urbem, ubi olim *Rhenus* in *Oceanum* effundebatur: nunc ostium hoc arenis obstructum est. *Catti Melibocci* quoque tractus, qui *Catzenelenbogen* dicitur *B. Rhenano*, Comitatus *Wetteraviæ* in *Hassia*, cum oppido hujus nominis. vid. *Dilichius* in Chronic. *Hass. p. 29. & seqq. Textor* in Chronic. *Nassov. p. 109. 110. Sleidan. l. 21. & 24. Thuan. l. 19.* Dn. D. *Spener.* in Op. Herald. *l. 3. c. 23. §. 4. 5. & c. 26. §. 13.* ubi plura de Comitatu *Cattimelibocensi* ejusque Familia, Successione, Controversia, quæ Domui *Hassiacæ* intercessit cum Ducibus *Clivensibus* & Comitibus *Nassovicis*, illiusque decisione traduntur. *Author Notitiæ S. Rom. Imp. Procerum l. 4. c. 7. §. 3.* ubi quo jure Landgravii *Hassiæ Cattimelibocensem* Comitatum sibi vindicaverint, quoque traditur. *Chasuarii* autem, *Casuarii* Ptolemæi, *Chatuarii* Strabonis, pars *Istævonum*, *Altbamero Thuringi* crediti, *Cluverio*, aliisque inter *Amasium* & *Osnabrugensis* ex parte positi erant, *Baudrando* & *Hofmanno* scribentibus, clientes *Cheruscorum*, inque eorum confiniis, longe a *Thuringis*. vid. idem *Hofmannus* in Lexico Universali, ejusque Continuatione sub his vocibus. *Pfannerus* de præcipuis *Germaniæ* Principum Gentibus. l. 8.

IV. *Cheruscos* quod attinet, gentem magnam, & *Arminio* Duce maxime inclytam, separare illos *Tacitum* suo ævo a *Suevis* monet *Crusius loc. cit.* ubi illos consedisse scribit in Comitatu *Stolbergensi*, *Schwartzenburgensi*, *Mansfeldensi*, & parte *Anhaltinorum* Principum. *Cluverius lib. 3. Germ. Ant. cap. 19. p. 79.* contineri hodie scribit *Cheruscorum* finibus totum Episcopatum (nunc Ducatum) *Ferdensem*, *Lunæburgensem*, ac *Brunsvicensem* Ducatum: Episcopatum *Hildesheimensem* & *Halberstadiensem* (qui nunc quoque ex Constitutione Pacis *Westphalicæ* est Principatus secularis) Comitatum *Schauenbergiensem*, *Magdeburgiensis* Episcopatus (qui nunc quoque Ducatus) partem eis *Albim*, Marchiam Antiquam, *Danuenbergensem* Comitatum *Laviburgiensisque* Ducatus portiones cis *Albim*. *Hadrianus Junius* in *Batavia* sua per *Cheruscos* intelligit *Lunæburgenses*, *Ortelius* mavult *Mansfeldios*. vid. *Althammerus* in *Tacitum*. Unde autem *Crusius l. c.* probare possit, partem *Kreichgoiæ* a *Cheruscis* quoque cultam nondum constat: Sane *Chytræus* in oratione, quæ continet descriptionem Regionis *Greichgoiæ*, & veteres incolas hujus, nihil illorum meminit. *Cherusci*, inquit *Dilichius* in Chron. *Hass. p. 13.* Die Hartzländer sind Inwohner gewesen der Marck von Soltwedel / biß an die Lüneburger Heide / und dero Lande / welche nunmehr genennt werden das Stifft Halberstatt / Magdeburg und der jetzige Hartz. vid. de illis quoque *Baudrandus* & *Hofmannus in Lexic. Univers. b. v.*

V. Quos autem *Crusius Camornos* vel *Camavos* circa *Chemnicium* habitantes, & fortasse *Chamburgo* nomen dantes, *Spangenbergero Chamaunos* dictos, facit, hos *Ortelius* putat *Chamavos Taciti* & *Marcellini*, *Camanos Ptolemæi*, *Camaves Ausonii*, quos sunt qui *Camino* Pomeraniæ oppido nomen reliquisse suspicantur, teste *Althammero*: Illorumque reliquum oppidum *Chamen* in Comitatu *Marchiæ* esse putat *David Chytræus*: Alii, quos inter *Schonhofius* & ipse *H. Junius*, *Campen in Trans-Isalana* illorum reliquias esse scribunt, quos juxta etiam *Chamavi* circa *Rheni* ostia ponuntur. Horum antiquissima memoria reperitur apud *Tacitum lib. 13. Annal.* & plura de illis tradit *Cluver. l. c. lib. 3. cap. 14.* *Chamavos* autem a *Suevis* distinguit *Ptolemæus* his verbis: *Minores vero gentes interjacent inter Chauchos minores & Suevos, Bructeri majores, sub quibus Chamavi, inter Cauchos autem majores & Suevos, Angrivarii.* pro Χαῖμαι ibi legit *Cluverius* Χαμάνοι, & in *Strabone* pro Χαῦβοι, Χάμαβοι legendum esse monet. vid. de his *Hofmannus* quoque in Lexico Univers. *b. v.* ubi *Chamavos* inter *Cheruscos* & *Bructeros* ponit prope *Visurgim* fluvium, ubi nunc pars Episcopatus *Monasteriensis* & *Paderbornensis*, ex sententia quoque *Cluverii*, *Brietii*, *Baudrandi* & aliorum.

VI. Præterea *Cauci* vel *Chauci* vel *Cauchi* in veteri Marchia & Ducatu *Luneburgensi*, *Spangenbergero* & *Crusio l. c.* ad *Albim*, ubi scil. *Cauci* majores, minores autem ad *Visurgin* fluvium sunt, ubi Episcopatus, hodie Ducatus & Urbs *Bremensis*, Ducatus nunc *Verdensis* & Principatus *Mindensis*. *Jodocus Willichius* minores *Chaucos* facit *Frisios*, *Groningenses*, *Ortelius* vocat Ost-Friesen inter *Amasium* & *Visurgim* fluvios, majores autem comprehendere dicit *Bremenses*, *Lunæburgenses* ad *Hamburgum* usque. *Plinius Caucos* inter *Helium* & *Flevum* sternit, quos *H. Junius* in sua Batavia Goeylanders facit. *Cauchos* falso a *Cauconibus* derivari notat *Cluver. l. c. lib. 1. cap. 3. p. 57.* Hi ultra *Amisiam* amnem in Septentriones versus recedente *Germania* a *Tacito* collocantur, & inter *Germaniæ* populos memorantur quoque *Plinio*, *Ptolemæo*, *Paterculo*, *Suetonio*, *Lampridio*, *Straboni*, *Dioni*, *Claudiano*, cui *Chayci* dicuntur, notante *Hottomanno* in sua *Franco Gallia*. De *Cauchis* majori-

majoribus & minoribus illorumque insulis, atque littore plura vid. apud *Plinium lib. 16. Histor. Natural. cap. 1.* & de virtute *Cauchorum* egregium fertur elogium a *Tacito*, de morib. *Germanor.* Plura de his legi possunt apud *Cluverium l. c. lib. 3. cap. 18.* ubi *Cauchorum* finibus has Regiones comprehendi scribit Episcopatum *Bremensem*, *Frisiam Orientalem*, Comitatus quatuor, *Oldenburgiensem*, *Delmenhorstensem*, *Diepholtensem* & *Hojensem* cis *Visurgim*, item *Mindensis* Episcopatus partem Septentrionalem. Consentit his quoque *Hofmannus* in Lexico Univers. v. *Cayci* & *Chauci*, ubi *Chaucorum* majorum Metropolim *Bremam* esse vult urbem in *Saxonia*, *Dilichius* in Chron. *Hass. p. 13.* scribit: Chauci haben gesessen zwischen der Elbe / Weser / Embs / dem Meer und denen Catten, da nunmehr die Sachsen / Westphelinge / Lüneburger und Braunschweiger wohnen.

VII. Calucones *Crusius* l. c. facit habitatores lacuum ad *Albim*, ubi nunc Electoratus *Saxoniæ* & ab his *Luccam* & *Kalbam* vel *Calegiam* nomen consecutas putat, incertum qua ratione aut fundamento. *Stumpfius* in Chronico *Helvetiæ* lib. 2. cap. 4. pag. 22. b. *Calucones* ponit in *Misniam*, bey Zerbst jenseit der Elb. Sane *Ortelius Calucones Rhætiæ* populos esse scribit apud *Ptolemæum*. Algöw fortasse inquit *Ægidius Tschudus*, sed ipse *Culucones* legit. *Collucones* habere tria sua exemplaria testatur *Ortelius* in Thesauro Geograph. h. v. ubi refert Leutkirchen ex eo facere *Lazium*, qui locus abest a *Campiduno* tribus milliaribus, *Memmingam* versus. *Colduli* quoque *Germaniæ* populi referuntur *Straboni*, apud quem κόλδυοι legi *Casaubonus* annotavit. Circa *Holetal* (locum sic dictum) illos habitasse putat *Lazius*. *Crusius* in Sylva *Hercynia* habitantes facit, *Ortelius* pro *Bohemis* habet. Eadem de his tradit *Hofmannus* l. c. h. v.

VIII. Memorantur quoque *Crusio* l. c. *Tacito* nominati *Elysii*, *Mutio Helisii*, *Bartolino Lysii*, ad amnem *Elistrum* & in *Lausnicia* ac parte *Silesiæ*. *Lusatos* illos quoque credit *Petrus Nivemontius*. At in *Alsen* Insula *Danica* sic dicta hos esse credit *Andr. Vellejus*. *Eliso* & *Aliso* Castellum olim, nunc *Elsen*, quod fuerit, vid. apud *Cluverium in Germ. Ant. lib. 3. cap. 9. pag. 33.* Consentiunt viri docti in *Elysios* & faciunt *Silesios*. Sed hoc vocabulum recenter fictum, nec satis ad primogeniam illius gentis appellationem exprimendam idoneum, scribit *Hofmannus* in Lexic. Univers. voc. *Elysii*. *Baudrando Elysii* sunt, qui & *Lugii Elysii*, populus *Germaniæ* versus *Sarmaticos* montes, ubi nunc pars Austr. parvæ *Poloniæ* versus *Vistulæ* fontes. Eorum caput erat *Carrodunum*, nunc *Cracovia Poloniæ* urbs primaria, longe a *Lusatia* in ortum portenti, quam aliqui *Elysiorum* regionem crediderunt. *Elysios* autem sub nomine *Suevorum* quondam comprehensos, imo sub *Lygiis Tacito* narratos, aliis *Ilingos* quoque dictos & ab illis *Silesios* derivatos, haud negat *Schickfusius* in Chronic. *Siles.* l. 1. c. 1. 2. 3. ubi plura de *Elysiorum* sedibus in *Lusatia* & *Silesia*, & illorum origine, nescio tamen an adeo certo ex *Asia* repetenda, tradit. Sane *Albinus* in Chronic. *Misn.* tit. IV. p. 47. *Elysius in Lusatia* ab *Elistro* fluvio, qui nunc dicitur die Schwartz Elster appellari putat. *Eudones* vel *Eudosios*, *Tacito* inter *Suevos* Aquilonares memoratos, quasi Endsassen putat *Crusius* l. c. *Libanotbanes* seu *Misnenses* esse, habens consentientem *Altbammerum*. *Libonotbiam Joannis Gersonis* esse putat *Ortelius*. vid. *Albin.* Chron. *Misn.* tit. IV. p. 47. & 53. *Cluverius* l. c. lib. 3. cap. 27. *Eudoses* collocat in littore maris *Baltbici* & *Pomeranorum* finibus, ubi hæc oppida incoluntur, *Baart*, *Stralesond*, *Gripeswalde*, *Wolgast*, *Gutsckow*, *Anklam*, *Traptow*, *Damyn*: addit idem ex ipso mari insulam *Usedom*, ad quam ostium est

est *Suevi* nunc *Swine* dictum. Certe reliquum terrarum spatium, quantum ab *Longobardis Albim Chalusumque* inter & *Suevum* ad mare usque *Suevicum* protenditur, credibile est tenuisse septem nationes illas, quæ *Tacito* dicuntur *Reudingi*, *Aviones*, *Angli*, *Varini*, *Eudoses*, *Suardones* & *Nuithones*, fluminibus aut sylvis muniti: in singulis autem nil quicquam notabile scribit idem *Tacitus*, nisi quod in commune *Hertham*, id est Terram matrem colunt, eamque intervenire rebus hominum, invehi populis arbitrantur. Sed de his jam aliquid dictum est in priori *Disputatione* Thes. XVII. Hoc tantum data occasione hoc loco repetimus, primitus in littore maris *Baltbici* fuisse *Suevos*, qui nunc *Pomerani* nominantur, & pars *Prussiæ*. Deinde *Juli Cæsaris* tempore *Suevi ex Pomerania* in *Westphaliam* transiverunt, postea eis ab *Augusto* sedes datæ fuerunt in *Rhætia*, ubi nunc reliquum nomen est *Sueviæ*. Ex *Rhætia* deinde ad *Nicrum* eadem Gens processit, ubi etiamnum *Suevi* appellantur, qui huc per Colonias ex Oriente & Septentrione translati. vid. Chronicon *Carionis* lib. 2. pag. 175. & lib. 3. pag. 8. Quod autem *Hertha*, id est Terra mater pro Dea quondam non tantum a priscis *Germaniæ* populis & *Suevis*, sed & *Romanis* in his terrarum partibus culta fuerit, hoc testantur Monumenta Antiquitatis, quæ superiori Seculo in hoc Ducatu *Wirtenbergico* reperta sunt. Inter quæ est Lapis quidam quadratus, quatuor Imaginibus sculptus, in oppido *Hercyniæ* Sylvæ Wildberg inventus, sed hodie erectus *Stutgardiæ* in Turri Augustalis *Ludoviciani* superiori ad dextram, ubi juxta *Dianam* primam sub Canis simulachro, cum sagittis binis in manibus, & *Dianam* secundam sub imagine felis, cernitur *Vesta* Globo Terræ insistens, & alata. Constat autem etiam ex alibi dictis, quod *Cybele* uxor *Saturni* habita fuerit pro Deorum matre, quam *Suidas* scribit *Rheam* quoque vocari, & Montanam etiam, ut *Dianam*, esse Deam, quæ primum etiam *Ope* & Terra dicta fuit, quod sit Dea Telluris, quæ & *Vesta* dicitur, propter quod curru vehi a Poëtis fingitur, quia Terra pendet in Aëre, & rotis sustineri, quia rotatur semper & volvitur mundus. Quod *Ovidius* eleganter his versibus exprimit:

Vesta eadem est & Terra: subest vigil ignis utrique
Significant sedem Terra focusque suam.
Terra Pilæ similis nullo discrimine nixa:
Aëre subjecto tam grave pendet onus.
Ipsa volabilitas subjectum sustinet orbem,
Quique premat partes angulus omnis abest.
Cumque sit in media rerum Regione locata,
Et tangat nullum plusve minusve locum,
Ni convexa foret, parti vicinior esset,
Nec medium terra mundus haberet onus.
Arte Syracusia suspensus in Aëre clauso
Stat globus, immensi parva figura poli:
Et quantum a summis, tantum successit ab imis
Terra, quod ut fiat, forma rotunda facit.

Unde cognoscitur, quod sub hujus Puellæ pedibus Globus Terram ipsam rotundam notet. Cum autem terra pendere in aëre dicatur, alata pingitur, quasi alis, instar avis in aëria regione suspensa, suis sustentetur, ut canit *Ovidius* lib. 1. Metamorph.

Nec

Nec circumfuso pendebat in aere tellus
Ponderibus librata suis.

Vel quod *Vesta* etiam Ignis sit, cui præest *Vulcanus*, quem a volando quidam denominatum esse tradunt, eo quod ignis per aerem volitet. De quo *Ovidius* lib. 6. Fastorum:

Nec tu aliud Vestam, quam vivam intellige flammam:
Nataque de flamma corpora nulla videt.

Et rursus:

Esse diu stultus Vestæ simulachra putavi
Mox didici curvo nulla subesse dolo.
Ignis inextinctus templo celetur in illo:
Effigiem nullam Vesta nec ignis habet.

Quarta Imago dicti modo lapidis iterum Terram & *Vestam* repræsentat, sed alio modo, nimirum innixam vastæ columnæ. Cujus rationem *Ovidius* quoque explicat hoc versu.

Stat vi terra sua: Vi stando Vesta vocatur:
Causaque pars Graji nominis esse potest.

Cur autem alibi, & in isto monumento, *Diana* cum *Vesta* jungatur, causa est, quia *Diana* perpetua Virginitate commendatur, quemadmodum etiam *Vesta*, de qua iterum canit *Ovidius* lib. 6. Fastorum:

Jure igitur virgo est, quæ femina nulla remittit,
Nec capit: & comites virginitatis amat.

Pertinent huc etiam reliqui versus *Ovidii* l. 1. de *Cybele* & *Vesta*:

Turrigera frontem Cybele redimita corona
Convocat æternos ad sua festa Deos.
Convocat & Satyros, & rustica Numina Nymphas,
Silenus quamvis nemo vocarat, adest.
Nec licet, & longum est epulas narrare Deorum,
In multo nox est pervigilata mero.
Dii temere errabant in opaca vallibus Idæ:
Pars jacet, & molli gramine membra levant,
Hi ludunt, hos somnus habet, pars brachia nectunt,
Pars viridem celeri ter pede pulsat humum.
Vesta jacet, placidamque capit secura quietem,
Sic ut erat positum cespite fulta caput.

Paulus Morsus per has *Nymphas* sumit Deas Præsides ruris, agrorum, fontium & nemorum: Unde facile intelligitur, cur hæ quatuor Imagines copulentur, cum eadem numina *Vesta* in suis celebritatibus habeat quam ipsa *Diana*. Ex hujus autem Lapidis Venatoriis Imaginibus (ut hoc etiam addamus) rationem nominis Wildberg / ubi hic repertus est, erui, quod sit quasi *Ferarum mons*, conji-

conjicit *M. Simon Studion* in Manuscripto alibi jam citato opere; de vera origine Sereniffimæ & Antiquiffimæ Domus *Wirtembergicæ*, cum venerandæ Antiquitatis *Romanis* in agro *Wirtembergico* conquifitis & explicatis monumentis pag. 48. Alter lapis qui huc pertinet, inventus eft in Monafterio *Mulbronna*, atque ex muro ibidem non procul a Templo avulfus, hodie confpiciendus quoque *Stutgardiæ* in dictæ Bafilicæ Turri fuperiori ad finiftram. Cui quatuor infculptæ funt Icones. Prima effigies iftius lapidis quadrati eft ipfius Deæ, quam Terram vocant, & quam ab ipfis *Germanis* cultam fuiffe, ex loco *Taciti* paulo ante citato conftat, in quo quidem *Simon Studion* l. c. pag. 51. pro *Hertbam* legit *Nertbum*, monens *Beatum Rhenanum* ibidem legendum putare *Herthum*, eo quod hodie *Germani* Terram *Herdt*, quidam abfque fpiritu Erdt & Erdtreich appellant, & facilem fuiffe errorem librarii inter H. & N. *Studion* autem loco citato utramque lectionem veram agnofcit. Cum enim inquit, Terra ut *Plato* in *Timæo* tradit, fit noftra altrix, Deorum antiquiffima ab alendo & fovendo commode nomen eft fortita: fovere enim & alere *Germanis* fonat Nehren: fotus & alitus idem quod & *Nertb*: unde recte *Plinius* lib. 2. cap. 63. hæc de ea infert: *Terra eſt, cui uni rerum Naturæ partium eximia propter merita cognomen indimus maternæ venerationis: ſic hominum illa, ut cœlum Dei, quæ nos naſcentes excipit, natos alit, ſemelque editos ſuſtinet ſemper, noviſſime complexa gremio, jam a reliqua Natura abdicatos, tum maxime ut mater operit.* Deinde focus fignificans *Germanis* ein Herdt / vel *Herth*, a fovendo fecundum *Nafonem* fic dictus lib. 6. Faftorum:

At focus a flammis, & quod fovet omnia dictus,
Qui tamen in primis ædibus ante fuit.

Et de hujus Deæ nomine proxime urbem *Martbachum* pagum effe *Herthumhauſen*, & caftrum *Hertneck*, nec procul ab hoc vicum frugum proventu, & agrorum fpatio infignem Kornwesten / a Dea *Veſta*, & adorea Korn / vocabulum trahentem, & a *Cerere* frugum præfide, frumentum, Korn / grana, Kern / dici, *Studion* quoque l. c. conjicit, ubi addit, cum Terra fit de qua ipfe Deus loquens: *Ecce* (ait) *dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & univerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, ut ſint vobis in eſcam, & cunctis animantibus terræ, omnique volucri cœli, & univerſis quæ moventur in terra, & in quibus eſt anima vivens, ut habeant ad veſcendum.* Genef. cap. 1. propterea Deam hanc Terræ apte in finiftra habere ciftam penuariam & promptuarium adapertum (ut confpicitur in ifto lapide) tamquam in eo recondita fint omnia, quæ humanæ vitæ ufus, & animantium reliquorum neceffitas requirit. In dextra gerit Imago ifta Globum Terræ, quæ pilæ fimilis. Columna autem (manca & attrita) ftabilitatem terræ, quæ ftat vi fua arguit. Ipfa terra, vel *Veſta*, tegitur palla facerdotali, quæ *Veſtalibus Romanis* ufitata, hoc in loco notat tegmentum Terræ, hoc eft omnium ex Terra nafcentium fœtuum germina, in ipfa fuperficie Terrarum prominentia, Telluremque quafi veftientia. Secunda Imago iftius lapidis *Palladem*, tam Belli quam artium, & fapientiæ, agricolarumque & ruris Deam, cum Galea, Hafta & Scuto, qualis etiam in Infignibus & Sigillo *Illuſtris collegii* hujus cernitur, continet. Agricolarum enim operis Terra culta fæneratur fuis donis, & bellorum patrocinio parta confervantur, ut artibus & prudentia eadem parantur & ufurpantur. Tertia Imago in ifto lapide cernitur ipfius *Cybeles*, de qua paulo ante dictum, quod cum Terra & *Veſta* fit eadem. Hanc autem tertiam Imaginem *Cybeles* effe, monere ait *Simon Studion* l. c. pag. 52. Leonem & cymbalum, crotalumve in finiftra. *Corybantes* enim *Cybeles* Sacerdotes,

tes, qui facro furore correpti erant, Cymbala pulſaſſe conſtat, capitaque ſaltando jactantes, alios in ſimilem rabiem egiſſe. Hinc, dicente *Strabone* lib. 10. qui capita ſaltando jactant, & aſpiratione Numinis furiisque agitantur, *Corybantes* appellamus, qui *Jovem* infantem finguntur aluiſſe, tympana jugiter pulſantes ac Cymbalis ſonantes, ne puerum vagientem *Saturnus* audiret. Leo autem ſacer erat ipſi *Cybele*, Leones enim hujus Deæ, quæ & *Mater Deûm* vocatur, currum trahebant, quia omnis (ut placet *Servio*) feritas maternæ affectioni ſubjacet, vel ut *Macrobio* placet, quia hæc Dea Terra eſt, quæ ab aere vehitur, quem continet cœli ambitus, cujus natura ſimilis eſt Leonum validorum animalium impetu ac fervori. De quo *Virgilius* lib. 3. *Æneid.*

Hinc Mater cultrix Cybele Corybantiaque æra
Idæumque nemus: hinc fida ſilentia ſacris:
Et juncti currum Dominæ ſubiere Leones.

Ovidius Libr. Metamorphoſ.

Dente premunt domito Cybeleja frena Leones.

Idem Lib. 4. Faſtorum.

Æra Deæ comites raucaque terga movent.
Cymbala pro galeis pro ſcutis tympana pulſant,
Tybia dat Phrygios (ut dedit ante) modos.
Deſierat: capi, cur huic genus acre Leonum
Præbeat inſolitas ad juga curva jubas.

Catullus: *Ubi juncta juga reſolvens Cybele Leonibus.*

Hæc *Cybele* in citato modo lapide alteri ſaltem inſiſtit pedi dextro, ut ſignificetur firmitas terræ, vel *Veſtæ*, quæ ſtat ſua non aliena vi: Ideoque ea omnium Elementorum firmiſſimum, ut Leo inter quadrupedes animantes fortiſſimus. Ignis enim, aer & aqua mobilia ſemper agitantur. Quarta Imago in iſto Lapide cernitur *Herculis*, quem etiam *Germani* coluerunt ut bellorum Præſidem, & cujus æreum ſignum ſeu idolum in vetuſto *Suevorum* Cœnobio *Augia* majori (in der Reichenaw) Inſula *Rhenana* ſervatum fuit quondam juxta *Conſtantiam* urbem, quod *Johannes Stabius* Hiſtoriographus juſſu *Maximiliani I.* Cæſaris tranſtulit ad *Oeniponτem*. *Hertum* autem Deam nomen quoque dare potuiſſe *Herthanis Miſniæ* populis (quos alii die Harten / id eſt duros, robuſtos, fortes, alii von Hart ſive Hartz appellant) *Albinus* conjicit in Chronico *Miſniæ* Tit. IV. pag. 45. 46. Si quidem iſtorum nomen apud antiquos Autores occurrat, & non fictum ſit ab *Garzone* in rebus *Saxonicis* & *Eraſmo Stella* in Commentariolo, von den Völckern und Geſchichten des Landes zwiſchen der Elb und Sala. Plura de *Cybele* & Terra Dea vid. apud *Lil. Gregor. Gyraldum* de Deis Gentium Syntagm. IV. pag. 134. & ſeqq. & de Dea *Herthum* vid. quoque *Kriegsmann.* in Conjectan. de Gentis *German.* Origine, cap. 30. noviſſime *Tubingæ* editis.

IX. Inter has Gentes referuntur quoque *Harudes*, a quibus Comitatum *Hardeccenſem* eſſe *Spangenbergius* inquit, aliis autem ex Eremo *Helvetiorum* illi fuiſſe videntur. *Ortelius* & cum illo *Jucundus Veronenſis* facit *Harudes*

populos *Trans-Rhenanos* in *Gallia Celtica*, vicinos *Sequanis*, ubi hodie *Costentz*, Gallis *Le pays à lentour de Constance*, scilicet totus ille tractus, qui trans *Rhenum* & lacum *Acronium* est situs, ubi *Buchornum*, *Mersburgum* ac *Überlinga* nunc positæ sunt, licet *Vignereus* de illis dubitet, num sint *Marudes Ptolemæi*, qui in *Cimbrica* Chersoneso *Phundusiis* magis orientales; quocum sentit *Hofmannus* in Lexic. h. v. *Julius Cæsar* lib. 1. Commentar. Bell. *Gall. Ariovistum Germanorum* Regem in Exercitu suo in *Gallia Harudes* quoque habuisse scribit, quem probabile est proximos sibi *Sequanos* in auxilium contra *Aeduos* vocasse, illos scilicet, qui inter *Mœnum*, *Danubium* & *Rhenum* amnes incoluerunt. Unde colligitur *Harudes* quoque finibus *Ariovistini* in *Germania* Regni, de quo statim infra plura dicentur, contentos fuisse. Hos autem deinde *Maroboduus* Rex *Suevorum* cum *Marcomannis* & *Sedusiis* ex antiquissimis ad *Rhenum* sedibus in *Bojobœmum* deduxit, novum ibi conditurus Regnum. *Harudes* autem quia postremi omnium in Galliam ad *Ariovistum* commigrarunt, teste *Cæsare* l. c. hinc postremos etiam atque remotissimos omnium fines domi in *Germania* eos coluisse existimat *Cluverius* in *Germ. Antiq. lib. 3. cap. 3.* ubi reliquum agrorum iis adscribit, quod a *Marcomannis* & *Sedusiis* inter *Mœnum* & *Danubium* ad *Nariscorum* usque confinium extensum fuit, terminum inter *Harudes* & *Nariscos* statuens juxta lineam, ab fontibus *Mœni* ad oppidum *Ingolstat* ductam, quibus finibns hodie continentur *Franconiæ* ac *Palatinatus* Superioris partes, cum agro *Noribergensi*, Item *Sueviæ* portio, qua oppida *Dünckelspüel* & *Nördlingen*. *Lazius* de migrat. Gent. lib. 9. pag. 643. in sexta *Marcomannorum* habitatione *Harudes* facit *Procopii Arborichos*, lingua *Teutonica* **die Harudenrichen** sive **Arüreichen**/ quos posteriora Secula *Armoricos* nominarint, quique deinceps pulsi a *Francis Belgicæ* littoralem oram occupaverint, ubi *Armorica* Provincia constituta. *Cluverius* vero l. c. lib. 3. cap. 30. pag. 116. putat *Harudum* nomen, postquam in *Bojæmum* commigrarint, in *Marcomannorum* appellationem transiisse, quia post ea tempora a nullo Autore memorentur. Primam autem hodiernæ Illustrissimæ *Hardecciæ* Familiæ originem refert celeberrimus *P. Bucelinus* Tom. III. *German.* pag. 74. una cum *Lazio* de Migrat. Gent. lib. 6. pag. 212. ad vetustissimam Familiam *Pruesbenkianam*. vid. Digniss. D. *Spenerus* lib. 3. cap. 22. Oper. Herald. part. Special. ubi etiam notat, Comitatum *Hardeck* in variis Familiis hæsisse. vid. idem in Theatro Nobilitat. *Eurcpeæ*, part. 2.

X. Spectant huc etiam *Hermunduri*, quos *Crusius* l. cit. quasi **Ermunderer**/ **Hertzmänner** aut **Heermänner** dictos putat, & incoluisse scribit triangularem Regionem, quæ intra *Albim*, *Salam* & *Bohemicos* (qui *Sudetes* dicuntur) montes sita. *Danubii* ripam descripturus *Tacitus* de Morib. *Germ.* hæc de *Hermunduris* tradit: *Propior* inquit *Hermundurorum Civitas, fida Romanis, eoque solis Germanorum, non in ripa commercium, sed penitus atque in splendidissima Rhetiæ Provinciæ colonia. Passim sine custode transeunt, & cum cæteris gentibus arma modo castraque nostra ostendamus, his domos villasque patefecimus non concupiscentibus.* Magnam fuisse *Hermundurorum*, quorum etiam meminit *Capitolinus* in *Marco* Imp. civitatem, a *Sala* confluente ad *Danubium* usque in longum provectam, verum hanc amplitudinem agrorum ab *Harudum* demum in *Bojobœmum* migratione cepisse, scribit *Cluverius* l. c. lib. 3. cap. 28. nam antea *Mœno* tenus porrectos *Hermunduros*, primo *Helvetiis*, dein *Harudibus Mœnum* inter *Danubiumque* incolentibus: fines autem *Hermundurorum* cis *Albim*, quos post *Harudum* migrationem habuerint, indicare *Vellejum Paterculum*, qui ipse sub *Tiberio* Duce hisce in oris militans, coram loca inspexerit, & hoc scriptum reliquerit: *Albis Semnonum Hermundurorumque fi-*

nes

nes præterfluit. Contineri autem hodie, etiam *Baudrando* consentiente, his finibus, *Anhaltini* Principatus, Ducatusque *Saxoniæ* portiones inter *Salam* atque *Albim*, *Voytlandiam* totam, *Coburgiensis* Ducatus partem, qua oppidum *Coburg*, dein *Brandenburgiensibus* Marchionibus subjecta oppida *Culmbach*, *Cronach*, *Pareut*, hinc *Franciæ* partem ad lævam *Mæni* ripam, qua oppida *Bamberg* & *Forchaim*, item *Palatinatus* Superioris exiguam portionem, qua urbs hodie *Germanicarum* nobilissima *Norimberga* cum agro suo, dein *Sueviæ* Ducatus portionem, qua oppida *Dünckelspübel* & *Nördlingen*, tradit quoque l. c. *Cluverius*. Quando autem *Tacitus* scribit: In *Hermunduris Albis oritur, flumen inclitum & notum olim, nunc tantum auditur:* errare tantum Scriptorem & verum *Albis* fontem ignorasse, audacter adfirmat l. c. *Cluverius*, multis & validis subnixus argumentis. *Albis* enim ortum scimus esse in extremis *Bojohæmi* versus Orientem æstivum finibus tractusque *Hercyniæ* Sylvæ, qui a Gigantibus nomen habet, in confinio *Silesiæ*, qua oppidum haud procul situm *Smideberg*, in valle, vulgo Teufels-Grund dicta, ubi ex monte, Cacodæmone Ribenzal infesto, profluit, qui vulgo vocatur das Riesen-Gebürge: longe ab iis finibus qui *Hermunduris* adsignantur, quos male etiam nonnulli ex *Eutropio Lygiis Ungariæ* proximos faciunt. De fonte *Albis* plura vid. apud *Ortelium* in Thesaur. Geograph. h. v. *Fabricium* in *Misnicis*. *Bohemi Albim* dicunt *Labe*, *Germani* Elve & Elbe / quod undecim significat, a tot fontibus, ut *Bohemi*, vel amnibus, ut *Saxones* volunt, in eum influentibus, unde vulgatus ille *Ossii* versiculus:

Nomen ab undenis fontibus Albis habet.

Vid. plura de his apud *Albinum* in Chronico *Misniæ* Tit. IV. pag. 18. & Tit. XXIV. pag. 322. & seqq. ubi etiam veterum Scriptorum *Taciti* & *Dionis* sententias de origine *Albis* conciliare studet, idemque de *Hermunduris* priscis *Sueviæ* populis & *Misniæ* incolis multa tradit l. c. tit. 2. 3. 12. 13. De *Hermundurorum* porro sedibus & habitationibus hæc scribit *Jacobus Schickfusius* in Chronic. *Siles.* lib. 1. cap. 1. pag. 5. Vorzeiten hielten die Hermunduri inne den dreyeckichten Platz zwischen der Elb und der Sala/ fast vom Ursprung der Elb an biß beede Wasser zusammen stossen. Dieser Platz wird jetzt Meissen genant von den alten Mysis, die sampt den Heneten sich dahin gesetzt. *Dilichius* in Chronic. *Hass.* p. 13. haud aliena his tradit: Hermunduri haben am rechten Ufer der Sala / wie die Catten gegen über am lincken Ufer gewohnt / darüber sie dann auch endlich der Saltz-Bronnen halber aneinander gerathen. Nach jhrem Abzug sind die Meißner daselbst ingewurtzlet. De *Hermundurorum* Metallurgia Argentaria vid. Dissertatio Excellentiss. D. *Rechenbergeri* Profess. in Acad. *Lipsiensi*, & de Spiritu in monte Gigantæo *Silesiorum*, vulgari nomine Rübezahl/ Disputatio Præcellentiss. Dn. *Frentzelii*, Facultatis Philos. in Acad. *Wittebergensi* Adjuncti.

XI. Recensentur in hac serie Populorum a *Crusio* quoque *Helvecones*, *Tacito* etiam memorati, *Mutio* dicti *Helvetiani*, sed vitiosissime, *Bartolino Elvones*. *Hofmannus* in Lexico h. v. vult *Plinio* appellatos *Hillleviones* lib. 4. ipse autem probat magis hos esse *Elvingonas*, a quibus *Prussorum* civitas dicta *Elvinga* existimari possit, *Ptolemæo Aelvaones*. Hos autem & *Helvecones* non fuisse in *Porussia* tradit *Hartknochius* part. 1. cap. 1. *Porussia* antiquæ & novæ p. 35. & part. 2. cap. 3. p. 379. ubi ab his quoque *Elbingæ* nomen removet & illos *Silesiæ* populos facit. Ab his autem *Crusio* & nonnullis aliis dicitur *Helvicia*, *Helvetia*, regio natura munita, in qua se antiquis temporibus hi

Suevi collocarint, nominati quoque olim *Alpmanna ab Alpibus*, quarum accolæ erant. Alpes vero hasce esse montes, qui a *Danubii* & *Nicri* fontibus in Orientem versus, juxta lævam *Danubii* ripam porrecti, etiam nunc vulgo dicuntur incolis **die Alben** / ad finem operis de *Germ. Antiq.* ostendit *Cluverius* lib. 3. cap. 48. Hi *Tacito*, *Plinio* & *Cæsari* dicuntur *Helvetii*, *Ptolemæo Elvetii* Ἐλουήτιοι, apud *Strabonem* geminato τ τ leguntur, populus qui *Galliam* olim & *Germaniam* incoluit, unde *Cæsari* contineri scribitur inter *Juram* montem, *Rhenum* & *Rhodanum* flumina, *Lemannumque* lacum: *Tacito* de moribus *Germanorum* inter *Hercyniam* Sylvam *Rhenumque* & *Mænum* flumina. Sed & *Quados*, de quibus infra, olim *Helvetios* dictos *Eutropius* notat; qui & *Helvetios* dictos postea *Sequanos* observavit. Sed & *Ptolemæi Helvetiorum* Nemus & *Eremus*, ἡ τῶν Ἐλουητίων ἔρημος, sub *Intuergis* & *Caritnis Peucero* & *Althamero* putatur *Martiana* Sylva in *Germania*, vulgo **Schwartzwald** / ex quo Nigram Sylvam fecerunt Latini juniores, circa *Nicri* nostri *Danubiique* fontes. *Cluverius* autem l. c. lib. 3. cap. 2. *Helvetiorum* desertum ad Septentrionale *Alpium* latus ponit, & satis longe illos errare dicit, qui id interpretentur *Martianam* Sylvam, *Marcellino* ac Tabulæ Itinerariæ memoratam, quæ supra fontem *Danubii* ex occasu æstivo in ortum hybernum ad lacum *Brigantinum* porrigatur. *Hofmannus Helvetiorum* Eremum Regionem ait videri inter *Hercyniam* Sylvam, *Rhenumque* & *Mænum* amnes *Helvetiis* habitatam, hos enim in *Germaniam* colonias misisse. Hodie *Helvetii*, *Suiceri* a pago *Suitio*, & ab hoc regio *Suitia* dicitur, quam *Alemanni* inter *Rhenum*, *Mænum* ac *Danubium* loca tenentes, tandem quoque post tempora *Honorii* Imperatoris occuparunt & *Germaniæ* corpori adjecerunt, Ducibus suis subjectam, donec in libertatem se vindicavit. Hodie est finis *Sueviæ* versus meridiem. Bene autem *Hofmannus* quoque in Lexico h. v. *Helvetios* duplices facit: antiquiores, quorum præfati Authores, ut & *Cicero*, *Plutarchus*, *Strabo*, *Florus*, &c. meminere, *Græcis* Ἐλουήτιοι vel Ἐλβήτιοι: & recentiores, qui in priorum locum successerunt. Seculo enim post *Christum* natum tertio *Alemanni* irruptione facta Urbes *Helvetiorum* diruere, a *Constantino Chloro* ad *Vindonissam* repressi, qui iterum dein a *Constantino*, *Juliano*, *Valentiniano*, *Gratiano* rem gerentes, *Helvetiæ* partem occuparunt, & in eandem cum *Helvetiis* gentem, quibus & mores & sermonem miscuerunt, coaluere. Et hi recentiores *Helvetii*, *Suitones*, *Suiceri* dicuntur, an a *Vitis*, Gente Aquilonari, an a *Suecis?* an potius a pago *Suitia*, in quo Confœderationis initium factum, quærit *Hofmannus* l. c. ubi amplius videatur, determinans inter alia fines hodiernæ *Helvetiæ*, inter montem *Juram*, Lacum *Genevensem*, *Italiam* & *Rhenum*, quem a Septentrione habet, ab egressu Lacus *Cellensis* ad *Rauracos* usque, paucis exceptis, ab Oriente *Sueviæ* partem, Comitatum *Tirolis* & partem aliquam ditionis *Venetorum*, a meridie *Bergomates*, *Mediolanenses* & *Pedemontanos*, ab occasu *Sabaudiam*. Sed de priscis *Helvetiis* illorumque sedibus & Regione, item nomine & tota adeo *Helvetia*, vide plura apud *Stumpffium* in Chronico *Helvet.* lib. 4. per tot. ubi cap. 2. longe aliam nominis rationem dat, quam *Crusius* & cap. 22. *Helvetiam* partem facit *Alemanniæ* & cap. 26. *Helvetiam* inter *Burgundos* & *Alemannos* divisam refert. Scripserunt autem veteres Cosmographi, teste *Münstero* lib. 1. pag. 37. quod *Helvetii* olim incoluerint terram, quæ est juxta ortum *Danubii*, appellaveruntque habitationem eorum Heremum *Helvetiorum*; nostro vero tempore inhabitant *Alpium* montes. Plura de *Helvetia*, quæ hodie *Suicerorum* seu Confœderatorum Regio, prima Occidente & Oriente *Germanicæ* Nationis Provincia, *Galliæ* & *Italiæ* vicina, vide apud eundem *Münsterum* in Cosmographia lib. 3. pag. 318. seqq. ubi etiam qualiter ante natum Christum *Cimbri* Populi *Germaniæ* in *Helvetiam* venerint, explicat.

Videatur quoque *Franciscus Guilemannus* de Rebus *Helvetiorum*, ubi habentur quoque elogia hujus gentis ex Scriptorum veterum recentiumque testimoniis, quæ nunc haud accumulamus, & de iisdem *Cluverius Germ. Ant.* lib. 2. cap. 4. & lib. 3. cap. 2. ubi plura de finibus, civitate, pagis, oppidis, & claritudine hujus Gentis. De qua vid. quoque præter *Hottingerum*, *Lazius*: item *Stettleri* & *Suiceri* Chronic. *Helvet.* ut & *Joh. Bapt. Plantini Helvetia* nova & antiqua. *Helvetii* autem isti intra *Galliæ Belgicæ* fines positi *Rhenum* olim transgressi, proximos *Germaniæ* agros cum obsederint, credibile est, illos has quoque *Wirtembergiæ* partes incoluisse, quæ juxta ripam *Danubii* extenduntur & jugo illo continentur, quod ab *Abnoba* monte & *Nicri* fonte initium sumens, inter *Danubium* & *Nicrum* porrigitur, versus *Brentium* fluvium, complures fundens amnes, quorum alii in *Nicrum*, alii in *Danubium* delabuntur, cui Tractui hodieque nomen *Alpium* manet, ipsa regio **die Albe/** & inter duo oppida *Uracum* & *Blabyram*, utrumque *Wirtembergicæ* ditionis, **Die Rauhe Albe.** vid. Rev. Dn. M. *Joh. Mayeri* Pastoris *Dufsling*. **Beschreibung des Erdbruchs bey Blaubeyren/** adjuncta descriptioni Cometæ Anno 1680. De tempore autem quando *Helvetii* pulsis *Germanis* loca ista invaserint, ex auctorum lectione hæc colligit *Cluverius* l. c. lib. 3. c. 2. factum id eodem circiter tempore, quo *Boji Bojobæmum* occuparunt, *Prisco* scil. *Tarquinio Romæ* regnante, id est, circa annum ab urbe condita CL. ante natum *Christum* DC. Quamdiu autem *Helvetii* dictas sedes tenuerint, item a quibus populis pulsi, in quas terras migrarint, prorsus incertum esse scribit *Cluverius* l. c. ubi tamen conjicit, pulsos forte fuisse a *Germaniæ* Gentibus, *Marcomannis*, *Sedusiis*, *Harudibus* atque *Nariscis*, quarum priores tres ante *Julium Cæsarem* eadem coluerunt loca. *Hadr. Valesius* in Notit. *Gall. Helvetios Belgicam* Gentem, olim Provinciæ *Maximæ Sequanorum* attributos, postea sub *Merovei* posteris amisso priori nomine in duas partes divisos scribit, quarum altera, pagus scil. *Tigurinus* inter *Rhenum* & *Ursam* fluvium, ab *Alemannis* occupata & Ducatui *Alemanniæ* seu *Sueviæ* adscripta sub *Austrasiæ* Regibus, altera ab *Ursa* ad *Rhodanum* & montem *Juram* pertinens, pagus *Transjurensis*, *Sequanis* cæterisque *Gallis* dicta, *Burgundiæ* Regibus attributa fuerit. Exeuntes autem ad Imperium totius *Galliæ Celticæ* occupandum *Helvetii* finibus suis a *Cæsare* devicti & sub jugum Imperii Romani redacti, memoria magis antiquæ gloriæ, quam novis gestis deinceps claruerunt, donec *Alemanni* posterioribus Seculis solum eorum invadentes, postremum ex ipsa *Germania* profecti, *Helvetium* agrum occuparunt, quem in hunc usque diem tenent. De *Helvetiorum* Republica plura vid. apud *Simlerum* & *Danielem Eremitam* in Epistola ad D. *Ferdinandum Gonzagam Mantuæ* Ducis filium. Addatur his *Disputatio* nostra prior, ejusdem cum hac argumenti Thes. XXI. & XXXIII. Hæc autem de *Helvetiis* licet sint vera, hoc tamen notari adhuc potest, *Crusium* l. c. non bene inter *Helvecones* mentionem facere *Helvetiæ*. *Tacitus* enim *Helvecones* refert ad *Lygios*, qui alii ab *Helvetiis*, ut statim apparebit Thes. seq. XII. *Helveconum* autem sedes in *Poloniam* majorem collocat *Schickfusius* in Chronic. *Siles.* lib. 1. cap. 1. p. 6. extremos versus Septentriones proximosque *Burgundionibus* ex positione *Ptolemæi* collocat *Cluverius* l. c. lib. 3. cap. 33. p. 127.

XII. Sequuntur apud *Crusium* l. c. *Ilingi*, *Ptolemæi* ἰλιγγαι, quo loco quidam Interpretes *Lineæ* substituunt. Hos *Crusius* collocat juxta *Ilinburgum*, nunc *Eilenburgum*, quod est oppidum ad *Muldam*, & ab illis, nescio qua fide, ortum putat *Ilingicum* in *Suevia* Comitatum, postea *Dillingensem* dictum, hodie *Augustani* Episcopi sedem, de cujus Comitibus vid. *Lazius* de Migrat. Gent. lib. 8. p. 534. seqq. Ab *Ilingis* quoque priscam arcem *Ilfeldam*,

feldam, in Monasterium postea mutatam, forte conditam, fluviumque *Ilerum* ab ipsis nominatum conjecturari audet idem *Crusius* l. c. addens tamen, *Ilingos Peucerum* pro *Elysiis Taciti* habere, nec posse nos illa exacte post tot Seculorum decursum scire, quæ externis Scriptoribus ipsis non satis nota erant, nostros autem antiquissimos Majores literarum rudes nihil scripsisse. *Ortelius Ilingas* (ita enim vocat) populos in *Germania* facit circa *Silesiam*, & ab his, & sono & situ, haud longe abesse oppidum *Liguitz* inter *Görlitzium* & *Uratislaviam*, scribit in Thesauro Geographico. De *Ilingis* porro hæc tradit *Albinus* in Chronico *Misniæ* Tit. IV. pag. 49. Es haben auch Theil der Suevorum Ilingæ geheissen/ welcher Ptolemæus gedenckt / und sie nach den Semnonibus oder Senonibus setzt/ von denen gehalten wird / daß es deß Taciti Elysii seyn/ so er unter die Lygios als ein Hauptvolck der Suevorum rechnet. Diese werden von etlichen Scribenten an die Milda und umb die Statt Ilinburg oder Eilenburg (welche von ihnen soll benennet seyn) gesetzt. Andere aber/ so beym Ptolemæo näher bleiben/ setzen sie an die Elbe und Schwartz-Elster/ als die sie/ wie gesagt/ für einerley mit den Elysiis halten/ welche biß an die Lygios gewohnet/ auff welche Weiß sie etwas ausserhalb Meyssen gesessen wären/ nämlich an dem Ort/ da jetzt Laußnitz ist/ als zwischen der Elster und Spree/ da Curæus die nider und mittel Schlesien dazu thut/ oder villeicht besser hinunter. Sarcerius schreibt hievon also: Tractus veterum Ilingorum hodie Lausnicia vocatur. . Et pag. seq. Sonsten was der Statt Ilenburg Namen belanget / weiß ich wol daß er gemeiniglich von Namen Julio von etlichen derivirt wird/ daher sie sonderlich das Schloß (welches eigentlich Ilenburg / und die Statt Miltenaw heissen soll) arcem Juliam nennen / als welches vom Julio Cæsare erbauet seyn soll. Andere tichten auch/ es sey von einem Kriegs-Fürsten oder Grafen Ilba genannt/ erbauet/ denen Garzo gefolget / welchs so wenig Grund/ als vom Julio/ welcher nie so fern kommen. Wenn man nu bey dem Teutschen Wörtlein Eilen/ festinare, oder Eule/ noctua, nicht bleiben will/ davon ich einem jeden sein Gutgedüncken lasse/ weil es die Alten Ilinburg schreiben/ wird es nicht übel von diesen Ilingis, so auch vom Eylen/ wie etliche wollen/ genennet gewesen/ können gezogen werden/ wiewol auch von einer andern Meinung/ das sie von einem Ilone erbauet/ anderst wo mehr zu melden. Plura de Comitatu *Eilenburgico* vid. apud eundem Authorem l. c. Tit. XV. pag. 187. 203. De *Ilingorum* autem Sedibus hæc tradit *Schickfusius* in Chronic. *Silef.* lib. 1. cap. 1. pag. 6. Nach den Senonen/ das ist/ nach der Marck Brandenburg/ setzet er (Ptolemæus) die Ilingos (welches auch Elysier seynd) an dem Ort/ da jetzt das Mittel- und Nider-Schlesien/ beyde Ober- und Nider-Laußnitz ist / biß an die Spree und Ister ꝛc.

XIII. *Juthingos*, sive *Jutungos* in *Tyrolensi* Comitatu cum *Spangenbergio* ponit *Crusius* l. c. *Ortelius* ex *Suida* nomen Gentis facit, quæ *Istrum* trajecit, quorum meminit D. *Ambrosius* in Epistolis & *Ammianus Marcellinus* Lib. XVII. Histor. vocatque *Alemannorum* partem *Italicis* conterminam tractibus. Eosdem *Vitungos* putat *Ortelius* in Thes. Geogr. ab *Eumenio*, & *Vithungos* a *Sidonio Apollinari* in Panagyrico vocatos, item *Virtunguos* corrupte a *Pollione* in *Aurelio*, quos hodie *Wirtembergenses* quoque cum B. *Rhenano* facit *Hofmannus*. qui vid. in Continuat. Lexic. h. v.

XIV. *Lygii*, *Ligii* & *Luii* magna *Germaniæ* Gens, a *Maroboduo Suevorum* Rege domita, inter *Viadrum* fluvium *Bohemiæque* montes, & circa *Uratis-*

rutislaviam ac *Lignicium*, partimque trans *Viadrum* in *Polonia* juxta *Gnesnam* & *Posnaviam* a *Crusio* quoque inter *Suevos* l. c. ponuntur. *Willichio* sunt, die Schlesier, *Andreas Vellejus* Lohgland Insulam *Baltbici* maris interpretatur. *Lygios* autem inter *Suevos* quoque comprehendit *Tacitus*, & eosdem ad *Silesios* refert *Schickfusius* l. c. lib. 1. cap. 1. pag. 6. & cap. 2. pag. 10. Fuerunt autem *Lygii* a latere *Osorum Buriorumque*, quorum omne solum ultra *Germanorum* nomen a *Lecho* quondam occupatum, immigrantibus *Slavis* nunc *Poloni* colunt. De illis hæc *Tacitus*: *Dirimit scinditque Sueviam continuum montium jugum, ultra quod plurimæ gentes agunt: Ex quibus latissime patet Lygiorum nomen, in plures civitates diffusum; valentissimas nominasse sufficiet, Arios, Helveconas, Manimos, Elysios, Nabarvalos.* Et postea ibidem de moribus *Germanorum*: *Trans Lygios Gothones regnantur.* De *Lygiis* autem, quorum nomen varie scriptum reperitur, plura vid. apud *Cluverium* in *Germ. Antiq.* lib. 3. cap. 33. *Hofmannum* in Lexic. h. v.

XV. *Lemovii Germaniæ* populi, *Tacito* quoque nominati, *Crusio* & *Curæo* in *Livonia* ponuntur, *Ortelio* autem sunt *Megapolitani*. De his *Tacitus* in libro de *Germania*: *Protinus deinde ab Oceano Rugii & Lemovii, omniumque harum Gentium insigne, rotunda scuta, breves gladii & erga Reges obsequium.* Porrigebantur ergo, inquit *Cluverius* l. c. lib. 3. cap. 35. *Rugii* atque *Lemovii* in littore maris *Suevici* inter *Gothones* & *Viadrum* amnem, includitque *Cluverius* l. c. *Lemoviorum* finibus nunc magnam *Cassubiæ* partem, in cujus medio oppidum *Lewenborg* sive *Lawenborg*, item *Pomeraniæ* proximam portionem, qua oppidum *Stolpe*, & miratur idem Auctor apud nullum alium Auctorem reperiri *Lemoviorum* nomen, cum tamen solos hos in communi Gentium Septentrionalium commigratione quievisse non sit credibile. An vero sint *Linones* Helmoldi vel potius *Luinones*, incerta esse videtur conjectura *Hofmanni* Lexic. h. v.

XVI. *Marsingi* vel *Marsigni* ad *Sarmaticos* montes circa Comitatum *Zipsensem* a *Crusio* referuntur. Hos *Germaniæ* populos quoque refert *Tacitus*, & *Althammerus* eosdem putat *Marvignos Ptolemæi*, consentit *Cluverius* l. cit. lib. 3. cap. 32. p. 126. ubi ultra *Osos* inter *Bojohæmum* & *Lygios* refert *Marsignos*, proximos hos faciens *Marcomannis* ad *Viadrum* usque, contineriquc ait illorum finibus hodie celeberrimam totius *Silesiæ* partem, qua oppida nobilissima *Neisse*, *Münsterberg*, *Grotka*, *Brige*, *Olaw*, *Sweinitz*, *Strige*, *Lignitz*, & ipsum totius *Silesiæ* caput *Breslaw*, prætereaque Comitatum *Glacensem*. *Schickfusius* in Chronico *Silesiæ* l. 1. c. 1. pag. 6. post *Quados* inter populos ad montem *Carpathium* ponit *Marsignos*, scribens: Hinter diese/ nach Auffgang unter dem Berg Carpatho, setzen Tacitus und Ptolemæus andere Völcker / die geringer und unnahmhaffter seyn als die Teutschen / darunter doch auch Schwaben oder Suevi untergemengt / von denen nennen sie die Marsignos. De Comitatu vero *Glacensi* vid. *Schickfusius* l. c. lib. 2. cap. 30. & alibi. Et de eodem variisque mutationibus circa eum vid. D. *Spenerus* in Oper. Herald. part. Spec. lib. 3. cap. 22. §. 5. & cap. 30. §. 33.

XVII. *Manimos*, *Tacito* quoque nominatos, in extremis *Austriæ* finibus ponit *Crusius*, *Peucerus* illos cum *Ariis* locat, ubi *Curetes* hodie & *Samogethi*, *Lazius* ubi Manhartsperg hodie inter *Hercyniam* Sylvam & *Danubium*: Esse qui horum nomen in *Mone* Insula *Daniæ* superesse putent, & inter hos *Andream Vellejum* in Chronico *Daniæ*, scribit *Ortelius* in Thesaur. Geograph. h. v. Quid de *Mansfeld* veteri *Saxoniæ* Castello & postea Comitatu a

Manimis derivando sentiendum, *Hofmanno* relinquimus. Eidem *Crusio* l. c. *Marsaci* vel *Masaci* corrupte, *Plinio Marsatii*, viri bellicosi juxta *Mosam* ad *Trajectum* & *Maseckum* dicuntur, adstipulante quoque *Huberto Leodio*, cui tamen minime assentitur *Petrus Divæus*, neque injuria, ut præter *Cluverium* sentit *Ortelius*, *Marsacos* enim *Plinium* inter *Helium* & *Flevum Rheni* ostia, describere ait, creditque idem *Ortelius* Marsen pagum, qui milliare distat ab *Ultrajecto*, istorum nominis memoriam conservare. Alii, ut *Hieronymus Verrutius* & *Hadrianus Junius* in alias *Hollandiæ* Septentrionalis partes illos contulerunt. *Cluverius* quidem in *German. Ant.* lib. 3. cap. 11. p. 43. de *Marsacis* non temere quidquam credit, *Caninefatibus* tamen *Batavorum* Insulam colentibus confines fuisse, consentiente quoque *Baudrando* audacter ex *Tacito* & *Plinio* adfirmat, illorumque Regionem nunc dici *Velaviam*, vulgo de *Veluwe*, partem *Geldriæ*, oppidaque in ea sterni apud dextram *Rheni* ripam, *Arnhem*, *Wageninge*, *Rhenen*. *Marsacorum* autem Gentem partem quondam fuisse *Marsorum* (qui inter antiquissima *Germanorum* nomina relati) digressu horum divulsam, suisque in sedibus relictam, credit *Cluverius* l. c. ubi occasionem istius digressus & plura de *Marsis* scribit.

XVIII. *Mattiarios* domicilium olim in *Hassia* habentes, refert quoque *Crusius* l. c. qui *Tacito* sunt *Galliæ Belgicæ* populi, sed ultra *Rhenum*. Liber Notitiarum illos *Batavis* quoque subjungit, neque alios quam *Selandos*, Insulas aliquot *Oceani* inter *Hollandiam*, *Flandriam* & *Brabantiam* incolentes, cum *Lemnio* & *Junio* accipit *Ortelius*, atque vetus nomen a *Mattiaco Cattorum* loco originem habere suspicatur, addens *Mejerum* quoque audere *Mattiacum Middelburgum* interpretari, primariam istius Gentis in his Insulis u bem, quasi *Mattiaburgum*. Alias *Mattiacum* Ματτιακόν, alia *Germaniæ* urbs *Ptolemæo*, *Tacito Mattium*, quam *Cattorum* caput vocat, cujus situs, ut *Ptolemæus* illam describit, congruit cum *Marpurgo Hassiæ* urbe primaria, ubi Academia, neque nominis allusio adeo dissona est. *Mattiacos* fontes, de quibus vid. *Dilich.* in Chronic. *Hass.* p. 23. 75. quoque habet *Plinius* in *Germania*, & *Mattiacas* Aquas, quæ nunc vulgo vocantur *Wisbaden*, *Marcellinus*, & *Mattiacos* populos *Tacitus*. *Cluverius* autem in *Germ. Ant.* lib. 3. cap. 7. vulgus Geographorum hujus ævi *Selandicas* Insulas quondam *Mattiacorum* incoluisse gentem ingenti errore, quo summi etiam viri impliciti fuerint, statuere scribit, & veram *Mattiacorum* sedem ibidem discutit, inque *Germania* haud *Gallico* solo, quærit: quia & ipsi *Mattiaci*, *Cattorum* pars, (qui tamen non adeo malo nomine *Suevi* dicti, ut putat *Cluverius* l. c. cap. 5.) pulsis *Ubiis* agros eorum obsidentes, quorum finibus nunc tota *Weteravia*, cum portiuncula *Hassiæ*, qua oppidum *Marpurg*, continetur. Quando autem novum hoc *Mattiacorum* nomen adsumpserit pars illa *Cattorum* in *Ubiorum* agros digressa, inquirit loc. cit. cap. 7. *Cluverius*, ubi suspicatur, Societatis *Romanæ* acceptionem, initium atque causam dedisse mutationi nominis, & plura de *Mattio Cattorum* & *Mattiacorum* postea principe loco, a quo nunc oppidum *Hassorum Marpurg*, adstipulante quoque *Baudrando* ibidem scribit, quibus addatur *Dilichius* loc. cit. pag. 99. & seqq. *Hofmannus* in Lexic. h. v.

XIX. Memorantur quoque *Crusio l. c. Mugillones*, nomen dantes fluvio *Mugel*, qui in *Danubium* influit. Hos inter *Germaniæ* quoque populos, quos *Maroboduus Suevorum* Rex sibi subjecit, narrat *Strabo* lib. 7. Geograph. In *Austria* ad torrentem *Mübel* habitasse scribit *Lazius*, & cum illo sentire videtur *Hofmannus* h. v. *Nabarvalos* autem quod attinet, quos *Crusius* l. c. circa *Revaliam* & *Narvam Livoniæ* incolentes facit, illi inter *Germaniæ* Populos *Tacito*

Tacito quoque memorantur. *Nuitbones* porro *Tacito* quoque memoratos *Germaniæ* Populos, *Crusius* l. c. collocat ad *Burgundiæ* fines, unde nomen *Nuithlandiæ* (*Uchtlandiæ*) *Bernatium* & *Friburgensium* Regionis. Consentit *B. Rhenanus*, illorum quoque Regionem vocans **Nuithland** / quæ est in *Helvetia*. Ex *Nuitbonibus* autem *Taciti Peucerus* facit *Gythones Ptolemæi*, quod si verum, longissime hi ab *Helvetia* hodie distabunt, inquit *Ortelius* in Thesaur. Geograph. h. v. *Cluverius* lib. 3. cap. 27. de *German. Ant. Nuitbones* refert inter septem illas Nationes ad mare usque *Suevicum* protensas & unum inter se corpus constituentes, quales erant *Deuringi*, *Caviones*, *Angli*, ultimi *Suevorum* atque infimi ad *Albim*, *Varini*, *Eudoses*, *Suardones* & hi ipsi *Nuitbones*, quibus reliquum agrum dari posse inter *Suardones*, *Deuringos*, *Longobardos* ac *Suevum* sive *Viadrum* fluvium, ubi nunc pars *Brandeburgiensis* Marchiæ, qua oppida *Prentzlow*, *Angermünd* &c. *Meckelburgiensis* etiam Ducatus portio, item *Pomeraniæ* pars scribit *Cluverius* l. c.

XX. *Nariscos*, quorum apud *Tacitum* quoque, ut & *Ptolemæum* ac *Strabonem* inter *Germaniæ* populos mentio occurrit, *Crusius* l. c. una cum *Aventino* interpretatur **Nortgöwer** & *Vogtlandiæ*, *Egerlandiæ* partisque *Bavariæ* incolas facit; quoad *Bavariam* consentit quoque *B. Rhenanus*, quoad *Vogtlandiam* sive Advocatorum terram, *Georgius Fabricius* cum *Willichio*, & sic quoque, teste *Ortelio*, *Joachimus Cureus*, qui hanc eandem quondam *Meraniam* vocatam dicit. Apud *Ptolemæum* autem vocabuluu Ουαριςοὶ corrigendum esse in Ναριςκοὶ monuit *Willichius*, & idem facit *Cluverius* lib. 3. c. 29. *Germ. Ant.* ubi plura de vocabulo Gentis hujus observat, & *Nariscos* quoque in ripa *Danubii* inter *Hermunduros* ac *Marcomannos Suevos*, qui *Bojobæmum* incoluerunt, ponit, limitesque horum fuisse scribit a meridie *Danubium*, ab *Aeni* confluente ad *Ingolstadium* usque, ab occasu, lineam hinc ad *Mæni* fontes ductam, ab ortu æstivo, *Bojohæmicos* montes ac saltus. *Nariscos* autem *Gabretæ* sylvæ junctos *Suevos* vocat *Strabo* lib. 7. Geograph. ubi *Suevorum* sedes recenset, & has inter *Hercynium* quoque saltum, quem *Suevi* tenebant, *Marcomanni* & *Quadi*. *Nariscorum* vero caput censent nonnulli *Egram*, quæ priscorum *Suevorum* portio, imo & posteriorum, ut *Hofmannus* in Lexico h. v. scribit: *Cothofredus* enim *Monachus Anno Domini*, inquit, *MCXX. Henricus Rex natale Domini in Suevia apud Egram agit.* Et ex finibus *Nariscorum Mænum* oriri, Author Itiner. *Germ.* lib. 4. notat. *Gabreta* autem Sylva est, quæ hodie partim *Thuringicus* partim *Bojobæmicus* vocatur saltus, in cujus jugo Pinifero oritur *Navus* amnis, *Nariscos*, quorum nomen fortassis inde quoque derivatur, interfluens & *Danubio* se jungens. Includere autem nunc dictos *Nariscorum* fines *Palatinatum* Superiorem a *Vindelicia Danubio* divisum, qui & *Bavariæ* Palatinatus, & cujus caput *Amberga* (hodie Ducatus titulo insignis) dicitur, deinde Landgraviatum *Leuchtenbergicum*, qui ipse jam *Bavarici* juris scribit *Cluverius* l. c. vid. Lineamenta Historiæ de Terra Advocatorum sive **Vogtland** *M. Ebrenfr. Dürrii*, ubi plura de *Nariscis* cap. 1.

XXI. *Osos*, *Tacito Germaniæ* Populos, forte *Ostner*, Australes dictos putat *Crusius* l. c. allegans juxta *Andream Althammerum*, qui *Osos* eam *Germaniæ* partem incoluisse scribit, quæ est *Moraviæ* vicina, *Silesiam* & *Poloniam* versus, ubi *Oppel* & *Neussa* urbes sunt: idem tamen *Althammerus* postea scripsit, *Osorum* reliquias adhuc hærere in ripis *Albis* fluvii. *Erasmus Stella* autem cum *Sarcerio* & *Mat. Mathesio* autumat, *Misnensium* oram *Ostland* & urbem *Ostitium* (**Oschitz**) ab *Osis* appellatam. Quibus contrariatur *Albinus* in Chronic. *Misn.* Tit. XIV. p. 181. ibi: **Aber wir ziehen des Landes Namen von den Völckern/ so**

so Osi genant / nicht her / weil wir ein bequeme Deutsche Derivation haben. So ist der Statt Oschitz Namen ohnzweiffel Wendisch / wie andere dergleichen. *Hofmannus* in Lexic. h. v. *Osenfurtum* hinc *Franconiæ* forte dictum, nescio quam certe, conjicit. *Reineccius* Osenburg *Westphaliæ* ab his conjecturatur, quasi *Osorumburgum* dici. *Georgius Bruno* ex sententia *Henrici Ranzovii Osos* Insulam *Osel*, quæ est in *Suevico* mari, habitare scribit. *Tacitus*, referente *Ortelio*, incertum esse scribit, an *Osi* ab *Aravifcis*, an hi ab illis in *Pannoniam* migraverint. *Cluverius* lib. 3. cap. 32. *Osos* atque *Gothinos* proximos fuisse *Sarmatis Jazygibus* & item *Quadis*, inde judicat, quia ab utrisque his tributa illis imponebantur, *Gothinos* tamen qui *Marcomannorum* terga claudebant, citeriores Danubioque propiores censet, quia *Tacitus* ferrum fodisse eos tradat, scilicet sub *Hercynio* saltu, id est, *Bojohæmo*, ubi ferrifodinæ, teste etiam *Ptolemæo*. *Lazius* hinc *Gothinos* vult esse, qui hodie Kuttenberg *Bohemiæ* urbem incolunt, ubi argentifodinæ, in sua *Austriæ* Tabula, quam propria manu æneis laminis cælavit. *Cluverius* autem sub *Quadis* versus Orientem intelligendas esse istas fodinas scribit, nullasque alias esse, quam quæ in montium *Sarmaticorum* jugo, inter *Mari Tejæque* confluentem, & oppidum *Twardoscyn* extenso. Recte autem tributa *Gothinis* & *Osis* imposita fuisse a *Quadis* & *Sarmatis* dicit *Cluverius* l. c. quia utrisque fuerint contermini, & quia hac conditione solum id obsederint alienigenæ, qui quia *Gallici* juris, haud dubitat *Cluverius* quin pars fuerint *Bojorum*, a *Marcomannis* antiqua sede *Bojohæmo* pulsorum: Contineri autem nunc hisce finibus *Poloniæ* particulam, qua oppida *Twardoszyn*, *Jablakow*, *Skoczow* &c. & *Silesiæ* item portiunculam, qua oppida *Teschen*, *Freistat* &c. item *Moraviæ* partem. Hinc apparet, qua ratione *Crusius Gothinos* apud *Dantiscum* ponat, male scil. recte tamen *Taciti* tempore *Gallica* lingua illos usos, & tunc non *Germanos* fuisse, ibidem notat. Si autem, ut *Crusius* ibidem meminit, iidem ex prosapia sunt *Gothorum*, *Germani* omnino essent. Qui vero *Gothinis Gothones* adjungunt, male faciunt, nam hi ab illis diversi. vid. *Cluver.* l. c. lib. 3. cap. 34. qui cap. 32. pag. 126. *Osos Gothinis* a Septentrionibus continuat, ad utramque *Viadri* ripam satis late incolentes & longius a *Sarmatis* sitos, tributa a *Quadis* tantum patientes, quorum finibus nunc contineatur *Silesiæ* pars, qua præcipua oppida *Oppelen*, *Klein-Glogaw*, *Ratibor*, *Troppa* &c. dein *Poloniæ* oppida *Dlugoszyn*, *Olsztyn* &c. locumque hoc tractu *Ptolemæo* referri Ναρίσκαν, *Pariennam*, qui hodie haud procul *Viadri* fonte, quo *Baudrandus Osos* collocat, vulgo dicatur *Parn*, *Moraviæ* oppidulum. Gemina his idem tradit *Cluverius* in Introduct. Geograph. lib. 3. cap. 3. ibi: *Osi Moraviæ ac Silesiæ partes coluere inter oppida Ostram & Oswieczim, quorum hoc Vistulæ, illud Maro impositum. Infra hos fuere Gothini, itidem Silesiæ partem, inter Mari Vartaque fluminum fontes, colentes.*

XXII. Proximi his a *Crusio* nominantur *Quadi* bellicosissimi *Germaniæ* Populi, quos ille partem *Moraviæ*, *Silesiæ* & *Poloniæ* circa *Cracoviam* & *Pertercoviam* tenuisse, & ab his *Quedelburgum* appellatum esse scribit. De cætero *Saxones* adhuc malum & molestum hominem *Quadum* vocare. *Quadorum* autem inter *Germaniæ* populos mentionem olim fecerunt *Arrianus*, *Strabo*, *Ptolemæus*, *Tacitus* & alii: Et *Tacitus* quidem, juxta *Hermunduros*, inquit, *Narisci, ac deinde Marcomanni & Quadi agunt. Eaque Germaniæ velut frons est.* Ferri autem istas secturas fuisse in eo montium jugo, quod a *Moraviæ* oppido *Ostra* & fluvius *Moravia* ad *Vistulæ* fontem procurrit, *Hofmannus* scribit in Lexic. h. v. Hos *Quados* autem *Austriacos*, vulgo Oesterreich / quondam putare, scribit *Ortelius* in Thes. Geogr. *Dubravius* facit *Silesios*. *Aventinus* Marckfelders *Austriæ* tractus populos vocat. *Eutropius Quados* quondam, *Helve-*

Helvetios dictos esse inquit. Ex *Eutropio* vero *Schickfusius* in Chronic. *Siles.* lib. 4. cap. 8. pag. 44. notat, *Quados* a Septentrione in *Helvetiam*, & hinc in *Galliam* ante tempora *Julii Cæsaris* tempore motuum *Cimbricorum* profectos. *Stumpffius* vero in Chronic. *Helvetic.* lib. 2. cap. 4. pag. 22. *Quados* habitasse dicit ad Sylvam *Hercyniam* sive *Bohemicam* in Regione *Kalmintz* & *Graoffenow*. *Zosimus* illos *Saxonum* partem dicit lib. 3. & *Bataviam* occupasse tradit. *Quados* vero plerosque Geographorum nostri Seculi in ea Regione collocare, quæ inter *Bojobæmum* ac *Poloniam* nunc *Silesia* vocatur, *Cluverius* lib. 3. cap. 31. *German. Ant.* scribit, qui *Quados* in *Danubii* ripa recte poni infra *Marcomannos*. *Quadorum* autem Gentem *Getis* conterminam, extra saltum *Hercynium* scil. habitantem, inter *Suevorum* Gentes expressis verbis continet *Strabo* lib. 7. Geograph. Fuit autem antiquum Regnum *Suevicum Vannianum* inter *Quadorum* etiam fines, ut patet ex eodem *Strabone* & *Plinio* itemque *Tacito*, qui lib. 2. Annal. *Vannium* Regem *Quadum* fuisse ostendit: terminus autem *Suevorum* Regnique *Vanniani* fuit *Marus* flumen, quod nunc est *Morawa* adcolis in *Moravia*, *Slavis* & *Germanis* die March / a quo Regio *Moravia*, Germanis Mären / nomen accepit. Hi *Quadi* porro *Marcomannis* & *Jazygibus* tum ab aliis, tum a *Dione* lib. LXXI. conjunguntur, & Societatem ipsis armorum contra *Romanos* semper fuisse, etiam posterioribus Sæculis, vel ex uno *Marcellino* lib. 17. satis patere inquit *Cluverius* l. c. qui ex eodem Authore perspici scribit, id quod etiam ex vita *M. Antonini* Imperatoris constat, *Quadorum* nomen tunc ad secundam usque *Pannoniam*, quam *Arrabone* amne a prima dirimit *Ptolemæus* & *Granuam* flumen *Bresetionemque* pertinuisse, *Pannoniæ* oppidum vero *Bregetionem* nunc esse *Graan*, quod superiori anno felici Exercitus Cæsarei & Fœderati expeditione, auxiliantibus quoque copiis *Suevicis*, & cum his *Serenissimis Principibus ac Dominis*, *Domino* GEORGIO FRIDERICO & *Domino* LUDOVICO *Fratribus Germanis*, *Ducibus Wirtembergiæ* & *Tecciæ*: Illo Legionis Pedestris *Chiliarcha*, hoc *Equitum Magistro*, *Turcis* ad *Baracanum* prius cæsis, ereptum est. Sic ergo *Quadi* ultimi *Germanorum* in *Danubii* ripa fuerunt extensi, in quorum commune nomen *Suevos* illos inter *Marum Cusumque* locatos transiisse, *Vanniique Suevorum* Regis Regnum fuisse a *Cluna* amne ad *Vagum* usque, tam in antiquos *Quados* inter *Clunam Marumque* sitos, quam in eos *Suevos*, qui postea inter *Marum Vagumque* nomini illorum accesserunt, notat ibidem *Cluverius*, qui observavit quoque, quod jam longe ante *Taciti* memoriam *Quadi* suos habuerint Reges, quos inter *Tuder*, cujus nobile genus notat *Tacitus* libro de *Germania*, *Vannius* & qui Regnum hujus inter se partiti sunt *Vangio* & *Sido*, ut & *Italicus*. De *Quadorum* autem terminis & finibus ad posteriora usque *Ammiani Marcellini* tempora videri potest *Cluverius* l. c. ubi etiam ex *Ptolemæo* recenset *Quadorum* oppida, *Eborudunum*, inter tria præcipua *Germaniæ* oppida computatum, quod hodieque celeberrimum fere totius *Moraviæ*, *Brin Germanis* incolis, *Slavis Brno*, *Latine Brunna*, item *Eburum* hodie caput Regionis, incolis nunc *Slavis Olomucz*, *Germanis* vero *Ulmitz*, *Medoslanium*, nunc celebre oppidum Znaim, *Celemantiam*, quæ sub *Bojobæmicis* montibus haud procul *Teja* fontibus nunc vicus *Kalmintz*. Alibi autem sedes *Quadorum* bene quoque notavit idem *Cluverius* in Introduct. Geogr. lib. 3. cap. 5. ubi notat *Quados* antiquitus inter *Bojobæmum*, *Danubium* & *Marum* fluvium incoluisse, postea vero nomen eorum ad *Sarmatica* usque juga, quæ sunt in *Hungaria*, inter duo celebria quondam oppida protensum fuisse, *Erlam* scil. & *Vaciam*, quam civitatem gloriosis armis *Invictissimi Cæsaris* LEOPOLDI recuperatam insignis *Turcarum* clades nupero mense *Junio* iterum nobilitavit. *Quadorum* autem gens sub *M. Antonino* Imperatore, *Danubio* trajecto irrupit in Imperium *Romanum*, adversus quam, *Marcomannis* jun-

junctam, Imperator ille non sine prospero successu bella gessit, descripta a *Dione Cassio*, *Jul. Capitolino* & *Luciano*. Illius autem Expeditionem celebriorem reddiderunt Christianæ Legionis *Melitinæ* suppliciis impetrati cœlitus imbres, cum exercitus siti fere jam confectus esset. Cujus meminerunt *Tertullianus*, *Eusebius*, *Nicephorus*, *Callistus*, *Zonaras*, *Xiphilinus*, *Orosius*, *Otho Frising. Aventinus* & alii, licet illud Christiano nomini infensi Magicis procurationibus vel aliis causis male adscribant. De cætero constat ex Historia *Saxoniæ*, quod *Quedelinborgam* urbem, cujus supra fuit facta mentio, *Henricus* Auceps Rex *Germaniæ* & Imperator *Romanus*, ab initio fundaverit, cujus inter multas laudes ea præcipua est, quod in *Saxonia* Provincia sua primus verum rebus ordinem dedit, urbes legibus & moribus formavit, immunitasque jussit muris & fossis cingi propter incursionem *Ungarorum*, quique *Quedelinborg* urbem singulari cura respexit, Monasterium ibi erigens Dominarum, in quo primam fecit Abbatissam filiam suam *Mathildim*: Ecclesiam autem in honorem Sancti *Servatii* jussit consecrari, ipsoque mortuo translatum est corpus ejus a filiis in hanc urbem *Quedelinborg* & in Basilica Sancti *Petri* sepultum. vid. *Saxonia* & Metropolis *Alberti Crantzii* lib. 5. cap. 12. 13. qui etiam lib. 11. cap. 16. Urbem antiquam & primorum in *Saxonia* Principum Decus *Quedelenborg* appellat. Addatur *Davidis Chytræi* Chronicon *Saxoniæ* lib. 2. pag. 57. *Zeilerus* de *S. Rom. Germanici* Imperii decem Circulis Titul. V. pag. 371. *Gabr. Bucelinus* in *Germania* Sacræ part. 2. pag. 72. *Quedlinburg*, famosissimum ac potentissimum Virginum Ordinis Divi *Benedicti* in *Saxonia* Monasterium, alias *Quellenburg* dici notat: tantum abest, ut nomen illud a *Quadis* descendat, & sita est quidem civitas *Quedlinburg* ad *Bode* fluvium, *Halberstadium* inter & *Ermersleben*, olim potens & inter Hanseaticas numerata, quæ Anno 1477. libertatem perdidit, postquam eam, quod Abbatissæ *Hedwigi Saxoniæ* Duci immorigera fuisset, frater hujus *Ernestus* Elector *Saxoniæ*, Advocatus & Protector posthac hæreditarius Abbatiæ devicit. Abbatia autem illa Principali Dignitate fulget, & in Comitiis Imperii jure Sessionis atque suffragii fruitur, primumque Evangelicam Religionem, quæ nunc etiam ibi viget, Anno 1539. illi concessit *Anna* Abbatissa, e Familia Comitum de *Stolberg*. Hodie illi præest *Serenissima Princeps* ANNA SOPHIA, *Comes Palatina Rheni*, *Ducissa Bavariæ*, *Imperialis Liberi Secularis Collegii* (deß Kayserl. Freyen Weltlichen Stiffts) *Quedlinburgensi Postulata & confirmata Abbatissa*, *Comes de Veldenz & Sponheim*, Filia GEORGII WILHELMI *Comitis Palatini Rheni*, DOROTHEAE *Comitissæ Solmensis*, *Coadjutricem* in laborum curarumque senilium consortio habens *Serenissimam Principem* ANNAM SOPHIAM, filiam GEORGII II. *Landgravii Hassiæ*, & SOPHIAE ELEONORAE, *Ducissæ Saxoniæ*, Amitam *Serenissimæ Principis* MAGDALENAE SIBYLLAE, *Viduæ Ducis Wirtembergiæ & Tecciæ*, *Natæ Landgraviæ Hassiæ &c. Principis ac Dominæ nostræ Clementissimæ*. vid. item de Abbatia *Quedlinburgica* dignissimus Dn. *Spenerus* in Historia Insignium Illustrium lib. 3. cap. 27. §. 35. & *Anonymus* nuper, licet Nobilissimus Author, Notitiæ Historico-Heraldico-Genealogicæ *S. Rom. Germanici* Imperii Procerum lib. 3. cap. 22. §. 5. & seqq. De *Quadorum* vero Gentibus, exordiis ac sedibus, illorumque reliquiis plura ex professo videri possunt apud *Lazium* de Migrat. Gentium lib. IX. ubi etiam Icon *Quadi* exhibetur; cum *Quadis* autem *Marcomanni* aliquoties confundi videntur, quos tamen probe distinxit *Cluverius* l. c. ubi etiam in princip. cap. 31. pag. 118. notat, *Quaat*, Oceani adcolis *Germanis* idem esse, quod *Slavorum* Genti *Zle*, id est, malum seu improbum, *Quadorum* denique terram a *Lecho* Anno *Christi* 565. occupatam, *Silesiam* & majorem *Poloniam* interpretatur quoque *Cromerus* lib. 1. Histor. *Polon.*

XXIII.

XXIII. *Reudingos, Tacito, Ptolemaeo Rutidios* vel *Ruticlios* fuisse, ubi nunc *Cassubiorum* regio, & quia cum aliis *Suevis* suo loco excesserint, fieri potuisse, ut *Reütlinga* & *Reutweila* (*Rotwila*) & *Rœtelanus* Marchionatus nomina ab illis acceperint, scribit *Crusius* l. c. ex *Spangenbergero*. Et hos *Cassubienses* quoque putat *Althammerus*, atque *Taciti Reudignos Lazius* ponit in *Reytlingen Rhatia* urbem. Cæterum *Reudignis Germania* populis apud *Tacitum* junguntur *Aviones*, quos ex *B. Rhenano* scribit *Althammerus Holsatios*, vel *Pomeranos* esse. *Brietio* autem fuerunt in *Vindiliis*, *Suevorum* pars, ubi hodie *Prigniz*, tractus Marchiæ *Brandenb.* dicti & *Redigni* & *Toringi Hofmanno*. Longe autem aliam esse rationem & originem nominis Civitatis *Rotwila* dictum est priori Disputatione hujus argumenti, Thes. 27. p. 44. id quod etiam de Civitate *Reutlinga* dicendum, quæ uti *Knipschildius* de Jurib. & Privivileg. Civitat. Imperial. lib. 3. c. 44. n. 5. ex communicatis *Joh. Wendelini Kurreri*, J. U. L. & Reip. istius quondam Syndici meritissimi Generi sui tradit, nomen traxisse videtur in *Germanico* verbo **Reutten / ausreutten /** quod extirpare, eradicare, & **Klingen /** quod Valles significat, quasi ab extirpandis sentibus dumetis, vel locis sylvestribus, (ut *Hofmannus* quoque sentit) habitationi structurisque excitandis locum faciendo atque aptando, quibus postquam amplificari, & urbs esse cœpit, multis insignibus deinceps privilegiis & Asyli quoque jure, donata ab Imperatoribus *Romanis*, mediocritatem hactenus adhibuere cives, caventque adhuc, ne inutili sumptu & magnificentia extra modum prodeant, modo munditiei ne desit curantes. Imperii autem Civitatibus illa adscripta est a *Friderico* II. Imp. eodem auctore muro valloque circumdata, circa Annum *Christi* 1215. vel ut alii 1240. postquam ultimus pagi Dominus *Rudolfus* Comes *Achalmensis* absque hærede decessisset, e cujus ditione vicini quidam pagi ab eodem Imperatore urbi donati sunt, quorum hæc beneficiorum memor tenaciter *Friderico* adhæsit, ab *Henrico Thuringæ* Landgravio Anti-Cæsare Anno 1247. sed frustra obsessa. Quod vero *Reutlingam Rhætiæ* urbem faciat *Lazius*, nescimus quo respexerit. Quanquam enim sciamus *Rhætiam* primum a *Suevis* occupatam (vid. *Lazius* de Migrat. Gent. lib. VIII. p. 471.) tamen illud huc non pertinere videtur, & nulla alia hoc nomine nobis nota est civitas, quam quæ imperante *Friderico II.* circa Annum *Christi* 1215. vel, ut alii malunt 1240. cœpit ex pago turribus fossisque aqueis, ac muro cincta, multisque insuper Privilegiis, uti documenta testantur, & describit *Knipschildius* l. c. ornata, & quæ, quod situm illius attinet, in *Suevia*, Alpibus *Wirtembergicis* vicina, unicum milliare a celeberrima ob Universitatem *Tubinga*, dimidium a *Nicro*, in planicie ad radices montis *Achalmici* sita, quo usque *Rhætiam* pertigisse equidem nondum nos legisse meminimus. Quod autem *Rœtelanum* Marchionatum prope *Basileam*, quo sane nunquam constat *Reudingos* pervenisse, attinet, is longe etiam recentior est, quam ut a *Reudingis* nomen acceperit, quippe qui initium suum demum circa primordia Seculi post *Christum* natum decimi quarti habet. Est quidem satis antiqua & sublimis arx illa *Rœteln*, a qua Dominium *Rœtelanum* primo innotuit. Postquam autem hoc a *Leopoldo*, seu *Luitboldo* ultimo Dynasta, Præposito *Basileensi*, Anno 1315. donatione mortis causa *Henricus V. Hochbergensis* Marchio obtinuit, & sedem quam antea *Sausenbergi* habuerat, in arcem *Rœtelensem* transtulit, ex eo demum tempore ipse & posteri Marchiones *Rœtelenses* dicti, & ditio Marchionatus *Rœtelani*. Ex posteris autem *Henrici* illius *Philippus* ultimus Marchio *Hochbergensis* cum Agnato *Christophoro* Marchione *Badensi* Pactum hæreditariæ Successionis, confirmatione *Maximiliani I.* Imperatoris Anno 1499. accedente, renovans, moriens illum heredem reliquit & Successorem in Marchionatu *Hochbergensi* Anno 1503. Filia autem unica *Philippi*

lippi Marchionis *Joanna*, quam is ex *Maria Sabaudica* susceperat, nupta *Ludovico Aureliano* Duci de *Longeville*, attulit huic marito, quæ *Philippus* Marchio parens in Pacto reservaverat suis, Comitatum scilicet *Novocastrensem* (Welsch Neuburg) in *Helvetia*, Dynastiam *S. Georgii* in *Burgundia* & prætensionem in Principatum *Arausionensem*. Cum vero idem Dux *Longavillæus* ex Pactis Dotalibus Anno 1476. initis, per *Rudolfum VIII.* Marchionem *Hochbergensem*, & a filio *Philippo* Anno 1482. juramento confirmatis, *Mariæ Sabaudæ* ejusque liberis maribus aut fœmellis donationis titulo propter nuptias debitam successionem ditionum reliquarum, inprimis *Rœtelanum* Dominium, *Susenbergam* & *Badenwiteram*, sibi vindicaret, in Camera *Spirensi* de illa Successione jure disceptatum fuit. Sed penes Marchiones *Badenses* qui 250000 (alii dicunt 225000) aureos *Ludovico Aureliano* Duci *Longævillæ* Anno 1581. ut omni jure prætensô cederet, numerarunt; atque ita litem redemerunt, mansit possessio, etiam cum titulo & insignibus *Rœtelensibus*. Verum uti *Franciscus*, *Ludovici* & *Joannæ* filius, Marchionis *Rœtelini* nomen sibi quoque vindicaverat, ita postea Titulum illum, prætensione tamen omni omissâ, filius ejus naturalis ad posteros transmisit. vid. Dn. D. *Spenerus* in Sylloge Genealogico-Historica, in Familia *Badensi* pag. 616. & in Historia Insignium Illustrium lib. 2. cap. 4. pag. 384. Addi possunt Tabulæ, ut vocantur, Genealogicæ *Tubingenses* in Marchionibus *Badensibus*. *Lazius* de Migrat. Gent. lib. VIII. p. 510. ubi *Ludovicum Aurelianum* Ducem *Longevillaum* vocat *Burgundum* Dominum de *Dunes* (fuit enim Comitatus de *Dunes* in Familia *Longavillea*) & mentionem quoque facit prætensionis cujusdam Ducum *Austriæ* in Comitatum *Rötelensem*. *Reusnerus* in Opere Genealogico Catholico pag. 512. ubi *Ludovicum Aurelianum* rectius *Gallum* appellat. Excell. Dn. *Schurzfleisch* de Rebus *Badensibus*, Author Notitiæ *S. Rom. Germ.* Imperii Procerum, lib. IV. cap. 8. §. 4.

XXIV. *Rugiorum* nomen in se *Rugiam* retinere scribit *Crusius* l. c. cui adstipulatur *Althamerus*, qui ad mare *Balthicum*, ubi Insula *Rugia*, olim multo major, illos quoque ponit. *Cluverius* in *Germ. Ant.* lib. 3. cap. 27. pag. 107. illam *Tacito* de moribus *Germanorum* memoratam Insulam Oceani, in cujus sacro nemore septem illæ Nationes *Suevorum*; quæ unum corpus in commune inter se conficiebant, *Deuringi* scilicet, *Caviones*, *Angli*, *Varini*, *Eudoses*, *Suardones* & *Nuithones* omnes simul festos dies sacraque *Herthæ* Deæ (de qua supra dictum) peragebant, vult esse hanc ipsam in mari *Suevico* Insulam *Rugiam*, idque ex situ & aliis indiciis ibidem probat. *Rugii* autem continuabantur ab Occidente *Lemoviis*, atque in littore maris *Suevici* porrigebantur inter *Gothones* & *Viadrum* amnem usque ad *Viperam* flumen, in cujus sinistra ripa hodieque oppidum, ostio adpositum, vulgari vocabulo e veterum cultorum nomine dicitur *Rügewolde*, prætereaque aliud est ejusdem fere nominis intus, medio situ inter *Viperam* ac *Viadrum*, quod amnis etiam præterfluit *Röge* vulgo dictus, *Ptolemæo* Ῥύγιον. *Rugium*, tum quia Regio inter dicta duo flumina proxima est Insulæ *Rugiæ*, vulgo Rügen/ cui post *Taciti* tempora *Rugii* occupantes id nominis intulerunt. De finibus & limitibus *Rugiorum* antiquis vid. plura apud *Cluverium* l. c. qui istis hodie comprehendi scribit magnam *Pomeraniæ* partem, qua oppida *Stargard*, *Golnow*, *Wollyn*, *Camyn*, *Kolberg*, *Cöslin* &c. item Marchiæ exiguam portionem, qua loca *Tranborg*, *Falckenburg* &c. *Joh. Micrælius* in Histor. Politic. lib. 1. sect. 31 pag. 118. *Rugios* in *Pomerania* Occidentali refert ad *Vindilos* seu *Vandalos*. *Helmoldus* lib. 1. *Altera Insula*, scribit, *longe major est contra Witboi posita, quam incolunt Rani, qui & Rugiani, gens fortissima Sclavorum, qui soli Regem habent. Jornandes* in rebus *Gothicis* duo recenset genera *Rugorum* (ita enim hi posterioris

rioris ævi auctoribus, *Pollioni* quoque, *Sidonio*, *Ennodio*, *Diacono* & aliis dicti sunt) quorum alteros *Ulme-Rugos* a *Gothis*, antequam hi *Vistulam* transirent, debellatos notat, qui inter *Viperam* quoque & *Suevum* siti, alteros *Ethel-Rugos* vocat, quasi *Nobiles Rugos*, non in *Scanzia*, sed eadem cum reliquis *Rugis* Regione. Posterioribus temporibus *Rugos* ad *Danubii* ripam transiisse quoque ex *Diacono* de rebus *Longobardicis* probat *Cluverius* l. c. Et *Rugilandiam* quandam cum *Diacono* ad *Danubium* haud obscure ostendit *Procopius* (qui Ῥῦγες *Rogos* illos vocat) lib. 2. Rerum *Goticarum*. Ex quo deducit *Cluverius*, *Rugios* jam ante *Justiniani* tempora inter *Transylvaniam*, *Gepidarum* tunc sedem, & *Istrum* incoluisse, & *Herulorum Vandalorumque* exemplo una cum *Gothis* domo ab Oceano in *Sarmatiam* & ad *Mæotin* Paludem, hinc vero ad Pontum & *Istrum* fuisse profectos. Imo *Rugos* in *Italia* quoque egisse ex *Ennodio* in vita Divi *Epiphanii* constat. De *Rugorum* Gentis sedibus & reliquiis *Lazius*, qui illos ex *Gothica* natione dicit fuisse, hæc scribit l. 12. de migr. Gent. p. 791. *Rugorum discrimina sive tribus fuerant Ulmerugi accolæ Oceani Germanici, ubi hodie adhuc Rugilandia Insula est e regione Meclaburgensis Ducatus, Etel-Rugi in Germania Quadis proxime habitabant. Superest adhuc posteritas vel nomen saltem illius populi, unde titulum Brandeburgenses Principes in iis finibus usurpant, Rugorum se Principes scribentes. Erant & Rugi Turcilingi, qui Duce Ottocharo, quem Latini Scriptores corrupte Odoccarum nominant, in Italiam transmigrarunt, a Theodorico Bernense Gothorum Rege pene confecti. Qui illi cladi superfuerant Gothis immixti Gothorum Regibus parebant. Quare Procopius scribit, Ildibaldo occiso, quem Gothi Regem post Witigem creærant, Araricum Rugum ad Regni fuisse Gothici fastigium sublimatum.* De *Rugorum* Regibus vid. plura apud eundem *Lazium* l. c. pag. 822. De cætero antiqui illi *Rugii* referri quoque possunt ad illam partem *Suevorum*, quæ, ut *Tacitus* loquitur de moribus *Germanorum*, in secretiora *Germaniæ* porrigebatur, id est, in remotiora, respectu *Hermundurorum*, *Nariscorum*, *Marcomannorum*, *Quadorum*, *Suevia* itidem nationum, quæ proximæ erant Provinciis *Romanis*, *Rhætiæ*, *Norico* ac *Pannoniis*. Hodie Insula & Principatus *Rugiæ*, opibus potens & promptum horreum *Sundensibus*, ut *Sicilia Romanis*, pars est Ducatus *Pomeraniæ*, *Sueciæ* Regno Pace *Osnabrugensi* satisfactionis loco sub feudi jure concessa ab Imperio. Genealogia veterum Principum *Rugiæ*, qui *Barthiam* quoque possederunt Ducatum *Pomeraniæ*, cujus caput *Stralsunda* urbs fortissima, vid. apud *Lazium* l. c. pag. 818. *Münsterum* in Cosmograph. lib. 3. pag. 772. ubi habetur quoque descriptio Insulæ *Rugiæ*, & quod etiam facit *Henninges*, primus Principum *Rugiæ* ponitur *Witzlaus* gentilis Anno 939. tempore *Ottonis I.* Imp. cui filius datur *Jaromarus I.* Rex *Daniæ*. Alii autem *Rugiæ* Principes a *Critone Obotritorum* Regulo, novæ *Lubecæ* fundatore, & tyrannide in Christianos famoso, & ejus Successore *Ranone* numerant, cujus filius *Jaromarus* Christianam fidem amplexus est, pronepos *Jarimarus II. Danorum* jugum excussit, abnepos *Witzlaus III.* Imperio *Romano* se subjecit, clausitque Gentem atnepos *Witzlaus V.* Anno 1325. urbem *Sundensem* vicinorum Regum & Principum auxiliis frustra obsidens. Atque ita Principatus *Rugiæ* multum licet reluctantibus *Megapolitanis*, qui propterea cum Pomeraniæ Ducibus belligerabant, & *Danis*, quibus Rex *Christophorus* An. 1322. illam asseruerat (vid. *Hofmannus* in Lexic. h. v. ubi plura quoque de plantata Christiana Religione in *Rugia* & *Joh. Isaac. Pontan.* Rer. Danic. Histor. lib. VII. pag. 446.) ex pacto mutuæ Successionis pridem facto, ad *Wratislaum* IV. Ducem *Pomeraniæ*, victo *Dano*, delatus est. Inde in illa Familia mansit ad extremum usque, & plerumque cum *Wolgastensi* Principatu eundem Ducem, aliquando tamen etiam peculiarem, habuit. vid. D. *Speuerus* in Historia Insignium Illustrium lib. 1. cap. 13.

§. 36. & lib. 2. cap. 95. §. 26. *Henninges* in Genealog. *Rugiæ* Principum p. 320. ubi scribit, his sine liberis defunctis, *Sundenses* post diuturna Ducum *Pomeraniæ* & vicinorum Principum *Megapolensium* ac *Herulorum*, de continentis *Rugiæ* ditionibus, *Barthensi*, *Tribulensi*, *Grimmensi* &c. bella, tandem *Pomeraniæ* Ducibus se privilegiis & immunitatibus salvis adjunxisse, & *Wartislao IV*. homagium præstitisse. Addatur his *David Chytræus* in Chronic. *Saxoniæ*. lib. 5. pag. 154. 155. ubi etiam qualiter Principatus *Rugiæ* ad Ducatum *Pomeraniæ* pervenerit, ostendit. Catalogus Ducum *Meclaburgensium*, qui ex *Rugorum Herulorumque* posteritate orti sunt, vid. apud *Lazium* l. c. p. 819. Addatur D. *Speneri* Sylloge Genealogico-Historica p. 701. in Familia *Vandalica*, in qua *Reges Herulorum*, Principes *Vandaliæ*, Duces *Megapolitani*, nec non *Pomeraniæ* & Principes *Rugiæ*. *Pfannerus* de præcipuis *Germaniæ* Principum *Gentibus* 1. cap. 6. Author Notitiæ *S. Rom. Germ.* Imp. Procerum l. IV. c. 5. §. 1. & Excell. Dn. *Georgii Grenii* Insula *Rugia*.

XXV. *Sibini* præterea, Σιβινοὶ, Σιβῖνοι, *Germaniæ* Gens apud *Strabonem* lib. VII. Geograph. *Crusio* quoque & *Ortelio* memorata, quam *Marobodus Suevorum* Rex suo Regno subjecit. Vix ultra nomen amplius nota. *Hofmannus* populum *Suevis* conterminum facit ex *Strabone*. *Sidenos* autem vel *Sidinos* male cum *Sidonibus* vel *Sitonibus*, apud quos fœminæ dominabantur, confundit *Crusius* l. c. qui circa *Stetinum* vel in *Oppolensi* Ducatu illos ponit. A *Willichio* quoque, *Peucero* & *Wolffgango Justo*, non refragante *Ortelio*, ponuntur in Stetiner-Land. *Cluverius* in *Germ. Ant.* lib. 3. cap. 35. p. 145. quia *Sidinorum Carinorumque* post *Plinium Ptolemæumque* nulla apud auctores fiat mentio, in alius cujusdam Gentis nomen hos expeditione suscepta transiisse, credibile esse scribit, creditque ipse in *Burgundionum* corpus illos transiisse, quia hi cum *Taciti* ævo fuissent exigua atque humili civitate, postmodum ingenti multitudine in *Galliam* effusi sint; pars etiam cum *Gothis* in *Sarmatiam* ac *Daciam*. vid. de his *Disputatio* prior hujus Argumenti, Thes. XXV. Idem *Cluverius* l. c. quoque eosdem facit populos *Sibinos* & *Sidinos*, cum enim apud *Strabonem* cuncta ferme *Germanicarum* Gentium vocabula sint pessimum in modum corrupta, illud etiam Σιβίνους non prætulerim, inquit, *Ptolemæi* Σιδίνοι. Hos autem *Rugiis* conterminos facit a meridie, eodem inter *Vistulam Suevumque* situ, quibus finibus hodie continetur *Marchiæ* pars, item *Pomeraniæ* portio. Plura de illorum termino vid. l. c. & apud *Hofmannum* in Lexico h. v.

XXVI. *Suardones Germaniæ* Populi authore *Tacito*, *Crusio* teste in *Pomerania* habitasse perhibentur, & postea ad Nigram Sylvam (*Hercyniam* scilicet, vid. tamen de utraque genuina Sylvæ hujus appellatione *Cluver.* l. c. l. 3. c. 47.) se contulisse. Aliis, teste *Althamero*, conjectantur *Misniam* tenuisse. Aliis & hos inter *Gemma Frisio*, contrarium quidem sentiente *Hofmanno*, circa *Suerinum* in Ducatu *Megapolitano* ponuntur. *Albinus* in Chronic. *Misn.* T. III. *Erasmum Stellam* in Commentario de Populis & rebus priscis oræ inter *Albim* & *Salam Germaniæ* flumina, taxat, quod ille *Sorbos* a *Suardonibus* derivet. Idem *Albinus* l. c. Tit. IV. pag. 47. *Suardones* refert ad *Suevos* Aquilonares, cum *Eudosis* & *Varinis*, distinctos a *Suevis* Australibus, quales erant *Hermunduri*, putatque Author ille, *Suardones Taciti* a *Ptolemæo*, qui sæpe vocabula *Germanica* corrumpere & confundere solet, vocari *Pharodenos* vel *Pharodinos*, in quo ipsi *Albino* accedit *Peucerus*, & non longe recedit *Ortelius* in Thes. Geograph. Neque vero *Albinus Suardones Misnia* excludit, qui veteres inde *Suevos* expulerint, cæterum antiqui *Germani*, non novi *Vandali* accolæ aut *Slavi*, ut male credun-

creduntur *Brotuffio* in Chronico *Misniæ*, *Erasmo Stellæ*, *Garzoni* & *Kraufio* fuerint. *Cluverius* in *Germ. Ant.* lib. 3. cap. 27. p. 107. *Suardones* (quos apud *Ptolemæum* mendose legi credit Φαρδινοὺς pro ΣΦαρδινοὺς) *Suevo* flumine, mari *Suevico*, *Eudosum*, *Varinorum*, *Cavionumque* confiniis cingit, illo terrarum tractu, quo hodie *Pomeraniæ* pars, cum oppidis *Stettin*, *Ukemünde* & *Usedom*, cum *Meckelburgiensis* Ducatus portione inter *Tullium* lacum & fluvium *Havelam* continetur. Quod autem *Crusius* conjecturatur, a *Suardonibus* Comites *Schwarzenburgenses* & Barones *Schwarzenbergios* nomina habere, vix certo fundamento nititur. Quod enim istos attinet, *Witekindus*, qui in sacro lavacro *Caroli* nomine insignitus, primus Comes *Schwarzeburgius* Anno *Christi* 832. obiit, arci in saltu *Thuringico* ad *Salam* & fluvium *Schwarze* a semet exstructæ id nominis indidit, ut testatur *Elias Reusnerus* in Opere Genealogico Catholico pag. 40. ejusd. Auctar. apud quem, ut & *Henningium* in Genealogiis pag. 323. & seqq. plura videri possunt de Illustrissima Comitum *Schwarzenburgicorum* Familia, ut & apud D. *Spenerum* in Historia Insignium Illustrium lib. 3. cap. 34. & *Authorem* nuperum Notitiæ Historico-Heraldico Genealogicæ *S. R. Germanici* Imperii Procerum, ubi de Origine *Schwarzburgicorum* Comitum (quæ eadem a multis creditur cum Comitibus *Gleichensibus*) *Henningii*, *Reusneri*, sed & D. *Speneri* opinionem cum recitasset, subjicit, quod alii illos a priscis Comitibus de *Kevernburg*, a Castro hujus nominis, cujus rudera prope civitatem *Arnstad* adhuc visuntur, sic dictis, derivare ament, atque ex illis quendam extructa arce *Schwarzburg*, a novo domicilio nomen mutuasse perhiberi, cui sententiæ inde robur addi soleat, quod *Kevernburgenses* iisdem insignibus usi fuerint, quæ nunc *Schwarzburgici* gestant, aureo scilicet Leone, in scuto cœruleo. *Kevernburgensium* porro originem vel a *Gothis* vel a *Gallis*, & quidem a *Lotharii* Regis filio sexto *Gundaro* sive *Guntbero* quosdam arcessere. His autem bene prælaudatus Author præmittit, Familiæ *Schwarzburgicæ* Origines, uti plerarumque Illustrium in *Germania* Stirpium, incertas atque obscuras esse, quod ruditati vel simplicitati illorum Seculorum, in quæ prima Imperii *Germanici* tempora inciderint, tribuendum sit, utpote quibus frigente litteratura optimus ac præstantissimus quisque facere quam dicere, gladium vibrare, quam stylum prehendere, maluerit. Dum itaque, quoties de primis clararum Familiarum incunabulis agitur, traditiones ac opiniones regnant, diversæ ut plurimum sententiæ emerserint, id in *Schwarzburgica* quoque usu venisse. Nec melius favet *Suardonum* nomen origini alterius Illustrissimæ per *Franconiam* Familiæ *Schwarzenbergicæ*, quæ ad *Sainsheimios* refert sua primordia, Illustris Nobilitatis olim in *Franconia* Equites, qui antiquissimæ Provinciæ ejus habiti, & quorum Genealogiam legas apud *Bucelinum* in *German.* Tom. IV. pag. 154. Ex illis autem *Michael* genuit *Erckingerum* primum *Schwarzenbergium* Baronem S. Rom. Imperii Anno 1417. ab Imperatore *Sigismundo* Procerum assensu creatum, cujus abnepos *Joannes* primus Comes *Schwarzenbergius* cum fratribus & patruelibus creatus est ab Imp. *Maximiliano* II. Anno 1566. Et ex hac gente natus quoque fuit *Adolfus* Comes *Schwarzenbergius*, *Turcarum* terror, *Viennæ* Gubernator & *Javarini* expugnator, Pater *Adami* Comitis *Schwarzenbergici* Magistri Ordinis *Johannitici*, *Ferdinando II.* Imperatore acceptissimi & gratissimi, Avus *Joannis Adolfi* primi in Familia sua Principis *Schwarzenbergici*, S. Cæsareæ Majestatis Consiliarii Intimi & Consilii Imperialis Aulici Præsidis, qui Cato in foro, Cicero in rostris, Fabius in armis, Patriæ providus, sui prodigus, anno superiori *Laxenburgi* in vivis esse desiit, filium & Principalis Dignitatis Ditionumque hæredem relinquens Serenissimum *Ferdinandum Wilhelmum Eusebium*, S. R. Imperii Principem in *Schwarzenberg*, S. Cæsareæ Majestatis Camerarium & Consiliarium Aulico-Imperialem, vid. plura apud D. *Spe-*

nerum in Historia Insignium Illustrium lib. 2. cap. 85. *Authorem* supra citatum Notitiæ Historico-Heraldico-Genealogicæ *S. Rom. German. Imper.* Procerum lib. 5. cap. 10.

XXVII. *Teutonoari*, Τευτόναροι *Crusio* l. c. collocantur, ubi *Rostochium* & *Wismaria*, *Ortelio* ad dextram *Albis* fluminis versus Boream. *Ptolemæo* Gens hæc *Germaniæ* inter *Pharodinos* & *Suevos* vicina *Teutonibus* dicitur, populis *Germaniæ* ad Mare *Germanicum*, qui ab omnibus auctoribus cum *Cimbris* in *Fionia* & *Selandia* junguntur, Teutsche patria lingua Authores interpretantur, quos *Ortelius* (qui vid. in Thesauro Geograph. h. v.) *Osterlingos* proprie hodie putat. vid. de vera Gentis & nominis pariter *Theutiscorum* origine *Cluver.* in *German. Ant.* lib. 1. cap. 9. & 16. & lib. 3. cap. 34. circa fin. & cap. 40. ubi de Insulis Sinus *Codani*, quarum Incolæ *Teutoni*, *Godani*, *Codani* ac *Dani*. Non possumus hic omittere ea quæ *Hofmannus* in Lexico h. v. notat, *Teutones* & *Germanos* non esse eosdem, sicut neque *Alemanni* & *Germani*, quanquam hodie omnes Germani *Teutones* vocentur. Horum linguam vulgo *Teutonicam* seu *Celticam*, Boreales *Europæ* pares, sicut *Latina* Occidentales, *Slavonica* Orientales & *Græca* Australes, occupasse, latissime diffusam, cujus dialecti sint vel remotiores, quales *Islandica*, *Norvegica*, *Danica*, *Suecica*, *Anglica*, *Scotica*, *Hibernica*, *Wallica*, *Gothica*, quæ superest in *Taurica* Chersoneso, vel propiores, ut *Teutisca*, seu vetus *Saxonica*, vel *Theotisca*, seu *Francica*, die Hoch-Teutsche. Illam originarii genii magis tenacem, subdivisam esse in idiomata varia: *Belgicum* seu *Hollandicum*, *Brabanticum*, *Frisicum*, *Westphalicum* & *Brunsuicense*, seu inferius *Saxonicum* proprie dictum, *Holsaticum*, *Meckelburgicum*, *Pomeranicum*, *Marchicum*, *Borussicum*, *Livonicum* & *Saxonum* veterum in *Transsylvania*. Istam successu temporis expolitam habere suas iterum dialectos, *Austriacam*, *Helveticam*, *Bavaricam*, *Franconicam*, *Suevicam*, *Misnicam*, *Thuringicam*, *Hassiacam* & *Silesiacam*. Hæc *Hofmannus* ex *Schottelio*, horum intelligentissimo, addens ex *Becmanno*, nec vulgari in his authore, matricis *Teutonicæ* propagines præcipuas esse dialectos, *Francicam* in Superiore *Germania*, *Saxonicam*, cujus subdialecti in *Germania* Inferiore, *Belgio* & *Anglia*, quæ postrema iterum *Anglicismum* & *Scotismum* genuerit, & *Danicam*, cujus iterum tria sint discrimina, *Danorum* limitaneorum, quos *Dennemarckos* vocant, *Suedorum* & *Norvegorum*, a quorum idiomate *Islandica* hodierna profluat, quam ita *Norvegi* intelligant, ut linguam Belgicam *Germani*.

XXVIII. *Varinos* vel *Virunos Crusius* propter *Rostochium* quoque & *Wismariam* ponit, nomenque ab eis in *Sueviam* migratione facta, *Veringensi* Comitatui natum esse ex *Spangenbergero* conjecturatur. *Willichius* hos *Germaniæ* populos, *Tacito* quoque & *Plinio* memoratos, putat novam Marchiam *Brandenburgicam* incoluisse, *Althammerus* vero & *Stanislaus Sarnitius* in Geographia *Sarmatiæ* censent illos *Warmiensi* urbi Episcopali in *Prussia*, ubi *Phil. Melanchton* quoque in Chronic. p. 303. *Varinos* ponit, nomen reliquisse. Sed negat hoc & *Varinos Porussia* excludit Dn. *Hartknochius* part. 1. pag. 35. & 36. *Porussiæ* antiquæ & novæ. *Lazius* hos in *Rhætiam* ducit, & Veringen quoque interpretatur, Genealogiamque Comitum a *Veringen* in *Suevia Rhætica*, ex quorum Familia fuit *Hermannus* Contractus, Chronographus sui temporis circa Annum 1066. Poeta item & Astronomus celeberrimus, adducit lib. VIII. de Migrat. Gent. pag. 533. 534. *Cluverius* (cui adstipulantur quoque *Baudrandus*, *Brietius*, *Hartknochius*, *Hofmannus*) in *Germ. Ant.* lib. 3. cap. 27. *Varinos* hos dictos in antiquis legibus *Werinos* notat, & eosdem facit cum *Procopii Varnis* & *Ptolemæi Virunis*, illis finibus olim inclusos, ubi hodie

dic *Meckelburgiensis* Ducatus pars, qua oppida *Rostock* & *Güsterow*, itemque *Pomerania* exigua portio, inter duos amnes, *Reconitium* & *Baritium*, horumque *Varinorum* nomen ibi etiam nunc manere in flumine *Warne*, quod *Rostochium* alluit, item in oppido *Waren Munitio* lacui adposito, *Ptolemæo Virnnorum Virunum* dicto, censet idem *Cluverius* l. c. ubi ex *Tacito Varinos* hos quoque jungit *Deuringis*, *Cavionibus*, *Anglis*, *Eudosibus*, *Suardonibus* & *Nuithonibus Suevis*, qui unum inter se corpus olim constituerunt. Nec dum ergo certo fundamento constant, quæ *Crusius* & *Lazius* de *Veringensi* Comitatu a *Varinis* derivando autumant. De illo autem Comitatu plura vid. apud D. *Spenerum* in Historia Familiarum Illustrium lib. 2. cap. 117. apud Principes & Comites de *Zollern*.

De *Zumis* autem quos *Crusius* quoque in sæpe citato opere ultimo loco allegavit, nihil amplius, quam hoc ex *Strabonis* libro VII. Geograph. constat, quod inter Germaniæ gentes quoque a *Maroboduo* Rege *Suevorum* subacti sint.

XXIX. Has & recensitas alias *Suevorum* Gentes ab antiquo Reges suos habuisse certum est, & probatum jam in priori *Disputatione*. An vero *Germani* Duces prius quam Reges habuerint, non disputabimus cum *Casp. Lercbio*, de Ord. Equestr. *Germ.* p. 32. n. 63. Sane Duces initio Comitesque a Regibus præfectos Gentibus Civitatibusque *Paulus Æmilius* scribit lib. 1. Histor. licet Ducis officium inferius Regio fuerit, fatemur tamen Reges *Germanorum* fuisse quandoque supremos Duces Exercituum & Ducem pro Rege interdum nominatum, nec in eo recedimus a *Lercbio* l. c. p. 33. num 69. Inter hos Reges autem inclaruit ille, ad quem nos ordinis ratio jam ducit, circa prima Monarchiæ *Romanæ* sub *Julio Cæsare* cœptæ initia, vel potius jam sub finem Reipublicæ *Romanæ* liberæ, ARIOVISTUS *Germanorum* & *Suevorum* Rex, nostra lingua Ernst / vel juxta alios Ehrenvest / ab honoris robore, qui anno ante *Christum* natum, LVI. una ætate duo maxima bella confecit *Helveticum* & *Germanicum*, de quibus ipse *Cæsar* copiose lib. 1. Belli *Gallici*. *Plutarch.* in *Cæsare*, ac *Dio Cassius* lib. 38. scribunt. Hujus *Ariovisti* Regnum in *Germania* eosdem habuisse fines, quos ante *Helvetii*, scribit *Phil. Cluv.* in *G. Ant.* lib. 3. c. 3. p. 6, *Suevi* autem fuerunt cum *Ariovisto*, primo Regum *Germanorum* propter bellicas virtutes Populi *Romani* a Senatu salutato, magna primum clade a *Cajo Jul. Cæsare* affecti cum *Helvetiis* ad *Ararim* fluvium. Unde hi domum reversi instaurarunt postea sua oppida *Soloturium*, *Aventicum*, *Tigurum*. *Romani* autem post hæc stativa & hyberna in *Helvetiis* habuerunt, & horum opera usi sunt in securis temporibus contra ipsos *Suevos*: contra quos *Julius Cæsar* paraverat *Agaunum*, hodie S. Moritzen. Sæpe denique *Helvetiis* in *Suevos Romani* invaserunt, videatur *Stumpff.* in Chron. *Helvetiæ* lib. 4. cap. 19. *Crusius* in Annalibus *Sueviæ* l. c. lib. 2. cap. 6. juxta quem vicit *Ariovistus* prælio *Gallorum* copias *Amagetobriæ*, quæ *Montbelliardum* aut *Mastere* puratur. Tunc autem adeo infeliciter cum *Ariovisto* dimicavit *Cæsar*, ut alias majore nunquam periculo ac milite minus audaci nunquam, in quo exercitu præcipua *Suevorum* virtus enituit, si *Eutropio* credimus. *Cluverus* autem in *Germ. Antiq.* lib. 2. cap. 8. pag. 31. locum *Magetobrigæ* non putat investigari posse. Deinde primo *Cæsaris* in *Gallia* Proconsulatus anno ad ipsum querela pervenit *Divitiaci Hedui* de *Ariovisto*, qui *Heduos* socios & hospites Populi *Romani* vicit, & *Sequanorum* agrum invasit ac occupavit. Habuit autem rationem *Ariovisti Cæsar*, qui Consul Regem illum antea inter Amicos Sociosque Populi *Romani* adscripsit, & illum maluit bene-

Oo 3 ficio

ficio & autoritate sua quam vi commovere. Cum autem *Cæsar* periculosum videret, *Germanos* sub *Ariovisto Rhenum* transire, & in *Galliam* magna multitudine venire, metuens, ne cum omnem *Galliam* occupassent, inde in *Italiam* quoque *Cimbrorum Teutonumque* exemplo contendant: hinc Legatis ad *Ariovistum* missis, postulavit *Cæsar*, ut aliquem locum medium utriusque colloquio deligeret, velle se de Republica, & summis utriusque rebus cum eo agere. Cui Legationi inter alia respondit *Ariovistus:* Si quid ipsi a *Cæsare* opus esset, sese ad illum venturum fuisse, si quid ille a se velit, illum ad se venire oportere, sibi mirum quoque videri, quid in sua *Gallia*, quam bello vicisset, aut *Cæsari*, aut omnino Populo *Romano* negotii esset. His ad *Cæsarem* relatis, ipse iterum Legatos misit, quibus hæc ab *Ariovisto* postulavit: Primum, ne quam multitudinem hominum amplius trans *Rhenum* in *Galliam* traduceret, deinde obsides, quos ab *Heduis* haberet, redderet, nec hos sociosque eorum injuria lacesseret. Respondit *Ariovistus:* Si ipse Populo *Romano* non præscriberet, quemadmodum suo jure uteretur, non oportere se a Populo *Romano* in suo jure impediri, se postulata *Cæsaris* non facturum, si hic bellum facturus esset, intellecturum, quid invicti *Germani* exercitatissimi in armis, qui intra annos XIV. tectum non subiissent, virtute possent. Cum hæc *Cæsari* referuntur, Legati venerunt ab *Heduis* & *Treviris*, quorum illi querebantur de *Harudum* in se injuris, hi autem pagos centum *Suevorum* ad *Rhenum* consedisse, qui fluvium hunc transire conarentur, & quibus præsint *Nasua* & *Cimberius* fratres. Quibus rebus vehementer commotus *Cæsar*, maturandum sibi existimavit, ne si nova manus *Suevorum* cum veteribus copiis *Ariovisti* sese conjunxisset, minus facile resisti posset. Itaque magnis itineribus ad *Ariovistum* contendit, quem cum nunciaretur ad occupandum *Vesontionem* (oppidum maximorum *Sequanorum*, olim *Chrysopolis* hodie *Besancon* dictum) contendere, id *Cæsar* magnis itineribus contendens, prior occupavit, ibique præsidium collocavit. Invasit autem tunc magnus terror *Romanorum* milites, ob *Germanorum* adventum, ut vulgo totis castris testamenta obsignarentur, & *Cæsar* consolari suos necesse habuerit, cum quo *Ariovistus* quidem colloquium habuit. Atque sic *Gallos*, sic *Romanos* tunc conterruerat *Germanorum* virtus, exclamat *Franciscus Carolus* Dux *Saxoniæ* in Oratione pro *Germania* pag. 105. inter *Lansianas* Consultationes. Sed devenit tamen res ad bellum, ad quod *Cæsar* triplici acie instructus accessit. Educebant quoque *Germani* copias suas ex castris, & consistebant quæque gens seorsim paribus intervallis, nempe *Harudes* (qui *Bodanici* & *Constantienses* creduntur, *Marcomanni* (*Moravi*) *Triboci*, (*Argentoratenses* & *Alsatæ*) *Vangiones* (*Wormatienses*) *Nemetes* (*Spirenses*) *Sedusii* (*Vallesiani*) *Suevi* & alii. Tum inceptum est prælium acerrimum inter *Romanos* & *Germanos*, his tandem cæsis & fugatis, ad *Rhenum*, quem *Ariovistus* naviculam deligatam ad ripam nactus ipse trajecit. Occisorum numerum *Plutarchus* & *Appianus* 80000. perhibent, a quo *Appiano Germani* scribuntur fuisse mortis contemptores spe reviviscentiæ. Ita tot tantarumque Gentium Rex, & totius fere *Galliæ Celticæ* modo Dominus, uno prælio a *Cæsare* fusus, *Galliaque* pulsus est. Putatur hæc pugna, scribente *Beat. Rhenano* lib. 1. Rer. *German.* ad D. *Apollinaris* facta Monasterium, quod uno milliario *Germanico* distat a *Rheno* & *Basilea*. *Cluverius* in *Germ. Antiq.* lib. 2. cap. 8. pag. 31. vicum esse hodie scribit in *Burgundiæ* Comitatu vulgari vocabulo *Dampierre*, quinque millibus passuum infra oppidum *Montbelliard* situm, ad confluentem *Dubis* & *Allii* amnis in *Rauracorum* confinio ex monte *Vosego* profluentis, qui locus egregie omnibus partibus in prælium illud *Ariovistinum* conveniat. Cum duabus autem Filiabus *Ariovisti* utraque quoque illius conjux in ista fuga interiit, quarum una *Sueva* natione, quam domo secum

cum adduxerat, altera *Norica*, Regis *Voccionis* soror, quam in *Gallia* duxerat, a fratre missam. Hoc prælio trans *Rhenum* nuntiato, *Suevi*, qui ad ripas *Rheni* venerant, quique inferiorem etiam inhabitabant *Germaniam*, domum reverti cœperunt, quos *Ubii* perterritos insecuti magnum ex his numerum occiderunt. vid. præter Cæsarem in Comm. *Bell. Gall. Florus* lib. 3. cap. 20. *Orosius* lib. 6. c. 6. *Plutarchus* in vita *Cæsaris*, *Eusebius* in Temporibus. *Stumpfius* in Chronic. *Helvet. Münster.* lib. 3. Cosmograph. p. 277. & 278. *Naucler.* vol. 1. pag. 354. seqq. & vol. 2. pag. 848. 849. seqq. Mors etiam Regis *Ariovisti*, quæ incidit in annum *Romæ* conditæ DCC. ante *Christum* natum LII. memoratur *Julio Cæsari* lib. 5. Bell. *Gall.* ubi magno fuisse, ait, *Germanis* dolori *Ariovisti* mortem & superiores *Romanorum* victorias, ibi tamen pro voce *mortem* mavult *Cluver.* in *Germania Antiq.* lib. 3. cap. 3. pag. 7. legere *fortem.* vid. plura l. c. apud eundem, & *Lehmann.* in Chron. *Spir.* l. 1. c. 3. vid. Historia quoque *Ariovisti* Comico socco induta in Comœdia *Nicodemi Frischlini*, magni illius Poetæ & Oratoris in Academia *Tubingensi*, cui nomen *Helvetio-Germani.*

XXX. Circa hæc tempora occurrunt quoque *Indi* in *Suevia*, quos *Cornelius Nepos* de Septentrionali circuitu, teste *Plinio* lib. 2. cap. 67. & *Pomp. Mela* tradit, *Q. Metello* Celeri. *C. Arranii* in Consulatu (ante *Christum* natum anno LVIII.) Collegæ, sed tum *Galliæ* Pro-Consuli, a Rege *Suevorum* dono datos, quique ex *India* commercii causa navigantes, tempestatibus essent in *Germaniam* abrepti, Regem autem hunc sine dubio fuisse *Ariovistum*, ut virum potentem & clarum, tali munere & aliis se *Romanis* insinuantem, ut ab eis Regis & Amici titulum consequeretur, scribit *Crusius* l. c. cap. 6. pag. 40. Hinc autem probe patere dicit *Naucler.* vol. 2. pag. 849. quanta ditio fuerit *Suevici* Regis, cujus maritimi commeatus fuerint. Anno vero ante natum *Christum* LIII. *Cæsar*, ut *Germanos* facile in *Galliam* transire solitos terreret, ponte in *Rheno* non procul infra *Coloniam Agrippinensem* facto, cum Exercitu in *Germaniam* transiit, ibique igne ferroque multa vastans, cum audiret *Suevos* in armis esse, diebus XVIII. trans *Rhenum* consumptis, se in *Galliam* recepit, ponte rescisso, plus scilicet tentare non ausus. Biennio post iterum pontem fecit & contra *Suevos* exercitum duxit, a quibus se magnis copiis coactis exspectari ut cognovit, exercitum reduxit. Sed ne omnino illis metum reditus sui tolleret, non totum pontem, sed ultimam ejus partem rescidit, ibique turri constituta præsidium validum reliquit. Qualem igitur opinionem de *Suevis*, quibus ne Dii immortales quidem pares esse possint, habuerit etiam *Julius Cæsar*, ipse satis ostendit in suis Commentariis, qui etsi laturus auxilium *Ubiis* his *Rhenum* transiverit, resque maximas in *Germania* gesserit, *Suevorum* tamen Gentem indomitam reliquit. Et licet *Eutropius* scribat, *Cæsarem Rheno* transmisso *Suevos* superasse, plus tamen credendum *Cæsari*, qui manu sua rem gestam describens, nil plus refert, nisi quod postquam per *Ubios* exploratores comperit, *Suevos* ad initium sylvæ *Bacenis* cum omnibus copiis exspectare adventum *Romanorum* in sylvis, constituerit non progredi longius, nec manum cum *Suevis* conserere. vid. *Naucler.* vol. 2. pag. 249. Cum *Germanis* autem *Suevos*, jam pro *Romanis*, jam contra hos bella gessisse, & *Mithridati* quoque militasse, *Crusius* l. c. cap. 7. asserit & colligit. Hisque usum etiam *Julium Cæsarem* ad subigendam *Galliam*, constat ex ipso *Cæsare* lib. 1. Bell. *Gallici*, ubi *Germanorum* & *Suevorum* pedites velocissimos & fortissimos appellat: Adeoque hos etiam Imperii *Romani* per *Julium Cæsarem* condendi, dum illi in *Pharsalo* contra *Pompejum*, & in *Philippicis* campis præcipuo auxilio adfuerunt, adjutores fuisse, haud dubitat referre *Crusius* l. c. Post natum vero *Christum*,

ut

ut multa sunt a *Romanis* acta, cum *Suevis* præcipue, quoties est in *Germania* decertatum, ita hi triumphati magis sunt quam victi, ut *Tacitus* ait, mansitque *Germana* natio post *Romanam* magnitudinem secunda in terris, & ipsa totius orbis Imperium præsumens, fatente *Nazario* ad *Constantinum*.

XXXI. Præterea in Catalogo Regum *Suevorum*, *Lazius* de Migrat. Gent. lib. 8. pag. 478. ponit *Cymerium* & *Nasuam*, qui *Suevis* ad *Rhenum* præfuerunt, & quorum *Cæsar* meminit lib. 1. *Gall.* Hist. c. 37. 39. Quemadmodum autem *Lazius* l. c. a *Cymerio* isto inter incertam originem trahit Comitum notissimorum *Sueviæ* a *Cymern*, ita nonnulli Illustrissimam *Nassoviorum* Gentem, nescio quo fundamento, ab isto *Nasua* Duce *Suevorum*, qui cum fratre *Cymerio* in *Gallias* excurrit, & primo belli *Gallici* anno centum *Suevorum* pagos ad *Rheni* ripas præsidio adduxit *Sequanis*, deducunt, unde *Frischlinus* Seculi sui Poeta, paulo ante citatus,

At Nassovæum vivit adhuc decus
Surgens Adolfo Cæsare ultimo
A Nasua, qui olim secutus
Te fuit Arioviste Teuto.

Quod autem *Cajus Julius Cæsar* victo *Ariovisto Nasuam* istum Præfectum *Rheni* apud *Confluentes* constituerit, hinc postea Comites *Nassovios* Hæreditarios Advocatos, id est, Defensores & Protectores *Rheni* (Erb-Vögte deß Rheins) appellatos, asserere audent. vid. *Joann. Textoris* Nassauische Chronick / pag. 34. 35. *Christoph. Brower.* in Annal. & Antiquit. *Trevirensib.* lib. 1. pag. 113. Digniss. Dn. D. *Spenerus* Insign. Illustr. Parte Special. lib. 3. cap. 26. §. 1. pag. 610. Author Notitiæ *S. Rom. Germ.* Imperii Procerum lib. 5. cap. 1. *Hofmannus* in Lexic. Univers. Continuat. v. *Nassovia.*

XXXII. Post *Cymerium* autem & *Nasuam* Lazio l. cit. ponitur INGEWON, incertum tamen an Rex an Princeps *Suevorum*: (quæ nomina quidem olim sæpe permixta) cujus *Tacitus* quoque mentionem facit lib. 2. Histor. Qui vero post *Cymerium* & *Nasuam Suevis* ad *Rhenum* præfuerint, usque ad *Constantini Magni* ætatem, Seculorum trium intervallo, nondum se deprehendisse ait *Lazius* loc. cit. pag. 480. Sub Imperio autem *Caji Cæsaris Octaviani Augusti* missi contra *Germanos* & *Suevos* fuerunt *Lollius*, *Drusus* & *Tiberius*, Duces *Romanorum*, ex quibus *Drusus Suevos* & *Sicambros* pariter aggressus, *Rheni Danubiique* ripas propugnaculis & præsidiis in tutelam Provinciarum munivit, quod & alii post *Octavianum Augustum* Imperatores fecerunt. Sequentibus temporibus vero illæ munitiones a *Germanis* & *Suevis* expugnatæ, aut destructæ sunt, aut in oppida & urbes conversæ. Isto autem tempore *Nördlingæ* Imperialis hodie civitatis fundamenta a *Claudio Tiberio Nerone* jacta dicuntur, in monte primum ubi ipse castra habuit, *S. Haimerano* deinceps sacro, in quo ipso Protestantes Imperii Principes Anno superioris Seculi XLVI. castra sua contra *Carolum* V. Imperatorem posuerunt. vid. *Crusius* l. c. cap. 9. & lib. 4. cap. 3. & in Paralip. c. 17. pag. 68. *Reusnerus* de Urbib. Imp. part. 2. cap. 5. *Knipschild.* de Civ. Imp. 1. 37. ibi: *Nordlinga vulgo a Cl. Tib. Nerone sic dicta censetur, qui sub Octavio Augusto Cæsare summus Dux, & exercitus Rom. Imperator adversus Germanos, pulcherrimo Rhetiæ loco sibi castra faciens, nova Civitatis nova fundamenta primus posuit, eamque suo nomine, sicuti etiam Noribergam, in sempiternam rei memoriam cognominavit* Nerolin-

rolingen. Et paulo post: *Primus locus sive sedes Civitatis fuisse fertur in colle S. Emerani, in quo adhuc vetus templum conspicitur; postea ob aquandi difficultatem sub infima collis ejus radice in planitiem ad ripam Egræ constructa est, qui amnis in oppidum derivatus, hodie etiam ipse interluit.* De *Emmerammo* Episcopo plura vid. ap. *Velser*. Rer. *Boic*. l. 4. p. 119.

XXXIII. Cum deinde *Rhæti Galliæ* molesti essent, *Tiberium* quoque *Augustus* contra eos misit, qui *Danubianæ* etiam oræ magnam rationem habendam duxit. Tunc uterque *Tiberius* & *Drusus*, *Cæsaris* privigni, pluribus in partibus in *Rhætiam* irruperunt, ac *Tiberius* per Lacum *Acronium*, id est *Bodamicum* & *Brigantinum* (præsertim ubi *Lindavia* est) vectus, *Vindelicos* perterruit, qui inter *Augustam* amnis *Lyci* & *Lindaviam*, interque *Hercyniam* Sylvam & *Danubium* incolebant. Alias *Vindelicia* pro *Bavaria* accipitur: *Vindelicos* autem pugnis navalibus debellans *Tiberius*, contra illos Insula illius Lacus juxta *Lindaviam* sita, tanquam arce belli usus est. vid. de hoc bello *Horatius* lib. 4. Od. & *Vellej. Paterculus*, *Florus*, *Orosius* lib. 6. Isto autem tempore *Suevi* & *Alemanni Rhætiam* & *Vindeliciam* nondum habitabant, sed demum insecutis temporibus, præsertim sub *Valentiniano* III. Imp. (qui imperavit circa annum *Christi* 430.) possederunt, eo a flumine *Albi Bohemia*, & aliis locis profecti. *Suetonius* hanc in rem scribit, *Augustus* submovisse *Germanos* ultra *Albim* fluvium, ex iisque *Suevos* & *Sicambros*, dedentes se (aliquos non omnes, uti explicat *Crusius* l. c. cap. 9. pag. 45.) traduxisse in *Galliam*, atque in proximis *Rheni* agris collocavisse. Idque fuisse postea Seminarium forte *Suevorum* etiam qui hodie in *Wirtembergia* & *Rhætia* sunt, *Crusius* l. c. opinatur. Duas autem fuisse *Rhætias*, paulo ante monitum est, quarum prima olim a *Lyco* ad Occasum versus, sed cujus pars hodie trans *Danubium* Septentrionem versus, in qua est *Oetinga* & *Nördlinga*, vocaturque **das Rieß**: In Secunda *Rhætia* Orientem versus *Vindelici* olim habitabant, hodie *Bavari*. De *Vindelicia* vid. plura apud *Cluverium* in *Germ. Ant.* V. *Velserum* de rebus *Augustanis Vindelicis*, deque rebus *Boicis*. De *Suevis* autem *Transalbinis*, qui Regionem istam, quam incolebant, eo tempore invaserunt, quo *Saxones* cum *Longobardis* adierunt *Italiam*, & ideo aliis legibus quam *Saxones* utebantur, insignis est locus apud *Witikindum* lib. 1. Annal. ubi *Meibomius* ex auctore Anonymo de Origine *Suevorum* notat, tempore devicti *Herminfridi* Regis *Thuringorum* ultimi *Suevos* profligatis *Thuringis* agrum *Unstro*, sive *Unstruto* fluvio contiguum occupasse, & nemine resistente incoluisse. Fuisse autem vel in Diœcesi *Halberstadiensi*, vel ejus vicinia *Suevos*, ex Antiquitatibus Monasterii *Hamerslebiensis*, & Chronico *Halberstadiensi* Mscr. probat *Meibomius* l. c. ubi etiam qui *Saxoniæ* Principes & alii Ordines *Suevis* annumerentur, ex præfatione Auctoris in Speculum *Saxonicum* videndum ait.

XXXIV. Quoniam autem Castella & propugnacula contra *Germanos*, sui præsertim Imperii tuendi causa, excitare idoneis in locis *Rheni* ac *Danubii* necessarium *Romanis* ibi ad præsidia tuenda videbatur, ideo *Tiberius Tiberiam Augustam* ad *Danubium*, & *Drusus Drusomagum* ad *Lycum* ædificarunt, quarum illa *Ratisbona* est, hæc *Augusta Vindelicorum* fertur, licet a quibusdam *Memminga* putetur. *Ptolomæus* certe Δρουσόμαγον in *Rhætia* statuit, sed Αὐγ. Οὐινδελικῶν in *Vindelicia*. Hanc Augustam *Aventinus* (cujus tamen auctoritatem de *Vindelico* explodit, & absurdissimam de situ *Augustæ* sententiam dicit *Velserus* in Reb. *Aug. Vind.* l. 1. p. 193. & l. 3. p. 210.) in *Bavaria* ponit, non amplius extantem, hodiernam vero *Augustam Rhætiæ* annumerat, non *Vindeliciæ*. *Augustæ* autem ad honorem Imp. *Augusti* nuncupatæ sunt. *Crusius*

fius l. c. de clade *Romanorum*, quam a *Suevis* apud *Augustam Vindelicam* acceperunt, vid. narrationem *Crusii ex Urspergensi*, & alus l. c. cap. 10. pag. 47. *Romanos* autem *Danubium* & *Rhenum* transgressos, ad *Nicrum* quoque castra & munitiones fecisse, non vane ex signis quibusdam colligit *Crusius* l. c. lib. 3. cap. 3. ut ad *Canstadium Wirtembergiæ*, item ubi *Rhemsus* in *Nicrum* influit, ubi olim antiquum Castrum *Remseck* & *Mannhaimi*, ubi *Nicrum Rhenus* excipit. vid. nomina munitionum castrorum & stativorum, quæ *Romani* contra *Germanos* Trans-*Danubianos* & Trans*Rhenanos* fecerunt apud *Crusium* l. c. ex *Stumpffio* & aliis, quibus addendus *Freberus* in Orig. *Palat.* part. 1. c. 4. & *Heroldus* de Stationibus Legion. in Vet. *German.* cap. 12.. Inter alias autem expeditiones, quas *Tiberius Drusi* frater contra *Germanos* suscepit, etiam illa fuit, qua fracti *Longobardi* (Aquilonares *Suevi*) gens etiam *Germana* feritate ferocior. Incidit hæc expeditio in annum circiter post natum *Christum* nonum, descripta a *Dione Cassio* lib. 55. & *Vellejo Paterculo*, more suo exultante, cum ipse eidem quoque miles interfuerit. vid. *Velser.* Rer. *Boic.* l. 3. p. 90.

XXXV. Isto autem tempore, qui in *Germania* accolæ *Albis* fluvii erant *Suevi*, a *Cheruscis* Sylva *Baceni*, quæ hodie *Thuringica*, de qaa vid. *Bertius Rerum Germ.* Comment. l. 24. quasi nativo muro divisi, de quibus Poeta *Lucanus*,

Fundit ab extremo flavos Aquilone Suevos
Albis.

transgressi *Albim*, finitimas Regiones, *Lusatiam* & *Bohemiam* incolebant, & hinc *Bojos* ejiciebant, *Marcomanni* proprio nomine dicti: Hi enim *Suevi* genere erant, Regem habentes MAROBODUUM, cujus mentionem faciunt *Tacitus* lib. 2. Hist. *Strabo* lib. 7. Geograph. & quem *Suevorum Marcomannorum* (ubi hodie *Moravia* & *Bohemia* est) Principem appellat *Vellejus Paterculus*, qui istum egregiis laudibus immortalitati consecravit. Regibus autem semper paruisse *Marcomannos*, ostendit *Tacitus* de moribus *Germanorum*, scribens: *Marcomannis, Quadisque usque ad nostram memoriam Reges manserunt ex Gente ipsorum; nobile Marobodui & Tudri genus, jam & externos patiuntur. Sed vis & potentia Regibus ex auctoritate Romana, raro armis nostris sæpius pecunia juvantur.* Non modo autem in *Bojohæmo Marcomannos*, sed jam ante in *Rheni* ripa sub Regum Imperio egisse probat ex eodem *Tacito* l. c. *Cluverius* in *Germania antiqua* lib. 3. cap. 218. Attamen non supra libertatem regnabantur *Marcomanni*, nec Regibus infinita aut libera potestas, quod etiam notat *Cluverius* l. c. lib. 1. cap. 40. pag. 326. De *Marcomannis* autem requirendi amplius, *Florus* lib. 4. cap. 12. *Volaterran.* lib. 7. *Geograph. Æneas Sylvius* in *Europa* cap. 23. *Albertus Cranzius* in *Vandalia*, *Althammer.* in not. ad *Tacit.* pag. 31. His igitur imperans Rex *Maroboduus*, genere nobilis, corpore prævalens, animo ferox, natione magis, ut *Paterculus Romanus* de illo scribit, quam ratione Barbarus, non tumultuarium, neque fortuitum neque mobilem, & ex voluntate parentium constantem, inter suos occupavit Principatum, sed certum Imperium vimque Regiam complexus animo statuit, avocata procul a *Romanis* gente sua, eo progredi, ubi cum propter potentiora arma refugisset, sua faceret potentissima. Occupatis igitur interioribus locis *Hercyniæ* Sylvæ, finitimos omnes aut bello domuit, aut conditionibus juris sui fecit, Imperiumque suum perpetuis exercitiis pene ad *Romanæ* disciplinæ formam redactum, brevi in eminens & *Romanis* quoque timendum duxit fastigium, quos neque bello

bello lacessebat, & si lacesserentur, superesse sibi vim ac voluntatem resistendi, declarabat. Gentibus porro hominibusque a *Romano* Imperio desciscentibus erat apud eum perfugium, totumque ex male dissimulato agebat æmulum. Ideo Exercitum, quem 70 millium peditum & 4000 equitum fecerat, assiduis adversus finitimos bellis exercendo, majori, quam quod habebat, operi præparabat. Eratque etiam eo timendus, quod cum *Germaniam* ad lævam & in fronte, *Pannoniam* vero ad dextram, a tergo sedium suarum haberet *Noricos*, tanquam in omnes semper venturus, ab omnibus timebatur, nec securam incrementi sui patiebatur esse *Italiam*, quippe cum a summis Alpium jugis *Italiæ* finem terminantibus initium ejus finium haud multo plus 200 millibus passuum abesset. Hunc *Maroboduum* florentissimum Regem diversis e partibus *Tiberius* aggressurus erat, ipse a *Danubio*, *Sentius Saturninus* per *Cattos*, excisis continentibus *Hercyniæ* Sylvis. Sed cum universa *Pannonia* insolens longæ pacis bonis & adulta viribus *Dalmatia*, omnibus ejus tractus gentibus in societatem adductis, ex constituto arma corripuisset, ibi tum necessaria gloriosis præposita sunt; neque tutum visum, abdito in interiora *Germaniæ* exercitu, vacuam tam vicinis hostibus relinquere *Italiam*. Erat autem *Maroboduus* a puero versatus *Romæ*, & ab *Augusto* magnas opes consequebatur, reversus deinde domum, maximum latissimumque Regnum adeptus est. Huc pertinent quæ scribit lib. 7. Geograph. *Strabo*, de *Marobodu*o Rege *Suevorum* tractans: *Reversus autem*, ait, *magnum adeptus est potentatum, & præter eos, quos ante dixi populos, Luios etiam vindicavit, gentem sane permagnam & Zumos & Butones & Mugillones & ipsam Suevorum nationem amplissimam, Sennones.* De quibus populis vid. sparsim *Phil. Cluver.* in *Germ. Ant.* lib. 3. Idem porro *Bubienum* caput *Bojemiæ* & *Suevorum* quondam, *Maroboduum* a se cognominavit, quam nunc *Pragam* dicimus, id quod ex *Strabone*, *Cornelio Tacito* & *Ptolemæo* diligentissima observatione compertum esse tradunt *Aventinus* lib. 2. Annal. *Bojor.* p. 41. *Sansonius* & *Brietius*. Sed & aliquando Rex *Marobodus*, ad cujus nomen adhuc loca quædam in *Bohemia* alludunt, ut *Budwiza*, *Budua* &c. magnitudine beneficiorum in fœdus a *Romanis* illectus est. Reddita vero libertate *Germaniæ*, pulsisque *Romanis* ab *Arminio Cheruscorum* Principe, *Marobodui* (ut *Tacitus* scribit) Regis nomen invisum apud populares, *Arminium* pro libertate bellantem favor habebat. Igitur non modo *Cherusci* sociique eorum, vetus *Arminii* miles, sumpsere bellum, sed e Regno etiam *Marobodui Suevæ* gentes, *Semnones* & *Longobardi* defecere ad eum. Prius autem *Arminius* ipse congregaverat *Suevos* in agris *Ubiis* vicinis, ut non inanis ea sit conjectura, *Suevos* quoque extitisse, qui *Varum Quintilium* cum tribus legionibus in saltu *Teutoburgensi* trucidarunt. Nam & *Germanorum* auxilio id *Arminium* fecisse, *Tacitus* & *Vellejus* referunt, quod olim nomen cum *Suevis* passim confundebatur: quemadmodum vergente Imperio cum *Francis*, cum & ea postremo gens gloriam universam ad se traxisset, quemadmodum verba sunt *Wolffg. Lazii* de migratione Gent. lib. 8. pag. 460. Hinc secutum *Arminii* cum *Maroboduo* bellum, & directæ utrinque acies pari spe. *Arminius* cuncta collustrans, apud milites suos fugacem *Maroboduum* appellabat, præliorum expertem, *Hercyniæ* latebris defensum, mox per dona & legationes a *Romanis* petiisse fœdus, itaque proditorem Patriæ, satellitem Cæsaris, haud minus infensis animis exturbandum, quam *Varum Quintilium*. *Maroboduus* nec ipse jactantia sui, nec probris in hostem abstinebat. Se inter alia dicens duodecim legionibus petitum Duce *Tiberio*, illibatam *Germanorum* gloriam servavisse, mox conditionibus æquis discessum fuisse. Ventum deinde ad prælium est inter *Arminium* & *Maroboduum*, nec alias majore mole concursum, neque ambiguo magis eventu, fusis utrinque dextris cornibus. Subduxit autem primus

castra in collem *Maroboduus*, quod signum perculsi fuit, & transfugis paulatim nudatus, in *Marcomannos* concessit, misitque Legatos ad *Tiberium*, oraturos auxilia, quibus responsum, non jure adversus *Cheruscos* (quorum Princeps erat *Arminius*) arma *Romanorum* invocare *Maroboduum*, qui pugnantes in eundem hostem *Romanos* nulla ope juvisset. Missus tamen *Drusus* est, *Tiberii* filius, *Romanorum* Dux, pacis conciliator & firmator, anno, ut quidam putant, *Christi* nati 18. Imperii *Tiberii* 3. vid. *Georgii Spalatini* Historia *Arminii*, quem etiam Generosissimi Fratres *Hermannus Adolfus* & *Dietericus Ernestus* a *Donop*, Equites *Westphali*, Anno hujus Seculi LXXI. Oratione in hac Academia publice ceu Vindicem Patriæ suæ & *Germaniæ*, juxta *Carolum M.* celebrarunt. Erat isto tempore nobilis juvenis inter *Gothones Catualda*, profugus olim vi *Marobodui*, & tunc dubiis rebus ultionem ausus, illiciente *Druso Cæsare Germanos* ad discordias, utque fracto jam *Maroboduo* usque in exitium insisteretur. *Catualda* igitur valida manu fines *Marcomannorum* ingreditur, corruptisque primoribus ad societatem irrumpit, Regiam Castellumque juxta situm & veteres *Suevorum* prædas ibi reperit. vid. *Tacitus* lib. 2. Hist. Hic *Gothinorum* primo fuit Princeps, ubi hodie est *Kutenberg Bohemiæ*, mineris famigeratissimus locus; deinde sublatus a *Suevorum* populo, qui *Albim* atque *Bojohemum* tenebat, *Maroboduum* Regno exuit, ac *Suevis* universis imperavit. *Lazius* l. c. lib. 8. p. 478. *B. Rhenan.* Rerum *German.* pag. 45. *Maroboduo* sic undique deserto, non aliud subsidium quam in Cæsare fuit. Scribenti respondet hic, tutam ei in *Italia* honoratamque sedem fore, si maneret, si rebus suis aliud conduceret, abiturum, fide qua venisset. Sic *Maroboduus Ravennæ* habitus, si quando insolescerent *Suevi*, quibus *Marobodui* nomen multo *Romanorum* nomine terribilius, quasi rediturus in agrum ostentabatur. Sed non excessit *Italia* per duodeviginti annos, consenuitque multum imminuta claritate, ob nimiam vivendi cupidinem, inter exempla fragilis & inconstantis fortunæ recensendus. Vid. plura de Regno *Marobodui* apud *Cluver.* in *Germ. Antiq.* l. cit. & de ipso *Maroboduo* apud *Suetonium* in *Tiberio* & *Aurelium Victorem*. *Lehmann.* in Chron. *Spir.* lib. 1. cap. 13. *Wassenbergium* in *Maroboduo* Redivivo.

XXXVI. Sed & *Catualda* haud multo post *Hermundurorum* opibus & *Jubilio* Duce (quem Regem creatum dicit *Lazius* l. c. lib. 8. p. 479.) pulsus est, receptusque ab Imperatore *Tiberio* in Tutelam, *Forum Julium Narbonensis Galliæ* Coloniam missus est, ubi exul mortuus, eundem cum *Maroboduo* casum expertus. Comites utriusque, ne quietas Provincias immixti turbarent, *Danubium* ultra, inter flumina *Marum* & *Cusum* (*Ungariæ* & *Austriæ* confinio) locabantur, dato post *Jubilium* a *Tiberio* Imperatore *Suevis* Rege *VANNIO* Gentis *Quadorum*, olim inter *Suevos* numeratorum. Unde *Vannianum* Regnum *Suevorum* a *Maro Daciæ* fluvio incipere tradit *Plinius* Hist. Nat. 4. 12. vid. *Tacit.* 12. Annal. Denique autem *Arminius* ipse abscedentibus *Romanis*, & pulso *Maroboduo*, Regnum, ut *Tacitus* ait, affectans, libertatem popularium adversam habuit, petitusque armis cum varia fortuna decertaret, dolo propinquorum cecidit. Elogium illius vid. apud *Tacitum* lib. 2. Hinc autem conjici etiam potest, quare inter præceptas olim *Germanico* nomini Provincias *Bohemiæ* Regnum, *Suevis* ademptum, nominet *Lazius* in Præfat. de Migrat. Gentium. Circa illa tempora imperante *Roma Claudio Tiberio Nerone* Cæsare, *Teucteri*, olim *Rheni* oram ex adverso *Ubiorum* colentes, eiecti fuerunt a *Suevis* in *Menapios*, id est, *Geldrienses*, *Clivenses*, *Juliacenses*, quo etiam concesserunt, a *Suevis* expulsi ab *Oceano* cum *Teucteris*, *Usipetes*. *Julius Cæsar* lib. 4. de Bello *Gallico*. In loca autem deinceps *Teu-*

cterorum

Herorum & partim *Cattorum* usque ad *Mæni* ripam & *Salam* fluvium, successerunt *Franci*. vid. *Beat. Rhenan.* Rerum *Germ.* lib. 1. pag. 49. Ista etiam ætate *Lucius*, aliis *Cyrenæus*, aliis cognatus & commiliro *Pauli* Apostoli, in *Vindelicia*, *Rhætia*, locisque *Danubio* conterminis, *Christianæ* religionis semina prædicando jecisse fertur. *Nauclerus* autem vol. 2. Gen. 6. & *Gulerus* in *Rhætia* l. 3. p. 33. b. hoc adscribit *Lucio* R. *Britanniæ* sub Impp. *M. Aurel.* & *L. Vero* A. C. 177. alii sub Imp. *Commodo* A. C. 183. vid. *L. Osiandri* Epit. Hist. Eccles. Cent. 2. l. 4. c. 1. *Velser.* l. 6. Rer. *August. Vind.* p. 303. 304. & in Comment. ad Convers. *S. Afræ* p. 453. *Baronius* in Annal. Eccles. An. C. 183. & in hunc Examen *Joh. Henr. Ottii* ad An. 33. §. 36. ad Ann. 35. §. 3. ad Ann. 44. §. 36. ad Ann. 124. ad Ann. 183. ad Ann. 201. §. 5. Sub Imperatore *Claudio* vero perhibentur a S. Apostolo *Petro* emissi Doctores, Evangelii *Argentoratum*, *Coloniam*, *Treviros*, *Maternus Eucherius* & *Valerius*. vid. *Crusius* l. c. pag. 83. 85. *Münsterus* l. c. pag. 322. *Stumpffius* l. 2. c. 12. & lib. 10. c. 15. *Lazius* pag. 7. & 483. *L. Osiand.* l. c. Cent. 1. l. 2. c. 45. *Stumpff.* l. cit. l. 3. c. 39. *Lehmann.* Chron. *Spir.* l. 1. c. 14. *Ottius* l. cit. ad Ann. 33. §. 35. ad Ann. 59. §. 10. ad Ann. 44. §. 39. Ann. 46. §. 4. 6. Ann. 74. §. 2. *Guillemann.* de Episc. *Argent.* c. 6. Dign. Dn. *Bebelius* in Antiq. Eccles. *Argent.* Artic. 2. *Brower.* in Annal. *Aug. Trevir. part.* 3. Et tunc etiam *Lindavgia* sive *Lindoia*, *Lindavium*, in Peninsula lacus *Podamici* recentia initia habuisse conjicitur (vid. *Crus.* l. cit. c. 5. p. 64. 65. *Knipsfch.* de Civ. Imp. 3. 31.) fortasse quando *Drusi* frater *Tiberius* ex eo loco, prius præsidiis munito, contra *Vindelicos* bellum gessit. Post *Tiberium* Imperatorem *C. Cæsar Caligula* bello contra *Germanos* suscepto ingressus est *Sueviam*, sed nihil strenue fecit, teste *Eutropio* Breviar. lib. 6. vid. de bello illius *Germanico* & Expeditione *Suevica*, sed & ambitione, *Suetonius* in hujus vita. Imperante deinceps *Tib. Claudio Cæsare*, *Vannius Quadus Suevis* a *Cæsare Tiberio* impositus, uti ante dictum, pulsus est Regno (quod ex *Plinii* sententia fuit inter *Marum*, *Danubium* & juga *Bohemica* vid. *Cluver.* l. c.) prima Imperii ætate clarus acceptusque popularibus, mox diuturnitatem Regiminis in superbiam mutans, & odio accolarum, simul domesticis discordiis, circumventus. Depulerunt autem *Vannium* Regno *Jubilius*, *Hermundurorum* Rex, & Sorore illius geniti, *Vangio* ac *Sido*. Nec *Claudius* Imperator, quanquam sæpe oratus, arma inter se certantibus *Germanis* interposuit, sibi nimirum prodesse existimans horum dissensionem. Tutum tamen perfugium *Vannio* Cæsar *Claudius* permisit, si pelleretur, scripsitque *P. Attilio Histro*, qui *Pannoniæ* præsidebat, ut legionem ipsaque ex Provincia lecta auxilia pro ripa componeret, subsidio victis, & terrori adversus victores, ne fortuna elati *Romanorum* quoque pacem turbarent. Nam vis innumera, *Ligii* (gens antiqua *Suevica* inter *Viadrum* fluvium & *Bohemiæ* montes, de qua supra dictum) aliæque Gentes adventabant, fama ditis Regni, quod *Vannius* 30 per annos prædationibus & vectigalibus auxerat. Pugna itaque superatus, vulneribus adverso corpore exceptis; *Vannius* ad Classem in *Danubio* opperientem perfugit. Secuti mox clientes, & acceptis agris in *Pannonia* locati sunt, Regnum *Vangione* & *Sidone* inter se partitis, (uti alter citra *Marum*, alter ultra regnaret) exemploque *Vannii* auctoritate *Romana* regnantibus, eademque contra subjectorum odium tutis, unde etiam egregia adversus *Romanos* fuerunt fide, suo ne, an servitii ingenio? multa charitate, dum adipiscerentur dominationes, & majore odio, postquam adepti sunt. Ita *Vannius* triginta duos annos, usque ad *Claudii* Cæsaris Imperium, placide & molliter primum *Suevis* & *Marcomannis* ad *Albim* imperans, a propriis avunculis dominatu exactus, a *Claudio* Cæsare in *Daciam* translatus, interque *Marisium* & *Carisium*

 fluvios,

fluvios, ubi hodie *Transylvania Hungaria* sita, collocatus est & consenuit. *Tacitus* l. 12. Annal. c. 29. *Plinius* lib. 3. cap. 12. adde *Cluverium* in *Germ. Antiq.* l. 3. c. 31. *B. Rhenan.* lib. 1. *Germ.* Rer.

XXXVII. Tempore *Cl. Domitii Neronis Hermundurorum* & *Cattorum* bellum intestinum ob salis fontes, quos *Birckheimerus* putat hodie apud *Halenses* in *Misnia* cerni, gestum est, utraque autem illa gens *Suevica* fuit, unde Bellum illud *Suevicum* vocat *Crusius* l. cit. lib. 3. part. 1. cap. 8. ubi etiam de *Ansibariorum*, Gente a *Suevis* orta, gestis ista ætate sub clarissimo Duce *Bojocalo*, quædam tradit. De quo vid. plura apud *Tacit.* lib. 13. Annalium & *Cluver.* in *Germ. Antiq.* lib. 1. cap. 39. pag. 323. Cum deinde contra *A. Vitellium*, qui in Exercitu suo robora *Germanorum* habuit, *Fl. Vespasianus* a militibus Imperator creatus esset, conduxit hic ipse contra istum *Germaniæ* Gentes, *Sueviaque* Reges *SIDONEM* & *ITALICUM* circa Annum *Christi* 80. cum delectis popularibus in commilitium sibi adscivit. Gubernabant *Suevos* hi duo Reges, (a quorum altero *Eitelii* vox frequens fuit in nominibus propriis Nobilitatis *Suevorum*) usque ad *Vespasiani* Imperium, sub *Nerone*, *Galba* & *Vitellio*, per summa in populum Romanum obsequia, ut *Tacitus* lib. 19. Annalium refert, a *Romanis* cogniti. vid. idem lib. 3. Hist. *Stumpffius* in Chronic. *Helvet.* lib. 1. pag. 26. *Germanos* autem semper apud *Romanos* in prima acie constitutos, docet *Bebelius* in Encomio de veteribus *Germanis* cap. 13. exemplo *Sidonis* illius & *Italici*, Regum *Suevorum*, qui teste *Tacito* loco citato, cum delectis popularium primi in acie versabantur, dum contra *Vitellianos* Duces pugnabant, adeo ut non parum adjumenti ad *Vitellii* dejectionem, victoria præsertim *Cremonensi* reportata, Imperiique consecutionem, *Suevica* gens Ductoribus *Sidone* illo & *Italico*, contulerit *Vespasiano*, qui incertum diu & quasi vagum Imperium *Romanum* suscepit ac firmavit. Ab hoc parente cum filius *Titus Vespasianus* rebus *Judaicis* præfectus, copias ex omnibus *Romani* Imperii Provinciis adversus *Hierosolymam* colligeret, milites ex *Aventicensi* quoque Pago (Wifflißburger Göw) eundem quoque sumpsisse *Stumpffius* scribit lib. 4. cap. 21. ex Chronic. *Helvetiæ* veteribus: Illique expeditioni ex *Suevis* etiam agmen interfuisse dubium non est *Crusio* l. c. lib. 4. part. 1. cap. 4. ubi refert, Illustres Comites *Tubingenses* superiori adhuc Seculo literas habuisse dictum esse, in cortice arboris scriptas, quibus majores ipsorum a *Tito* jussi sint in eandem expeditionem ire, horumque unum nominari *Rabodum* vel *Rabotum*. Sed postquam *Crusius* de his literis quæsivisset, cum aliquot istorum Comitum *Tubingensium* studiorum gratia in Academia *Tubingensi* essent (*Hermannus* nimirum, *Alvicus* & *Conradus*, quorum hic Rector fuit Magnificentissimus in hac patria Academia anno superioris Seculi LXXXIV.) responsum se accepisse inquit, non amplius illas superesse, injuria Præfecti literarum rudis cum aliis scriptis amissas. Sed quicquid sit de ista traditione sane fabula sub illa latet, imo mox conspicitur, ut merito dubitetur, an ejusmodi literæ in cortice scriptæ unquam in familia Comitum *Tubingensium* extiterint. Ut enim antiquitati hujus Gentis nil derogemus, in illa tamen deducenda non debemus ad fabulas descendere. Sane *Sueviam* tempore *Vespasiani* Cæsaris Imperio *Romano* subjectam fuisse, ut bellum huic & expeditio in hostes *Romanorum* mandari potuerit, certum non est. Longe etiam alius Status *Germaniæ*, tum quoad dignitates & ordines civium, tum quoad alias partes Reipublicæ, tunc fuit, quam secutis Regum & Imperatorum *Francicorum* & *Saxonicorum* temporibus. Certe Comites quales hodie sunt & quales ipsi etiam *Tubingenses* fuerunt, *Germania Titi Vespasiani* tempore nec dum habuit. Nec *Romani* Imperatores talem dignitatem *Germanis* concedebant,

debant, nec etiam poterant, quippe sibi non usque quaque subjectis. Alios habet *Germania* Nobilitatis & dignitatum suarum fontes, qui satis illustres, satis antiqui sunt, si a *Germanis* Regibus & Imperatoribus *Francis*, *Saxonibus* & *Suevis*, etiam in Comitum ordine repetantur. Præficiebant quidem etiam *Romani* Provinciis in *Germania* a se subjectis *Comites*, juri dicundo in judiciis, sed hi ex peritia primo juris & legum, etiam privati & ignobiles genere sumebantur, & erant Magistratus, nullum Imperii Jus Summum, nec Superioritatem, quam hodie vocant, Territorialem habentes, adeoque longe diversi ab illis, quos *Germania* deinceps habuit, Comitibus, sub alio jam Imperii statu. De *Tubingensi* Palatinatu supra aliquid dictum est. vid. plura de hoc apud *Münsterum* lib. 3. Cosmographiæ pag. 613. addantur *Freheri* Origines *Palatinæ* c. 11.

XXXVIII. Imperante postea *Fl. Domitiano* Cæsare *Trans-Rhenani* & *Trans-Danubiani Germani* (inter quos & *Suevos* fuisse *Crusius* dicit l. c. cap. 5.) fœdere, quod antea cum *Romanis* habuerant, neglecto, *Rhenum* & *Danubium* transierant, *Galliamque* & *Rhætiam*, *Vindeliciam*, *Noricum*, *Pannoniam*, *Mœsiam*, *Romanorum* Provincias, igne ferroque devastarunt, Ducibus, quos *Domitianus* opposuerat, *Agrippa Pompejo*, *Oppio Sabino*, *Cornelio Fusco*, cum Legionibus suis cæsis. Tot erant exercitus in *Mysia*, *Daciaque* & *Germania*, *Pannoniaque* amissi, tot militares viri cum tot cohortibus expugnati & capti, ut jam non de limite & ripa Imperii *Romani*, sed de hybernis legionum & possessione Provinciarum dubitaretur, damna damnis continuarentur, atque omnis annus funeribus & cladibus insigniretur, nec jam de libertate sua *Germani*, sed de servitute *Romanorum* certarent. Empta tamen de ipsis Pax est, annis tributis constitutis, ut se trans *Rhenum Danubiumque* continerent, quemadmodum ex *Plinio Aventinus* in Annalibus *Boicis* confirmat. vid. *Tacitus* in vita *Julii Agricolæ*. Et tamen *Domitianus* falsum Triumphum e *Germania* ridicule egit, seque *Germanicum* in Nummis & aliis Monumentis ac Inscriptionibus publicis appellavit. vid. *Henrici Bebelii Justingensis Suevi*, Viri sua ætate doctissimi & in hac Academia Professoris Clarissimi, Encomion de veteribus *Germanis* c. 9. *Philipp. Bertius* Comm. *Rer. Germ.* lib. 1. c. 7. Præterea *Dio Cassius* lib. 67. Hist. mentionem facit *Marsyi*, Regis *Marcomannorum*, qui *Domitianum* Imp. adierit, qui tamen cum pro Legato missus fuerit extra civitatem, nomine magis quam re Rex fuit, & Princeps magis habendus, qualis etiam fuit *Vallomarius*, licet ejusdem Gentis Rex dictus, ad *Mallium Bassum* Præfectum *Pannoniæ*, teste *Petro Patricio* in Historia, ut observavit *Phil. Cluverius* in *German. Ant.* l. 1. c. 38. p. 318.

XXXIX. Sub Imperatore *Æl. Adriano* pax in *Germania* & *Suevia* fuit, ita ut compositæ pace *Germaniæ* Regnum restituisse feratur hic Imperator. *Naucler*. vol. 2. pag. 433. *Sueviæ* autem Gentem sub hoc Cæsare mitiorem factam scribit *Æneas Sylvius* de *German.* cap. 1. in qua prius nulla literarum cognitio, nulla legum disciplina & nulla bonarum artium studia, ipsa quoque religio barbara, inepta, ferina & brutalis. Hoc tamen falsum, quod *Sylvius* l. c. tradit, sub *Adriano* totam *Germanicam* nationem in potestate *Romanorum* & longe angustiorem brevioremque, quam modo sit, fuisse: Sub Imperatore autem proximo *Antonino Pio* inter *Germaniæ* & *Sueviæ* hodiernæ civitates *Brigantium*, *Acronii* lacus oppidum, a *Romanis* habitatum jam stetit, teste *Stumpfio* in Chronic. *Helvet.* lib. 5. cap. 9. a cujus nomine lacus *Brigantinus*, der Bregentzer See, sicut inferior Lacus a castro *Bodmena* (licet alii alias quoque

dent

dent derivationes) lacus *Bodamicus*, aut *Potamicus* appellatur, der Boden-See. Toti lacui nomen est *Acronius* lacus, de quo vid. *Cruf.* l. c. cap. 7. & lib. 11. cap. 2.

XL. Cum autem Imperium Romanum duo Augusti simul tenerent, *M. Aurelius Antoninus* Philosophus, & *L. Æl. Aurel. Verus Antoninus* anno *Christi* CLXVI. *Catti* & *Chauci* in *Romanorum Germaniam*, ac *Rhætiam*, *Vindeliciam* & *Noricum* irruperunt, quibus *Didius Julianus Aur. Victorinus* & *Helvius Pertinax* (postea Imperator) ab Imperatoribus istis oppositi fuerunt, qui rem non sine clade suorum gesserunt. Antea tamen cæsos *Cattos* multos in *Rhætiam Nordlingensem*, & in Tractum *Würtembergicum Romani* expulerant, paucis in sua terra remanentibus, quibus deinde *Saxones* quidam adjuncti, & hos postea *Hassos* nominatos *Crusius* l. c. lib. 4. cap. 8. pag. 81. ex *Aventini* lib. 2. & *Spangenbergerus* cap. 41. scribit. *Lazius* vero de Migratione Gent. lib. 8. pag. 461. & 62. paulo recentiorem facit *Hassorum* originem, & ad tempora *Justini* Cæsaris refert, verisimile putans, *Hassos* ab usque *Balthico* mari, ubi nunc *Prussia* sita, progressos loca a *Suevis* vacua derelicta insedisse, vel saltem *Suevorum* reliquis haud procul *Rheno* & in *Westphalia* post bellum illorum cum *Saxonibus* commiscuisse sese, confirmantibus utriusque gentis migrationes trajecto *Mano* oppididis, ab eo eventu temporeque constitutis *Suinforto*, quod *Suevorum* trajectum & *Hasfurto*, quod *Hassorum* trajectum significat. Jungatur his *Phil. Cluverius* in *Germ. Ant.* lib. 3. cap. 5. p. 21. *Knipschild.* de Civitat. Imp. lib. 3. cap. 49.

XLI. Sub. iisdem, qui dicti modo, Imperatoribus bellum contra *Romanos* gesserunt *Marcomanni* Natio *Suevica Bohemiæ*, ad *Danubium* usque, qui tunc *Pannoniam*, *Mæsiam*, *Illyricum* vastabant, & Ducem *Romanum Marcum Vindicem* occidebant, de quorum virtute bellica innumera extant exempla, & quorum præcipua gloria inter *Germanos* omnes, ut qui antiquissimis temporibus *Helvetios Gallos* ex iis finibus ejecerunt, quos hi *Mænum*, *Rhenum*, *Danubiumque* amnes, & *Hercynios* montes inter occupaverant; postea vero trajecto *Rheno*, cum. in *Galliam* a *Sequanis* contra *Heduos* vocarentur, omnem fere *Galliam Celticam* Imperio suo subjecerunt, mox *Bojos* etiam a *Bojobæmo* pepulerunt, multisque dehinc ac gravissimis cladibus *Noricum* ac *Rhætiam*, *Romanorum* Provincias, jam inde a *Marci Antonini* Principatu adfecerunt, quibus socii semper fuerunt contra *Romanos*, *Quadi* & his finitimi, *Jazyges Sarmatæ*. Hinc tantus belli *Marcomannici* timor fuit apud *Romanos*, scribente *Capitolino*, ut undique Sacerdotes *Antoninus* acciverit, peregrinos ritus introduxerit, *Romam* omni genere lustraverit, ac lectisternia *Romano* ritu per septem dies celebraverit. Profecti sunt in hoc bellum ambo *Augusti*, qui cum *Aquilejam* usque venissent, plerique hostium Reges cum populis suis ad se traxerunt. *Quadi* autem, amisso Rege suo non prius quam *Romanis* Imperatoribus placuisset, se confirmaturos eum, qui creatus erat, dicebant. Contra *Germanos* postea rursus exurgentes *Marcomannos*, *Nariscos*, *Hermunduros*, *Quados*, *Suevos*, *Sarmatas* & alios, res feliciter gessit *Marcus* Imp. maxime bello *Marcomannico*, quo *Pannonias* liberavit servitio, *Marcomannis* partim in *Danubii* transitu extinctis, partim in deditionem acceptis, plurimis in *Italiam* traductis. In isto bello *Marcomannico*, quod ita divina providentia administratum fuit, hoc memoria dignum extitit, quod cum *Romani* a *Quadis* inclusi essent locis opportunis, *Melitena* Legio, quæ *Christum* colebat, tunc præsens genua flectens ad terram usque, veroque DEO supplicans, pluviam ad reficiendum *Romanum* exercitum, & fulmina ad deterrendum hostes cœlitus impetra-

petravit, & sic *Romanis* gloriosissimam victoriam, & omnibus pœne antiquorum titulis præferendam, parvo militum numero, sed potentissimo *Christi* auxilio reportarunt. Quod etiam beneficium *Christianorum* militum intelligens *Marcus* Imperator gratum se præbuit: nam & Κεραυνοβόλον eam Legionem aplavit & mortem illis minatus est, qui *Christianos* accusare conarentur. Hanc Historiam *Lucianus* in Dialogo *Alexandri* nomine inscripto, sed aliter, ut homo gentilis & *Christianorum* acerrimus hostis describit, hinc veriora de illa, & plura vid, apud allegatos supra *Jul. Capitolinum*, *Eusebium* in Hist. Eccles. lib. 5. c. 5. *Tertullianum* in Apologet. contra Gentes, *Eutropium*, *Orosium*, nec non *Lazium* de Migrat. Gent. lib. 9. pag. 638. *Nauclerum* vol. 2. p. 487. & *Crus.* loc. cit. In ista autem memorabili pugna a *Marco* Cæsare victum commemorat *Hunnibaldus*, Annalium *Germaniæ* antiquissimus Scriptor, VARABERTUM, vel juxta alios, HEREBERTUM, qui *Trajani* ac *Antonini* temporibus rerum legitur in *Marcomannis* & *Suevis* esse potitus: qui autem ante hunc & post *Italum*, præfuerint *Suevis*, nondum invenire se potuisse, inquit *Lazius* de Migr. Gent. lib. 8. pag. 479. vid. Idem l. c. pag. 645.

XLII. Cæterum Imperatores *Antoninos*, *Pium*, *Verum* & *Caracallam* Legione VIII, quæ *Augusta*, *Pia* & *Fidelis* dicebatur, item Legione XXII, quam *Primigeniam*, *Piam* & *Fidelem* quoque vocabant, *Neccari* fluminis ripas pluribus in locis obsedisse, observavit *Joannes Heroldus* de Stationibus Legionum in vetere *Germania*, in quo libro allegat ipse Inscriptionem in oppido *Canstat*, certum testimonium Stativorum visam, & *Grutero* quoque in Inscript. *Rom.* p. 4. ex *Apiano* citatam:

IN. H. D. D. JOVI ET JUNONI REG. ET GENIO LOCI ET D. D. OMNIBUS. P. S. F. DIDIUS JULIANUS MIL. LEG. VIII. ANTONINIANÆ. B. F. COS. PRO SAL. SUA. ET SUOR. STAT. ITERATO POSUIT IMP. DIVI ANTONINI AUG. PII. ET. VERI.

Ergo ibi Stativa fuisse infert *Heroldus*, & inde nomen oppido esse inditum. Siquidem ex LEG. ANT. STAT. abjectis literis L. & E. ac G. in C. mutato CANSTAT. Sed ex his superstitiose quosdam haurire originem vocabuli *Canstat*, monet *M. Simon Studion* in opere manuscripto non minoris eruditionis, quam industriæ & laboris, ad *Fridericum* Ducem *Würtembergiæ*, de vera origine Serenissimæ & antiquissimæ Domus *Würtembergicæ*, una cum venerandæ antiquitatis *Romanis* in agro *Würtembergico* conquisitis & explicatis monumentis, ubi Author inter alia notat, omnium pessime, ut cætera quoque, hanc Inscriptionem legere *Heroldum*, melius & rectius *P. Appianum* in libr. vetust. Inscription. pro P. S. T. DIDIUS. legere, P. S. EDULIUS & ad LEG. VIII. addere AUG. verum omnium optime *Glandorpio* in Onomastico *Romano* literas istius Epigrammatis legi P. SEDULIUS JULIANUS MILES VIII. AUGUST. ANTONINIANÆ. Sed & male *Heroldus* in fine hujus Inscriptionis legit PII. & VERI cum sit legendum, PAT. ET. V. R. Patriæ & Urbi *Romæ*: adeoque hæc Inscriptio non est Impp. *Antoninorum*, *Pii* & *Veri*, qui etiam alia ratione male junguntur, ac si simul *Augusti* fuissent: sed est Imp. *Antonini Caracallæ*, cujus doctissima explicatio est apud *Studionem* l. c. qui ex


his & aliis Gentilium Antiquitatibus probat etiam, ditionem & Terram *Würtembergiæ* Principum semper habitatam & populosam fuisse, dum scribit: Credula & sinistra vulgi & eorum, qui sibi nonnihil esse videbantur, opinio sibi hactenus persuasit, hujus Ditionis *Würtembergicæ* loca antiquitus fuisse deserta, inculta, minimeque vitifera, & nil nisi ferarum & strygum spelea ac receptacula. Sed eorum judicium sinistrum refellunt Antiquitatis Monumenta non pauca, quorum magna pars in Horti Elysii illa nova & augusta *Stutgardiæ* Basilica Aulica & Principali, nimirum in quatuor ejus Turribus angularibus, etiamnum constituta conspicitur, quæ maximam partem a *Simone Studione* ex locis *Marpacho*, *Benningen*, *Boyngen*, *Steinheim* conquisita & ex parte empta, tandem Anno 1583. per *LUDOVICI Würtembergiæ* Ducis mandatum in dictum hortum transferri jussa: reliqua autem in ejusdem Territorii agris, vallibus, vinetis inventa, eodem sunt translata. Volebant scilicet *Romani*, addit his *Crusius* l. c. Legionibus X. hinc inde dispositis *Germanos* coercere, munitionibus ad *Rhenum*, *Danubium*, *Nicrum* factis, ad annos circiter 450. sed ne quicquam.

XLIII. Circa tempora autem *L. Septimii Severi* Imperatoris *Romani*, Seculo post *Christum* natum secundo vergente ad finem, *Suevi* qui ad *Albim* incoluerant, migrarunt in tractum *Germaniæ* Australem, trans *Mœnum* ad *Danubium*, *Nicrum* & *Rhenum*, imminentes ab una parte *Tribochis* & *Rauracis* (illis *Argentinam*, his supra *Basileam* habitantibus) ab altera *Rhætis* & *Vindelicis*. vid. *Stumpff.* in Chron. *Helvet.* lib. 22. cap. 2. Et tunc etiam *Würtembergia* a *Suevis* frequentata fuit, atque isto tempore creditur *Alemannorum* nomen ortum fuisse, ut non modo *Suevorum*, sed omnis etiam generis *Germanorum* concursus *Romanam* potentiam indignantium. vid. l. cit. cap. 11. pag. 88. Pertinent huc verba *Beati Rhenani*, qui judicio in omni antiquitate investiganda singulari fuit, lib. 1. Rerum *German. Alemanni inter Mœnum amnem, Danubium, Rhenum ac fontem Danubii, sive limitem, qui Rhætiam ac Germaniam dividit, novas sedes fixerunt. Non quod hanc latam Germaniæ partem ante tenuerint Germani, ac partim Suevi, sed quod tunc pauciores incolas haberet is tractus, & commodior esset, illinc ad Rhætiam primam, (ubi Algoia & alia) hinc ad maximam Sequanorum, (ubi loca Basileæ & Colmariæ) & primam Germaniam incursandam, opulentissimas Provincias, quod unum spectabant Alemanni. Quo nomine nihil ambigendum est, prioribus cultoribus gratum fuisse, consanguineorum suorum adventum.* Conveniunt his verba *Münsteri* lib. 3. Cosmogr. cap. 8. dum scribit: *Hoc certum est, Suevos ante duo millia annorum semper celeberrimum Germaniæ fuisse populum, quorum meminerunt omnes gentiles Scriptores, imo Suevi olim fuerunt veri & genuini Alemanni.* Post tempora autem dicti paulo ante Imperatoris *L. Septimii Severi*, & post Seculum a *Christo* nato secundum, res *Suevorum* immixtæ sunt rebus *Alemannorum*, & cœpit tunc novum veluti Regnum *Alemannicum*, in quo tamen non tam desiisse vetus *Suevorum* Regnum, quam restauratum novis auspiciis & viribus, & continuatum ultra dici potest.

XLIV. De moribus jam & ritibus antiquorum *Suevorum* egregia sunt, quæ *Julius Cæsar* in quarto libro Commentariorum scribit. Ubi equidem unius nationis *Suevorum* mores describere profitetur, at si ea cum illis, quæ postea Comment. lib. 6. de universa *Germanorum* Gente memorat, conferantur, eosdem plane esse facile quemvis deprehendere ait *Cluverius* in *Germ. Ant.* lib. 1. cap. 13. ubi quidem male *Cattos* a *Suevis* distinguit, sub quorum

rum gente illos comprehendi supra ostensum est. Addatur de his moribus *Tacitus*, & qui in libellum illius de *Germania* commentati sunt, *Althamerus*, *Willichius*, *Berneggerus* & alii. vid. de his quoque *Crusius* in *Annal. Suevic.* lib. 1. part. 1. c. 4. *Münsterus* in Cosmographia lib. 3. p. 580. 581. ubi *Suevorum* mores cum priscis confert. Adde alteram *Suevorum* delineationem apud *Lazium* de Migrat. Gent. lib. 8. vid. idem lib. 9. ubi etiam de Institutis illorum, Religione ac bellum gerendi disciplina, de Conciliis ac conventibus, deque Principum ordine, conditione atque cultu, gradibus denique dignitatum, nec non Insignibus & lingua plura refert. Addatur his quoque *Philippus Cluverius* lib. 1. *German. Antiq.* cap. 42. & seqq. & *Naucler.* vol. 2. Chronogr. Generat. 43. pag. 842. 847. ubi vetustissimæ veræque *Suevorum* laudes habentur.

XLV. Porro qui olim fuerit *Suevorum* Sermo, neminem facile pronunciaturum, inquit *Altham.* ad *Tacit.* pag. 32. Nihil enim uspiam in literis de *Suevico* Idiomate a veteribus relatum esse, nam suum Idiotismum habuisse *Tacitus* ostendit, dum inquit: *Marsingos & Burios Suevico sermone habituque usos.* *Gothorum* autem, *Hunnorum*, *Sclavorum* irruptiones & crebræ per *Germaniam* excursiones, passim corrupisse dicuntur *Germanismum*, & quanquam sit aliqua ratio loquendi communis omnibus ferme *Germanis*, tamen sunt singulis suæ dialecti & pronunciandi proprietates. Vitiatam parum linguam hanc facile credendum, quod in prolatione nominum propriorum observari potest, quæ vitiosissime vulgus *Germanorum* pronuntiat. Non tamen omnino mutatam ob Gentis *Germanicæ* virtutem & fortitudinem, quæ haud leviter recipiebat aliorum mores aut Tyrannidem, petita aliquoties externorum armis, sed nunquam tota victa. *Suevicam* igitur linguam eandem & *Germanicam* dixeris, majorem enim illi *Germaniæ* partem possederunt, & in communi *Suevi* nuncupati sunt, uti supra dictum. vid. iterum *Crusius* in Annal. *Suev.* part. 3. lib. 2. cap. 7. pag. 73. *Lazius* l. c. lib. 8. pag. 452. Excellentiss. Dn. *Hofmann.* in Lexico Univ. Historico-Geograph. Chronol. Poet. Philologico. v. *Teutoni.*



DISSERTATIO IX.

ANTIQUITATES LACUS BODAMICI CUM SPECIMINE HISTORIÆ LINDAVIENSIS

CAPUT I.

DE HODIERNA LACUS BODAMICI CONDITIONE.

§. I.

Lacus hujus antiquitates quando Academica hac dissertatione tradere in animo est, haud abs re fuerit, si prius Topographiam recentiorem, prout scilicet hodie sub conspectum uniuscujusque cadit, B. L. stiterimus, quo exinde vicissitudines rerum, statumque Bodamici lacus longe ab isto antiquo mutatum cognoscere possit.

§. II. Ante omnia autem non parum huic Historiæ lucis afferre poterunt scrutinia etymologica, quæ in evolvendis nominum, quibus lacus appellatur, originibus occurrere solent, quæque Scriptores rerum Bodamicarum plerumque observarunt.

§. III. Audit lacus Historicis antiquis aliis *Acronius*, quibusdam *Brigantinus*, nonnullis *Mœsius*. Dicitur quoque *Rheni lacus*. Quam maxime vero *Constantiensis* & *Podamicus* sive *Bodamicus* appellatur. Quæ nomina, quod ex varia variorum impositione sint orta, etsi nemo non videt, interim tamen, cum ἔτυμον cujuslibet scrutari proficuum videatur, ad singula brevibus redibimus.

§. IV. Ad Primum quod attinet, dicitur lacus Acronius, & quidem nominatim Beato Rhenano & Hermolao Barbaro, quorum primus *L. II. Rerum Germanicarum* denominationem hanc desumtam esse vult a vico illo Romano, hodienum dicto *Romisch-Horn*, quasi scilicet a veteribus sit *Crommans-Horn*,

Horn, five *Crommes-Horn* appellatus, id eft, *Cornu lacus incurvati Acronii.* Nec facile hic quispiam ipfi repugnabit, præfertim quando fententia isthæc de incurvato lacu probatum Hiftoriæ Patriæ fcriptorem, Joannem Stumpfium patronum habere videatur, de cujus rationibus inferius pluribus dicemus. Interim fi fides habenda eft vetuftiffimis Cœnobii Sangallenfis Scriptotibus, ex ipforum annalibus patet, pagum iftum nongentos & quod excedit ante annos non alio veniffe nomine atque *Romanes-Horn:* quod autem *Crommes-Horn* fuerit appellatus, ne verbulo indicare videntur, obfervante Stumpfio *P.* II. *L.* V. c. IX. *Hiftoriæ Helveticæ.* Quod fi autem incolis ita audiviffet, prout autumat Rhenanus, fequetetur & ipfum lacum majoribus noftris audiviffe der Crommesee. Neque tamen plane incongrua videtur hæc fententia, præfertim fi cum his contulerimus verba Ammiani Marcellini inferius, ubi de ultima lacus conditione agemus, producenda. Sufficiat nunc nobis monuiffe, hunc ipfum Hiftoricum quædam protuliffe, ex quibus cognofci poffit, veteres Germanos occafionem nactos effe, hunc lacum *Crommafee*, aut durius aliquantum *Acromafee* appellarent. Nec dubium, quod ipfe Rhenanus movet, hic obftare videtur, quafi Rhætis cæterisque lacus Bodamici accolis, quorum ætas in antiquiffima tempora inciderit, minus commode tribui poffit, quod fuerint Teutonicæ linguæ periti; namque ex Ægidio Tfchudo reponi poteft, omnino Rhætos, qui proximi erant paludibus feu lacui ifti, Germaniæ linguæ ante debellationem Romanam expertes non fuiffe. Quibus admiffis, ftare poterit fententia Rhenani, quam & ipfam nemini invidebimus.

§. V. Alii tamen lacum hunc Acronii nomen inde accepiffe putant, quod ubi latiffime fe extendit, etiam hyberno tempore calorem æftivum prodat. Neque hoc prorfus alienum eft a veritate. Nemo enim Hift ricorum omnes ipfius aquas unquam a frigore (quod tamen fæpius valde intenfum fuiffe novimus) congelatas memoriæ tradidit. Nam quod nonnulli provocant ad annum fuperioris feculi LXXII. & præfentis LXXXIV. ubi Lindavium inter & Fuffachium, itemque Sermattingam inter & Bodamum arcem facta eft congelatio, non tanti valoris argumentum effe putamus, cum a parte ad totum concludere, præceptis Logicorum adverfetur. Fac enim ad margines lacus aquas fuiffe congelatas, non tamen exinde confequetur, omnem omnino lacum ita fuiffe conftructum, ut undiquaque (uti contendunt) ficco quivis pede potuerit tranfire. Jam autem vox Acronius græcam agnofcit originem, & denotat aliquid minus gelidum, frigorique intenfo non obnoxium. Joachimus Vadianus in Epiftola ad Rudolphum Agricolam haud abfimile effe fcribit, quod hic lacus a Romanis, aut etiam qui primi accolebant, Helvetiis Acronius fuerit nominatus, hac ratione ductus, quod etiam ex adverfo mare illud magnum, Boream verfus fitum, Plinio l. IV. c. XIII. & XVI. & Ptolomæo *in defcriptione Hyberniæ* græco nomine κρονίῳ venerit, propterea quod gelidum nimis tempeftatisque hybernalis non expers fit. At hoc nomen ipfi a Saturno, frigidiffimo cœlefti fidere, & quod grave eft in omne caput, propterea quod ipfi fubjacet, dedere: Græci enim Saturnum κρόνιον dicunt. Nec eft, quod quis Græcanicæ linguæ ignorantiam objecerit Helvetiis lacus hujus accolis, cum ex ipfius Julii Cæfaris *l.* 1. *de Bello Gallico* clarum fit, Helvetios tum temporis Græcæ linguæ non ignaros fuiffe.

§. VI. Porro plurimis & tantum non antiquiffimis rerum Germanicarum Scriptoribus *Brigantinus* audit, & hoc quidem nomine venit olim Plinio *l.* IX. *c.* XVII. Pomponio Melæ *l.* III. Julio Solino *c.* XXIV. Strabqni *l.* IV. Ptolomæo *Geograph. l.* II. & Marcellino *l.* XV. Ultimus quidem lacum ipfius

oppidi nomine appellat, *Rhenus*, inquiens, *amnis lacum invadit rotundum & vastum, quem Brigantiam accola Rhætus appellat.* Lacui autem nomen suum quæsitum esse ab hoc ipso oppido, quod ad caput lacus est situm, quis dubitabit? cum non solum ipsum vocabulum, sed & itineris tractus & intervallum XX. millia passuum usque ad Arborem Felicem secundum *Itinerarium* Antonini conficiens, maxime id indicent. Cui autem tractui, Vindelicorumne an Rhætorum, accensendum illud sit, controversum hactenus est inter Germaniæ Scriptores, quorum alii cum Strabone, qui Vindelicis illud tribuit, faciunt, alii vero cum Ptolomæo, qui Brigantiam Rhætis non solum assignat, sed caput totius Rhætiæ esse dicit. Felicissimus ille ibit hac in re dijudicanda, qui sedulo tractum, quem Brigantii tenuerint, scrutabitur, quemque incoluerint Rhæti, de quibus inferius prolixius agemus.

§. VII. Præterea a quibusdam appellatur *Moesius.* Quando autem ac unde acceperit hoc nominis nostrum non est definire. cum nondum in manus nostras venerit Scriptor, qui hac de re fuerit sollicitus.

§. VIII. Dicitur etiam Rheni lacus, eo quod flumen hoc a lacu excipitur, quin quod ipsum etiam bonam partem genuerit. Rationem nobis forte Ammianus Marcellinus *l.* XV. tradet, cujus verba integra afferemus. *Intra montium celsorum anfractus impulsu immani Rhenus discurrens, extenditur per Lepontios, perque deciduas cetaractas inclinatione pernici funditur, ut Nilus torrente ab ortu protinus primogenio copiis aquarum propriis irruenti cursu simplici. Jamque adjutus nivibus liquatis ac solutis, altaque divortia riparum adradens, lacum invadit totundum & vastum, quem Brigantiam accola Rhætus appellat, perque* CCCCLX. *stadia longum parique pene spatio late diffusum, horrore sylvarum squalentium inaccessum (nisi qua vetus illa Romana virtus & sobria iter composuit latum) Barbaris, & natura locorum & cæli inclementia refragante. Hanc ergo paludem spumosis strependo verticibus amnis irrumpens, & undarum quietem permeans, pigram mediam velut finali intersecat libramento, & tanquam elementum perenni discordia separatum, nec aucto nec imminuto agmine, quod intulit, vocabulo & viribus absolvitur integris, nec contagia deinde ulla perpetiens, Oceani gurgitibus intimatur.* Mela quoque *l.* III. *c.* II. testatur, *Rhenum ab alpibus decidentem, prope a capite duos lacus efficere Venetum & Acronium.*

§ IX. Sed ad ultima duo vocabula eaque vulgo receptissima pergendum est. Vocatur enim plerumque *Constantiensis* & *Bodamicus* seu Potamicus lacus, sive der Bodensee. Et hoc quidem nominis accepisse videtur a veteri illa ad ultimos lacus terminos occidentem versus sita arce *Bodmen*, a qua der *Bodmersee* audit, vel si mavis, der *Bodmansee.* Walafridus tamen Divitis Augiæ Abbas scribit, lacum hunc juxta Græcorum Etymologiam dici ποταμικὸν, sine dubio, quod ποταμὸν Græcis idem sit ac fluvius seu amnis, lacusque ab interfluentibus Rheno aliisque fluminibus hoc mdo dicatur ποταμικὸς sive *Potamicus.* Contra Sebastianus Munsterus aliique eum secuti putant, a summa sua profunditate dici *Bodamicum*, quas conjecturas suo loco relinquimus. *Constantiensis* denique urbe *Constantia*, quam alluit, nuncupatur, qua de Urbe in progressu Historiæ plura subinde dicenda occurrent.

§. X. Est autem lacus hic Bodamicus in superiori Germania ad terminos Sueviæ & Helvetiæ situs, hancque ab illa secernit, prout observavit Philippus Cluverius in *introductione ad Geograph. L. III. c. VII.* Dividitur in Superiorem & Inferiorem, & hic quidem fere audit *Venetus*, itemque *Cellensis*,

lensis ab oppido Cella, ad margines ipsius lacus sito. Pomponius quidem Mela Acronii nomen Inferiori, Superiori Veneti videtur assignasse, eoque ipso naturalem ordinem invertit.

§. XI. Videndum nunc, qua sui parte ab isto Superiore Inferior lacus separetur. Nimirum terminatur superior Constantiæ, ubi Rhenus ex Acronio lacu effluit, & in alveum redit, quo per pontem devectus, sese iteiterum Veneto lacui immergit. Hic ab illo secernitur per continens quoddam, quod Boream versus margines superioris concludit lacus, & dicitur vulgò **das Ried.**

§. XII. Magnitudinem hujus lacus ab externis Scriptoribus diversimode annotatam deprehendimus. Imprimis vero Strabo, qui Tiberio imperante vixit, multamque in delineandis & describendis istis regionibus, quas idem Imperator armis perdomuit, operam collocavit, ita de his aquis *l. VII. Geograph.* post narrationes de Bojæmo Hercinia Sylva scribit: *Prope hanc regionem est Istri & Rheni & lacus inter horum fontes situs, & paludes a Rheno effusa. Lacus in ambitu stadia habet amplius trecenta, trajectum prope ducenta:* (quorum illa milliaria Germanica communia efficerent 9⅜ hæc 6¼ milliaria.) Ammianus Marcellinus, qui Historiam suam tempore Valentiani conscripsit, milesque has ipsas oras invisit, magnitudini lacus haud parum addidit, inquiens, *Rhenus lacum invadit rotundum & vastum, perque CCCCLX. stadia longum, parique pene spatio late diffusum.* Ex quibus quando peripheria lacus colligeretur, ad stadia circiter cIↄ CCC LXXX excresceret. Æneas Sylvius scribit, omnem lacus circuitum comprehendere ducenta millia passuum, quod efficeret secundum computum communem quinquaginta milliaria Germanica. At vero, quam longe hi aberrarint a vero, mox videbimus, quando ostenderimus, quantum hujus & superioris ævi Scriptores, quorum multi omnem vitam suam in confiniis lacus degerunt, atque non nisi Historiæ Patriæ, aliarumque regionum finitimarum accuratius describendæ incubuerunt, abierint ab antiquis antiquorum scriptis dictisve.

§. XIII. Exhibent sese hac in re præ ceteris studiosos Stumpfius *in Chronico Helvet. L. V. c. IX.* Munsterus *L. III. Cosmogr.* Crusius *in Annal. Suevicis P. I. L. XI. c. II.* Zeilerus *in Itinerario Germania*, aliique; quippe horum computatio haud inconveniens est illi, quam nonnulli lacus accolæ nobis tradiderunt, nempe per sex aut septem ferme milliaria communia longum, spatio autem duorum aut ad summum, trium milliarium late diffusum esse. Aulii autem, & qui lacum quotidie navigant, a Brigantio ad Bodamum arcem usque Germanica milliaria magna quinque, trajectum vero Buchornio Rorschachium II. numerant, quæ quando cum prioribus conferuntur, parum inter se differre invenimus. Et his quando studiosus Lector peripheriam lacus collegerit, facile forsan patebit, quantum differat hodiernus ab antiquorum computo, quantumque hi peccarint in dimetiendis undis.

§. XIV. Ingentem hanc aquarum molem innumeris suis sustentari fontibus credibile est, ac multum insuper augeri ab amnibus, quorum alter sedatus alter non nihil incitatus in lacum devehitur, ratio suadet. Sunt autem præcipui, quos excipit lacus, nominatim, Schussa, Arga, Aachum, Bregenz, Fussach, Goldach, Steinach, Salmsach &c. plurimum autem incrementi præter hos lacui afferre putamus, ipsum fluviorum (ut ita loquamur) Cæsarem, Rhenum, qui, ut Vechnerus *in Breviario Germ.* ex aliis notavit, in summis illis

illis contiguis Alpibus, quibus Gothardæ & Adulæ, vulgo *Vogels* nomen est, nascitur, exindeque per valles, quas Regusci populi olim incolebant, haud absque incommodis fertur, donec tandem non ita longe a Reineccio oppido lacum invadit, ita ut per totum ferme milliare suo alveo, nullibique aquis Acroniis mixtus fluat. Qui mirabilis Rheni fluxus multis, cum veteris tum recentioris ævi Historicis fabulandi occasionem dedisse videtur, adeo ut tandem sibimet persuaderent, Rhenum aquis Bodamicis sese prorsus non immiscere, sed prout de Arethusa Arcadiæ fluvio produnt, nullis alienis receptis aquis per medium lacus angusto alveo coercitum defluere, & Constantiam prope per pontem incitatiori cursu ad ostia maris tendere. Videtur autem Marcellinus reliquis Historicis fabulam primum dictitasse, *L. XV.* scribens: *Hanc ergo Paludem* (Brigantinum lacum) *spumosis strependo verticibus amnis* (Rhenus) *irrumpens, & undarum quietem permeans pigram mediam velut finali intersecat libramento, & tanquam elementum perenni discordia separatum; nec aucto, nec imminuto agmine, quod intulit vocabulo & viribus absolvitur integris, nec contagia dein ulla perpetiens, Oceani gurgitibus intimatur: quodque est impendio mirum, nec stagnum aquarum rapido transcursu movetur, nec limosa sublivie retardatur properans flumen, & confusum misceri non potest corpus, quod ni ita ipse doceret aspectus, nulla vi credebatur posse discerni.* Mirum autem, quod ferme omnes, qui postea lacus Bodamici descriptionem suscepere, tanquam Deum & ducem in Historia istum sint secuti, ac ipse Thuanus *L. II. de vita sua*, ubi itineris sui per Lacum Acronium mentionem facit, assensum præbuerit. Sed quam vana hæc sint, dudum Munsterus & alii lacus Bodamici accolæ ostendentes, anilem esse fabulam merito dixerunt. Etenim clare satis patet, quod Rhenus mediis in aquis Acroniis sese prorsus abdat, sicque conditus iis & mixtus, per multa stadia labatur, donec tandem, ubi lacus angustioribus ripis coarctatur, Constantiam prope ex Acroniis fluctibus emersus, Rheni nomen denuo sibi arcessit, & ipso illo angusto alveo, quo per pontem defluit, aquas Acronianas secum deducit, Venetoque lacui immittens, porro ad Oceani ostia devehit.

§. XV. Commoda & amœnitates, quas lacus profert, satis laudare nequeunt Historici, & parum abfuit, quin ipse Thuanus hunc tractum ceteris Germaniæ regionibus longe anteferret, primasque inter omnes ipsi assignaret partes. Ita enim tam de utilitate, quam amœnitate ejus loquitur; *Circumeundo lacu nusquam jucundior oculis species obversata est, miti clivo ab utraque parte per vitiferos colles, qui in aquis pellucent, descendente.* Sic Crusius, sic Stumpfius aliique, qui Topographiam lacus edidere, amœnissimum hunc Germaniæ tractum satis deprædicare nequiverunt. Præcipue vero magni æstimatur lacus ob alimenti copiam, quam innumeros varii generis pisces suppeditando præbet. Nec dici potest, quantum utilitatis habeant ponderosæ naves, quibus accolæ nocte dieque tuti lacum navigantes, cum finitimis populis societatem interruptam colunt, pretiosissimasque inter se permutant merces, quibus deponendis aut servandis, tutissimi portus, œnopolia, granaria & alia ædificia ampla undique locorum sunt extructa.

§. XVI. Aeris denique temperies, cum alibi in mediis æstatis caloribus, maligni sideris vi subjecti agri & oppida ardent, hic mirabilis est. Perflant lacum suavissimæ auræ, nullisque tetris contagionibus graves, gelidissimæ aquæ plurimis locis scatent, fontes pellucidi percurrunt campos, lætissimaque cœli solique facies est. Neque tamen inficias ibimus, & suas vices hybernum tempus observare, sæpius niveis aggeribus & alto gelu informem jacere terram glacie-

glacieque cursus aquarum frenari, attamen *vernis cum lux superata tenebris*, cœlum omne mutato ingenio renitescit, fructibusque maturandis ita propitium est, ut nonnulli proficiscentium olim alteram Longobardiam dicerent. Nec abs re: cum & Italicæ fruges, cum alibi, tum potissimum in Augia divite, stato tempore maturitatem suam expectent & mitescant.

§. XVII. Restat, ut de accolis & incolis hodiernis nonnulla in medium proferamus. At vero quoniam diversissimi ingenii populos ac nationes tractum hunc incolere constat, hoc saltem cum pace omnium dicimus, & probos & improbos, & nobiles & ignobiles, & doctos & indoctos semper aluisse viros, pluresque omnino, si voluissent aut adhuc vellent, majori studio atque industria sibi a Deo concessa dona curare potuisse ac posse, atqui hactenus præstiterint; prout hæc omnia olim jamjam Illustrissimus Comes a Fontenade probe animadvertit, simulque egregie ostendit, quomodo damna, diversis hactenus locis nulla urgente necessitate facta, resarciri possent. Interim nec est, quod quis in obscuro nobiles eruditosque hujus regionis hactenus vixisse putet. Equidem non solum amplissimæ urbes florentissimos ostentant mercatores, sed & bella prædicant armis exercitatissimos Duces & Nobiles, & curiæ viros prudentissimos, & templa Doctores celeberrimos recenti colunt memoria. Lindavia sola sit testis nostra. Quem eruditorum fugiet, quot & quam egregie indolis posteros, Nobiles isti, qui ab aliquot seculis urbem hanc ornavere, Patriæ & finitimis regionibus (ut tutores) reliquerint? Non tamen multi erimus in recensendis tot Illustrium Lindavia oriundorum virorum nominibus, qui plurimas S. R. I. Abatias summa cum laude administrarunt, quorum catalogum Crusius in *Annalibus* suis diversis in locis contexuit, nec eorum, qui Weingartense & Ochsenhausiense Monasterium hodienum curant, sufficere poterunt, tot Comites, tot Duces Nobilesque, quos longa serie Knipschildius *de Civitatibus Imperii* recenset. Sic & summæ eruditionis nomine variis authoribus multum multi celebrantur, verbi gratia: Thuano, *Jacobus Zieglerus*, Bruschio *Hentznerus*, Frehero *Achilles Gassarus*, *Joh. Pappus*, *Marpachius*, *Vabrenbuhlerus* aliique. Inprimis vero dies nos docuit, quid omnium ore celebratissimi Viri, *Daniel & Valentinus*, *Heideri*, *Doctores*, summa sua cura, studio atque prudentia ad patriæ utilitatem contulerint.

§. XVIII. Ultimo denique catalogum sistimus Dominorum, qui civitates tractusque ad lacum Bodamicum sitos tenent, suntque sequentes. Caput totius lacus Dominum suum agnoscit Invictissimum Romanorum Imperatorem Leopoldum, vel ratione habita utriusque tractus Brigantini & Phaniensis, dominiumque hoc ad Rhenum usque lacui sese immergentem extendit. Proximam ab hac lacus parte tenent Helvetii, & prima quidem, quæ in ordine sequitur, est Prætura Reineccensis. Hanc sequitur Abbas Sangallensis, ejusque ditio, mox Arbona Helveticum oppidum, Episcopo autem Constantiensi subditum; iterum Prætura Turgoviensis; hinc sedes Episcopalis & perantiqua urbs Constantia. Inferior lacus alluit Augiam divitem & Cellam Ratolfi oppidum. Retrogredienti occurrit Petrusianum monasterium, quod ponte Constantiæ junctum est, & lacui Brigantino adjacet, unde brevi trajectu Insula vetustissima Ord. Teutonici Equitum & Commendatorum, Mainaugia, pertingitur. Hinc littus legentibus castrum & pagus Imperialis Bodamum, vulgo Bodmen, primum Alemanniæ Ducum, dein Cæsarum sæpius domicilio nobile, Burggraviorum Imperii vetustissimorum denique sedes occurrit. Inde dextram versus Sernatingam, Supplingam & Uberlingam, fidelem Cæsari Imperialem Urbem, iter est. Ulterius pergenti in conspectum venit Marisburgum, oppi-

dum Episcopale cum arce Principis situ & opere elegantissima, & Eremitica ditio Ittendorffensis: porro S. R. I. oppidum Buchornium, magni olim nominis & mercimoniis ditissima & frequentissima urbs, visitur: deinceps longo continentis in mare excursu, Longa Arga, castrum inprimis nobile, & pagus Comitum Montfortiorum; dominium itidem Wasserburgicum, cum arce ejusdem nominis præstante cernitur. Ultimo libera urbs & Imperialis Lindavia, quæ non nisi ponte & navibus aditur, situ & opere munitissima, mercibus frequentissima, in Augia sita spectatur. De quibus quoniam passim in progressu historiæ plura dicenda venient, topographiæ lacus Bodamici hisce colophonem imponimus.

CAPUT II.

DE

ULTIMA ET ANTIQUISSIMA LACUS BODAMICI CONDITIONE.

§. I.

Ultimam in conditionem lacus quando hic inquirimus, ex omni parte mutatam ab hodierna reperimus. Magnitudinem enim si spectamus, longe majorem olim hodierno suo ambitu fuisse, ex historicis constabit, accolas itidem diversissimos agnovisse probabimus, non tot urbes, non alia castella littora ejus, sicut hodie, ornasse, ut verbo dicam, sylvis pleraque squaluisse, & secundum Marcellinum, *horrore ipsarum lacum* Bodamicum *inaccessum fuisse, natura locorum & cœli tum temporis inclementia refragante, donec tandem Romana illa virtus & sobria iter composuerit latum*, ex inferius dictis patebit.

§. II. Magnitudinem lacus olim ampliorem fuisse, diximus. Atque id facile liquet ex dictis Ammiani: addit autem Stumpfius, ex Ammiani verbis colligi posse, Reineccio oppido propinquiores olim aquas Acronianas, quæ natura nimis palustres erant, defluxisse: at vero, postquam saxa arenaque, quam torrens amnis Brigantini secum ex Alpibus deductam, lacui immisserat, continens æquavisset, factum esse, ut & lacus incurvata sua forma, quæ ipsi alias Acronium nomen dederat, missa, recto ferme lapide simul cum Rheno sit delapsus. Nec sane nos hæc Ammiani sententia fallet, cum experientiam testem advocare queamus. Quis enim accolarum tam hospes in regione, ut ignoret, quantam quotidie arenæ molem supra dictus amnis aquis immergat? ita ut vel maxime exinde liceat colligere, ipsum hunc amnem alias alveo suo olim ad Hardam vicum usque delabentem, tandem Augiam majorem prope Brigantium oppidum produxisse, qui tamen antea superius aliquanto in lacum Bodamicum suas evolverit aquas. Videatur Stumpfius *Lib. V.* qui ibidem alia exaggeratorum lacuum & marium exempla refert.

§. III. Ad accolas quod attinet, fuere Rhæti, Vindelici item & Helvetii, vetustissimæ nationes, quorum quando nomina, ortus, sedesque demonstra-

monstraverimus, haud frustra laborem nostrum fore credimus. Animus autem est de singulis memoratu digniora tribus sectionibus tradere, quarum prima continebit Rhætorum, altera Vindelicorum, & tertia denique Helvetiorum præcipua acta. Sit ergo

SECTIO I.

DE

RHÆTIS.

§. I.

RHæti, qui quasi caput totius lacus tenent, dicti & orti sunt a duce suo *Rhæto*, qui quidem populos hosce, natione sua Tuscos, Italiæ olim incolas maxime potentes, a Gallis devictos, avitis sedibus amissis, ad Alpes tanquam fida tutaque sibi domicilia deduxit, incultam terram ipsis distribuit, & proprium cuilibet inhabitandum locum assignavit, suoque nomine ipsos Rhætos appellari voluit: quæ gens etiam posthac ita est efferata, ut omnem tandem Tuscorum facilitatem humanitatemque quasi abnegaret, solum linguæ sonum, licet haud incorruptum, sibi a Tuscis retinens, prout de his legi merentur Plinius *Hist. L. III. C. XX.* Justinus *L. XX.* Livius *L. V.* Gabrieli tamen Bucelino, gente Rhæto, non arridet sententia, quæ a Rhæto duce Rhætiam nomen suum mutuasse tradit, rato scilicet, de Rhæto isto, quisnam & an unquam fuerit, non constare, & si maxime fuisset, multo ante natum Rhætum hoc nomine regionem istam appellatam esse. Ita autem in *Chronologia sua Rhætica* sub initium proœmii disserit: *Rhætiam a Rhæto duce qui cognominant, haud improbabiliter primum nobis agere sunt visi, siquidem ejus nomini Principem, sive Heroem magis conspicuum fide & autoritate veterum scriptorum redderent, quam cognominatione castrorum, tanquam a Rhæto structorum, quorum omnium origines aque fluctuant, atqui conditoris nomen, dum nihil ad certos annos, nihil ex tabbulis publicis, omnia solis conjecturis, iisque insolidis & merito suspectis afferuntur. Et fuerit Rhætus aliquis ex Etruscis, ut ex Romanis M. Rhetius, sive is qui Massiliam abiit exploratum auxiliares copias Hannibalis, qui anno V. C. DLXXXIV. Romæ prætorem egit; multo tamen & bis & illo Rhætia nostra antiquius nomen fuit, ita ut ab hac illos multo probabilius cognominatos, quam hanc ab illis, etsi propterea id minime asseveremus.* Adducit autem idem Bucelinus alia fundamenta, quibus isthæc nominis ratio innitatur, scilicet priscum aliquod Etruscorum Numen, *Deam Arethiam* sive *Rhætiam* dictam fuisse, a qua, quod nomen Rhætorum ortum sit, se nihil dubitare, ait. Aliam Cassiodorus, at miram habet Rhætiæ Etymologiam, a retibus eam dictam putans. Verba ejus ex Lib. VII. Ep. IV. adscribemus: *Rhætiæ namque munimina sunt Italiæ & claustra Provinciæ. Quæ non immerito sic appellata esse judicamus, quando contra feras & agrestissimas gentes velut quædam plagarum obstacula disponuntur.* Nos quidem his de sententiis lites nemini movebimus, interim tutiora & plerisque scriptoribus receptissima sectabimur, & hanc terram a Rhæto duce, quod plurimis imo omnibus fere placuit, hactenus cognominatam credemus. Confer Ægidium Tschudum, Stumpfium, Munsterum & alios, cumprimis autem Marcum Velserum, Illustrem Augustanæ Reipublicæ Duumvirum in opere, quod de rebus Augustanis conscripsit Lib. I. ubi non so-

lum Cassiodori notationes non tam pro vera etymologia, quam allusione quadam se habere integre est confessus, sed & antiquiorum consensum secutus, in Rhæto duce acquievit.

§. II. Sedes hujus gentis varie variis temporibus mutatas reperimus. Mox enim a primis possessionis suæ annis ab omni parte regionem suam dilatabant, mox iterum a vicinis populis expulsi aliquantum coercebantur. Quoniam vero pro tempore has rerum vicissitudines tradere in animo non est, de certis saltem Rhætiæ antiquæ limitibus dispiciemus.

§. III. Diximus autem superius, Rhætos, simul ac avitas sedes amiserint, & Italia fuerint expulsi, transiisse Alpes, ibique cis alpinas & transalpinas, non tamen ita late diffusas, fixisse sedes. Describebatur autem Rhætia ultima his terminis, ab oriente Noricos Tridentinasque Alpes; Oenus amnis a Rhætia summovebat; a meridie, qua Italiam spectat, Larius lacus fines ponebat; occidentem versus Helvetici campi ac juga Rhætiam signabant limitibus; a septentrione tandem confluentes Rheni, & post dilatationem, Lycus amnis & Brigantinus lacus finiebant antiquissimos Rhætiæ campos.

§. IV. Quod Ptolomæus & alii scriptores Rhætiæ agros spatiosiores faciunt, atque Strabo *L. IV. & VII.* Stumpfius *L. X.* Tschudus *in libro de Rhætia* non sunt ea de antiquæ Rhætiæ limitibus intelligenda. Novimus enim, quod, quam primum alpina & sylvestris regio nationem isthanc efferavit, rapinæ sese dederint singuli, omnique studio eo laborarint, ut montana juga dilatarent, & steriles Alpes cum fructiferis Helvetiæ, Italiæ & Bajoariæ campis permutarent. Deprædationes autem hasce ita Strabo *L. IV.* describit: *Deinceps montium partes, quæ ortum spectant, & ad meridiem vertuntur, Rhæti & Vindelici tenent, Helvetiorum & Bojorum contermini, quorum terris imminent.* Et paulo post: *Omnes hi cum Italia vicinas partes assiduis incursionibus vexaverunt, tum Helvetiorum, Sequanorum, Bojorum & Germanorum.* Porro: *Petulantissimi Rhætorum habiti sunt Runcantii & Cotuantii.* Ex quibus Strabonis verbis vel hoc colligere quivis poterit, latrociniis & rapinis deditas gentes, alias pauperes, sibimetipsis hac in re semper providisse, istosque terrarum tractus spectasse, unde sibi alimenta sumerent: quo omnino fieri potuit, ut hinc inde terminos dilatarent, & sic permultos cum Italorum tum Helvetiorum agros ad suas traherent partes, quod tempore Julii & Augusti Cæsarum factum legimus. Hos tamen agros veræ & antiquæ Rhætiæ limitibus cur accenseamus, nulla nos movet ratio. Ptolomæum autem quod attinet, credimus, illum Rhætiam talem delineasse, qualem ætas ista ipsi conspiciendam stiterit, Rhætiam scilicet secundam, sive Vindeliciam cum antiqua conjunctam. Vide Stumpfium *L. X. c. IV.* Atque hæc de finibus Rhætiæ.

§. V. Populos tandem hujus antiquissimæ nationis varios brevibus sistemus. Varie autem a diversis scriptoribus divisam esse totius Rhætiæ gentem, reperimus. Aliter enim Strabo, aliter Ptolomæus, aliter alii distinxere, nos ex singulis iisque optimis tutissima legemus, & ita hanc historiam tractabimus, ut Rhætiæ divisionem ad quatuor mundi plagas accommodemus. Ægidius Tschudus Glaronensis, & post ipsum Stumpfius *in Chronicis*, accurate nobis Rhætiam descriptam reliquere; & si ingenue fatendum esset, vix alios tutius nos sectari posse diceremus, quippe qui tanti in historia finitimarum regionum, imo totius Imperii Romani viri fuere, quantos unquam orbis literatus vidit. Posuere hi inter primos Rhætiæ antiquæ populos *Engadinos*, qui finibus

bus Rhætiæ ab ortu spectatæ contermini sunt, & ab oppido & tractu Engadini nomen habent; quod Rhætice ita sonat, *en code Ino, i. e. ad caput Oeni;* & sic Engadini isti populi sunt, qui ad fontes Oeni domicilia sua collocarunt. Hujus tractus inferior pars Tirolensi Comitatui hodie subdita est, altera vero superior scilicet, quæ simul & spatiosior est inferiore, Rhætiæ hodienum adscribitur, & dicuntur incolæ **Fünfsterműnger**. Porro ab ortu Rhætiam terminant Vennones, populi ad Athesin amnem siti, quibus sub continentur, qui hodie Vallem Venustam incolunt, & qui in valle vulgo Münsterthal dicta, item arvis Malseriis (Malserheyd) inhabitant. Et hæc de istis qui orientalem habebant Rhætiam.

§. VI. Ad meridionales quod attinet, Stumpfius ait, eos fuisse Vennonetes, complectentes simul Veltolinos, Bregalios & Gampolschinos, qui omnes transalpinas occupaverunt sedes. Veltolini quidem dicti sunt a vinifera valle Tellina, & quidem post immigrationem suam in has terras. Plinius enim de his populis scribens, lib. III. c. XX. putat, forsan accidisse, ut hi olim Vennonetes dicti, postea temporis mutato in his terris linguæ sono, mox Vennones, mox Veltolini sint appellati, & sic usu loquendi hanc denominationem ita valuisse, ut per istos vocabulum Veltolini (sic enim vel in præsentem diem audiunt) ad nos quoque devenerit. Hi populi ab ortu supradictos Vennones vicinos habent, a meridie Camunos (Canunos) vocatos, & hodie Venetorum Reipublicæ addictos, a quibus Alpibus secernuntur, qua in occasum vergit Comensis lacus, & Triumpilini sic dicti populi fines ponunt; qua autem in septentrionem Perminua mons, vulgo **der Berlinger**/ a reliquis Rhætis vallem-Tellinam disterminat. Reliquis duobus, Gampolschinis scilicet & Bregaliis populis valles, quas occuparunt, nomina dedere.

§. VII. Occidentem versus Rhætia nobis sistit Lepontios & Ætuatios. Hi populi juxta Strabonem & hisce in locis nomen ab antiquis acceptum retinuere. Lepontii quidem partim superioris, partim inferioris Rheni fontes attingebant, & contradistinguebantur illis, *qui Lepontii Taurisci* dicebantur, tractumque Helveticum Urensem incolebant, & illis *qui Lepontii Viberi* vocabantur, ad Rhodanum domicilia sua habentes; iterum illis qui Ticino fluvio adjacebant, *Lepontinis* dictis. Unde autem his omnibus Lepontiorum venerit nomen, nostrum non est definire, cum tot eruditi & antiquissimi Scriptores sileant, licet forsan facile ἔτυμον probabile produci posset. Hoc notatu dignum de his populis invenimus, quod licet alias de ipsorum ortu certo non constet, Plinius tamen loco laudato de ipsis prodat, Herculem olim Alpes cum exercitu transeuntem, hos quasi præsidiarios (uti Commentatores addunt) reliquisse, atque montium juga ipsis defendenda distribuisse, quæ etiam ad hæc usque tempora obtinuerint, ipsisque sint dominati. Quod autem hi Rhætiæ populi fuerint, probat Strabo *L. IV.* & Stumpfius *L. X. c. XI.* Quod ad Ætuatios, nec de horum nomine rationem Etymologicam scriptores suppeditant; corrupte hodie dicuntur *Tavetschii*, ab oppido quodam Taverschio dicto, quod occidentem versus ad caput anterioris Rheni est situm. Ab his orti sunt, ut autumat Ægidius Tschudus, Tuveratii sive Tuverasci, de quo tractu non satis certo constat, si tamen conjecturæ hic locus esse potest, sedes ipsorum fuere Ilantium inter & Disentim oppida. Et hæc de occidentalibus Rhætiæ incolis.

§. VIII. Restat, ut & Septentrionales tractus invisamus. Hic autem primi & in meditullio quasi totius Rhætiæ, Canini populi occurrunt. Dicti hi

hi sunt a cana, quam incolunt; terra & hodienum quoque hoc suum antiquissimum nomen retinent, ad differentiam aliarum regionum, quibuscum fœdere non deleturo canæ hujus Rhætiæ incolæ sunt juncti. Regio isthæc sita est Mediolanum inter & Brigantinum lacum. *Curiam* totius regionis caput agnoscunt, & incolæ sibi persuasum habent, Constantium Cæsarem castra ibidem & curiam Imperialem habuisse, cui & hodienum Curia urbs nomen suum debeat. Hoc saltem de his gentibus observandum, quod quousque sese olim cum Runcantiis & Cotuantiis extenderint, Rhætia antiquissima & quæ fuit tempore Julii Cæsaris genuina, terminos suos produxerit, de reliquis autem, quos supra memoravimus populis, quod ii tempore belli Romani semetipsos Rhætis genuinis junxerint.

§. IX. Runcatios, quos Caninis Boream versus proximos, & Acronio lacui aliquanto propinquiores diximus, quod concernit, ἐπιμωτάτους Strabo æstimavit. Unde ortum ducant non exprimunt scriptores. Stumpfius ipsos ante incolas hujus regionis fuisse putat, quam Tusci post Rhæti dicti, Alpes occupaverint. Posterioribus seculis regio ipsorum Ruchengow dicta est. Et sane supersunt hodie arces & oppida, licet diruta pleraque, quæ in memoriam sui Runcatii, aut quod malumus, Ruchengauenses (Germanicam enim nationem fuisse multi autumant, & a Strabone, prout de aliis vocabulis Germanicis actum, isthoc quoque lingua Latina expresso, Runcatios esse appellatos) condiderunt.

§. X. Poximi sunt Cotuantii, (aliis Corvantii) qui Curiam, ut & Runcatiorum oppida prope adjacent, & Alpibus suis ab aliis populis terminantur, Debebant nomen suum jam inde a Strabonis ævo Corio-valli, quam tenebant, Churwald hodie dictæ. Canino fœderi populi sunt addicti, & semper antiquissimi Rhætiæ genuinæ incolæ fuere.

§. XI. Ulterius Alpes Rhæticas transeuntem *Sarunetes* populi excipiunt, dicti a fluviolo *Sara*, qui in Rhenum aquas suas evolvit. Terminus eos inter & Runcatios caput ditionis, oppidum *Sargans* est, ab incolarum nomine dictum. Termini tractus sunt ab ortu Rhenus, ab occasu Castra Rhetica, nunc *Gastern* dicta.

§. XII. Tandem Estiones, sive ut manuscripta habent, & quod ortui nominis propius est, *Estones* & *Brigantios* populos reperimus: illos quidem a dextra Rheni parte, Comitatum Phaniensem (hodie Veldkirchensem) & Vallem dulcem, quæ Teutonibus Vadutz, seu corrupte Vadutz est dicta, tenentes: hodie dicuntur *Eschneberger*, quo nomine, ab antiquissimo regionis pago *Eschens*, & monte Eschenensi desumto, omnium seculorum accolis venere: nec multum a Strabonis vocabulo, quo hos populos exprimit, abesse putamus. Equidem si conciliationi prolixæ hic locus esset, facile vel εὐφωνίας ergo, ex Estonum vocabulo Estionum Strabonis formari posset. At vero quoniam brevitatis gratia hæc nobis mittenda sunt, pergimus ad *Brigantios*, quorum nomen, urbs & regio, in eodem, quo olim, statu, in præsenti ex antiquitate reliqua sunt. Stumpfius cum Ptolomæo ultimos versus Germaniam Rhætiæ antiquæ populos esse scribit, Strabo e contrario Vindeliciæ illos tribuit, in cujus sententiam & alii probati Scriptores abivere. Qui Historicorum perpetuus dissensus hactenus etiam obstitit, quo minus certi fines, quibus Rhætia a Vindelicia olim fuerit disterminata, ponerentur. Habebant hi Brigantii, qua Germaniam spectabant, vicinos ab occasu Bodamici lacus accolas, a Septentrione

ne Vindelicios, ortum & meridiem versus, regio ipsorum per Alpes ad tria milliaria se extendebat, & certos Rhætos socios agnoscebat. Vide Stumpfium *Lib. X. cap. ult.* Atque ita hi sunt, quorum cultu tempore Augusti & postea Rhætia illustris fuit. Ceterum quod Regušcos nonnulli his insuper addunt, id fortassis ex eo est, quod Rhæti aliquando ipsorum tractum prope Reineccium situm, hodie a præterfluente Rheno, **das Reinthal oder Reingow** dictum, occuparint. Sed quoniam ratio non suppetit, qui noviter capta terra primis & genuinis sedibus Rhætorum possit accenseri, merito etiam illos hic prætėrimus, & Helvetiorum Turgoviæ omnem Rheni vallem tribuendam censemus, cui etiam Rhæti postea denuo concessere.

§. XIII. Paucissima veterum Rhætorum monumenta ad posteros pervenere, namque omnia pene aut nomina sua permutarunt, aut prorsus periere, quorum tamen priori apud Historicos fortassis facilior erit locus. Etenim fieri potuit, ut cum fœdera ista tria omnibus notissima pangerent, singuli sese suis partibus addicerent, adeo ut deinceps alii *Grisones*, Germanice **Grauwbündtner** vocarentur, quibus intersunt Runcatii, ex parte etiam Cotuantii & Canini, citra Alpes juncti his sunt Vettolini; alii *Cænobialis fœderis socii*, ut Canini, in quantum Curia urbs ipsis dominatur, Vennones item & Engadini populi, ut & Gampolschini: *Superioris fœderis* socios novimus esse Lepontios, utriusque Rheni partes tenentes, & valles Lugnicenses inhabitantes populos. Brigantii & Estiones Austriacæ domui homagio se obstrinxerunt, Sarunetes autem ad Helvetios transierunt, prout quæque suis locis prolixius tradiderunt Stumpfius & Ægidius Tschudus in Chronicis suis. Et hæc hactenus de Rhætia, pergimus ad Vindeliciam.

SECTIO II.

DE

VINDELICIA.

§. I.

Ex Rhætia in Vindeliciam lacui Bodamico vicinam transimus, cujus nomen ortum, situm & populos breviter proponemus, simulque illustrissimæ Vindelicorum urbis Augustæ conditorem, & alia de ipsa notatu digniora tangemus.

§. II. Vindeliciæ nomen a Vindæ seu Vindi & Lyci confluentibus deductum videtur. Vide Crusium *P. I. L. II. c. X. Annal. Suev.* & Illustrem Virum Marcum Velserum *L. I. rerum Augustanarum.*

§. III. Ortum suum Vindelicos ab Illyricis gentibus ducere, Cluverius *libro de Vindelicia & Norico c. III.* refert, non addita ratione, quæ assertionem probabilem reddat. Velserus Tuscorum prolem esse, haud secus ac ipsos Rhætos credit, simulque cum istis duce Rhæto, victos a Galliæ populis has terras immigrasse, non tamen omnem ab initio statim occupasse regionem,

sed

sed paulatim imperium suum protulisse. Quibus interea artibus, qua rerum vicissitudine, quibusque temporum intervallis id factum, nemo veterum nobis reliquit, nec nos tot seculis post nati divinando assecuturos esse sperandum est; prout prolixe de his & eruditissime disserit *in Historia sua Augustana MSC.* maxime Reverendus Dn. D. Præses.

§. IV. Limites varii varie tradunt. Cluverius, accuratissimus alias Germaniæ antiquæ delineator, fines Vindeliciæ ab oriente posuit Oenum amnem, quo Noricis disterminabatur; ab occidente Bodamicum lacum, quo ab Helvetiis summovebatur; a septentrione, qua Germani primum Marcomanni & Narisci, dein in Marcomannorum fines transgressi Alemanni fuere contermini, Danubium flumen: at a meridie certum nescit, ajens: *Quibus finibus a Rhætis fuerint distincti, perdifficile est dictu, quandoquidem non in oppidis solum, sed ne in nationibus quidem inter se consentiunt authores.* Et hæc supra jam observavimus. Sic porro Strabo definit, sed aliter ac Ptolomæus: alii iterum aliter, adeo, ut nec ex his antiquissimis quidem satis certa nobis haurire liceat. Interim Velserum simul cum Crusio & Zeilero, accuratissimis antiquæ Germaniæ Scriptoribus, ex stercore aurum collegisse credemus, eorumque sententias, quantum fieri poterit, sequente inciso contrahemus.

§. V. Pertingebat autem juxta hos Vindelicia ista a lacu Brigantino, insitoque ei oppido Lindaugia dicto, inde ad Oenum usque amnem, qua se in Danubium exonerat. Hinc Noricum, illinc Rhætiam & Helvetiam spectans, a Germania magna Danubio distinguebatur; versus Italiam ad extremas tandem & humiliores Alpes sese porrigebat.

§. VI. Ad populos quod attinet, Vindeliciam quidem complures complexam esse, unanimiter asserunt: quot vero & quosnam habuerit, in definiendo multum inter se discrepant. Plurimi ponunt Lycates, Isarcos, Consuanetes, Viruncinates & Catenates; Breunos insuper & Genaunos ajunt, veros fuisse Vindelicos. Quod autem nonnulli ex antiquioribus & Estiones & Brigantinos insuper addant, superius diximus. Nos absque multa præmissa authorum disceptatione ad singulos redibimus, & brevibus uniuscujusque gentis sedes in tantum significabimus, in quantum nobis veneranda antiquitas eas reliquit.

§. VII. Ad Lycates ergo quod attinet, fuere isti populus, qui Lycum amnem accolebat; primaria Vindelicorum natio. Metropolim habebant *Augustam*, totius Vindeliciæ caput, quæ urbs, quam primum Vindelici jugum Romanorum, rigida licet cervice subierunt, colonias admisit, & jussu Augusti Cæsaris præsidiarios excepit, qui, quantum fieri poterat, eam excolerent & ad coercendos Rhætos Vindelicosque aggeribus vestirent. De nomine autem conditoris Octavii scilicet Augusti, merito *Augusta* dicta est. De quo nomine hoc unicum ex Velsero memoratu dignum addimus, quod hæc urbs ex innumeris prope coloniis, quarum splendore plerasque provincias hic Imperator illustrarat, una Vindelicorum superet, quæ nomen non mutarit, & coloniæ dignitatem post tot seculorum ætates adhuc tueatur; cum reliquæ, quotquot fuere, aut perierint funditus, aut nomine aut libertate, aut utroque simul fuerint mulctatæ.

§. VIII. Isarcos Vindeliciæ populos tenet regio inter Lycum amnem & Isarum sita, de cujus nomine etiam gens Isarcorum est condita. Caput ejus

ejus regionis erat Isinisca, hodie Monachium dictum, sedes Electoralis Serenissimorum Ducum Bavariæ, ad Isarum enim fluvium sita, & splendidissima semper fuit totius Ducatus.

§. IX. Bojos quoque recepere Vindelici, licet alienissimam gentem, quæque a Marcomannis Maroboduo duce, Bojohæmo pulsa in has terras trans-gressa est, quas in hanc usque diem Oenum inter & Isarum fluvios clarissimo nomine obtinet: vulgo Bajoarii, Bojoarii & Bojarii, unde Bavarorum nomen (perperam tamen Aventino judice) coaluit, dicti.

§. X. Consuanetes, Viruncinates, Catenates, Breuni & Genauni populi, unde dicti & ortum suum traxerint; item quam Vindeliciæ partem tenuerint, latere nos lubentes fatemur. Quod tamen Vindelici fuerint, Horatius poeta & Ptolomæus Geographus testes esse possunt. Nunc de Helvetiis dicendum erit.

SECTIO III.

DE

HELVETIIS.

§. I.

Superest, ut & ad meridionales lacus Bodamici accolas antiquissimos, *Helvetios* scilicet, pedem conferamus, eorumque historiam, sed per compendium tradamus. Ortu eos fuisse Gallos, Stumpfius probat *l.* 4. *c. I.* natalesque ipsorum refert ad ea tempora, quibus Caji Julii Cæsaris ætas incidit. Hoc mortuo, Helvetii simul cum Sequanis, Rauracis & Equestris (hodie Tschaballis) a successoribus ejus Impp. Romanis Belgicæ Galliæ sunt accensi, eorumque ditio dein per se Belgicam constituit Provinciam, quæ dicebatur *Sequanorum Maxima*, cujus caput erat Vesontium (Bysanz) erat. Ex qua Belgii in suas Provincias divisione factum, ut & Helvetii, qui alias Celto-Galli dicebantur, Celto-Belgicorum nomine, Plinio, Ptolomæo & aliis venirent.

§. II. Nomen suum unde duxerint, variæ sunt recentiorum sententiæ: ex antiquissimis tamen scriptoribus, (licet alias bella ipsorum cum Romanis & aliis gentibus, aliaque accurate descripserint) nemo rationes hujus denominationis vel verbulo protulit. Posterioribus seculis primus fuit Henricus Glareanus, qui nomen *Helvetiorum* antiquum Teutonicæ linguæ vocabulum, ex Hell & Vetter compositum, affirmabat, quasi scilicet dicas Hellvetter sive Hellvetteros, nomenque hoc ipsis ab Idolo Plutone, cui in distributione regnorum patris sui Saturni, omnis plaga versus occidentem cesserat, impositum autumabat, quoniam scilicet idololatrica isthæc gens necessitudinem idoli jamjam, at vero olim Regis sui Plutonis appetiisset, ex quo dein, sicut Pluto titulo gaudebat, quo dicebatur der Hellen-Gott / (ut ex Virgilii Æneid. lib. VI. patere potest) & ipsi des Hellen-Gottes Vetter / aut der Hellen-Vetter / & per syncopen Hell-Vetter sint nominati. Sed quam nimis longe hæc sint petita, nemo non videt. Crusius in *Annal. Suevicis P. I. l. I. c. I.* ab

ab Helvetio Alemanni Herculis filio, Rege suo, nomen duxisse Helvetios sibi persuadet, ætatem autem hujus Regis in millenarium tertium ab orbe condito incidisse scribit, quæ sententia fortassis majorem veri speciem haberet, modo demonstrari posset, quod tum temporis hi ipsi populi jamjam in natura rerum, aut hoc nomine a primis inde natalibus suis fuerint usi. Sed de re incerta, temere nihil certi affirmamus.

§. III. Amplissimam autem numerosa ista gens Helvetiorum possidebat regionem, Helvetiam dictam, utpote quæ secundum computum Julii Cæsaris in longitudinem CCXL. in latitudinem vero CLXXX. millia passuum patebat. Hi tamen de finibus suis cum omnibus copiis exeuntes, pro multitudine hominum, & pro gloria belli atque fortitudinis, angustos terminos se habere arbitrabantur, qua re etiam moti, ut deinceps tantis bellis cum Romanis sese implicarent, & mox victores, mox victi e præliis discederent. Vide de his Cæsarem, Strabonem *l. IV.* Florum *l. III. c. III.* Orosium *l. V. c. XVI.* ex recentioribus inprimis Stumpfium *l. IV. Chronic. Helvet.*

§. IV. Claudebatur omnis regio ipsorum, juxta Cæsarem, una ex parte flumine Rheno, latissimo atque profundissimo, qui agrum Helveticum a Germanis dividit; altera ex parte monte *Jura* altissimo, qui est inter Sequanos & Helvetios; tertia lacu Lemanno & flumine Rhodano, qui Galliæ Provinciam, Sabaudiam dictam, ab Helvetiis dividit. Hactenus Cæsar *lib. I. Bell. Gall.* Accuratissima hæc quidem veteris Helvetiæ intra suos limites foret descriptio, modo & australes addidisset fines tantus auctor.

§. V. Stumpfius hunc defectum Cæsaris suppleturus, ita antiquissimam patriam suam terminare videtur, ut Helvetii versus ortum siti spectarint Caninos campos, & caput Acronii lacus; qua in meridiem vergit, Ætuatios & Lepontios populos; ab occasu vero semper Helvetiam a Gallis secreverit Rhodanus amnis & Lemannus lacus; Boreæ tandem imminentes Helvetios Rhenus amnis & Jura mons a Germanis & Rauracis summoverit. Vide *Chronici l. IV. c. I.*

§. VI. Commoda antiquæ Helvetiæ quod attinet, multa ad ipsos populos ex aquis Bodamicis & Rhenanis, cum in alimentis deportandis, tum in mercibus permutandis omni tempore redundarunt. Ceterum Historici incultam regionem fuisse & sterilem tradunt, præcipue qua Alpibus imminuerit, ubi non erat, qui manus aratro admoveret aut terram excoleret, potius omnia armis strepebant, rusticosque labores peragere dedecori sibi æstimabant incolæ, fertiles campos avide quærentes, imo subinde armis bellisque infestantes. Quæ tamen sterilitas terræ, studio ac labore posterorum, quos bellicosa ista mens reliquit, Deo annuente, desiit, ita ut arbores quotannis tantam fructuum varii generis copiam producerent, quanta non solum Helvetiis, sed & finitimis sufficere posset, modo frumenta adhuc ager ferret, cujus defectus hactenus aliunde, præsertim ex Imperii Romani horreis restitutus est.

§. VII. Omnis autem hæc Helvetica terra, quanta etiam fuerit tempore Julii Cæsaris in quatuor pagos dividebatur. Notandum tamen hic, quod pagus Cæsari non denotet vicum ex paucis quibusdam domiciliis constantem, (ut nonnulli satis inerudite exposuere) sed tractum terræ & habitationes secundum flumen præterlabentem extructas, sive dein castra, sive urbes contineat. Pagus enim, ubi observavit Glareanus *in commentariis ad Julium Cæsarem,*

Cæsarem, deducebatur a voce Græca πήγη καὶ δεξικῶς πάγη, quod fontem denotat. Confer Stumpfium *L. IV. c. IV.*

§. VIII. Sunt hodienum intra Juram montem, Rhodanum & Rhenum quatuor prorsus in Helvetiis fluvii, de quorum nomine pagos istos olim conditos fuisse ferunt scriptores. Et nominatim quidem erant Ur, Limagus, Ursa & Arola, quorum descriptiones ex Glareani notis apponendas ducimus, si prius monuerimus, quod veterum pagis interdum ab aquis seu fluminibus, quæ ipsos permeabant, interdum ab incolis, imo & urbe totius tractus præstantissima, nomen inditum sit, pro diversa ratione situs & loci.

§. IX. Nunc ad singulos, quos recensuimus, amnes, in specie pervenimus. Primus Helvetiæ fluvius a Glareano *Ur* dicitur, de quo *in Notis ad lib. I. Comment. de bell. Gall. n. 28.* ita disserit: *Ur genere fœminino, opinione quorundam non temere conjectantium, celtice dicitur die Ur. Postea facta elisione diphthongi Celtice die D' Ur, quemadmodum Arolam die Ar, & elisa diphtongo ie, de articulo aie, D' ar. Ur autem producte dicitur, quam longam literam cum Germanica lingua non habeat, sicut nec Græca, Dur verterunt in Daur. Unde Romani qui nobis omnia antiqua corruperunt nomina, Taurum vocaverunt. At Helvetiorum lingua Dur pronunciat, & regionem adjacentem Durgeu.* Hoc ultimum vocabulum etiam ad posteros pervenit, & Historicis vel hodie probatur. Hic fluvius Ur in immensum crescere solet, torrentis in modum, navibus tamen non æque aptum esse, ipsi accolæ testantur.

§. X. Alterum *Limagum* produximus, de quo Glareanus ita: *Limagus apud Claronenses oritur, ac in media ipsorum regione Sernipbium alterum ex altera valle delapsum amnem accipit. Deinde infra Urnas, (duorum vicorum nomen est) super latericium pontem (ita vocant) ex lacu Vesenio accepta aqua Marcham, (qui fuit olim Helvetiorum in Rhætos finis, & Helvetii ita terminum vocant) ac castra Rhætorum (& huic loco etiamnum nomen manet Gastra) disterminat. Hinc lacum Tigurinum ingressus ad ostia ejus Tigurum amplissimam Helvetiorum urbem dividit: mox Aquas,* (vulgo Baden) *memorabilem in Helvetiis locum, propter calidas ipsi aquas, Græci Θέρμας vocant, delabitur. Dein haud ita longe Ursæ & Arolæ miscetur.* Constituit hic amnis pagum Tigurinum, ab oppido Tiguro dictum, Germanice **Zürichgöw.**

§. XI. Sequitur *Ursa*, quo de sic disserit Glareanus: *Ursa sane, quem fluvium transpositis duabus prioribus literis, vulgo Rusam dicunt, in summis Alpibus, quibus hodie S. Gotbardi nomen est, oritur, ac recta ad septentrionem labitur. Ursellam primum vallem Rhæticam, dein Uriam Tauriscorum, gentis Gallicæ reliquias venit, ubi lacui miscetur, qui Uros, Suitios, Sylvanos & Lucerinos (quatuor sylvæ civitates) alluit. Porro dein Tuginis amnibus susceptis, Bremgarten & Mellingen oppida lapsus, infra Brugas Arolæ commiscetur.* Pagum, quem constituat, Glareanus nobis non reliquit, & prout l. c. *in Notis ad Jul. Cæsar. n. 39.* videri potest, ipse hæret, quo nomine sit appellandus tractus, quem Ursa fluvius alluit: num Tauriscus a Tauriscæ gentis reliquiis, qui hodie sunt Uri? Atqui illi longe postea occupasse videntur has sedes, adeo, ut ab iis tempore Julii Cæsaris pagus non potuerit denominari: an vero Tuginus? Tugium enim oppidum quod præterfluit, juxta Strabonem, antiquissimus Helvetiæ locus videtur. Nos inter eruditos de talibus non arbitramur, integrumque judicium Lectori permittimus.

§. XII. *Arolam* denique fluvium ex ipsis summis Alpibus ortum tradit Glareanus, *qui in Septentrionem versus, paulo plus tamen quam Ursa, ad occasum primum inclinans, per lacum Thunensem Bernam lapsus, & ipsam amplissimam Helvetiorum urbem ambit; deinde paulo infra Bernam aliud excipit flumen, Sanam nomine, quod Friburgum, nobilem urbem, Helvetiis hodie confœderatam ambit, ut Arola Bernam. Ibi in ortum ambo conversa flumina sub Arola nomine ad Salodurum, urbem non Helvetiæ solum, sed & Celtarum antiquissimam perveniunt. Dein per terram nobilissimam ab ipso Arola denominatam, receptis Ursa ac Limago fluviis, Rhenum infra Clingnou ingrediuntur.* Hic amnis secundum Tschudum Urbigenum, seu Verbigenum pagum, ab antiquissimo Bernensis ditionis oppido *Orba* dictum, permeat, hodiernis incolis Aergovia dicitur. Et hæc de tractibus Helvetiorum sive Pagis IV. eorumque originibus, prout nobis istos Glareanus & Stumpfius descriptos reliquere. Veruntamen hic observandum est, quod multum isti divisioni ipsa Cæsaris verba obstent, quippe quæ Helvetiorum limites ad Genevam usque extendunt, qua ratione his pagis adhuc accensendus foret pagus *Aventicensis*, quo divisio hæc omnem Helvetiorum terram exhauriret. Quoniam autem ex his quinarius emersurus esset pagorum numerus, eo annitendum, ut, si Cæsaris quaternario locum hic relinquere volupe esset, prius aliunde ostenderemus ejus probabilitatem, quam prorsus mitteremus hanc materiam.

§. XIII. Optime vero hic nobis dubia soluturus videtur Ægidius Tschudus, qui Cæsaris divisionem secutus, I. pagum Tauricum sive Turgoviensem, II. Tigurinum, III. Verbigenum, & IV. Antuatium seu Aventicensem, pro veris & genuinis Helvetiæ pagis habet: Ursam vero fluvium, distinctum ab his pagum constituisse non concedit, sed saltim terminum inter Verbigenum & Tigurinum pagum fuisse asserit, cui & nos innixi, his acquiescemus.

§. XIV. Hodie Helvetica Respublica non in pagos, sed XIII. civitates dividitur, quas vulgus *Angulos*, Galli *Cantons* vocant, quarum ordo uti publicis in conciliis sedent, & nomina hæc sunt: Tigurum, Berna, Luceria, Uria, Suitia, (hujus incolæ sunt Cimbri suis olim sedibus expulsi) Sylvania, Tugium, Clarona, Basilea, Friburgum, Solodurum, Schafhusia & Abbatis-Cella: quarum tamen XI. saltem intra veros Helvetiæ terminos concludi observandum est. Basileam enim Helvetii fœdere sibi junxerunt, re vera Sequanorum, seu Rauracorum urbs est. Schafhusiam quis ignorat, Imperio Romano-Germanico olim fuisse addictam, nunc vero pacto & juramento Helvetiis obstrictam, in Germanorum terris sitam esse? De undecim reliquis notandum, quod ex istis, Uria, Suitia, Sylvania, Clarona & Abbatiscella, non sint oppida, sed vicorum conventus æquata omnium libertate. Tribus tamen prioribus nostra ætate maxime Helvetiorum libertas est orta, quippe qui multis oppidis arcibusque contrario atque in aliis regionibus more imperant.

§. XV. Religionem hæ tredecim civitates non unam fovent. Notum enim est ex Glareano, Stumpfio aliisque, quanta cum contentione quinque istarum, Luceria scilicet, Uria, Suitia, Sylvania & Tugium, ut & incolæ plerique Soloduri & aliarum civitatum, majorum suorum traditiones & religionem propugnarint, reliquæ Reformatam religionem publice profitentur.

§. XVI.

§. XVI. Hactenus sectionibus tribus lacus Bodamici accolas lustravimus, eorumque commoda, ortus & nomina, aliaque insuper observatu digniora, quanta potuit fieri brevitate, retulimus. Nunc paucis conspectum totius lacus, quod ad antiquas arces & oppida attinet, dabimus.

§. XVII. Nempe si Strabonem, Melam, Marcellinum, aliosque scriptores evolvimus, non nisi vastissima & sylvosa loca adfuisse, perpauca oppida, arces nonnullas & vicos ornasse lacum reperimus. *Brigantium* Marcellinus novit. Strabo insulam, cui a *Tilia* nomen eique insita Romanorum castra extructa, Lindaviam designans notavit, Stumpfius *Hornam*, arcem & vicum Romanorum, a Tiberio & Druso extructam. Nonnulli his temporibus etiam *Arbonam* conditam volunt, ut & *Constantiam*, alio nomine tum temporis dictam. Et ex his hactenus dictis facile cuivis erit antiquum lacus Bodamici statum colligere.

CAPUT III.

SISTIT PRÆCIPUE

STATUM LACUS BODAMICI TURBULENTUM, OCTAVIO AUGUSTO IMPERANTE.

§. I.

Efferatos, bellisque assuetos lacus Bodamici accolas superius diximus; Strabo præterea lib. IV. latrociniis deditos & pauperes fuisse, obque id perpetuo Italiæ, aliisque terris imminuisse, & incursibus suis vastasse, prodidit. Quæ res etiam, prout facile judicatu est, multum contulit ad bella, quibus eos plurimis deinceps annis implicitos fuisse, Historici passim referunt.

§. II. Primus, qui has gentes debellavit, Cajus ille Julius Cæsar, totius ferme orbis terrarum domitor fuit. Hic multis iisque acerrimis præliis, subactis Galliæ populis, Acronii etiam lacus accolas vicit, atque prostravit. Expeditiones ejus in Germaniam nulla resistendi vis eo impedire poterat, ut non bonam Germaniæ Magnæ partem cum Vindelicia tota, Rhætos itidem sui juris faceret cunctos. Hi autem Rhæti audita postea morte Cæsaris viribus resumptis, subinde Romanorum excutere jugum sunt conati, Italiamque ita afflixere, ut ipse Strabo rarius alias ad hæc talia excurrens scriptor, illorum motuum ita meminerit: *De horum autem latronum sævitia in Italos hoc refertur; eos urbe aut pago petitos, non modo puberes omnes mares necare, sed ne infantibus quidem masculis parcere, imo ne hic quidem subsistere, sed gravidas etiam mulieres occidere, quas eorum vates dicunt, virilem fœtum in utero ferre.* Confer Dionem lib. LIII. Horum tamen motus Octavius, Lepidus & Antonius Triumviri paulo represserunt, denuoque armis subegerunt.

§. III. Factiosa Rhæto-Vennenorum & Camunorum natio nondum satis domita, detrectansque adhuc Imperium Romanorum, anno XIV. ante natum Christum sub Augusti auspiciis arma denuo corripuit, mox tamen iterum duce P. Sylvio, qui cum exercitu adversus hostes missus est, profligati hi populi, victas concessere manus, & Romano Imperio se subjecere. Vide Bucelinum *in Chronicis Constantiensi & Rhætico ad annum O. C. MMMMDC.*

§. IV. Augustus Cæsar felici rerum in Rhætia gestarum successu lætus, & in majorem totius provinciæ subigendæ spem accensus, indomitum eo usque Rheni caput bello aggredi decrevit, & primum contra Rhæto-Lepontios & Ætuatios Claudium Drusum mittit, cui ultro obviam progressi sunt Rhæti, acrique at infelici prælio apud Tridentinas Alpes cum ipso conflixere, qua strage Rhæti fusi, paucique eorum fuga sunt elapsi. Editam hanc pugnam præludium quasi insecuti belli extitisse, exinde liquet, quod versus Italiæ confinia cæsi Rhæti, ad asyla montium suorum profugi & exacerbati, majore deinceps conflato exercitu, Gallorum partes tentare nihil sunt veriti; mox tamen repulsi, terra marique graves accepere clades, Tiberio immani cum exercitu jussu Octavii Augusti Imperatoris ipsis occurrente.

§. V. Ita autem expeditiones suas fecit Tiberius, ut adverso Rheno ab occidente novo cum exercitu Druso Fratri subsidio veniret, iis interea commeatui promovendo ab Rhenum adsitis locis delectis, quæ maxime accommodata sibi agnoscebat.

§. VI. Præcipuus, quo annonam devehi atque servari jussit, locus erat, quo hodienum Cerciacum est situm. Forum Tiberii ab ipso dicebatur. Celebre autem oppidum fuit, ad sinistram Rheni extructum, & quingentis passibus dissitum a Tribunali Cæsaris. Pervetusta ædificia, quæ hodienum ibi conspiciuntur, produnt antiquissimos ejus natales, quos plurimi scriptores in Tiberii ætatem incidisse haud immerito existimant, moti scilicet Romana quadam inscriptione, marmori incisa, vetustate tamen non nihil corrupta, quam ut Stumpfius refert, templi Parochialis murus hodienum ostentat. Usus autem est (ut diximus) hoc Cerciaco Tiberius, quasi armamentario suo, quod Bucelinus testatur. Facile autem judicatu erit, non perviis in locis vehicula, quæ commeatus portabant, exonerata esse, & si nondum extiterint loca munita, ipsos milites aggeribus vicos assignatos vestire oportuisse. Quæ eximia fata procul dubio hujus etiam Cerciaci, pagi tum temporis forsan exigui, fuere, ut ita, si non in amplissimam urbem, certe tamen in castellum militum Romanorum haud spernendum excreverit, quod & deinceps ob commeatuum multitudinem, quam eo Romani ad militem suum sustentandum deportaverant, *Forum Tiberii*, ex nomine Ducis vocatum, censent Historici. Nihil memoratu dignum *Zurzachium* hoc ad nostra tempora transtulit, præterquam quod superiori adhuc seculo subinde nummi aurei, argentei, item & æris Imperatorum Romanorum sint reperti. Bellis Alemannorum, Diocletiano imperante, multum obnoxium fuit hoc castellum, adeo ut tandem ab ipsis destrueretur, & quamvis denuo posthæc, Alemannis debellatis, sic restauratum & præsidiariis munitum, Romano quodam ex Voltinia stirpe oriundo, cui Cero nomen, & forsan hujus regionis cura demandata erat, authore, Alemanni tamen illud iterum vastarunt, ex quo etiam reparatum non est, sed pagus, haud tamen ignobilis & pervulgatus undique ob nundinas, quas annuatim duas florentissimas habet, ut & propter Abbatiam, quæ ibidem olim a Carolingis Francorum

rum

rum Regibus condita est, permansit. Dominum hodie agnoscit Episcopum Constantiensem.

§. VII. Ex hoc foro movens cum exercitu Tiberius, pedestri itinere paucis diebus ad Harudopolim sive Constantiam inopinatus pervenit. Cives Constantienses Romanis signis primum conspectis multum territi amicos Tiberii, etsi non ex vero se esse dixerunt, quo factum, ut Tiberius suos impune navibus impositos, per Rhenum & Acronium lacum versus Brigantium duceret, & Insulam, cui a Tilia nomen erat, occuparet, qua Tiberius, simul ac adventavit, optime usus est, navali prælio cum Rhætis & auxiliaribus Vindelicis congressus, quo & victor extitit.

§. VIII. Rhæti accepta clade postea variis excursionibus infestum sibi habuere Tiberium, donec tandem Druso fratre quoque superveniente, ancipiti premerentur loco. Haud enim aliter ac venatione instituta Rhætos in vallem ac prata, quæ Drusi postea sunt appellata, coegerunt, & immani cæde trucidarunt. Adi Buccelinum *in Chronico Rhætiæ ad annum MMMM ICC IV.*

§. IX. Vindelici, prospero Romanorum successu admodum perterriti, quantum in his angustiis poterant, propugnacula adversus hostes muniebant. Romani interim ne Rhæti, quorum vires tot prælhis fractæ erant, bella redintegrarent, maximam eamque validissimam eorum partem, relictis iis saltem, qui agris colendis sufficerent, nec ad rebellandum satis virium haberent, vel Arbonam vel aliorsum captivam abduxerunt.

§. X. His ita in Rhætia compositis, Vindeliciam tentare ausus est Tiberius, quam etiam iterato certamine, Vindelicis & Rhætis auxiliaribus protritis subegit, ita interea agente Druso, ut quum Tiberio cum Vindelicis res esset, ipse munitiora Rhætiæ loca occuparet, & præsidio muniret, sic ut uno eodemque tempore (ut tradit Vellejus lib. II.) has locis alias tutissimas, numero frequentes & feritate trucissimas gentes majore cum periculo quam damno exercitus Romani plurimo cum hostium sanguine perdomarent.

§. XI. Et hæc felicissima fuere fata, quibus Augustus vel sex annorum spatio, ducibus Druso & Tiberio fratribus germanis, in debellandis Rhætis Vindelicisque fuit usus. Hæc tempora fuere, quibus tot tamque præclara oppida, castra & arces ad Rhenum, Danubium, Bodamicumque lacum sunt extructa, eorumque littora exornata, quorum quando seriem nectendam eorumque origines situs & commoda describenda nostra hic faceremus, verendum esset. ne ultra terminos Academicæ dissertationis progrederemur. Paucis itaque de istis saltem castellis, quorum adjutu Romani hostes suos a Galliæ & Italiæ terminis, ex parte etiam a subactis Rhætiæ & Vindeliciæ campis, antequam in totum victas dabant manus incolæ arcebant, agemus.

§. XII. Jam ab iis temporibus inchoamus, quibus Rhætorum ac Vindelicorum populi, liberi adhuc a Romanorum jugo erant. Fuere antiquissimæ urbes arcesque, quas Augustus partim condidit, partim restauravit, primo ad Rhenum sitæ quam plurimæ, quarum caput hic non immerito erit pervetusta illa *Rauracorum* urbs, quæ olim ab ipsis incolis, quibus Helvetii tempore

tempore Julii Cæsaris persuaserunt, ut domesticos lares devastarent, secumque meliora, quæ spectarent, sequerentur, simul cum aliis opulentissimis Helvetiæ antiquæ oppidis concremata & diruta est. Augustus autem posterioribus annis tutissimum ibi adversus hostes Alemannos propugnaculum fore arbitratus, eam restauravit, & de nomine suo ipsam *Rauracorum Augustam* vocari voluit. De qua tamen olim potentissima urbe hodie non nisi aliqua pervetusta monumenta, & ad lævam Rheni haud procul a Basilea urbe dissitus exiguus pagus, cui nomen *Augst* ad hæc usque tempora mansit, ex tot Alemannorum desolationibus supersunt.

§. XIII. Sequitur *Gaunodurum*, ad illud Rheni caput situm, ubi ex Veneto lacu emergens, suo alveo per pontem, quo vetus hoc Gaunodurum cum hodierno oppido, *Stain* dicto, jungitur, defluit ad ostia maris. Locus, in quo Gaunodurum erat, dicitur hodie zur Burg / ex quo arcis, quæ ibidem erat, Imperatoriæ, forsan jam temporibus Julii conditæ, monumenta cognoscere licebit.

§. XIV. Proxima hinc erat *Constantia*, quæ olim Valeria, Harudopolis, & Augusta Turgajorum dicebatur. Conditoris sui primi nomen itemque annum nescit: verosimillimum tamen est ex eo, quod Augusti nomen tulerit, etiam ab Augusto non nihil incrementi accepisse.

§. XV. Hinc lacus Bodamicus nobis vetusta admodum monumenta ostendit, v. g. Arboris felicis, Cornu-Romani, Insulæ præprimis, cui tiliæ primo nomen dederunt, postea a Tiberio, tanquam restauratore suo, nomen fuit, hodie *Lindavia* dicitur, & urbem ejusdem nominis continet, quæ urbs etiamnum antiquissimi cujusdam Romani ædificii rudera, speciem turris ex silice quadrato extructæ præ se ferentia, ad dextram pedestri itinere oppidum ingredienti ostendit. Hodie opus hoc, quod olim a Tiberio, cum ultimam in Vindeliciam capesseret expeditionem, simul cum validissimo castro, etiamnum in margine insulæ meridiem versus conspiciendo, extructum, vulgo dicitur *Gentilium murus*, oder die Heyden-Mauer. Quo de opere lege sis Crusium, Münsterum, Stumpfium, & inprimis Excellentissimum Dominum Heiderum in *Actis Lindaviensibus*.

§. XVI. Augustam Vindelicorum, de qua superius dictum, ad Lycum fluvium; Augustam Tiberii, hodie Ratisbonam, Comitiis Imperialibus nobilem, ad Danubium amnem; validissimas colonias, & tutissima propugnacula Augusti auspiciis par fratrum Drusus atque Tiberius extrui jussit.

§. XVII. Queis ita constitutis, tandem mitiora Rhætorum Vindelicorumque facta sunt ingenia, itemque magis ac magis assueti novo Romanorum imperio; imo eo mox clementia atque humanitate Cæsarum Principumque, quique eorum nomine cum imperio fuerunt, redacti, ut non solum ad nutum imperata facerent, sed & tandem uno eodemque nomine Rhætorum, ab Imperatoribus censeri minus ægre ferrent. Vide Bucelinum, qui hanc Vindelicorum & Rhætorum conjunctionem ad annum Christi XI. produxit, alii ad IX. referunt.

§. XVIII. Quo factum, ut & Rhætia cum Vindelicia juncta in duas partes divideretur, & genuina *Superior*, Vindelicia vero *Inferior* posthac audiret. Suis interim terminis quam prima tam secunda Rhætia describebatur: de

de antiquis enim nec quicquam mutatum referunt scriptores. Confer Stumpfium & Rhenanum ll. cc. Et hic insuper addit, quod posterioribus annis hæ regiones jamjam in provinciam redactæ, suum habuerint Præfectum, & prima illa pertinuerit ad diœcesin illustris Præfecti Prætorio Italiæ; secunda vero Rhætia habuerit præpositum Thesaurorum ejus provinciæ, Augustæ Vindelicorum habitantem, qui Comiti sacrarum largitionum erat subjectus. Legi de his pluribus potest liber *de Præfecturis Romanis.*

§. XIX. Quibus ita in Rhætiis ordinatis, vicini multa tentare non sunt ausi; interim tamen perpetuo Romanos eo invigilare oportuit, qui pervios Vindelicorum campos castris munirent, & Alpinas Rhætias clauderent, quo minus vicini populi afflictis ope assuturi, Rhætos irritarent ad arma adversus Romanos resumenda. Metuisse autem sibi Romanos ab hisce populis, persuadent nobis pagi hodienum extantes, excubiarum Romanorum indices, ad ea loca, quibus valles coeunt, adsiti, Tertiæ, Quartæ, Quintæ nomina referentes. Hæc Bucelinus ad unius Augusti tempora & vigilantiam referenda censet.

§. XX. Posthæc mitiora sequuntur lacus Acronii tempora. Nimirum ab anno ante natum Christum quinto vel sexto regiones vicinæ, multis hactenus bellis defunctæ, longa pace cuncta resovente, sub tutela Romanæ mansuetudinis ad tempora Alemannorum usque acquievere.

§. XXI. Neque enim quidquam memoratu dignum hisce in terris ab obitu Octavii Augusti, qui (ut plerique scriptorum ferunt) in annum Christi XVII. incidit, ad tempora Domitiani, Hadriani & Antoninorum usque contigit. Nec istius ævi scriptores quicquam prædicarunt, quam omnium omnino Cæsarum benignitatem in has terras singularem, quas hinc inde inde egregias arces urbesque restaurando vel condendo, multum adornarunt, præterquam quod Bucelinus cruentam istam cladem, quam Helvetii prope Thermas (Badenas vocant) an. Chr. LXXI. accepere, annotavit, qua Helvetiorum strage Rhætis terras suas dilatandi occasio enata est, qua etiam commode usi, magnam Turgoviæ partem ditioni suæ adjecerunt. Nec in delendis Helvetiis defecisset rabies ipsorum, nisi Vespasianus, Vitellio tunc Imperatore sublato, alias Rhætos habens infensos, sibi ipsos conciliasset, & sic Turgoviæ res composuisset, ut & Harudopolis, libertatis specie illecta, Rhætiæ accenseretur.

§. XXII. Simul nunc cum Domitiano Imperatore, qui Titum fratrem veneno sustulerat, & imperio nefando crimine est potitus, Domitiana fortuna minus prospera has etiam regiones Rhætias penetravit. Namque hic a Germanis Anno Christi XCIII. immani strage est perculsus, adeo, ut ipsi duces cum omnibus copiis suis caderent, & vix unus, qui annuntiaret, fuga se eriperet. *Tot*, ait Crusius, *erant exercitus amissi, tot militares viri cum tot cohortibus expugnati & capti, ut jam non de limite & ripa Imperii Romani, sed de hybernis legionum & possessione provinciarum dubitaretur.* Misera hæc Rhætiarum & Acronii lacus erat conditio, quam unde emendaret, ipse Domitianus Imperator nesciebat, donec Norbanus Appius, Rhætiæ Præses, conscripto undique milite, Germanorum insolentiam robore Rhætorum, aliorumque populorum fregit, atque Lucium Antonium, qui dux & fax erat belli, e medio sustulit. Quæ etiam Appii fortitudo & felicitas Rhætiis & Acronio lacui pacem peperit.

§. XXIII. Nerva Coccejo & Trajano Imperatore, nihil de rebus Rhæticis ipse Velserus annotatum nobis reliquit; Hadriani autem constitutiones Imperii, formamque regiminis renovatam satis deprædicare nequit. Fertur autem hic Imperator officia publica & privata, nec non militaria in eam formam redegisse, quæ, paucis per Constantinum immutatis, ad nostra usque tempora perseverarit. Vide Velserum *lib. VI.* Idem Velserus multa in Rhætia ejus rei vestigia se invenisse scribit, & ex libro *de Notitia utriusque Imperii* apparet, Italiam ab eo divisam in XVII. provincias, quarum rectores Præfecto Prætorio Italiæ, sive ejus vicariis omnes paruerint, itemque duas fuisse, Rhætiam primam & secundam, sub suis Præsidibus singulis: rem militarem ejus sub Imperio procuratam ab uno Duce in antiqua Rhætia, qui Rhætici inde limitis Dux dictus, sub dispositione Magistri peditum fuerit; fiscum autem a thesaurorum Præposito, qui Augustæ constitutus, Comiti sacrarum largitionum rationes reddiderit. Quæ omnia ab Hadriano constituta ex hac ratione affirmat Velserus, quia scilicet, quod notum est, Imperii descriptio semel ac iterum post obitum Octavii Augusti mutata sit. Jem vero necesse est, ait, quæ post Hadrianum mutata reperimus, non vero antea, ante tamen Constantinum, Hadriano adscribamus, quia præter hos Imperium Romanum, ante tempora Francorum, alium reformatorem constitutionum Imperialium non vidit. Ex quo fundamento divisionem Rhætiarum in primam & secundam ad Hadriani ætatem referre possemus: siquidem insuper supra laudatus Velserus constanter asserit, omnes Hadriano vetustiores Historicos & Geographos Rhætiam unius nomine habere, post Hadriani ævum autem Rhætiam & Rhætias promiscue inveniri. De quo tamen B. L. integrum semper sit judicium.

§. XXIV. Hadrianum in Imperio secutus est Antoninus, Pius dictus, qui magnam vitæ partem in pace degisse æstimatur. Huic Marcus Aurelius Antoninus successit, cujus sub imperio turbulentus admodum Rhætiæ status fuit. Habebat hic sibi adversos Cattos & Chaucos, qui sæpius in Provincias has irruperunt, ingentesque fecere prædas. His oppositi sunt diversis vicibus Didius Julianus, Aufidius Victorinus & Helvius Pertinax (postea Cæsar factus) qui rem non sine clade suorum gesserant, antea tamen cæsis multis, Cattos in Rhætiam Nordlingensem & Ducatum Würtenbergicum (quem hoc etiam ævo aliqua suæ regionis parte attingunt) Romani expulerunt, paucis in sua terra remanentibus. Augustam Rhætiæ, & ut facile colligere est, omnem reliquam Rhætiæ inferioris partem, qua lacum Bodamicum spectat, ab irruptione Cattorum defendisse feruntur Aufid. Victorinus & Pertinax. Videantur Crusius *Lib. IV. P. I. C. VIII.* & Velserus *de rebus Augustanis Lib. VI.*

§. XXV. Cattis subactis, Romanis Imperatoribus cum Germanis res erat, qui Rhætiis Noricoque magis magisque inhiarunt; quod cum Antoninus animadverteret, novas instituit legiones, secundam & tertiam Italicam, non sufficere populationibus prohibendis auxilia per præsidia disposita, nec vicinarum provinciarum copias Rhætis in tempore affuturas, existimans, quarum priori, secundæ videlicet, in Norico, tertiæ vero in Rhætia stativa assignavit. Vide Dionem *lib. LV.* Velserum *lib. VI.* Hanc ultimam legionem in quinque præfecturas distributam, censet item Velserus, ductus hac ratione, quoniam scilicet Præfectus unus, seu Castris Regiis, id est, Ratisbonæ seu Vallato egerit; alter Surmontorii (de qua urbe, ut & de Vallato non constat, quænam hodie in ipsarum loca successerint) cui ripæ Danubii inibi primæ, ut videtur, appellatæ, cura credita est. Tertius Campoduni, qui Vemania (hodie ut autumant *Wangen*) Cassiliacum usque urbem olim ad Lycum amnem

ſitam curavit. Quartus Fœtibus (forſan regio prope Lindavgiam ad littora lacus ſita, per hoc vocabulum denotatur) ſpecierum transvectioni præpoſitus. Quintus Terioli hoc ipſo titulo fuit, ſcilicet annonæ, quam ex Italia Transpadana importatam accepere. Ex quibus vel maxime clarum eſſe poterit, quomodo M. Aurelius Antoninus proſpexerit Rhætiæ utriusque regionibus, quas inter non minima utique ſemper fuit, quæ lacum Bodamicum adſita eſt. Adi Cruſium *P. I. lib. IV. c. VIII.* Velſerum *l. VI.*

§. XXVI. Hinc ad Severi & Baſſiani Caracallæ usque tempora Rhætia utraque pacata, & indies magis ac magis ab ipſis Imperatoribus aucta & exornata fuit. Poſtea autem Suevorum Alemannorumque incurſionibus multum vexata, ſæpius etiam ex parte oppugnata eſt. Sed de his capite ſequenti pluribus dicemus.

CAPUT IV.

DE

STATU LACUS BODAMICI ET VICINIÆ TEMPORE ALEMANNORUM.

§. I.

PRius autem, quam bella Alemannorum recenſeamus, nonnihil de ipſorum nomine, ortu & primis ſedibus dicere in animo eſt.

§. II. Innotuit Alemannorum nomen multo ante tempora Antonini Baſſianæ Caracallæ, prout optime Stumpſius *l. IV. c. XXII.* obſervavit ex eo, quod Ælius Spartianus *in vita Caracallæ* referat, ipſos Alemannos a Caracalla debellatos, ipſumque Imperatorem *Alemannicum* eſſe cognominatum. Imo antiquitas hujus gentis ex Strabone colligi poteſt, qui Aſinium Quadratum auctorem, qui ipſe jamjam Alemannos deſcripſit, quod ſint ξυνήλυδες καὶ μιγάδες, *l. IV. Geogr.* ſuæ citat: cui ſi fides habenda, merito natales Alemannicæ gentis in ea rejicimus tempora, in quæ Aſinii ætas incidit.

§. III. Fuere autem Alemanni gens variæ nationis, & quantum conſtat, Romanorum Imperium indignantes populi. Germani quod non fuerint, ſatis aperte indicant veteres auctores. Stephanus in *Lexico ſuo* ait: *Alemanni Germanis gens finitima.* Sic Flavius Vopiſcus in *vita Probi*, item Euſtathius in *Dionyſium Alexandrinum*, prolixe ſatis docent, Alemannos a Germanis diſtinctam fuiſſe gentem. Si autem (ait Philippus Cluverius in *German. Ant.*) Germani non fuere Alemanni inter Mœnum, Rhenum ac Danubium, certe non alii eſſe potuere quam γαλατικὰ illa ἔθνη Strabonis, inter Danubium & Rhenum, & quos Gallos vocat Tacitus, Decumates agros (inter eosdem amnes) exercentes, quibus ſe deinceps alii junxere. Stumpſius l. c. ſcribit, eos fuiſſe, qui Nigram ſylvam, regionem ad Nicrum inhabitabant; ſiquidem

non fuere gentes, qui magis jugum Romanorum detrectassent, occasionique illud excutiendi inhiassent, quos Trajanus benevolentia potius, quam fortitudine subegerat: quapropter etiam Principes factionis Alemannicae nonnullis scriptoribus dicuntur. Hos secutos esse vicinos Germanos, Helvetiorum itidem & Vindelicorum nonnullos, credibile est, quippe qui haud secus ac illi libertatis suae studiosos se exhibuere, prout ex historia Alemannica constabit. Ex quo judicatu facillimum erit, quod, cum numerus hujus gentis indies majora caperet incrementa, tandem sibi elegerint ducem, qui quasi Rex ipsis imperitarit, & ipsi ad ejus nutum imperata fecerint. Ortum gentis autem, quem hactenus ex auctoribus protulimus, si rejicere in animo esset, (quod tamen nulla urgente necessitate fieret) ipsum nomen, cujus etymologiam jam mox indagabimus, verior testis nobis esse posset, quod omnis iste populus ex variis, iisque admodum diversis nationibus collecta fuerit manus.

§. IV. Proprium autem sibi tale fecerunt nomen, de quo Criticis disceptandi occasio enata est. Nos pleraque silentio praeteribimus, Lectorem ad B. Rhenanum, qui *l. I. Rerum Germanic.* pleraque longa serie recenset, remittentes. De paucis saltem ad Historiam nostram facientibus dispiciemus.

§. V. Sunt qui nomen Alemannorum deducunt a Rege Tuscorum XI. Almanno, qui, ut Crusius *P. I. l. I.* refert circa an. mundi 2392. vixit, & circiter LXV. annos regno praefuit. De hujus nomine (ut idem Crusius repetit *P. I. l. IV. c. II.*) Alemannos conditos putant, inprimis Latini, qui eum saepius *Herculem Alemannorum* dixere. Alii potioris momenti sententiam fovent, quorum dux Asinius Quadratus, cujus mentem Agathias, probus alias sui aevi scriptor, his verbis suis inseruit scriptis: *Alamani autem (si Asinium Quadratum sequi licet, hominem Italum, & qui res Germanicas alias accurate scripsit) convenae sunt & miscellanei homines, quod & cognomen ipsorum indicat.* Et haec assertio merito B. Rhenano & Cluverio in Germania antiqua lib. *I.* approbatur, exinde, quod non alius Asinio Quadrato origini gentis, sive transmigrationi e Gallia in Germaniam fuerit propior, dein quod res ipsa nomen prae se ferat, *al* enim omnem significat, & *mann* hominem; unde deinceps nomen est conflatum *Allmanni* sive *Alemanni*, quasi dicas multitudinem hominum undique collectam. Cui etymologiae videntur etiam respondere illa Taciti *de moribus Germanorum: Levissimus quisque Gallorum, & inopia audax, dubium possessionis solum occupavere.* Ex compluribus ergo Galliae, imo (ut Stumpfius indicat) non Galliae solum, sed & Germaniae, aliarumque Romanarum provinciarum nationibus congressos in unum corpus fuisse, liquet ex eo, quod nec ipse Tacitus certam aliquam Galliae nationem prodit, sed communi omnium Gallorum vocabulo utitur.

§. VI. Nec a veri specie aliena prorsus ista sententia esse videtur, quam B. Rhenanus colophonis loco aliis insuper addit, inquiens: *Germani septentrionales sese ceteris, qui primi transito Rheno sibi hoc nominis indiderunt, jungentes, sedesque ad depraedandas Romanorum provincias, suis opportuniores occupantes, priores imitati videntur; & ipsi novo vocabulo Alemannos se vocasse; glorioso quidem nomine, sed formidabili consanguineis populis ac miseris provincialibus, nempe quod fortissimi bellatores essent & viri omnes.* Nomen igitur hoc sibi adsciscentes, fortitudinem, qua pollerent, respexisse credebat Rhenanus. Nec abs re prorsus, in propatulo enim est exemplum huic simillimum, quod & alias levissima gens formidabilem sese reddiderit nomine suo. Erat scilicet

scilicet militum manus in Inferiore Germania, qui semet ipsos *Diabolos* appellarunt, ad incutiendum terrorem iis, adversus quos mittebantur; vestes ipsorum (uti scriptores reliquere) erant atræ, hastæ nigræ, vultus ipsi nihilo candidiores, & certe multis juxta nomen perniciem attulerant, donec crebris bellis consumerentur. Et fortassis de Alemannis haud dissimilia prædicare licebit, quando bella ab ipsis gesta protulerimus. Hoc interim ex scopo, quem sibi in mutandis sedibus præfixerant, colligere est, quod immanis fortitudinis milites & armaturæ tremendæ fuerint viri. Alias enim certa ratione assequi vix quisquam poterit, qui Romanos, totius ferme orbis domitores, toties lacessere, illorumque agros tam longe lateque vastare ausi fuissent. Sed de his quicquid sit, certum est, ambitiosum hoc Alemannorum vocabulum collectæ Germanorum Gallorumque genti, fortunamque novam tentaturæ placuisse, nec spernenda sane est ratio, qua Stumpfius l. c. populos hosce motos existimat, ut hoc nomine sese appellari petierint, non vero alio Gallorum scilicet vel Germanorum, quibus antehac omnibus scriptoribus venissent. Nimirum refert, Gallos perpetuo hactenus Germanis infestos fuisse, & non nisi hoc pacto conciliatos esse; nec tamen eo ullam nationem potuisse redigi, ut alterius nomini sese addiceret, & unanimiter vel Germanos vel Gallos se profiterentur, quo & factum, ut tandem omnes ac singuli patrium nomen negarint, & hoc uno Alemannorum sint vocati.

§. VII. De sedibus Alemannorum nunc brevibus disquiremus. Hos populos in avitis suis sedibus, quæ Marcomannorum erant, Trajanus sibi subjecit. Deficientibus autem Imperatoribus, qui pari benevolentia eos amplecterentur, & ipsi defecerunt a Romanis, proprium sibi inter Rhenum, Mœnum & Danubium, fontemque Danubii sive limitem, qui Rhætiam a Germania dividebat, constituere regnum, novasque fixere sedes, ubi etiam percommodus locus, illinc ad Rhætiam primam, hinc ad Maximam Sequanorum & primam Germaniam incursandam, quod unum spectabant Alemanni. Protensa autem est póstea temporis ditio ipsorum ad Rhenigoviam usque, omnem quippe Turgoviam transgressi, Rhenum sibi subjiciebant, imo etiam qua Danubius amnis Rhætiam inferiorem secernebat ab Alemmanis, regionem suam dilatabant, sociis sibi Lentiensibus junctis, quo pacto multum coarctati sunt Rhætiæ inferioris limites, cujus magna pars deinceps Alemannia, corrupte Algovia sive Allgöw (ut hodie) dicebatur. Qua tamen occasione eo pervenerint Alemanni, ut Romanos plerisque expellerent castris, urbibusque suis, forsan ex inferius dicendis, ubi ipsorum bella ordine recensebimus, patefiet. Plura qui de Alemanniæ terminis desiderat, adeat Stumpfium *L. IV. c. XXXII.* Rhenanum lib. 1. Cluverium, Hornium & alios.

§. VIII. Fata denique populi quod attinet, varia certe ista fuere. Namque mox victi, mox victores Romanorum extiterunt. Prælia singula quando enarrare longum foret, saltem ea hic tangemus, quæ præ ceteris sunt memorabilia, & historiam nostram antiquam exornant.

§. IX. Sæpius jam diximus, Trajanum Imperatorem hos ipsos populos Germanos & Gallos olim ad obsequia Romanorum redegisse. At vero coerceri ita non potuerunt, præsertim cum ad tempora Antoninorum res pervenit, quin non deficiendi captassent occasionem. Factum autem hoc referunt Historici post mortem Severi, ubi præsertim Crusius animadvertit, minus gratos fuisse Romanis vicinos Alemannos, sed sæpius Rhenum Danubiumque trans-

transgressos, ipsis damna dedisse, & iterum accepisse. Vid. P. I. Lib. IV. c. XI. *Annal. Suevia.* Refert autem Bucelinus *in Chron. Constantiensi ad A. C. CC XIV. seqq.* bellorum Alemannicorum quasi principem causam fuisse ingens illud parricidium, quod Imperator Caracalla in fratre Geta perpetrarat; Alemannos enim nihil insidiarum aut damni meditatos, hinc ita permotos esse, ait, ut mox tanto odio parricidam hunc insectarentur, ut omne imperium ipsius detrectarent, provinciasque bellis infestarent, quas minis a Romanis avertere non poterant. Exinde decrevit Imperator ipsos prælio aggredi, injuriasque Rhætiæ illatas ulcisci, quod & ita feliciter cessit, ut hostium multa millia deleret, ipsorumque insolentias haud leviter infringeret. Quamobrem ipsi publici honores Romæ sunt decreti, & ut alibi refert Bucelinus, ipse statua quadam Augustæ Vindelicorum est honoratus. Hoc insuper & Stumpfius & Rhenanus referunt, quod post hanc victoriam primus *Alemannici* nomine sit vocatus.

§. X. Subinde postea rediere Alemanni, nihil tamen magni momenti ausi fuere, donec tandem auctis identidem viribus, anno CCXXXIV. Marco Aurelio Alexandro Imperatore bellum Persicum suscipiente, occasionem Rhætiam invadendi sunt nacti, qua etiam, prout e re fore credebant, sunt usi, paucisque diebus pluribus Romanorum ad Rhenum Danubiumque oppidis expugnatis, præsidiis ipsorum trucidatis, eripuere omnia, quæ Romani a quinquaginta & ducentis annis inde obtinuerant. At vero Cæsar reversus, sequente anno, ut manuscripta docent, in ipso lacu Bodamico cum Alemannis pugnans, victor extitit, eosque pulsavit, plerisque Rheni urbibus receptis, & firmiore præsidio munitis. Hæc altera memoratu digna Alemannorum clades erat.

§. XI. Tertiam memorabilem stragem hæ gentes, post multas ab ipsis lacus Bodamici accolis prædas factas, in Italia, quam temere aggredi sunt ausi, a Flavio Claudio Imperatore anno CCLXIX. accepere. Uno enim prælio ita percussi sunt Alemanni, ut eorum triginta millia cæderentur, amissis simul omnibus iis, quæ paulo ante incolis Romanis eripuere. Videantur Crusius *P. I. l. V. c. IV.* Stumpfius *lib. I.*

§. XII. Hinc inserendum duximus prælium illud Aureliani Imperatoris anno CCLXXIII. cum Marcomannis, qui innumerabili exercitu Bodamico lacui affusi, subitum transitum in Italiam vel importune petierunt, vel violenter extorserunt, in Papiensi agro commissum, quo Marcomanni a Cæsare, licet non sine magno vitæ periculo, profligati sunt. Confer laudatos scriptores.

§. XIII. M. Aurelio Caro Imperatore tristis Bodamici lacus status erat. Equidem Alemanni, per sex continentes annos longe lateque grassantes, nullis interea subsidiis a Cæsare missis, non solum munitissima ad lacum castella expugnarunt, sed postea anno CCXCV. cum de adventu Romanorum constaret, penitus diruerunt. Quæ rabies Barbarorum prius non desiit, quam Constantius Chlorus postea Imperator factus, in ipsos cum lectissimo exercitu missus, infelici tamen prælio cum eis pugnans, victus discedere ex arena est coactus. Posteriori autem anno CCXCVII. collectis viribus, prope Constantiæ dirutæ rudera, proximis Rheno atque Acronio campis memorabili pugna congressus, & felicissimis auspiciis victoria potitus, hostium sexaginta millia profli-

profligavit. Qua pugna edita mox Constantiæ urbis ruinas occupavit, & quanta fieri potuit celeritate, de novo muniit, & præsidiis instruxit. Atque hæc ipsa victoria prima fundamenta tantæ post ab ipso hoc Constantio reparatæ & insigniter ornatæ urbis Constantiæ in memoriam Romanæ virtutis jecit. Confer Bucelinum *in Chronico ad an. dictum*, Stumpf. *L. IV. c. XXIII. & Lib. VII. c. XI.* Rhenanum *L. I.*

§. XIV. Quintam memorabilem stragem ab Alemannis primo acceptam, mox ad Romanos delatam & iterum in insolentes Alemannos detorsam, ad ipsas lacus Bodamici margines, qua Italiam itur, circa annum CCCLIV. Constantio Imperatore editam Historici recensent. Ubi observandum, quod Constantius Imperator ambobus fratribus, Constante & Constantino sublatis, omne Imperii onus solus suscipiens inimicissimos sibi habuerit Alemannos, qui late per ea tempora florentes, a Mœno utpote fluvio ad Gunticnsem trajectum (de hoc vide Velserum L VII.) Rheni Danubiique ripas prætexentes, Romanis provinciis imminebant, & quamvis Gondomagus & Vadomarius, Reges Alemannorum, qui proximas tum temporis vastaverant Gallias, obviam profecto & feliciter cum hostibus congresso Imperatore, pacem componere non detrectassent; attamen paulo post Lentienses Alemanni fœderis cum Romanis obliti, denuo perruptis limitibus Rhætiam populati sunt. Qua injuria excitus Constantius, cum exercitu progressus est ad campos Caninos, ibique castris collocatis, Arbetionem magistrum equitum ad lacus Briganrini oras cum validissima copiarum parte præmisit, protinus cum hoste congressurum. Hic non expectans eos, qui nunciarent adventum, mox in occultas insidias prope Reineccium oppidum (si conjecturæ locus erit) incidit, ubi ita perculsus est ab hostibus, e latebris suis terga Romanorum telis petentibus, ut magno militum numero & decem Tribunis desideratis, vix ipse opacæ noctis beneficio evaderet. Verum cum hostes insolenter valde agerent, & indies Romana castra licentius insultarent, strictis gladiis minas tumidas intentantes, scutarii aliique Romanorum commoti infamia, egressi subito, auxilio aliquot supervenientium cohortium insigniter Alemannos contuderunt, & in effusissimam fugam conjecerunt. Post hæc iterum bina vice a Gonstantio Imperatore & Barbatio duce, Romanorum agros infestantes prostrati, pacem petere sunt coacti.

§. XV. Julianum, qui anno CCCLX. Imperii curam suscepit, multæ & insignes de Alemannis reportatæ victoriæ clarum reddiderunt. Primarium ejus, quod edidit prælium, erat illud ad Argentoratum commissum, ubi tota die ancipiti Marte pugnatum, donec tandem Julianus hostem multis millibus cæsis in fugam conjecit. De quo legendi Marcellinus *L. XVI.* Crusius *Lib. I. P. VI. c. VI.* Stumpfius *L. IV. c. XXII.* B. Rhenanus lib. I. Contra etiam Alemanni ad Sanctionem oppidum (quod Rhenanus Seckingen esse putat) Romanos prælio superarunt, ipso duce Libinone, qui ad congrediendum cum Alemannis a Juliano missus erat, occiso. Præter illud prælium Julianus hostes suos etiam ad Lugdunum vicit, iterum ad Mœnum amnem, & ad Rhenum sæpius, prout pluribus de his scripsere laudati auctores.

§. XVI. Sub Valentiniano I. qui anno CCCLXIV. clavum regiminis suscepit, acerrimas in Galliam fecere incursiones variæ Barbarorum gentes, veluti classico excitæ, eamque simul cum Rhætia sunt depopulati. Horum autem iræ insequente anno acrius exarsere, quod missis suis ad Cæsarem legatis consueta præstituta munera parcius & illiberalius solito fuerint præbita, quæ cum sordes aversati projecissent, Ursatius officiorum magister convitia addiderat,

rat, neque gens bello innutrita injuriam moderate ferendam, sed armis, quam primum domum sunt reversi legati, vindicandam statuit, Gallico Rhæticoque bello decreto. De Rhætica quidem ipsorum expeditione nihil nobis reliquere Historici ejusdem ævi. Gallicæ is fuit exitus, ut Barbaros præda & secundis aliquot præliis exultantes, demum Jovinus equitum magister primo & secundo imparatos, tertio paratos ad oppidum Gallicæ Campaniæ Catalaunum aggressus, plurimis occisis, in fugam verteret, Regemque captum milites, ducis injussu, patibulo suffigerent. Confer Marcellinum *lib. XVII.* Rhenanum *lib. I.* Crusium *P. I. lib. VII. c. I.* Velserum *lib. VII.*

§. XVII. Posthæc anno CCCLXVIII. solitis gravior parabatur in Alemannos expeditio, a Valentiniano & Gratiano ejus filio, qui etiam anno CCCLXXII. Rhenum trajecere, & regione late vastata, ad Solicinium (quod Solms inter Moguntiam & Treverim situm oppidum esse putatur,) pugna difficili & diu ancipiti victoriam ab Alemannis sunt consecuti, qua, si Marcellino fides habenda est, universam gentem Alemannorum delere potuissent, nisi paucos aliquot noctis tenebræ per fugam abstulissent. Vide Marcellinum lib. XXVII. Crusium lib. VII. P. I. c. II. Velserum lib. VII.

§. XVIII. Anno CCCLXXVII. & seq. Valentiniano Juniore & Gratiano Imperatoribus clavum una tenentibus, Alemanni fiducia inflati, quod Gratianus Valenti patruo auxilio in Orientem profectus esset, tractus Rhætiarum confines, per fallaces discursus, violato fœdere dudum concepto, collimitia populatione turbarunt. Videatur Marcellinus lib. XXXI. Huic occasioni instandum rati, sequente an. CCCLXXVIII. Rheno per Februarium mensem glacie strato, in Galliam cum quadraginta millibus militum transiere: eos autem Gratianus reversus ab Oriente, coactis, quas Orientem versus præmiserat, copiis, ad Argentariam ingenti prælio devicit, adeo ut Rege Priario interfecto, ex reliqua tanta multitudine, vix quinque millia evaderent. Vide Crusium P. I. lib. VII. c. V. Velserum lib. VII.

§. XIX. Honorius Occidentis infelix erat Imperator: ita enim sub ipso rei Romanæ accidit, ut semel inclinata, in pejus quotidie prolaberetur, antequam ad extremum præcipitium deferretur. Præludium autem quasi totius Occidentalis Imperii ruinæ, summa Stiliconis, qui tutor Honorii erat, in Romanos perfidia fuit. Hostes hic ipse concitabat, omniaque Romanis erepta cupiebat. Posterioribus annis & Alemanni & Franci ancipiti loco omnes Romanorum provincias, inprimis Rhætiam utramque presserunt, dum undique nemine resistente minas, insidias & vim intentarunt, plurima expugnarunt castella, olim jam expugnata vel prorsus diruerunt, vel firmiore præsidio munivere, & reliquos exinde populos infestarunt. Ut verbo dicam, omnia excidium Imperii occidentalis proxime subsecuturum præsagiebant, ipsa adhuc Roma orbis alias domitrice cadente, & Visigothorum Regi Alarico se tradente. Vide Crusium P. I. lib. VII. c. VII. Velserum l. IX. & alios.

§. XX. Valentiniano III. regnante, qui Honorium in Imperio secutus est, Francorum res quotidie summo cum Imperii Romani decremento, in immensum succrevere: quo etiam lacus Bodamici accolæ, Romanis adhuc parentes, intenti in fortunam Imperii & hostium, attoniti hærebant, Francis vicina Rheno; Visigothis, alias Romano Imperio fœdere addictis, ea, quæ circa Ligerim; Burgundis omnia prope Rhodanum amnem occupantibus. Actii autem virtute adhuc in fide sunt detenti, qui Francis pro viribus se oppone-

ponebat; donec tandem & ipsum Romanorum præsidium desperatis rebus ex Constantia urbe, excepta qua jam omnia tenebant Alemanni, ultro sese proripiebat, vel (ut alii volunt) a civibus ejiciebatur.

§. XXI. Hactenus nec ipse accola Bodamici lacûs aut Alemannorum aut Francorum detrectasset imperium, modo scivisset, cujus amicitiam satius fuisset exambire. Nunc vero attonitus, simul cum aliis derelictus, inopinatum Attilæ adventum stupet, qui quamprimum cum exercitu per Germaniam iter ingressus, (sive ut Aventinus ait, per Noricum, Vindeliciam, Rhætiarum fines, lacum Brigantinum) si quid ibi resistebat, passim devastavit, vicis & oppidis concrematis, sacris & profanis ædibus dirutis, nec sexus nec ætatis ratione habita. Pari crudelitate in Helvetiam tendens, urbem Constantiam afflixit. Nec Rhenus quidem hosti huic resistere poterat, nec Hercynia sylva, quæ subito secta bipennibus in lintres abierat, non resistentibus Alemannis, quorum tamen vim omnis Romanorum exercitus horrebat. Argentoratum (hactenus Silberthalam dictam) mœnibus in quatuor decussatim vias dirutis, πολυοδόπολιν jussit appellare; unde etiam nonnullis scriptoribus nomen & vocabulum *Strasburg* enatum videtur. Nec dubitandum, quin atrocissimus hostis non solum Alemannos, sed & alios, quorum fines transierat, populos, ad auxilia sibi contra Aetium Romanorum ducem ferenda coegerit. Exinde Germania, quam hactenus ingenti suo, qui ex septingentis millibus militum constiterat, exercitu, pene oppressit & evertit, relicta, ad Gallos militem duxit, quorum terras, haud secus ac Germanorum, devastavit, multis iisque munitissimis urbibus captis ac diruptis, tandem ad Catalaunicos campos, qui Tolosam (ut fide digniores autumant) prope sunt, pervenit, Aetium ibi expectaturus; qui & quam primum cum exercitu suo longe inferiore atque Attilæ erat, supervenerat, aciemque, prout e re fore putarat, disposuerat, prælium felicissimum cum hoste commisit. Ita enim Attilæ exercitus contusus, ut ad CLX. seu, ut alii volunt, CLXXX. millia militum cæderentur. Ubi non omittendam censemus Crusii observationem, qui c. X. l. VII. p. L. sic de hac pugna disserit: *Tanto ibi ardore pugnatum est ac pertinacia, ut majore pugnari non potuerit: tantus in medio pugnantium e cadaveribus exporrectus est acervus, ut vix inter se utrinque contueri possent, tantum sanguinis effusum est, ut rivulus fluxerit, quo sitis vehementiam aliqui postea sedarunt. Laborantibus utrinque succursum integrorum acie est, atque in tenebras usque noctis pugna producta, donec Attila receptui canens, cum reliquis in castra sua reversus, se plaustrorum circumvallatione, Germanorum more, texit.* Et sane potuisset omnis ipsius exercitus deleri, modo Aetius aliorum auxiliarium militum & Regum incrementa iniquo animo non tulisset, ipsorumque potentiam reformidasset, licet ingenti cum damno Reipublicæ Romanæ, quæ paulo post plane concidit. Videantur Gregorius Turonensis *in Historia Francorum* lib. II. c. VII. & qui gesta Attilæ singularibus libellis exposuerunt, Nicolaus Olahus, & Callimachus Experiens.

§. XXII. Reversus ex Gallia Attila cum reliquiis exercitus, trajecto Rheno, per Germaniam in Ungariam abiit, omnia quæ obviam erant, depopulatus, vastitatem præprimis Germaniæ superiori, Helvetiæ item & Rhætiarum oppidis inferens. Quem si Aetius delevisset, non tanto cum exercitu insequente anno in Italiam irrupisset, nec eo adegisset Romani Imperii vires, ut tandem Valentinianus Imperator ignominiosam sibi pacem ab ipso expetere necesse habuisset, quam Attila largitus, in Pannoniam se recepit. Francis interim Alemannisque nihil obstitit, quo minus ubique felices rerum suarum suc-

successus contuerentur, eaque, quæ partim deserta, partim diruta sunt ab Attila, castella in omni Germania oppugnarent; imo Aetii indigna morte audita, totas provincias, præsertim Belgicas & Germaniæ secundæ, occuparent, prout id ex sequente capite pluribus colligere erit, quod Francorum ortum & successus prolixe sistet.

CAPUT V.

DE

STATU LACUS BODAMICI

SUB

IMPERIO FRANCORUM

REGUM.

§. I.

DE Francorum dominio Occidentali acturi, merito ante omnia natales hujus gentis, aliaque prima regni Francici evolvemus.

§. II. Franci primum circa annum CCXLIII. sub Valeriano & Gallieno Imperatoribus innotuere, hocque sub nomine tum demum cum Romanis bella gesserunt. Quapropter etiam nec apud Cæsarem, Tacitum, Vellejum, Plinium, Strabonem, Dionem, Ptolemæum, cæterosque priscos scriptores, Francorum mentio fit. Ex quibus eruditi passim colligunt, ante Gallieni tempora nullum extitisse populum Francorum nomine insignitum, rationi præcipue huic innixi, quod, si quæ gens Francorum nomen habuisset ante hanc tempestatem, vix ipsum omisisset Tacitus, accuratissimus alias Germanicarum gentium scriptor, imo nec reliqui.

§. III. Ipsa gentis origo ambiguis auctorum sententiis hactenus implicita, multis fabulis aspersa & erroribus obnoxia fuit. Reperies enim primo fabulatores, qui Francos nobis ex Troja deducunt, atque de sæpius ipsorum mutatis sedibus meras ineptias comminiscuntur. De quo B. Rhenanus *lib. I. Rerum Germanicarum* ita sentit: *Nec mirum, si rudibus istis seculis ausi sunt talia confingere, haud dubie Monachi, nam præter hos tum temporis nemo norat literas.* Hi autem, qui Francos ex Troja arcessivere, Sicambrorum nomine id fecerunt, addentes insuper, a Franco Rege placuisse huic genti aliud nomen. Alii sunt, qui fabulam fabula augent, referentes, Francos ex Trojanis reliquiis natos, postquam diu in Pannonia resedissent, condita urbe Sicambria, Valentiniani Imperatoris rogatu Alanos domuisse, obque id tributo ab Imperatore liberatos, ac Francos, hoc est, *feroces*, Attica lingua primum appellatos esse; cum rursus tributa exegissent Romani, rebellasse & ad Rhenum penetrasse. Sed hæc ideo vana, quia multo ante Valentinianum, & non demum sub ipsius imperio Franci sunt exorti, & Zosimo, Procopio, Agathiæ, aliisque scriptoribus innotuere. Alii de fabulis dictis convicti, fateri sunt coacti, e Ger-

e Germania prodiisse Francos, & jam ab antiquissimis Romanorum temporibus in Germania extitisse, sed parvam invalidamque gentem latuisse, donec aucta sensim populis atque armis emerserit, & ad Rhenum proruperit, ideoque etiam Tacito incognitam fuisse. Quæ tamen, quoniam absque omni omnino indicio sunt prolata, tam facile refelluntur, quam afferuntur. Alii denique ex Franconia ipsa oriundos dixere. Plausibilis hæc multorum sententia fuit, sed jam dudum ex suis erroribus retecta; quando Franconia Alemanniæ pars cognita, & demum sub Clodoveo Francorum aut filio ejus Theodorico Austrasiæ Rege, devictis Alemannis, cum omni ea regione ad Francorum regnum accesserit, nec ante Francorum nomen ibi auditum sit. Exploratam autem illam putamus esse sententiam, quæ Francos non solum nativos Germaniæ incolas, sed etiam non tam unius, quam multarum gentium esse dicit, qui auctoritate Imperii Occidentalis in his terris diminuta, pro communi libertate, cujus tessera nomen est (Francum enim liberum gentis lingua hominem sonat) percusserint fœdus, multisque seculis acerrima bella adversus Romanos gesserint, exciti cumprimis exemplo Alemannorum, qui jam sæpius in Gallias excusso Romanorum jugo irruperunt. Confer Aimoinum *Hist. Franc. lib. I. c. III.* Rhenanum *l. c.* Michaelem Ritium *de Regibus Francorum lib. I. c. I.* Joh. Rivium *Rerum Franc. Decad. I. lib. I.* ante omnes autem illustrem auctorem *Monumentorum Paderbornensium.*

§. IV. Nomen unde suum habeant Franci, satis ex dictis constare puto, de sedibus ergo despiciendum erit. B. Rhenanus *lib. I. Rerum Germ.* ex Panegyrista Constantini M. sedes avitas Francorum & proprias deducere conatur, cujus verba sunt: *Quid loquar? rursus intimas Franciæ nationes, non jam ab his locis, quæ olim Romani invaserant, sed a propriis ex originis suæ sedibus, atque ab ultimis Barbariæ littoribus avulsas, ut in desertis Galliæ regionibus collocatæ, pacem Romani Imperii cultu juvarent & arma delectu.* Hac autem ratione ductus est Rhenanus, quod scilicet non frustra addidisset Panegyristes, *ex originis suæ sedibus*, nempe tractus littoralis Oceani Germanici. Nec levis momenti conjectura isthæc erat, equidem hac in designatione scriptorum omnium una consensio. At ii, qui magis perspicue rem tradunt, veterem Franciam inter Rhenum, Visurgim atque Albim flumina requirendam esse censent; nec alibi magis, quam in ipsa Westphalia, vicinis ad Isalam & Frisiæ oras, aut ad Rheni ostia regionibus Francos reperiri. Vide Crusium *lib. VI. p. I. c. II.* Rivium *l. c.*

§. V. Progressus hujus populi e suis sedibus primi fuere, quibus collocati sunt in eam terræ partem, quæ intermedia erat inter Thuringos & Alemannos. Immigrationis autem occasionem ipsis præbuere Thuringi, qui sibi ab Alemannis metuebant, & propterea a Francis, qui multum tum temporis a Romanis affligebantur, per legatos auxilia petebant. Franci autem, cum eo ipso magni in Britannia motus essent, (bellum inter se gerentibus Constantino & Licinio Imperatoribus) nec ita longe tunc sedes ipsorum abessent, auxilia denegarunt, veriti, ne Romani in suas irruerent regiones, hoc responso legatis dato: *Succurreremus libenter vobis, si absque periculo nostro fieri posset: nunc quomodo nosmet ipsos dividamus, Romanis & Gallis quotidie nobis imminentibus? nimis procul est nobis pugnare contra Alemannos, cum illi prope ad fontes, nos ad ostia Rheni incolamus.* Quibus, ut Crusius refert, hæc reposuere legati: *Nobis est terra ampla, fertilis & amœna, Rex noster populo Francorum optimam est concessurus, quæ pertingit ad Alemannos, ut contra illos sit intermedius quasi murus, dividens ab Alemannis Thuringos; illis ad exterminationem,*

bis ad salutem. Franci id, quod offerebatur, acceptarunt, & in sequenti anno CCCXXVI. exiverunt de Francia cismarina. Dux erat ipsorum Genobaldus quidam, Clodomeri, qui principatum inter populum tenebat, frater, qui novas sibi a populo Thuringiaco donatas sedes non solum bene rexit, sed & brevi post ampliavit. Termini tunc Francorum erant, ab oriente Bohemia; ab occidente Mœnus & Rhenus; ab aquilone Thuringia & Saxonia; a meridie vero Alemannia; quæ sedes initium subsecuti Ducatus Franciæ Orientalis fuere. Vide Crusium *l. IV. p. I. c. II.* Rhenanum & Michaelem Ritium locis laudatis.

§. VI. Franci igitur, dum cum multis pedestribus incursionibus intrantes Galliam non tam prædæ dulcedine, quam ubertate soli, si sedes in ea figere liceret, prorsus allubesceret, omnem trajiciendi Rhenum occasionem spectantes, tandem Francofurtum ad Mœnum extruxerunt, Gallorumque tractus invaserunt. Romani interim novam hanc sedium mutationem ægre ferentes, hostile quicquam tentare, exoticis, quibus impliciti erant, bellis sunt prohibiti, donec tandem anno Christi CCCXLIII. Francis quotidie Gallorum fines populantibus, bella inferebant, varioque inter ipsos successu pugnabatur. Omnino tamen ipsos debellare Constans non valuit, sed pacem, ut peterent, coegit.

§. VII. Julianus Imperator postea denuo rebelles Francorum cohortes reprimere conatus, cum itineribus rectis jamjam Taurinum sive Turinum (ut nunc vocatur Sabaudiæ metropolis) pervenisset, nuntio perculsus est gravi, Coloniam scilicet Agrippinam pertinaci Francorum obsidione reseratam, & magnis viribus a Barbaris deletam esse. Sequenti autem anno CCCLX superveniens per Alemannorum pagos multum hostes perterruit, pacemque reipublicæ firmavit.

§. VIII. Subinde postea cum Juliano congressi, victi & prostrati sunt. Anno CCCLXXI. Gallicanos tractus iterum tentarunt, & quo quisque erumpere potuit, terra vel mari, prædis acerbis, cæde & incendiis violarunt, & paulo post urbem Treverin captam combusserunt.

§. IX. Hactenus a Ducibus res Francorum sunt gestæ, regiaque potestas (licet alii multis ab annis ante natum Christum deducere eam conentur) non innotuit. Videatur Gregorius Turonensis *lib. II. c. IX.* qui ex Sulpitio Alexandro multa profert, quæ huc faciunt; cumprimis vero conferri possunt Monumenta Paderbornensia l. c. & Joh. Rivius *Dec. I. lib. I.* qui expressis verbis ait: *Non existimo etiam fœderatis his populis contra Romanos unum aliquem fuisse Regem aut Principem, qui omnibus imperaret, sed habuisse ab initio Duces & Regulos, etsi uno inter se fœdere pro tuenda libertate conjunctos.* Nec aliter se rem habuisse apparebit, si conferemus ea, quæ supra de origine Francorum tradidimus, ubi fabulam esse demonstravimus, quæ de Franco Rege creduli Francorum scriptores annotarunt, cum ætate Francicæ gentis, & Franci sic dicti Regis, minus inter se conveniant. Hujus enim ætas, juxta ipsos propugnatores & alios, qui eos sunt secuti, in annum ante natum Christum XXXVIII. incidit; illorum contra ortus, in tempora Gallieni Imperatoris, qui circa annum CCLIII. vixit. Quæ insuper de successoribus Franci in Regnum Francorum jactitant, vana sunt, & nullis fide dignis Historicis probata. Ducis enim nomine, Reguli omnibus venere scriptoribus, quotquot etiam transmigrationem hujus populi ad Rhenum annotavere. Genebaldum ultimum,

ultimum, qui Ducis nomine præerat huic genti, anno CCCCXX. Pharamundus quidam excepit, qui primus Rex a suis est declaratus; utrum inter ceteros potentior, an omnibus imperans, incertum. Hoc liquet, in ejus deinceps familia & successoribus regium mansisse nomen & potestatem, qui Francorum regnum non cis Rhenum tantummodo & Mosam, sed longe lateque per Galliam produxere, prout ex inferius dictis patebit. De hoc Pharamundo notandum, quod potentissimi Galliarum Reges hactenus ab ipso sint numerati.

§. X. Prius autem hic naturæ debitum dedit, quam in Gallia imperium a Francis condi cœptum est. Rhenum etiam an unquam trajecerit Pharamundus, in incomperto est. Filius contra, cui Clodio nomen, sibi hunc vendicavit honorem. Et sane inquieti sub ipsius sceptris Franci erant, ab anno CCCCXXXIII. usque ad CCCCXL. & amplius in Gallia ad Aurelianenses & Parisios aspirabant. Neque tamen Aetii virtus ullam hostibus nocendi occasionem prætermisit, sed sæpius valde eorum conatus turbavit. Meroveus qui successit, seu filius fuit, seu affinis Clodionis, certe nomine de se familiæ tributo nobilis, atque haud pœnitendus Francis suis, Rhenum cum copiis felicissime, ipso electionis suæ anno trajecit, sedesque Francorum ad Axonam amnem, Valentiniano III. non repugnante, collocavit. Hoc duce anno CCCCXLV. Clodius Rex, cum Disburgi sedem haberet, non animo cecidit, cum eum aliquando Aetius, *unum Romanorum rerum præsidium*, rejecerat solicitantem Gallias, sed resumsit consilia. Res cessit, & ad Samonam usque fines protensi. Rerum nova tempestas insequentibus annis Galliam pressit. Venit *terror ille orbis*, *flagellumque Dei* Attila, a pluribus quidem sollicitatus. Hic ab Aurelia, quam Franci tuebantur, depulsus, in Catalaunicis campis, Aetio, cui commune periculum inter alias nationes, etiam Francos, hactenus hostes, junxerat amicos, occurrit: sed & hic gravi prælio victus Attila, totus deleri potuisset (prout superiori capite docuimus) modo Aetius Romanus non obstitisset, consilio non sibi minus, quam Reipublicæ funesto. Nam mox Attilæ furorem sensit non Italia modo, sed & ipsa Gallia, totaque ferme simul cum Germania a Francis occupata est, non amplius cessuris. Sub Childerico Rege, qui anno CCCCLIX. sceptra excepit, incrementis Francorum mora injecta est, cum se sua libidine Rex reddidisset invisum. Detrusus propterea de throno, fuga ad Thuringos exitium vitavit, restitutus tamen paulo post per Winomadum quendam, amicum familiarissimum, Imperium a patre Aurelianensibus & Andensibus auctum recepit.

§. XI. Anno CCCCLXXXV. Clodoveus M. Childerico Francorum Regi mortuo successit, qui Merovingos ad culmen fere extulit. Anno enim postea quarto omne Galliarum Imperium, quod a Julio Cæsare quondam Romanis pactum fuerat, eis ademit, & Orientalium ac Occidentalium Francorum Rex est dictus.

§. XII. Hactenus Francorum terra diversis nominibus non vocata est, postquam autem tanta sub Clodoveo cepisset incrementa, Gallia quoque Franciæ nomine venit; & quo majestas Regis Clodovei apud plebem augeretur, omnis Francorum ditio in duo divisa est Regna, Franciam scilicet Teutonicam & Romanam. Illa continebat Germaniam secundam & Belgicam utramque; hæc Gallicas regiones, quas Meroveus ejusque nepos Clodoveus domuere. Condita autem sunt hisce regnis distincta nomina ex ore & lingua gentis diversa. Galliæ enim incolæ Romanice loquebantur; qui vero Germaniam,

Belgicasque inhabitabant sedes, Teutonicis utebantur vocabulis. Postea temporis Teutonicæ Franciæ novum Gallicani scribæ affinxere nomen, scilicet Austrasiam dicebant, nomine a plaga, quam vergebat, desumto, cum a Francis ipsis procul dubio *Oestrich* vocaretur, id est, *Orientale Franciæ regnum*, cui, ut contradistingueretur Francia Romana, Westrich, id est Occidentale regnum dicebatur, corrupte *Neustria*. Videatur B. Rhenanus *lib. II. rerum German.* Illa scilicet Austrasia sive Francia Orientalis multum postea dilatata est, totius Germaniæ primæ aliarumque regionum accessu, prout per sequentia docebimus.

§. XIII. Franci rebus in Occidentali suo regno compositis, nihil hostile adversus Alemannos meditati, porro inter se pacem servassent, modo Alemanni intra suos limites constitissent, nec sua fortuna minus contenti, Galliæ a Romanis derelictæ simul & ipsi cum Francis inhiantes, gravissimas inter se & Francos excitassent simultates, alteris reliquorum potentiam nimis ingravescentem reformidantibus, vicinisque interea procul dubio utilitatis suæ causa frigidam suffundentibus. Exortum autem est ex hisce simultatibus tantum bellum, quantum nec Romana virtus in his terris gessit. Alemanni enim non modo priores lacessivere bellum, sed & in medium illud Francorum regnum (in secundam scilicet Germaniam) Tolbiacum usque (oppidum tunc in regione Colonensium, hodie vero pagum *Zulch* sive Zülpich dictum) cum exercitu progredi sunt ausi. Occurrit his Clodoveus, & memorabili pugna jam victus, vota tamen de suscipienda religione Christiana faciens, victoriam victoribus Alemannis extorsit, acerrimosque Franciæ hostes isto prælio debellavit. Hoc tempore Alemannia, quæ strenue hactenus adversus Romanos libertatem tutata fuerat, miserrimam a Francis impositam servitutem subiit. Neque enim destitit percursare victor, quam longe lateque patebat nomen Alemannicum, Germaniam primam cum Elcebiensi tractu & partem Maximæ Sequanorum, imo etiam trajecit Rhenum: illic veterem Alemanniam, hic Rhætiam primam & Acronii lacus, quas superioribus annis graviter tentabant Alemanni, urbes pervasit, igne & ferro perdomuit, tributa undique imposuit, leges sat duras tulit, gravesque magistratus instituit. Videantur Munsterus *lib. III. Cosmogr. c. XVIII.* Stumpfius *lib. IV. c. XXVII.* B. Rhenanus *lib. II.* Crusius *p. I. lib. VIII. c. IX.* Bucelinus *in Chronicis suis ad annum CCCCXCVIII.*

§. XIV. Quæ sævitia Francorum eo adegit gentem Suevicam sive Alemannicam, (sub hæc enim tempora in unam nationem conflatæ videntur scriptoribus) ut aliquam multi ex Nobilibus, qui iniquo animo legum datarum gravitatem ferentes, subinde rebellarunt, ad Theodoricum Ostrogothorum Regem perfugerent; quibus in tutelam susceptis, Theodoricus ad Clodoveum epistolam dedit, qua petiit, ut æquiores parentibus leges ferret, & reditum in patriam, & secessionis veniam concederet. Epistolam ex Cassiodoro *Annalibus suis Suevicis* inseruit Crusius l. c. cui & Clodovæi, jamjam Christiani & baptizati Regis responsum junxit. Quæ autem post tantam cladem omnem pene Alemanniam presserit servitus, tam frequens & hodienum apud ipsos populos occurrens, accuratius ex B. Rhenano *lib. II. Rerum Germ.* item ex Crusii *loco citato*, inprimis vero ex *Actis Lindavienſibus* Excellentissimi Domini Heideri peti potest.

§. XV. Alemannicum hactenus florentissimum regnum, & olim inter complures divisum Reges, nunc a Clodoveo Franco in Ducatum vertitur, cura ipsius rectori cuipiam, qui Dux Sueviæ sive Alemanniæ appellabatur, com-

commissa, cujus ditio Austrasiæ regno accensebatur, & ad flumen Helvetiæ Ursam (de quo supra cap. II. §. III. dictum est) usque se extendebat. Quæ autem horum Ducum potestas muneraque fuerint, infetius paulo indicabimus.

§. XVI. Ex Alemannia ad Bojos se convertit Clodoveus, quos noverat cum Alemannis contra Francos pugnavisse. Hi autem mox ita cum ipso transegerunt, ut perpetuum pangerent fœdus, talibus conditionibus latis: primo ut Boji, si opus esset, de corpore suo, Regibus Francorum auctoribus, Principem legerent, quem tamen non Regem sed Ducem appellarent: deinde in bellis auxilio essent Francis, eosdem cum eis habendo pro hostibus & amicis, denique suis institutis & moribus libere viverent. Quæ societas quoque inconvulsa per aliquot seculorum decursus permansit. Videatur Crusius loco citato.

§. XVII. Gothos inde petiit, & cum primis Gundebaldum Burgundionum Regem magna vi oppressit, regno expulit, sicque quietem Helvetiæ multum turbatæ reddidit. Posthæc graviora pericula Regi glorioso impendebant, dum Theodoricus, laudatus Rex Italiæ, immemor semel datæ fidei, Hermenfredum Thuringiæ & Alaricum Visigothorum Hispaniæ Reges adversus illum concitabat. Clodoveus autem liberior aliquanto duobus præliis eos vicit, ipso etiam Alarico Rege cæso, omniaque quæ in Galliis habuere, excepta Prima Narbonensi, eis eripuit, placando autem Theodorici Ostro-Gothorum Regis animo, Gundebaldo genero ejus omnem, quæ trans Ararim est, Burgundiam reddidit. Neque tamen sic omnino est placatus Theodoricus, sed amplius timens, ex quo Anastasius Imperator Clodoveum, honoris causa Consulem & Patricium Romanum anno DX. creavit, Hippam confestim Amalarico in auxilium mittit, quo duce mox aliquantum fractæ sunt Francorum vires, Provincia Theodorico, Vasconia Gothis accedentibus. Ita termini Francorum, qui ab Oceano ad mare Mediterraneum usque jamjam protensi erant, introrsum moti sunt. Ultima Regis Clodovei, uti non æque felicia, ita nec laudata fuere, cum in propinquos variis de causis sæviret.

§. XVIII. Secuta mors est Clodovei anno I૭ XI. revera Magni, & partitio regni inter filios quatuor, qui ipsi supererant. Hos omnes Gallia simul Reges vidit, licet in diversis partibus. Childebertum scilicet apud Parisios; Clotharium in Suessionibus; Clodomirum circa Aureliam; Theodoricum in Austrasia, cui (ut superius jam monuimus) & Alemannia & Rhætia inferior, una cum lacu Bodamico, Alemannorum olim juga ferens, accensenda est. Multa omnino vel in hodiernum diem ostentat monumenta Bodamicus lacus, & inter alia quidem, rudera nonnulla ediditissimarum arcium & castrorum, quæ olim Theodoricus, laudatus Austrasiæ Rex, ad littora lacus extruxit, postea vero Barbarorum vis diruit: de quibus pluribus legi merentur Stumpfius, Crusius, & inprimis Gabriel Bucelinus in sæpius laudato *Chronico Constatiensi ad an. DXVI.*

§. XIX. Bella, quæ fratres posterique ipsorum adversus exteros, & inter se ad tempora Dagoberti usque gessere, quando ad præsens parum faciunt, ne nimium prolixi simus, hoc loco præterimus. De hoc saltem observatu dignum est, quod famam, quam ex variis prudenter gestis collegerat, luxu suo iterum obscurarit: quamvis nec hic desint, qui laudibus eam extollant, vel quod maculam benignitate in Ecclesias (seculi superstitione) eluerit.

§. XX.

§. XX. Mortuum anno IϽCXLIV. Dagobertum excepere reliqui Merovingiorum familiæ posteri, quorum gesta priusquam tradamus, monendum censemus, cum his paulatim jamjam sub Dagoberto inclinatam senescere cœpisse Francorum Regum majestatem, contra omnem regiminis curam creditam esse Majori Domus, qui tunc Pipinus erat, cujus nepos Martello genitus postea tempore Childerici III. omne sibi regnum simul cum titulo, quem hactenus Regibus reliquerant, vendicavit.

§. XXI. Eligebantur autem Majores Domus ex nobilioribus regni Proceribus, Palatii Præfectis aut Cubiculariis, omnemque regni administrationem in manibus habebant, Regibus ipsis modica imperandi potestate relicta. Exinde igitur a Dagoberto Magno, Austrasiæ Rege, usque ad tempora Pipini maximam Majoratus dignitatem fuisse colligimus, quæ etiam non nisi usu rerum peritis & fide exploratis committebatur. Sed hæc ipsa potestas Majorum exitium tandem familiæ & regno Merovingiorum attulit, ut ex sequentibus patebit.

§. XXII. Dagobertus Magnus moribundus Sigebertum & Clodoveum filios Pipino Majori domus commendavit. Sigebertus, quem parens superioribus annis Austrasiæ præfecerat, haud alia petiit parente mortuo, cetera Clodoveo fratri relinquens, pacificus Princeps, sed Grimoaldo, Pipini filio, Majori Domus, socero obnoxius, suo malo. Hic enim Sigeberti mortui filio Dagoberto tonso, & in Scotiam ablegato, suum Childebertum, quem Rex ante susceptam prolem adoptaverat, hæredemque regni constituerat, intrusit. Non tulere Franci flagitium, damnatis illis, Rex Clodoveus Austrasiæ Alemanniæque filium Childericum Regem dedit; Clotharium vero Neustriæ Regem constituit, potestate summa penes Ebroinum, hominem crudelem, relicta. Hujus Ebroini artibus Theodericus, fratre Clothario defuncto, vocatus ad regnum, præterito Childerico Austrasiæ Rege, non obstante, quod natu major esset Theodorico, modo ne Ulphoaldo, Childerici Magistro, Ebroinus cedere cogeretur. Sed Franci, Theodorici cito pertæsi, Childericum advocant. Theodericus cum suo Ebroino tonsus in monasterium detruditur. At vide humanarum rerum vicissitudinem: Childerico nobilis cujusdam Franci manu inter venandum cæso, Theodericus sceptra recipit, potestate & regni cura ad Lendensium quendam delata, quem tamen Ebroinus, simul ac renatis capillis cucullum exuit, hostibusque profligatis pristinæ dignitati a Rege suo Theoderico est restitutus, clandestino consilio interemit. Interim socordia Regum quotidie ingravescente, & odiis undique in Neustria inter nobiles & plebejos flagrantibus, ab Austrasiis & Suevis Pipinus, Brevis dictus, Major Domus est appellatus, qui patruelem habebat Martinum, Alemanniæ tunc Ducem. Hi autem cum supremum dignitatis gradum vi sibi comparare tentarent, victi sunt ab Ebroino ad Laudanum Pipinus quidem fuga salutem obtinuit: Martinus autem, qui ægre se in proximum oppidum recepit, fideque ab hoste accepta, in colloquium venit, fraude ab Ebroino interfectus est. At is haud multo post cædis hujus pœnam luit, nam ab Hermanfrido, Nobili Franco, per insidias est interfectus. Amisso sic Martino, omne rerum arbitrium ab Austrasiis ad Pipinum est delatum, qui brevi post Bertarium Regemque Theodericum, auxilio Francorum adjutus, prælio vicit, quo non solum exulibus favor Regis reconciliatus est, sed & ipse Pipinus, Bertario clandestine sublato, Regis curam (prædam, de qua pugnabatur) accepit. Ille autem Nordberto filio Campaniam tradiderat. Ipse trans Rhenanis bellis susceptis (quod per civilia Francorum bella animos istæ gentes extulissent) Saxones Suevos-

Suevosque, licet viribus impar, ipsi vero invicti viderentur, cum in fidem revocati redire nollent, variis præliis fatigavit, longaque tandem die perdomuit. Sic & Ratbodum Frisiorum Ducem, qui defecerat a Franciæ Regibus ad obsequia redegit. Adeoque hujus Pipini perpetuo labore & pacis diuturnæ bonis perfruens, Franciæ regnum domi refloruit, & foris pristinam dignitatem recuperavit.

§. XXIII. Hactenus Theodericum Regem habuit invita licet Francia, cui, postquam anno DCXCIII. diem obiit supremum, Clodoveus III. successit. Hujus tamen regimen, uti & fratris Childeberti, qui eum in imperio secutus, non alia re notum, quam socordia Regum & Pipini, Prætorio Præfecti potentissimi, rebus feliciter gestis. Hic, mortuo interea Nordberto Duce Campaniæ, Drogo filio suo natu maximo Ducatum dedit; Grimoaldum vero filium Childeberti Regis Palatio præfecit. Cum autem denuo Frisios vinceret, eam sibi peperit majestatem, favoremque plebis & Nobilium ita exambivit, ut tandem potens suæ dignitatis non esset, sed ipsa abuteretur, dimittendo uxorem, & alii, quæ Alpais vocabatur, nubendo, ex qua Carolum Fortem, alias Martellum cognominatum, genuit. Post Childericum, permissu Pipini, Dagobertus Regis nomen sumsit, cui Pipinus ætate gravis & morti proximus Theudoaldum ex Grimoaldo nepotem, Magistrum concessit, simulque Majorem Neustrasicæ & Burgundicæ Domus eum esse voluit. Quinam vero Pipino anno DCCXIV. mortuo curam Regni Austrasiæ tenuerit, nondum satis compertum putamus: si tamen fides habenda Eginhardo, qui *in vita Caroli M.* tradit, Pipinum divisisse regnum Franciæ inter filios, autumare licebit, Carolo Martello Austrasiam cessisse, & haud secus ac Neustria & Burgundia Theudoaldo nepoti; imo a patre ipsi tutelam Theudoaldi commissam esse.

§. XXIV. Et hæc erant, quæ post mortem Pipini inter novercam & Carolum Martellum tanta odia excitarunt, adeo ut Carolus in carcerem ab ipsa detrusus, sæpius mortis periculum adire cogeretur, donec tandem sequenti anno ex carcere se subducens, ad Austrasios, qui rebus Theudoaldi & Plectrudis (sic audiebat noverca) minus favebant, confugeret, favoremque ipsorum sibi conciliaret, multa de libertate ipsis restituenda pollicitus. Dagoberto interim mortuo, Chilpericus quidam ex regia stirpe natus, a Ragenfrido in thronum evehitur, excluso ob infantiam Theoderico, Dagoberti filio. Chilpericus indultu Ragenfridi Majoris Domus, Carolum Austrasiæ Principem bello aggredi conatur, Ratbodo Frisiorum Rege in auxilium advocato. Carolus quidem primo certamine victus a Frisiis, animum tamen non abjecit, sed recollectis viribus, Neustrasios, magna præda onustos, profligavit, recuperatis omnibus, quæ amiserat. Hac victoria lætus Carolus, anno DCCXVII. Neustriam armis tentare est ausus, nec infeliciter, prope enim Cameracum immani prælio Chilpericum vicit, & exercitum ejus ad internecionem pene delevit. Exinde reversus Austrasiæ regnum potestati suæ subdit, & Coloniam Agrippinam, metropolim Plectrudis intrat, ipsamque cum tribus nepotibus prædam recipit. Ne tamen ipse Austrasiæ regnum appetere videretur, Majoratum sibi vendicavit, & Clotharium quempiam ex genere Merovingiorum Regem constituit. Anno DCCXVIII. non Saxones solum subegit, sed & Eudone Aquitaniæ Duce & Ragenfrido Majore Domus in Neustrasia simul cum Chilperico Rege subjugatis, parentis Pipini dignitatem recepit, nihil ipsi repugnante Ragenfrido. Hinc iste Clotharium Austrasiæ & paulo post Neustriæ quoque & Burgundiæ dedit: sed quum hoc anno adhuc obiret Clotharius, Chil-

Chilpericum exulem revocavit. Ipse mox in Saxonibus, Bavaris & Alemannis virtutis experimenta ſtatuit, Francorum Principis meritus elogium, proximo regnaturæ familiæ omine. Sed jam Regibus major erat, quia Reges faciebat: mortuo enim anno DCCXXI. (ut vulgo ſentiunt Scriptores) Chilperico, Theodoricum Dagoberti filium, a regno olim ob infantiam excluſum, ſubſtituit & regnare voluit. Hujus auſpiciis Eudonem Aquitaniæ Ducem fœdifragum ſubegit; Abdaracham Saracenorum Imperarorem cum trecentis & ſeptuaginta millibus ſuorum uno certamine ſtravit: inde denuo Friſios fregit, & paulo poſt Eudone mortuo Aquitaniam invaſit, proſtratisque iterum Saracenis, qui ad ulciſcendam cladem ſuorum advenerant, non tantum Avenionem ab iis captam recepit, ſed & Galliam Narbonenſem, quæ cum Hiſpania Gothis olim tributum ſolverat, aggreſſus, caput ejus Narbonam cum reliquis oppidis expugnavit, cæſis, qui ad opem ferendam ſæpius accurrerant, Saracenis. Poſt hæc interregnum ſeptem annorum, Theoderico Rege mortuo, ipſeque Carolus in Regem poſtulatus, Rex tamen Francorum fieri noluit, glorioſius ducens, Regibus Francorum imperare, quam Rex eſſe, ut loquitur Rivius ex *MSC. Nivellenſi, Rerum Francic. Decade I. lib. VII.* cum quo & reliqui ſcriptores rerum Francicarum conferri poſſunt.

§. XXV. Ultimum Caroli generoſum factum erat, quo Gregorium Papam, Romamque urbem ab hoſte Liutprando Longobardorum Rege liberavit. Deceſſit Carolus anno DCCXLI. communi Francorum Regum tumulo illatus, cum hac epigraphe: CAROLUS MARTELLUS, REX: ut, ſi vere fuerit, aut tantummodo ad regnum poſtulatus, eclipſin paſſa ſit Lex Salica; quando Martellus ſtipite maſculino Merovingus non fuerit.

§. XXVI. Vita defuncti Martelli principatum filii ejus Carolomannus & Pipinus ſuſceperunt, & ita quidam, ut illi Auſtraſia, huic Neuſtria cederet. Ab his Principibus Childericus Merovingiorum ultimus ad regnum evectus eſt. Hi primo in eo ſe Francos comprobarunt, quod fratrem Griphonem, natu minimum a principatu excluderent: qui, cum vindictam, occupato Lauduno meditaretur, a Carolomanno ſuperatus & cuſtodiæ traditus, poſthæc ſolo Pipino rerum potiente, hinc inde agitatus, dum in Italiam elabi cogitaret, interemtus eſt. Anno DCCXLII. Carolomannus cum Bojaris & Alemannis, nova molientibus, bellum geſſit, eosque feliciter ſuperavit. Pari modo & Saxones repreſſit anno DCCXLV. qui, audita Caroli morte, tributa, quæ hactenus pendere ſolebant, pernegarunt, in libertatem ſemet vindicaturi.

§. XXVII. Poſt hæc Carolomannus monachus factus, ſoli Pipino Galliæ ſolium reliquit. Hic Saracenis, tertio Galliam invadentibus, rejectis, nihil ulterius auſpiciis Merovingiorum geſſit, cum jam dudum inclinata ipſorum regia poteſtas, paulo poſt plane deſtructa, deſinere. Enim vero a multis annis nihil illis præter nomen Regis reſtabat, dum ſibi ipſis omni interdixerant publicæ rei adminiſtratione, ſemel Calendis Maji in publicum prodire ſoliti: cum interea majeſtatem ſubditorumque favorem, qui abſentia & deſiderio imprudenter ſe tutari credebant, pro ſuis poſſidebant Præfecti. Viſum autem eſt ad extremum Pipino, qui pari hactenus jure cum anteceſſoribus regnum, ſolo demto titulo exercuerat, indecens fore, ſi penes alios virtus eſſet, apud alios nominis honos. Hac in re ad nutum habuit Proceres regni, qui aſcitis Zachariæ Pontificis ſuffragiis, tanquam in re, quæ invidia non careret, Pipinum anno DCCLII. nomine dici, quod erat, juſſere.

§. XXVIII.

§. XXVIII. Insequente anno Stephanus Papa, ipsum, simul cum filiis Carolo & Carolomanno, Franciæ Reges inunxit. Pipinus etiam occasionem bene de se merito gratias referendi oblatam, Aistulpho Longobardorum Rege Romanam rem urgente, non est aspernatus, sed id precibus Stephani dedit, ut Aistulphum vi adigeret jurare, redditurum se Romanæ Ecclesiæ, quæ eripuisset. Sed cum Aistulphus fidem datam non solum non præstaret, sed & ipsis Romæ mœniis immineret, Pipinus revolans castigavit ejus perfidiam, promissaque ut servaret coegit.

§. XXIX. Reliquos Pipini Regis annos Waifarii Aquitani rebellio, Thassilonis Bavari desertio & Saxonum bella otiosos esse non sunt passa: nihil tamen obstitit, quominus post hæc familia ejus regnaret; sicuti etiam, patre anno DCCLXVIII vivis exempto, initio Carolus cum Carolomanno, hoc defuncto, ille solus regnavit.

§. XXX. Hic simul ac Austrasiæ, & cum ea maximæ partis Germaniæ, ut & Aquitaniæ sceptra suscepit, bellum a parente Pipino cœptum ulterius producere est coactus. Aquitani enim, rebellis populus, Regem novum exercuere, Haunoldo & Lupo ducibus: compressi tamen sunt, etiamsi Carolomannus Galliæ Rex fratrem juvare recusaverit. Longobardi postea hostem sensere. Mox anno DCCLXXII Saxonicum bellum sua habuit initia, quo non aliud majoris laboris fuit, non victoriis tantum, sed & cladibus nonnunquam celebre. Diuturna erat validissimæ nationis ad Rhenum a Baltico mare protensæ per XXXII. annos durans obstinatio, Wittekindo inter primos authore, ad quem illustrissimæ Europæ familiæ hodienum suam referunt progeniem. Nec adeo facile illud erat, quod contra Hunnos Avares, præda totius viciniæ ditissimos gestum, copiam pugnæ facere detrectabant; octo annorum ergo decursu domandi fuere. Demum eosdem & Obotritos fœderatos a Sclavorum injuriis tutatus est Carolus, imperio ad Vistulam promoto. Alibi Britanni ad obsequia redacti. Minoris negotii erat, Thassilonem Bavarum hostilium in judicio convincere, qui cucullum corona posita induit. Post Saraceni, quorum ingruenti potentiæ non nisi Francorum regnum divinitus videbatur oppositum, in Hispania vinci didicere, Cæsaraugusta & aliis urbibus a Carolo captis. Reditum Rolandi fortissimi Ducis & aliorum aulicorum jactura reddidit funestum. Hæc Carolo Rege Francorum potentiam multum adauxere. Augusti nomen, non vero potentiam anno DCCC. a Papa Leone accepit, de cujus Imperio & gestis Augusto dignis in sequente capite agemus. Hisce hactenus longa serie relatis Francicæ potentiæ & majestatis, quæ per IV. fere secula habuit, incrementis, brevibus adhuc superaddemus incrementa Christianismi, quæ a Clodoveo M. ad Carolum nostrum usque accepit.

§. XXXI. Exiguam fuisse Ecclesiæ Christianæ fortunam ante M. istum Clodoveum quis ignorat? cum omnes Historici gravissimas ejus persecutiones sub Occidentis Imperatoribus primisque Francorum Regibus observarint. Inprimis tristibus fatis Ecclesias ad lacum Bodamicum sub Trajano, Decio, Severo, Valeriano, Diocletiano & Juliano Imperatoribus fuisse perfunctas, eorundem seculorum scriptores & alii recentioris ævi docuere, ita quidem, ut quicquid antecessores eorum restaurarint, ipsi denuo destruxerint, cunctosque quos Ecclesiæ Christianæ favere fama tulerit, ejecerint. Tandem vero, postquam ad Francos Reges delatum est Imperium Occidentale, paulatim reflorescere cœpit res Christianorum. Omnium enim primi, fidei Christi sese addicentes, Collegiorum monasticorum Germaniæ auctores fuere, extructis videlicet &

amplis proventibus donatis, basilicis cœnobiisque Presbyterorum monachorumque, quibus Episcopi & Abbates præficiebantur & hodienum præsunt, prout accurate hæc docuit Vadianus *in præf. ad lib. I. de Collegiis & Monasteriis Germaniæ.*

§. XXXII. Et profecto extra controversiam constitutum putamus, vix alios in illa duritie barbarieque seculorum, Ecclesiis cœnobiisque fovendis ornandisque amplius impendisse, quam hos ipsos Francorum Reges, quos inter merito primus habetur Clodoveus cognomento Magnus, qui Christianam fidem professus, sibi alias proprium Paganismum abominatus est. Id autem in more ipsis erat, ut veteres circa Rhenum & Danubium Ecclesias restaurarent, amplis censibus additis; alias a Barbaris solo æquatas, novas e fundamentis exædificarent, nihil minus dotatas & ornatas postea, quam priores.

§. XXXIII. Ex restauratis præcipuæ censentur Augustana Vindelicorum, Moguntiacensis, Trevirensis, Coloniensis, quas satis constat, antequam Franci e Germania migrarint, minime incelebres aut infrequentes fuisse. Nec absimile vero est, Nemetum etiam Ecclesiam, quæ hodie Spirensis & Vangionum, quæ Wormatiensis (proh dolor! barbarie hostium denuo dirutæ & excisæ) dicuntur; Rhætiæ itidem, quæ apud Curiam est pervetusta, floruisse, nec in totum ignota colonis initia habuisse, siquidem Dagoberto I. regnante Nemetensis clara fuisse fertur. Imo supersunt monumenta antiqua in Ecclesiis Constantiensi, Augiensibus, S. Galli & quibusdam aliis ad Bodamicum lacum adsitis, quæ omnia Francornm Regum memoriam recolunt, illorumque beneficentiam deprædicant. Vid. Stumpfius lib. V. variis in locis. Munsterus, Crusius & alii.

§. XXXIV. Porro, quia omnibus commune visum est pietatis studium, donare & largiri Ecclesiis, nec quisquam Germanorum, cujus etiam fuerit conditionis, post doctrinam istam de operum bonorum meritis (proh dolor) imbibitam, suæ suorumve salutis curam hac via negligendam esse putavit, usque adeo condendis ornandisque sacris ædibus prope omnes admirabili quodam consensu & voto incubuerunt. Quare & Duces & Comites hac in parte religioni propagandæ innumeris hinc inde cœnobiis extructis, donatis, restauratis, affuisse constat. Quid, quod & extiterint fœminæ, quarum sedulitas in cœnobiis maxime puellarum matronarumque fundandis spectata est? quas inter non nobiles solum, sed & regiæ numerantur. Præcipuum merito hic locum assignamus Bertradæ, Pipini Regis conjugi, & Bathildi cujusdam Clodovei Regis uxori. De Pipino ipso constat, quod cum adhuc Majoratum Franciæ Domus teneret, beneficum valde sese in monasteria exhibuerit, perinde ac multi alii Principes & Reges Francorum, quorum seriem brevitatis ergo non nectimus, sed saltem notamus, quod quotquot etiam fuerint cœnobiorum conditores aut restauratores, omnes animæ salutem peccatorumque remissionem intenderint. Unicus nobis sit exemplo Dagobertus, qui, quod de levitate vitæ & rapinis Ecclesiarum secundum quietem, aut in ecstasi mentis a Diva Virgine & Apostolis Petro & Paulo (sic ferunt scriptores) castigatus fuerat, Weissenburgense in Nemetensi diœcesi monasterium in honorem Sacrosanctæ Trinitatis & jam dictorum Sanctorum in spem remissionis peccatorum consequendæ construxit, multis donis ac privilegiis regiis beavit. Ingens autem Francorum Regum beneficentia in monachos, si non alibi, certe in illo Pipini Reges dono, quo Ecclesiæ Romanæ Exarchatum Ravennatensem simul cum aliis haud exigui momenti privilegiis concessit, singulariter eluxit, quo de superius

superius pluribus egimus, simulque monuimus, non ita Pontifici ista relicta esse, ut non summam sibi Imperator servasset jurisdictionem: quin & de ceteris Ecclesiis constat, quod illarum Episcopi, nec dominia ulla, nec imperia vel mera vel mixta affectarint, ipsa etiam ceremoniarum dispositione penes Reges relicta. Horum erat monachos recipere, aliosque colonos dare cœnobiis, horum erat Episcopos Abbatesque eligere, & prout arridebat, singula constituere; imo eo denique sese extendebat regia Francorum potestas, ut & ipsum Pontificem Romanum creare, ejus tradita improbare & ad palatum suum corrigere possent. Prout de hac ecclesiastica Regum potestate & constitutionibus plura legi possunt apud authores hactenus laudatos, cumprimis cum deventum fuerit ad tempora Caroli M. Regis. Sed ne justo prolixiores simus, veterum Francorum Regum Historiæ finem ponimus.

CAPUT VI.

DE

STATU LACUS BODAMICI

SUB

CAROLO MAGNO

IMPERATORE.

§. I.

SI Germania de ullo Heroe, sane de Carolo Magno gratulari sibi habet. Is enim regnum a patre Pipino acceptum, non modo per omnia virtutum experimenta auxit, sed & post fractas Orientis & Occidentis opes Imperium Romanum toties a translatione sedis Imperatoriæ in Orientem prostitutum & concussum pene, ad priscum honoris culmen reduxit, uti sub finem capitis prioris docuimus.

§. II. Prius autem quam scopum nostrum tangamus, brevibus perpendere licebit, qua ratione ad Carolum M. devenerit Imperii Occidentalis majestas, an scilicet per Leonis III. Episcopi Romani potestatem ac decretum? an vero per victorias Caroli aut per Proceres & Populum Romanum? an denique per subsequentem consensum & approbationem Imperatoris Orientalis? aut per hæc tria simul? Scriptores Pontificii Papæ hac in re omnem fuisse potestatem volunt & authoritatem, propterea que illam unice admirantur & deprædicant, aliisque persuadere conantur, ac si ille Carolo M. Imperium Occidentale sub Augustulo destructum tradiderit, quam tamen assertionem post alios innumeros optimæ fidei & eruditionis viros & nos damnamus ac improbamus, e contrario asserentes, Carolum & jure belli & jure electionis & jure consensus Imperium obtinuisse. Quod enim ad jus belli attinet, superius jam ex ordine diximus, quantum de Imperii Romani reliquiis sibi subjecerit; imo, quod volentibus ac non refragantibus Italiæ, maximæ tum Imperii Occiden-

talis partis possessoribus Imperatoribus Orientalibus, devicto Longobardorum Rege Desiderio, eam suæ fecerit ditionis.

§. III. De electionis jure quod diximus, sciendum in eo potissimum fuisse situm, quod urbes principatus & Italiæ populi sigillatim dominium Carolo sponte detulerint, aut jure belli occupatum post dejectionem Regis Longobardici libenter agnoverint & receperint, cujus rei testis est, cum corona Mediolani ab Episcopo ipsi imposita, tum Patriciatus Romani honor decretus, tum etiam plenaria in Romam ipsam ad eum delata potestas, quam Pontifex, cui Leoni III. nomen erat, ipsi fecerat, mittendo claves Petrinas, nec non vexillum Romanum, quæ omnia subjectionem Italiæ & Romæ totius, imo ipsius Papæ denotant, quicquid etiam reclament Bellarminus, Gretserus & alii. Accedit tandem communis illa S. P. Q. R. consensu publice in Occidentalis Imperii Dominum & Imperatorem facta declaratio & coronatio, qua acclamatum: CAROLO AUGUSTO, A DEO CORONATO, MAGNO ET PACIFICO ROMANORUM IMPERATORI VITA, VICTORIA. Confer Eginhardi *vitam Caroli M. & Annales ad annum DCCC sqv.* aliosque.

§. IV. Multum negotio momenti conciliavit consensus Orientalis. Titulo enim & juri, quod in Occidentale Imperium habuerat, nisi renunciasset prorsus Orientis Imperator, non satis legitima, ideoque nec valida satis illa Imperialis majestatis translatio fuisset. Penes Papam enim, vel etiam alios non erat, tradere illud, quod nequaquam possidebant, jam vero aliena illa erat Imperii Occidentalis potestas, nec quicquam juris in illud vel Papa, vel alius habebat, omnia erant penes Orientis Imperatores, excepto Ravennatensi Exarchatu cum allodiis suis, quem Pipinus Caroli M. pater, ipseque Carolus recens concesserat, quemque instar clientis sub patronis & tutoribus Francis Pontifex Romanus possidebat. At vero simul ac transactionibus quibusdam cum Orientis Cæsaribus initis, approbatio Imperatoris, totiusque Constantinopolitani Imperii (quod intestinis bellis mire defatigatum, propter dissita loca Italiæ, cujus Provinciis Occidentalibus jamjam exciderat, non poterat succurrere) consensus insecutus est, Carolus Romanæ sedis, aliorumque per Italiam, etiam ecclesiasticorum res & causas justo titulo securus rexit, & ordinavit. Fertur etiam Carolus non ita multo post cum Nicephoro transegisse de finibus, variasque fœderis conditiones Sigonius *Regni Italiæ L. IV.* Paulus Æmilius *Lib. III.* Urspergensis Abbas & alii memorant, quas tamen opinioni potius hominum receptas, quam rerum fidei consentaneas judicavit Bœclerus. Conferri possunt Conringius *de Germanorum Imperio Romano cap. VIII.* & clarissimus Dn. Krebsius, Rector olim Gymnasii Heilsbrunnensis, *in Dissertatione*, quam hoc de argumento conscripsit.

§. VI. Ex his superiusque dictis facile unicuique erit colligere, quanta fuerit Imperii Carolini magnitudo & potentia, unde Constantinopolitani Francos non diligebant, sed metuebant, dicentes: *Francum amicum habeas, vicinum non habeas.* Interim certum est, quod fortissimus Heros Francorum Regum prius intra Saxoniam, Danubium, Rhenum, Salam, Sueviam & Bavariam finitum in Germania imperium, ultra Saxoniam, Pannoniam, utramque Daciam, Istriam, Hyberniam & mediterraneam Dalmatiæ partem longe lateque extenderit. Galliam quoque, ante Rheno & Ligeri, Oceano item & mare Balearico terminatam, omni adjecta Aquitania, totoque Pyrenæi montis jugo ad Iberum usque flumen, ac omni inde Alpibus usque Calabriam, Italia mirum in modum adauxit, prout fusius ostendunt Eginhardus *in vita* *Caro-*

Caroli, Annales Pithæi *ab anno* DCCLXIX. *ad annum usque* DCCCXIV. uti & alii *Annales Fuldæ reperti*, *ac a Frebero editi*, item ex junioribus Stumpfius *Lib. I. & III. Chronici Helvetici*, Munsterus *Cosmographia Lib. III.* Aventinus *in Annalibus Bojis Lib. IV.* Crusius *p. II. Lib. I. &c.*

§. VII. Reversus autem ex Italia Carolus M. potestate, quam obtinuit in ecclesiasticis, optime usus est. Plurima enim in Ecclesiis hinc inde ordinavit, multa restauravit, imo leges tulit, quarum ad præscriptum monachos vitæ rationem inire oportuit, quas ad nostra tempora usque Mutina, Italiæ urbs ostendit, teste Sigonio *Lib. IV. de regno Italiæ.* Ceterum nec quicquam de jure suo Papæ aut Episcopis concessit, imo tantum abfuit, ut semet Vasallum Papæ fateretur, aut quod commissum a Papa Imperium administraret, dici pateretur, ut potius ne vel minima quidem rerum ecclesiasticarum se inconsulto vel ordinatarum, vel compositarum rata haberet, ut taceamus figmenta Baroniana, quod Carolus semet potestate Papam eligendi & deponendi, sic & Episcopos investiendi, quam olim ab Hadriano Papa primus acceperat, abdicarit. Vide Eginhartum & Sigonium laudatos, item Sigebertum *ad annum* DCCLXXIII. Reinkingium *de imperio seculari & Ecclesiastico Lib. I. class. II. cap. IV.* & Conringium *de Imperio Germanorum Romano.*

§. VIII. Non tamen ita Francorum Imperio hanc potestatem Carolus vendicavit, ut exinde sibi suisque saltem consuleret bonis, atque ex ipsis Ecclesiarum bonis ærarium publicum ditaret. Minime: sed potius eximie ab ipso donatas legimus Ecclesias. Nec Alemanniam inque ea lacum nostrum Bodamicum prorsus omni Imperiali munificentia caruisse novimus, quin compertum habemus, præ aliis ditionibus tractum istum auctum ditatumque esse. Cumprimis singularis ipsius fuit affectus in Augiam Divitem, cui inter alia eximii momenti dona anno DCCCIX. Ulmam villam tunc vocatam, (nunc potentissimam S. R. I. urbem) elargitus esse fertur, quam Abbates Augiæ per aliquot secula subjectam sibi habuere. Sic & Cathedrale monasterium Constantiæ, Campidonense etiam & Sangallense plurimum extulit & locupletavit. Vide Eginhartum, Munsterum, Stumpfium, Crusium, & Bucelinum variis in locis.

§. IX. Neque vero hic substitit Caroli M. favor, benevolentiaque in cœnobiales, sed ad extremum usque halitum indies adaucta est. Notum enim quod non solum in cœnobia plurimum elargitus, sed & non nihil leges, quibus astricti erant monachi, levarit, imo tandem eo usque, licet summo cum Imperii & posteritatis damno conniverit, ut Episcopi jam ad temporalem jurisdictionem aliasque immunitates aspirarent. In aprico enim sunt diplomata, Campidonensi, Augiensi, Herbipolensi, aliisque monasteriis concessa, quorum huic ferme omnem civilem jurisdictionem, quæ alias una cum criminali penes Advocatos monasteriorum erat, concessit, vix dum criminali jure Advocatis relicta. Confer *Bullam Caroli M. ad annum* DCCCXIII. & Vadianum *Lib. II. de Collegiis & Monasteriis Germaniæ.* Campidonensi, præter magnam libertatem, quam monachis ejusdem cœnobii concesserat Adrianus Papa an. DCCLXXX. (qua scilicet ante meridiem sacra faciebant, post meridiem vero gladio se cingebant, ad exercenda jura forensia) aliam addiderat, qua sola fruebatur, scilicet jus cudendæ monetæ, eodem etiam tempore ipsum Abbatem Campidonensem, cui Andegario nomen erat, ad Principalem dignitatem evexisse traditur. Videsis Bruschii *Monasteriologiam fol.* 28. Magerum *de Advocatiis cap. II. &c.* & sic de aliis alios, cumprimis vero Vadia-

dianum, qui *in libris de Colleg. & Monast. Germaniæ* plurima singularis erga monachos benevolentiæ Caroli documenta notata reliquit, & alicubi annotavit, ab excessu Caroli multo magis res ipsorum crevisse, filiumque Ludovicum longe faciliorem fuisse ipso Carolo, adeoque favisse rebus sacris, ut ejus indultu plerique Episcoporum Principum in numerum fuerint cooptati.

§. X. Condita sunt hæc diplomata Carolina plerumque in Comitiis, in quibus cum de ecclesiasticis, tum de civilibus rebus Reges soliciti erant. Non autem omnem potestatem, ut reliqui decessores, Majori Domus concessit Carolus, memor illius, quod Childerico ultimo Merovingiorum accidit, sed (ut volunt quidam) vel prorsus abrogato isto munere, vel ad minimum multum imminuta ejus potestate, penes se summam rerum administrandarum esse voluit. Ceterum non defuere, qui ipsum adjuvarent in negotiis Imperii. Proceres nimirum & ut ferunt, numero duodecim, quos hodienum Gallus, sed Carolis impares potestate tuetur, sibi elegit, quos pares dignitate & numero constituit, & ob id Pares vocari voluit. Videatur Crusius *Annal. Suevicorum lib. I. p. II.* Quanquam nos horum constitutionem cum Hornio malimus ad recentiora secula referre, illis ducti rationibus, quarum catalogum texuit in *Orbe suo Imperante.* Præter hos aulici supererant tot, quot ad tuendam Imperatoriam regiamque majestatem sufficere poterant. Primarius minister erat Palatii Comes, cujus de officiis & authoritate brevibus hic agemus, ad eaque, quæ ex antiquis scriptorum monumentis proferre licuerit, famosam illam de Adelberto quodam, (hunc fictitium Cœnobii Lindaviensis Diploma Ludovicianum non solum Sacri Palatii tempore Ludovici Pii Comitem fuisse asserit, sed & ejusdem cœnobii fundatorem venditat) quæstionem, an scilicet is Palatii Comes unquam fuerit, simulque fundator dicti monasterii esse potuerit, solvemus.

§. XI. Fuisse Franciæ Regibus Comites Palatii, pluribus hic probatum non ibimus, quod res sit certissima: sed cum de illorum authoritate & munere agendum, necesse est, ut istius ævi scriptores, quoad fieri potest, evolvamus. Devenere autem ad nos ex periodo Carolina, inprimis Eginhardus, Aimoinus (quanquam de nomine nondum certa sint omnia) & Anonymi nonnulli, quorum primus *in vita Caroli M.* alter *lib. IV. Historiæ Francicæ cap. XXXVII. & XXXIX.* reliqui passim in Annalibus suis, plurima de Comitibus Palatii, seu ut alii (licet minus accurate) appellant, Palatinis nobis reliquere. Ad nomen eorum quod attinet, dubium non est, quin conditum sit de Palatio, cui præficiebantur. Contradistinguebantur autem nec immerito Comitibus illis, qui magno numero aderant, & absolute Palatini, sæpius quoque cum addito Comites Palatini audiebant. Ita enim tituli restringebantur, ut etiam dignosci ab ipsis possit Palatii Comes, quo titulo nemini antiquiorum scriptorum reliqui venere. Ceterum & Primores Palatii & Proceres, Optumates itidem & Magistratus dicebantur, postea, ut verosimile est, Pares vocati. Videantur Aimoinus *lib. III. cap. IV. & XXX.* aliique. Ille autem Palatii Comes authoritate & potestate præ his omnibus eminebat, adeo, ut & his ipsis dominaretur, & velut judex lites eorum ordinaret. Neque vero in iis tantum potestatem suam exercuit, sed & reliqua civilia ita dijudicavit, ut necesse non haberet Regem appellare, nisi fuerit maximi momenti & Procerum causa: imo sæpius, quod e republica & totius regni Regisque ipsius erat, procuravit. Videsis Gregorium Turonensem *lib. IX. cap. XXX.* & Caroli M. *Capitulare III. ad annum* D CCC XII. *cap. II.* Aventinum *Annal. Bojor. lib. IV.* Unde etiam tanta ipsi erat authoritas, ut proximus a Rege habere-

tur,

tur, & ubicunque Rex erat, ipse semper cum sigillo regio remaneret, modo non necessitate quadam impediretur. Quod clarum esse poterit, partim ex formula ista de contentione Gozboldi & Rhabani facta anno DCCCXXXVIII. Indictione I. XVIII. Kalend. Julii, quam ex Bignonio affert Conringius in *Censura*, partim ex Capitulari Caroli Calvi apud Carisiacum anno DCCCLXXVII. cap. XVII. Ceterum, ut prolixe B. Conringius docuit, non nisi unus uno eodemque tempore hoc munere est perfunctus, & si accidit, ut ad binarium numerus excrevisset, vel diversos Reges, vel diversum functionis tempus, vel secula ætatis suæ recentiora agnovere. Quod si autem & illos Palatii Comites cum quibusdam dixeris, qui hinc inde per terras Francicas in Palatiis regiis, qualia in populosioribus urbibus fuisse constat, consedere, & justitiam in Pagum, cui præfecti erant, exercuere, largiri facile possumus, certi interim ex variis Capitularibus Regum & Imperatorum, & his etiam superiorem fuisse, quem nos Comitem Palatii vocamus. Conferri de his potest *insignis de Comitibus Palatinis tractatus* Excellentiss. Dn. D. Georgii Schubarti.

§. XII. Ad hæc igitur dimetiamur obviam quæstionem de Adalberto: an scilicet fuerit Comes Palatii, & si id recte se habeat, an simul fundator cœnobii esse potuerit? Tradit diploma & cum ipso nuperus ejus Defensor *cap. IX. n. XIV.* Adalbertum Sacri Palatii Ludovico imperante Comitem fuisse, eundemque Cœnobium, quod est Lindaviæ virginale, fundasse. Conringius hoc quasi dedit, quempiam Adalbertum temporibus Ludovici Pii Comitem Palatii fuisse, cum *Censuræ sua pag. 128.* ait: *Quinimo verosimile est, Adalbertum, qui primo loco* (in Charta traditionum Fuldensium data ad annum DCCCXXX.) *inter Comites hic numeratur, fuisse Palatii Imperatorii Comitem, etsi illum titulum non legamus hic additum.* Conjectura autem erat Conringii, non invictum sed mutabile assertum. Hoc tamen stabilire videntur Annales Pithœani ad annum DCCCXXXVIII. & XXXIX. ubi uterque locus Adalberti Comitis cujusdam meminit, sic & qui vitam Ludovici Pii conscripsit, Comitem aliquem Adalbertum recenset, nullus vero omnium Palatii Comitem eum dixit, quod mirum, si istam dignitatem tutatus esset Adalbertus, cum tamen alias Historici & Regum & Imperatoris Officiales suo dignati sint titulo. Sic enim ille vitæ Ludovici Scriptor Adalhardum, qui minister erat Lothari Imperatoris, vivo adhuc dum Ludovico parente, Comitem Palatii vocavit; sic alios alibi suis compellavit titulis. Potest tamen huic relationi fidem facere illud, quod Adalbertus sæpius Drogoni Archicappellano regio junctus est. Videantur Pithœi *Annales ad annum* DCCCXXXIX. imo quod reliquis omnibus est prælatus: Videatur laudata *Charta traditionum Fuldensium.* Sed ut diximus, conjectura est, qua nixus Conringius & ipse hæc talia volvens, cum interea non videamus, qui hæc respondeant Capitulari Caroli Calvi, quod aperte nos docet, Regum tum consuetudinem fuisse, ut ubicunque ipsi morarentur, & ipsi ibidem subsisterent Comites Palatii. De hoc autem Adalberto Pithœi Annales diserte dicunt, quod veluti dux quidam fuerit præmissus cum exercitus parte, cum Ludovicus Pius Imperator filium Ludovicum, Germaniæ Regem infestis armis petierit. Quo militari munere, an ullus unquam Palatii Comes sit perfunctus, dubitamus. Interim, quid si concederemus, fuisse Comitem Palatii Adalbertum, sane eo nondum evictum haberent, ipsum illum supremum Palatii ministrum fuisse eundem, quem conditorem sui cœnobii hactenus jactitarunt. Aut enim ut Palatii Comes condidit monasterium, aut ut Comes Pagi alicujus Francici, (in Pagos enim suas dividebant regiones Francorum Reges, & cuique eorum Comitem magistrum dabant, qui haud secus ac hodie Dux in suo ducatu, jure omni in suos subdi-

tos fruebatur, & non nisi in re maximi momenti causam ad regium Palatium deferebat) & quidem Turegiensis. Tractum enim illius regionis simul cum insula, ubi a sui exordio conditum cœnobium propugnarunt hactenus, tempore Carolingorum Regum paruisse isti Comiti, duobus chartis ex nono adhuc seculo ad nos translatis edocti sumus. Sed de his inferius pluribus. Interea si hoc (quod tamen nec ipsi dicent Pontificii, aliud scilicet ex chartis plurimis, quas *tomo II. Scriptorum Alemannicorum* produxit Goldastus, edocti, quæ nimirum Ludovico Pio Imperatori Geroltum quempiam Comitem lacus Bodamici tractum administrasse docent, sive deinde solius Durgaugensis sive Durgaugensis & Zürchgaugensis pagi simul gesserit curam) certum est, non tantam habuisse ditionem propriam, & jure donationis aut hæreditatis ad se delatam, quantam suis Cœnobialibus concessisse fertur Adalbertus; imo ne prædium, quod cœnobio condendo potuisset sine consensu Regis relinquere, possedisse credibile est, præsertim quando constat, nulli monasteriorum a Ludovico Pio seu secularis seu monastici ordinis illud fuerit, civilem jurisdictionem vel in aream concessam esse; ut jam taceamus, quæ ex jure dati diplomatis sibi licet injuste vendicant cœnobitæ. Quis quæso eruditorum tam peregrinus in Historia Francorum, ut non norit, Fiscales Francorum Comites fuisse & officii titulo tractum terræ administrandum accepisse? Exstant exempla, quod amoti sint interdum ab officio suo Comites & detrusi, vid. Gregorius Turon. lib. IX. c. XII. At exciperent fortassis tempore Ludovici Pii & filiorum ejus, ingravescente Normannorum potentia, Comitum non solum dignitatem sed & bona hæreditaria facta: sed respondemus, verum quidem hoc esse, at unde, quis probaverit, & ipsi Turegiensis Pagi regionem Comiti ab Imperatore donatam, & hæreditario jure in posteros propagandam aut monasteriis elargiendam, concessam esse. Reclamat Historia & illius & insequentis seculi. Namque ex ea colligimus, seculo demum decimo Comitibus Brigantinis istum Lindaventem tractum cum insula hæreditarie relictum esse, quod fieri non potuisset, si jam a Ludovico Pio Turegiensis Pagus Provinciali concessa fuisset. Si ergo ex his clarum, quod, ut Comes Fiscalis talia non potuerit Cœnobii patronus, alterum eligendum erit, quod scilicet cœnobium extrui fecerit, cum jam summo in aula Regis perfunctus sit munere, Comesque Palatii sit dictus. Et ecce hoc ipsum est, quod ad palatum suum putant Cœnobiales. Ita enim Defensor diplomatis nuperus l. c. *Nec dubitarim, quin ut anno 39. superstes fuit, ita superato Dei Matris ope in lacu Acronio discrimine, ubi in insulam appulit Lindaugiam, monasterium illic, ut in loco aptissimo & tunc prope deserto exædificarit.* Sed quam & hæc aliena a verosimilibus sint, mox patebit. Exprimit his verbis tempus & occasionem, quæ si non prorsus ἀθετήτως damnare licebit, dubia saltem movebimus haud aspernanda. Ante omnia autem merito perpendimus ea, quæ de Adalberti Palatii Comitis periclitatione in undis Acroniis circumferuntur. Constans & perpetua opinio & sententia tum oppidanorum, tum cœnobitarum fuit, cœnobium anno seculi noni decimo & sic tempore adhuc Caroli M. exordia sua habuisse. Sed en errorem in calculo! Ad mentem Defensoris, Adalbertus non decimo, sed demum trigesimo nono seculi tum labentis anno Principem suum Ludovicum Pium Bodamum secutus, in lacu periculum fecit, & dum denique extruxit, & de privilegiis cœnobio prospexit. An usque eo Ludovicus Bodami sit cunctatus, donec ordinatum fuerit monasterium, dubitamus. Credimus autem scriptorem invertisse, aut saltem non satis clare expressisse relationem, quam & alii hujus & superioris seculi scriptores suis inseruere historicis scriptis, quando de Lindavia ipsis agendum erat. Quicquid tamen de his sit, aniles fabulas retulisse, quis non videt? certe si tum periclitatus est, cum Ludovicum Bodamum est secutus, dispendia viæ

fecisse

fecisse satis patet. Sive enim Aquisgrano sive Francofurto venerit Rex, neutra via eo duxit, ut necesse habuisset Bodamicum lacum navigare & undis aquarum jactari; si prius vix credibile est, tantum Comitem temere se fluctibus commisisse, sed potius per ambages vel equitem, vel lectica portatum locum præfixum petiisse. Et si maxime largiaris, hæc contigisse Adalberto Comiti Palatii (de Fiscali enim ulterius nihil dicemus) unde demonstrabit Pontificius Scriptor, illum Adalbertum, cui ut Comiti Palatii sedes ubique, nullibi fixa erat, hæc ipsa Pagi Turegiensis bona possedisse propria, quibus deinceps sanctimoniales suos bearit? Vel exemplum ex antiquitate proferant cœnobitici, quo nos doceant, sub initia seculi noni ulli Comitum tantam ex fisco factam donationem, ut & oppida habuerint, quæ ut allodia cum omni civili jurisdictione potuisset monialibus concedere, quæ tamen omnia absque consensu Imperatoris sui Adalbertus; (si fuit) fundator, fecisse dicitur. Sed uti in præsenti certi sumus, nec hæc nec alia ex antiquis Francorum Regum monumentis scriptoribusque ejus ævi eruturos esse, ita & metito concludimus, colligi quidem posse conjecturando, non absolute affirmari, fuisse quempiam Adalbertum Comitem Palatii; fundatorem autem cœnobii Lindaviensis simul fuisse, cum omni historiarum & antiquitatum fide pugnare. Confer Aimonium *ll. cc.* Joach. Vadianum *l. I. & II. de Collegiis & Monasteriis Germ.* Conringium *cap. XI. & XIII. Censura sua Ludoviciani diplomatis:* cumprimis Maxime Rever. Dominum D. Præsidem *in Antiquitatibus Ducatus Thuringiæ.*

§. XIII. Denique & hoc capite limites Suevix sive Alemanniæ, quas habuit tempore Caroli M. constituere visum est. Scilicet ex superius dictis repetimus, Alemanniam veterem eandem esse cum Suevia hodierna, & notum, quod Gallis commune sit Germaniam, inprimis vero Sueviam, nomine Alemanniæ compellare. Hæc igitur, ut supra jam docuimus, ab antiquo limites suos ad Rhenum, Mœnum & Danubium habuit. An vero ex suis terminis tempore Francorum Regum sit protensa, an magis coarctata? quæritur. Sunt, qui utrumque contendunt, & ab una sui parte prolatam, ab altera arctatam tradunt. Sunt & alii, qui illud asserunt, hoc negant. Nobis quid videatur, brevibus dicemus. Carolus M. quin Austrasiam acceperit, uti posteris reliquit, nihil dubitamus. Itaque nullibi coarctatam asserimus, hac ratione moti, quod sub Austrasiæ Regibus, Alemanniæ & Bojariæ virtute sua destructa regna Duces, & post Duces prudentia Caroli M. Comites Fiscales habuere, qui pro arbitrio rem omnem administrarunt, proinde nec credibile est, ullum ex istis Ducibus seu Comitibus facile quicquam de suo detrahi passum esse, potius ut dilataretur ditio sua, curasse. Protensos autem Alemanniæ fines sub Regibus Francis nequaquam inficias iverimus, cum & probatissimi Historicorum, Stumpfius, Munsterus, Tschudus & alii nos doceant, Durgoviensis & Turegiensis Pagi tractum haud exiguum Alemanniæ accessisse, adeo ut ipsius Ducatus Alemannici Domini trans Rhenanas etiam amplissimas ditionis suæ definierint ripas.

CAPUT VII.

DE

STATU LACUS BODAMICI

SUB

LUDOVICO PIO

IMPERATORE.

§. I.

IN Ludovico Pio, Caroli Magni filio successore summa pietas eminebat, ac ardor incredibilis externis augendi Ecclesiam beneficiis; unde non ea modo quæ pater Romanæ aliisque Ecclesiis destinaverat, distribui fecit bona, sed & in monasticum Ordinem nova subinde ac luculenta ornamenta congessit, eoque ipso insigne illud *Pii* cognomentum sibi peperit. Primordia rerum gestarum Ludovici ex omni parte felicissima fuere, omnesque provinciæ, quas parens reliquerat, sub ipsius mansuetudine, longa pace cuncta refovente, acquieverunt. Cum primis ista tranquillitate Suevia nostra & in illa amœnissimus Bodamici lacus tractus gaudebat. Parebat tum illa ditio Comitibus potissimum & Vicariis regiis, qui uti Christianam professi fidem & religionem omni studio eo enitebantur, qui eam cum primis in Alemannia trans Rhenana, quam Helvetii hodienum tenent, non quidem per vim armorum propagarent, sed incolas jamjam mitioribus ingeniis imbutos tandem longiore die & molliore consuetudine permulcerent, suisque paulatim moribus ac sacris assuescerent, assuetos deinde confirmarent. Neque vero frustanei fuere hi conatus, Christianismo se mox undique insinuante terris, caputque ubivis erigente. Quod quidem beneficium Francorum majus fuisset atque luculentius, nisi simul etiam superstitiosus cultus regnum obtinuisset, magis magisque cum tempore & prope in infinitum auctus. Ceterum omnis nostra Alemannia sub sceptris Piissimi Ludovici multum exculta, urbibus ornata, castellis munita, arcibus distincta, ante omnia autem variis monasteriis instructa fuit.

§. II. Et hæc Alemanniæ augmenta fortassis initia dedere amplissimis illis circa lacum Bodamicum Comitatibus, in quibus Turegiensis & Durgaugensis, Brigantinus & Montfortiensis nobile nomen indepti sunt. De Durgaugensi certe id palam fieri potest ex Chartis, quas superiore capite ex Vadiano citavimns & Goldasto, ac integras inferius producemus, quando ad Carolum Crassum devenerimus, quo tempore Adalbertus Comes in Pago Durgaugensi floruisse dicitur. Turegiensem quisnam tum administrarit, chartæ non æque ut deberent, exprimunt, quamvis vel maxime id exoptassemus, quo facilius nonnullis, qui Turegiensem a Duraugensi nequaquam separatum fuisse pagum contendunt, scrupulum eximeremus. Sunt tamen præter illam, aliæ adhuc obsignatæ chartæ in scriniis monasterii ad D. Galli, ex quibus Stumpfio judi-

judicante, discrimen illud inter pagum Durgaugensem & Turegiensem manifeste patere potest. Sic etiam Carolus Imperator in illo instrumento, quod ad confirmandum cœnobium Virginum Sanctimonialium, quod Tiguri est, anno salutis DCCCXXCIII. edidit, disertam Turegiensis Pagi mentionem fecit, quando dictum est: *Monasterium constructum in Pago Zürchgaugensi.* Idem fit in permutationis literis eodem Crasso imperante conditis, & a Goldasto, ut diximus, productis; imo, quod maximi valoris documentum esse putamus, anno jamjam præcedenti DCCCLXXV. Hartmoto Sangallensi Abbate adhuc dum superstite literas conscriptas, & a Stumpfio *lib. IV. cap. LIV. Chron. Helvet.* notatas reperimus, quibus clare edocti sumus, non solum diversos Pagos fuisse sed etiam diversis Dominis paruisse, & Adalberto quidem Durgaugensem, Geroldo autem Turegiensem subditum fuisse. Quin igitur distincti fuerint Pagi, nemo ulterius fortassis dubitabit. Conferantur hunc in locum, quæ habet Conringius *in Censura diplomatis Ludoviciani cap. XIV.* Extat etiam de Durgaugensi Comitatu documentum in Isonis Monachi Sangallensis formulis, his verbis: *Ego Wolfbugi compunctus trado ac transfundo ad cœnobium S. Galli, ubi Grimaldus Abbas præesse dignoscitur, quicquid in Pago Durgaguensi in loco Ramsperage adquisivit.* Quem locum vel propterea adscribere placuit, quia in extrema formula *Odalrici* Comitis fit mentio, quem dicto Pago illis temporibus præfuisse opinamur.

§. III. Ceterum extra oleam non vagabimur, puto, si paulo solicitius inquisiverimus, quisnam tempore Ludovici Pii dominium in dictos Pagos & cumprimis in Turegiensem exercuerit. Comitem quendam (nisi forte unoplures) fuisse, nemo forsan negaverit, at quodnam ei nomen, id est, quod in controversiam venit. Pro Adalberto quopiam pugnat Stumpfius, cujus hæc sunt ad annum DCCCI. *lib. V. Chronici Helvetici, cap. XXIII.* **Um diese Zeit regieret um den Bodensee in Alemannien** *Adalbertus*, **ein Graff/ als etlich achtend zu Bregentz / der war ein Schirm-Herr der Reichen Au.** Extrema Stumpfii recte se haberent, si genuinum esset Caroli M. præceptum, in gratiam Hattonis Divitis Augiæ Abbatis anno DCCCXIII. datum, quod Martinus Magerus *de Advocatia armata cap. V.* & ex eo Conringius *laudatæ Censuræ cap. X.* exhibuit. Sed ut taceam νόθειας haud obscura in eo exstare vestigia, si vel maxime ab ipso profectum esset Carolo, non tamen ex eo appareret, Adelberto illi totum circa lacum Bodamicum tractum paruisse. Quid quod Stumpfius aliique scriptores in Adelberto illo parum constent, dum nunc Rhætiæ Curiensis Comitem, mox Rotenfanium, alias Buchorniensem, item Rorbacensem Comitem ex eo confinxere. Sed quid de istiusmodi auctorum discrepantia sit sentiendum, nemo non intelligit. Nos toties laudato Conringio assentientes asserimus, Stumpfium aliosque variantes suas sententias famæ vulgi malæque fidei monachis debere, qui Adalbertum sui cœnobii fundatorem mox Rotenfanii, mox alio nomine honorarunt, quibus tamen inter se hactenus tam non convenit, ut nuperus pro cœnobio Lindaviensi Scriptor e re sua duceret, silentio præterire ea, quæ hactenus de prosapia Adalberti sui antecessores jactitarint. His ergo ita constitutis, ut pro tempore nihil certi, incerta vero plurima cum ex vetustioris tum recentioris ævi Historicis colligere liceat, satius nobis erit de his ἐπέχειν, contenti isto, quod lacus Bodamici accolas Fiscalibus paruisse sciamus, quorum successoribus elapso ævo Carolingico omnis circa lacum Bodamicum ditio hæreditario jure concessa fuerit. De quibus tamen inferius fortassis pluribus dicendi occasio sese offert.

§. IV. Extra Alemanniam, quæ hactenus invaluerat quies, nunc etiam motibus turbabatur bellicis, quibus ansam dedit præmatura ista Ludovici Pii inter filios terrarum Francicarum facta divisio. Nimirum postquam Bernhardus, quem Carolus M. Avus Pipini patris successorem in regno Italiæ declaraverat, percepisset, Lothario Italiam una cum Imperii titulo concessam, arma adversus patruum Ludovicum Pium & filium ejus Lotharium paravit, copias coegit, in accessibus Alpium præsidia collocavit, urbes munivit, & quicquid ad repellendas vires Ludovici, eumque aditu Italiæ arcendum excogitari poterat, perfici curavit. Sed cum fama de tanto bellico apparatu ad Ludovicum delata esset, coacto milite ex omnibus utriusque Franciæ provinciis ad Alpium fauces contendit, cum Bernhardo decertaturus. Sed hic rebus suis diffidens, maxime, quod se a suis quotidie deseri videbat, positis armis, apud Cabillonem Burgundiæ urbem cum Ludovico & filio ejus in gratiam rediit, semet cum omnibus suis fidei Imperatoris committens. Vide Annales Francorum a Reubero & Frehero editos ad annum DCCCXVII. & Sigonium *lib. V.* de regno Italiæ.

§. V. Posthæc Pius, quantum quidem ex hoc ipso Sigonio aliisque scriptoribus colligimus, nunquam amplius Italiam intravit. An autem hanc ipsam expeditionem, qua Bernhardum fratris filium petiit, per Alemanniam instituerit (id quod nonnemini fuit visum) merito dubitamus: quandoquidem nec scriptorum veteris ævi ullus id prodiderit, nec ex situ urbis, ubi convenere partes, talia liceat colligere. Neque vero videtur simile in tanto discrimine viarum dispendia Ludovicum Imperatorem dedita opera quæsivisse. Quæ postea cum Mormanno Britonum regulo, itemque Ludovico Pannoniæ interioris Duce aliisque rebellibus res novas molientibus sunt gesta, tanquam ad propositum minus facientia sicco pede præterimus.

§. VI. Irmingarde uxore Ludovici Pii anno DCCCXVIII. (alii annum hujus seculi XXI. ponunt) defuncta, Imperator Juditham Suevam, Guelphi Comitis filiam matrimonio sibi junxit, ex qua Carolum, posthæc Calvum dictum suscepit, cui matris rogatu, si Mutio fides est, anno circiter DCCCXXXI. Sueviam, Rhætiam & Burgundiam assignavit. Reliqui Ludovici ex Irmingarde prognati filii moleste illud ferentes, instinctu Procerum quorundam sceptra patris aggredi sunt conati. Non erat locus relictus precibus Episcoporum aliorumque Præsulum, qui gratiam parentis filiis, filiorum parenti conciliare studebant. Nec contenti erant factiosi fratres, novercam ex thoro paterno in monasterium pepulisse, ipsum etiam patrem Dominumque regnis suis exuere cupiebant. Mox enim desertus ab omnibus, captus & in frequenti Principum conventu omnem Imperii dignitatem deponere filiisque suis resignare est coactus, sed vix elapsus erat annus, cum Imperio & uxori suæ restitueretur. Carolus quoque filius Ludovici hactenus in custodia Principum relictus, impune dimissus est. Posthæc Ludovico singulariter cum Lothario majori filio res fuit, qui tamen anno DCCCXXXVIII. (annales Francorum sequimur) Wormatiæ patri suo est reconciliatus. Hic loci Ludovicus alteram regnorum divisionem instituit, solaque Bajoaria Ludovico filio relicta, reliqua inter Lotharium & Carolum ita distribuit, ut ille tanquam natu maximus, præter æquam quæ ipsi obtigerat sortem, etiam Imperii titulum solus obtineret.

§. VII. Jamjam in Alemannia bellorum rumores audiebantur, cum Ludovicus novus Bojariæ Rex inique ferens paternam divisionem, omnem

quæ trans Rhenum erat, ditionem sibi vendicandam statueret. Moverat autem mense Novembri labentis anni DCCCXXXVIII. cum ingentibus copiis in Alemanniam, tenditque quanta potuit celeritate ad littora Rheni, & quicquid hostilium occurrebat, vi armorum occupavit & munivit. Hæc cum audivisset parens Ludovicus, afflictis potissimum Alemanniæ rebus auxilio affuit, & ne deprædationi hostili omnis pateret regio, cum selecta militum manu Aquis, ubi aliquandiu se continuerat, profectus, ad Rhenum advolavit, & exactis Christi Natalitiis, ut probatissimi ferunt Historici, Moguntiæ transiit. Inde Triburias perrexit, reliquosque ibidem auxiliares expectavit. Ita autem isti parentis motus molimina filii turbarunt, ut Francofurto, ubi aliquantisper substiterat, animi male sibi conscii stimulo compunctus abiret, & exercitum gravissimæ parentis vindictæ subducens, secum in Bajoariam pertraheret. Quies ergo per adventum Ludovici Pii omni Germaniæ reddita est. Nec defuit subditus singularis Principis sui benevolentia, quæ se potissimum in ornandis & locupletandis monasteriis exseruit. Neque immunem hujus beneficii fuisse nostram Alemanniam, vel ex eo colligimus, quod Imperatorem nostrum hoc itinere ad lacus Bodamici littora usque processisse sciamus. Enimvero Auctor annalium rerum gestarum Ludovici Pii apud Reuberum, Annales item Francorum a Pithœo & Frehero editi, ad littora lacus Bodamici Ludovicum substitisse tradunt. Consentit Vir πολυμαθέστατος Hermannus Conringius in *Censura sua diplomatis Ludoviciani in cap. V.* ac ipse quoque nuperus Cœnobii Lindaviensis adversus laudatum Conringium defensor capitibus VI. VII. & VIII. etiam nemine adversante, id summis viribus probare est ausus, ratus fortassis, multum commodi exinde suæ causæ accessurum esse, quamvis ipsum (ceu equidem existimamus) opinio sua fefellerit, uti inferius patebit. Quid? quod Scriptores locum, ubi commoratus Imperator, designarint, dum alii Bedoniam, quidam Hodoniam seu Hodonnam, aliqui etiam Bodoniam substituerimus Bodamum, qua voce Palatium illud regium ad extrema lacus situm, Germanis Bodmen dictum, indigitatur. Imo verosimile est, Imperatorem non aliam sibi delegisse sedem, cum illa excursionibus maxime omnium videatur accommodata, & haud procul inde castris metandis copiisque explicandis opportuna regio. In re ipsa autem cum conveniant Scriptores, in circumstantiis temporis videntur discrepare. Vitæ quidem Scriptor, & a Reubero & Frehero, ut & a Pithœo editus, annos æræ Christianæ, non ipse αὐτογράφῳ addidit; quod exinde haud obscure colligimus, quia apud Pithæum non comparent, cum e contra Reuberiana & Freheriana editiones adscriptum ostentent annum DCCCXLI. inque DCCCXLII. referant obitum Ludovici, quem tamen reliqui Annalium Scriptores unanimi sententia ad annum seculi XL. rejiciunt. Itaque ut hos conciliemus, necesse est, quæ habent vitæ Scriptores ad annum XLII. referamus ad acta anni XL. & quæ protulere sub anno XLI. subscribamus anno XXXIX. Hoc igitur modo immutatæ annorum seriei respondebunt Annales Fuldenses itemque Pithœani: quanquam nec hi ita accurate omnia expresserunt, ut primo statim conspectu congruere ipsos cum aliis percipere possis. Namque ad annum DCCCXXXVIII. Ludovicum Pium ad lacum Bodamicum consedisse cum copiis suis tradunt. At enim vero, quando ea quæ Petrus Lambecius *lib. II. Bibliothecæ Vindobonensis* de istis Pithæi Annalibus habet, consideravimus, facile fortassis patebit, unde confusa in illis numerandi ratio sit exorta. *In annalibus Pithæi*, ait ille, *perperam confunduntur acta anni* DCCCXXXV. *&* DCCCXXXVI. *propter omissionem posterioris numeri, qui collocari debet ante hæc verba: Imperator in Palatio Thedenhoven &c. utpote, ubi acta anni* DCCCXXXVI. *incipiunt. Quæcunque autem in editione eadem Pithœana referuntur ad annum* DCCCXXXVI. *& his incipiunt verbis:*

Ticinum

Ticinum in Italia &c. ea revera pertinent ad annum DCCCXXXVII. *Similiter etiam sequentium annorum numeri corrupti sunt*, *&* *pro anno* DCCCXXXVII. *scribendum* XXXIIX. *pro* XXXIIX, XXXIX &c. Sed & discrepantia illa ex diversa annorum inchoandi ratione oriri potuit, siquidem alii eundem a Natalitiis Christi inceperunt; quidam ab initio mensis Januarii, nonnulli autem a tempore Paschatis, prout hæc inter alios ostendit Aubertus Miræus *præfatione in Chronicon Eusebianum*, quo nunc lectorem remittimus. Jam, ut de parte anni, quo Ludovicus Imperator Bodami versatus, dispiciamus, notari meretur, vitæ Ludovici Scriptorem apud Reuberum Imperatorem Paschatis festum Aquis celeberrime egisse, hoc demum transacto, exercitum Rhenum transmisisse, & postquam Triburiis aliquandiu substitisset, Bedoniam usque porrexisse. Annales autem Fuldenses & Pithæani Ludovicum adversus filium cum exercitu mense Decembri anni DCCCXXXVIII. profectum, Moguntiaci Natalem Domini & Festum θεοφανίας celebrasse; tum VII. Idus Januarii navigio Rhenum transiisse, inde Francofurtum contendisse, ubi jejunium Quadragesimale inchoarit: Deinde in Alemannia juxta lacum Brigantinum Pascha peregisse tradunt. Et sane hæc sententia priori videtur probabilior. Creditu enim admodum difficile est, Imperatorem tam parum curasse rebellis filii conatus, jam anno superiore ostensos, ut non prius de subsidiis in Alemanniam mittendis cogitasset, quam Aquisgrani Paschalia transegisset. Huc accedit diploma anno Imperii Ludovici XXVI. Indictione II. XIV. Calend. Maji in arce Bodama Campidonensi Ecclesiæ concessum. Aut enim hoc, (quod tamen nemo eruditorum hactenus facere ausus est) sublestæ fidei esse, aut Auctorem vitæ Ludovicianæ errorem in consignandis hujus expeditionis actis commisisse dixeris. Quando enim a Paschatis festo inde (quod secundum accuratiorem Astrologorum computum in VIII. Iduum Aprilis ejusdem annis incidit) haud amplius quam decem dies usque ad natales diplomatis laudati elapsi sunt, qui potuit Imperator Ludovicus Aquis Pascha peragere, indeque Triburias proficisci, ibidem in Palatio regio ad auxiliares copias cogendas aliquamdiu subsistere, & tamen XIV. Kalend. Maji Bodami ad lacum Acronium diploma conficere? Imo παράδοξον foret (si vel maxime Ludovicus nullum diem quieti dedisset) si itinere decem dierum tantum terrarum cum ingenti copiarum multitudine peragrasset. Fides ergo maneat Annalibus sæpius laudatis Fuldensibus, qui exacte huic diplomati respondent, nec ab aliis probæ monetæ scriptis abeunt, quando Ludovicum Pium anno DCCCXXXIX. Paschatis festum ad lacum Brigantinum celebrasse produnt. Ne tamen videamur omnem fidem vitæ Ludovici Scriptori, qui apud Reuberum est, detraxisse, forte ex ipsius auctoris incuria voculæ *atque Pascha* ad annum XL. irrepserunt: unde consequens esset ad annum proximum pro Paschatis festo Natalem Domini substituendum. Alioquin minime nos fugit, Scriptorem illum in rebus Ludovici sedulum, nonnullis etiam, atque huic ipsi forte expeditioni interfuisse: ut adeo scrupulo hoc sublato reliqua propemodum omnia diplomatibus, quæ Ludovicus & Audiniaci & Pictavii variis Ecclesiis est largitus, exacte respondeant.

CAPUT

CAPUT VIII.

DE

STATU LACUS BODAMICI

SUB IMPERIO

LUDOVICI GERMANICI

ET

CAROLI CRASSI.

§. I.

Ludovicus Bajoariæ Rex ex superiore contentione in gratiam cum parente redierat, ita quidem, ut quam ipse supplex veniam peteret, pater Pius non recusaret. Vix autem Aquas Imperator concesserat, ibique aliquandiu, ut sibi suisque ex multo itinere fatigatis quietem daret, substiterat, subitus de iterata Ludovici filii in Alemanniam irruptione nuncius ingentem ei terrorem, terror præmaturam mortem intulit: corporis enim ægritudo, qua detinebatur animum urgebat, strepitum hostilium armorum audire visum. Nec tamen poterat non pro salute subditorum sese hostibus objicere; unde mente expeditionem adversus filium agitabat, sacris reliquos vacare jubens, jejuniisque coli Deum, utpote qui nihil nisi divina ope aggrediendum censebat. Posthæc fretus, quod contraxerat, auxilio, copiis suis Rhenum trajecit, indeque quanta potuit celeritate in Thuringiam contendit, in qua consedisse filium resciverat. Sed hic prius fuga se subduxit, quam de adventu Ludovici parentis omnibus constaret, & in Bojoariam se recepit.

§. II. Inde reversus Imperator, quum corporis vires paulatim deficere sentiret, conventum Wormatiam indixit, Lothariumque filium eo vocavit, ut, si quid humanitus sibi contingeret, prius ipsi curam Imperii commendaret. Verum vis morbi in tantum invaluit, ut ante fatis concederet Imperaror Ludovicus, quam Lotharius itineri sese accingeret. De morte tamen patris edoctus, Aquas nihil commoratus abiit, ac proceribus aulæ sacramento sibi obstrictis, clavum Imperii simul cum corona & gladio, quo parens in prælio utebatur, suscepit. Calamitosa totius Imperii sors obitum Ludovici insecuta est, hoc enim ipso varias in partes scissa sunt amplissima regna, destructæ vires, ac intestinis armis exhausta Francica virtus. Lotharii enim, quam sic interpretabantur, nimiam dominandi libidinem studiumque in regnis patriis occupandis, non æquo animo ferebant fratres Ludovicus & Carolus, queis nihil, nisi Bojoariæ & Aquitaniæ angustias, & quidem ut precaria regna relinquere, cætera sibimet reservare voluit: proinde armis justius divisuri, una in Lotharium conspirarunt, coactoque ingenti exercitu ex omni Orientali Francia

vi occupare contendebant, quod amice obtinere non poterant. Jam Ludovicus validis præsidiis Orientales Rheni ripas munierat, protinus castra moturus, cum Lotharius inter spem & metum hærens, cuinam fratrum prius resistendum, quod præcipue extimesceret Germanorum robur & fortitudinem, in Carolum movet, at denuo a suis revocatus ad Rhenum advolat, & juxta Wormatiam flumen trajicit. Ex hoc autem Lotharius Ludovico ita imminuit, ut necesse haberet fuga salutem quærere, plerisque suorum pugnæ discrimen nimium detrectantibus. Imperator utut Ludovicum fugere animadvertit, signa in Carolum convertit, Adalberto quopiam cum parte copiarum ad Rheni littora relicto, qui, quo minus cum Carolo vires suas conjungeret, Ludovicum arceret. Hic tum forte a Carolo in auxilium vocatus, subito per Alemanniam exercitu stipatus ad fratrem properare conabatur, cui cum obviam factus Adalbertus vi aditu Galliæ eum vellet intercludere, prope Rheni oras gravi clade prostratus, ipse prælio cecidit. Conferantur *Annales rerum gestarum Francicarum ad annum* DCCCXLI. & ex recentioribus Aventinus *lib. IV.* Crusius *p. II. lib. II. cap. IX.* & Bucelinus *in Chronicis.*

§. III. Hinc fato suo obnoxii fratres parricidiali prælio manus conseruerunt, seque cognato sanguine fœde contaminarunt. Namque Ludovicus ex illo cum Adalberto prælio victor discedens, nemine omnino prohibente, Gallias petiit, unde conjunctis cum Carolo fratre viribus, castra propius Fontiniacum (Fonsanedum) vicum Antissiodorensem, ubi consederat Lotharius, admoverunt, caduceatoribus missis, qui pacem fratri offerent, si æquam regnorum portionem ipsis redderet. At ille ampliandi magis, quam minuendi cupidus imperii, summam rerum obtinere connixus, aliam pacis conditionem ne audire quidem, nedum accipere voluit, armorum judicio rem omnem commissurus. Mox igitur acies intra teli jactum constitutæ ita dimicarunt, ut victoria quidem Ludovico & Carolo fratribus, sed admodum cruenta cederet. Et vero si nonnullis Scriptoribus habenda fides, centena amplius millia hominum hac pugna VII. Kal. Julii anno DCCCXLI. commissa interiere. Hoc certum, quod eo ipso prælio vires Franciciæ haud parum conciderint, ita quidem, ut qui alias regna latius protendere non infeliciter studuerant, jam nunc parta vix tueri possent. At nondum satiatus sanguine fraterno Lotharius, paulo post rediit, & capto Moguntiaco Rhenum transiens, infesto exercitu adversus Ludovicum, qui omisso Carolo in Bojoariam suam abierat, processit, exitum ei comminatus. Sed minæ ejus in ludibrium versæ, Bojique Regem graviter sunt tutati, ita quidem ut Lotharius re infecta Wormatiam secederet, exindeque rursus contra Carolum Galliarum Regem pergeret. Ludovicus autem uti fratrem Lotharium ne victum quidem acquiescere posse vidit, primo vere anni proximi collecta magna manu Rhenum transiit, & urbes in littore Rheni sitas, quæ partes tuebantur fratris, recepit, claustrisque ita perfractis junctis cum Carolo viribus Lotharium denuo in fugam pepulit. Occupatum deinde regnum ita inter se diviserunt fratres, ut Carolus, quicquid Galliarum haberent, possideret, Ludovicus autem Germaniæ regna sibi servaret. Queis auditis parum abfuit, quin denuo belli aleam tentasset Lotharius, sed tantas tamque atroces Francorum clades Proceres regni detestati, rem omnem ita composuerunt, ut Regibus cum Imperatore reconciliatis, hic æquam Imperii partitionem ulterius non recusaret. Veroduni hæc anno DCCCXLIII. ita peracta, ut etiam Alemannia in cæteris Germaniæ regionibus nobilissima & amplissima Ludovico tribueretur, cui etiam usque ad annum DCCCLXXVI. summa cum laude præfuit. Lothario una cum Imperatorio titulo & dignitate, Italia omnis nec non Lotharingia ferme tota relicta est, cetera Occidentalis plagæ regna

Carolus

Carolus occupavit. Legi de his merentur, quæ supra laudatos Annalium Scriptores, Nithardus lib. III. & IV. *Historia de dissensionibus filiorum Ludovici Pii.* Item *Appendix ad Aimoini historiam apud Freberum.* Mutius *in Chron. Germaniæ.* Aventinus *lib. IV.* Stumpfius *in Chronico Helvetiæ lib. III.* Jo. Rivius *in Decade I. rerum Francicarum.* Bucelinus *in Chronicis suis.* Conringius *de Finibus Imperii*, & Obrechtus *in Prodromo rerum Alsaticarum habent.*

§. IV. Hisce feliciter peractis Rex Ludovicus sæpius oras Alemannicas invisisse fertur, cum primis vero eas, quæ Rheno & lacui nostro Bodamico adjacebant, fortassis ut his in locis animum innumeris curis distractum interdum reficeret, & vel in lacu navigando vel aliis vacando exercitiis levaret. Hinc etiam sub ipsius sceptris cum in civilibus tum ecclesiasticis insolito magis floruit hæc provincia, caputque, uti lenta solet inter viburna cupressus, splendidius erexit. Inter cetera vero beneficia, Ecclesiis circa lacum Bodamicum liberaliter prospexit, multisque eas ac insignibus auxit privilegiis. Quod Tigurino virginum cœnobio concessit, illustris Conringius *in Censura diplomatis Ludoviciani* edidit, nec dubium est, quin plura ejus generis alibi supersint, licet non pauca etiam per temporis injuriam periisse credamus. Eidem quidem Ludovico Regi Cœnobitæ Lindavienses suum, quo pridem gloriati fuere, privilegium vindicare voluerunt, singularibus etiam in hanc rem editis libellis, quod tamen, ex quo B. Heiderus noster, & post eum laudatissimus Conringius convulsere, nunc postliminio Ludovico Pio Imperatori illud asserere studuerunt, sed quam frustraneo conatu per sequentia docebimus.

§. V. Interea firmo satis talo res Alemanniæ stabant, quam diu sine prole regnabat Ludovicus, simulac autem filii adolevere, ita omnia turbarunt, ut denique Rhætiam ipsis cum omni ferme Bodamici lacus tractu propriam concedere cogeretur pater. Parum tamen his contenti filii, aviditate regnandi quasi excæcati, bella pararunt in genitorem, nec prius vexare illum destitere, quam summi Numinis vindictam sentirent. Primus omnium, qui senectam patris afflixerat, erat Carolus, sed & primus fuit, qui justas Deo exsolvit pœnas. Namqne cum anno DCCCLXXIII. Ludovicus pater Francofurtum concederet, ut ibidem filios sibi reconciliaret, Carolus in conspectu omnium a maligno spiritu correptus, misere ab eo exagitatus est. Stuporem, qui omnes incesserat, sustulit mox restituta valetudo filii, quem defunctum hoc malo, omnium eorum, quæ adversus parentem patrarat, pœnitentia subiit, sic, ut non difficulter cum fratribus paternam recuperaret gratiam. Non multos post annos Ludovicus Germanicus decessit, regnaque filiis dividenda reliquit eximia. Carolo, qui natu minimus erat, non equidem maxima pars, sed certe amœnissima, & si commoda spectes, nobilissima cessit, Suevia scilicet cum maxima parte Lotharingiæ: reliqui Bojoariam, Franciam Orientalem, Saxoniam, ut & Pannoniam inter se diviserunt. Quæ prolixius recensent *Annales Fuldenses.* Conferatur Aimoinus *de gestis Francorum lib. V. c. XXX.* Regino *lib. III.* Mariauns Scotus *lib. VI. cap. VI.* Aventinus, Stumpfius, Crusius, Bucelinus, Conringius, Obrechtus, aliique.

§. VI. Patruus intera Carolus cognomento Calvus, qui Galliam hactenus cum Germanico, uti tum erat, Imperio tenuerat, variis fatigatus bellis naturæ concessit, & Carolo Alemanniæ Principi Imperatorium solium reliquit, qui denique secundis avibus idem, quod avus ac proavus honoris & fortunæ fastigium fratribus paulatim singulis decedentibus obtinuit. Nec minus fortis, quam

quam felix initio videbatur, quippe quem non barbaries gentium, non itinera expeditu difficillima impedire poterant, quo minus hostes insequeretur, Imperiumque ab externa vi liberare conaretur. Sed defuit cœptis fortunæ constantia, bellique Normannici successus infelicior tantum famæ & gloriæ ejus detraxit, ut paulo post vivus ac videns successorem nactus Arnolphum, extremis obrutus miseriis vitam finiret.

§. VII. Ceterum Carolus Imperator non alium terræ suæ longe lateque parentis tractum pluris fecisse videtur, quam ipsum solum Alemannicum, unde etiam ubique ipsum variis donis & privilegiis urbes & monasteria Sueviæ exornasse legimus. Tum etiam, quam vivus ita æstimavit, provinciam post fata quietis sedem nactus est, siquidem in Divitis, ut vocant, Augiæ monasterio sepultus, non ignobile accepit monumentum, quod superiore seculo per Christophorum Constantiensem Episcopum restauratum, hanc inscriptionem præferre fertur.

Pannonas & Cymbros diverso marte subegit,
Carolus a Crasso corpore nomen habens.
Sed bene, quas juvenis regni tractavit habenas,
His iterum senior dispoliatus abit.

§. VIII. Debet hujus Caroli ætati antiquiora documenta sua Libera S. R. I. urbs Lindavia, in ipso lacu Bodamico sita, quibus equidem non ortum, & prima sua fundamenta (hoc enim cum pluribus aliis Imperii urbibus commune habet, ut certissimo vetustatis indicio natales genuinos ipsa ignoret) sed summam suam antiquitatem evincere conatur. Dabimus illa, sicuti asservata reperimus apud Joachimum Vadianum *de Collegiis Monasteriisque Germaniæ veteribus lib. II.* & Melchiorem Goldastum. Prioris formula ita habet: *Ego N. cum manu Advocati mei Cozolti accepi a quodam homine Augberto in Zurichgowe, in loco, qui dicitur Eskinhova, ad Curtim Lintowa pertinente, VIII. juchos de terra, statim in jus Monasterii redigendos, & dedi ei alios VIII. juchos in Durgowe, in loco, qui dicitur Elinkoue, ea ratione, ut dies vitæ suæ eandem terram sub censu unius denarii possideat, similiter & uxor ejus post eum, & post eorum obitum in jus monasterii revocetur. Actum in Cella, Idibus Februarii, anno Imperii Caroli secundo, Adalberto Comite in Durgouue. Et hi sunt testes, Othere, item Othere, Buoza, Adalram, Zugro, Mangalob, Cozolt, Erchanolt, Richart, Eburhart, Rathere, Vadolhart, Hiltebold, Adalung, Richgouuo. Ego Notker jussus descripsi.* Sequitur altera, quæ extat apud Goldastum *Scriptorum Alemannicorum Tom. II. part. I. in Centuria chartarum seu instrumentorum Alemannicorum veterum eas inter, quæ agunt de permutationibus num. XIX. sub voce Notkerus.* Verba hæc sunt: *Ego Hugprecht providens paupertati & opportunitati meæ, trado ad Monasterium S. Galli in Zurichgouue, in loco, qui dicitur Eskingova, ad Curtem Lintova pertinente, VIII. juchos de terra, statim in jus monasterii redigendos, & accepi inde alios VIII. juchos in Durgouue, in loco, qui dicitur Eilickouue: ea ratione, ut dies vitæ meæ terram sub censu unius denarii possideam, similiter & uxor mea post me & post nostrum obitum in jus Monasterii revocetur. Actum in Cella. Id. Febr. anno Imperii Karoli secundi secundo, Adalberto Comite in Durgouue. Et hi sunt testes, Othere, Buozo, Zuozo, Maganlob, Cozolt, Erchanolt, Eburhart, Rathere, Vodalhart, Hildibolt, Adalung, Ricgovo. Ego Notker jussus descripsi.* Et si autem hæc scripta de uno eodemque negotio eodem tempore peracto agunt,

agunt, diversa tamen ac inter se distincta sunt. Quod etsi nemo negaverit, aliqui tamen fortassis nobiscum dolebunt, quod aut Vadianus in ἀπογράφοι minus accurate scriptum inciderit, aut ipse ejusve librarius, non omnia sint assecuti, ut exinde propriorum nominum diversa scriptio ortum traxerit.

§. XI. Utramque Notitiam perscriptam esse seculo nono, & quidem anno LXXXII. Carolo Crasso imperante, docuit Vindiciarum Cœnobiticarum auctor & Conringius in Censura Vindiciis opposita. Quid *Rskinbova*, quid *curtis Lindouua* denotet, Vadianus primum & post illum Conringius optime observarunt, scilicet quod per *Eskinbovam* olim pars ista oppidi Lindaviensis ad littora lacus sita, hodie *Eschabium* dicta; per *curtem Lintouua* autem, altera pars oppidi in insula lacus, quæ simul palatio quopiam instructa, *Lindaugia* nomine appellata, fuerit indigitata. Et sane non potest vocabulum *curtis* aliter quam de urbe Lindavia intelligi, quia non aliud quippiam tum temporis in insula extitit, cujus pertinens *Eskinbova* fuerit, aut quod *curtis Lintouua* nomine venire potuisset. Cœnobium enim (quod moniales Lindaugienses perperam supponunt, & nuperus Scriptor varie huc attraxit) eo tempore, quo instrumenta sunt data, in insula nondum erat, ut inferius docebitur, sed extra insulam in loco, qui hodiernis accolis *Nonnenborn* dicitur, jacuit, unde etiam seculo insequente demum in locum, ubi nunc est situm, translatum est. Ex hoc autem vel maxime patet, quod Cœnobium seculo nono *curtis Lintouua* audire nondum potuerit, ut taceamus, quod jurisdictionem in Eschachium nunquam in manibus habuerit, siquidem præter morem seculi Carolini fuisset, ut cœnobium quoddam monialium instar allodii cujusdam sub se etiam oppida haberet, imo si hæc etiam daremus, ipsa illa instrumenta illud destruerent. Neque enim facile quispiam nobis persuadebit, Abbatissam Lindaviensis Parthenonis prædia sui tractus & dominii in usum alius cujusdam cœnobii, prout Sangallense erat, præter consensum & sic se invita concedi passam fuisse, cum ne vel vocula ejusdem mentio sit facta, contra autem honorifice utrobique Adalberti Durgauensis Comitis, & in altero Advocati nomina expressa legamus. Quando ergo cœnobii alicujus pertinens *Eskinbova* non fuit, & tamen subfuit patronis Lintouæ curtis, sequitur oppidum vel castellum ibidem fuisse haud exigui nominis, cum tanta etiam extra insulam in sua ditione continuerit bona.

§. X. Floruit ergo jam tum Lindavia urbs, & sub tutela Francorum Regum & Imperatorum facile ex pristinis Romanis atque Alemannicis excidiis resurrexit. At enim si tristia fata, quæ olim nobilissimum hoc munitissimumque Romanorum adversus Vindelicos propugnaculum habuit, eruere jam esset volupe, propius fortassis primis ejusdem natalibus (hos si non prioribus certe Augusti Cæsaris temporibus debere jam supra ex Strabone monuimus) accederemus. Verum hæc brevitatis studio nunc quidem prætermittimus, de nomine primum, post de diplomate, quod circumfertur, Ludoviciano dicturi.

§. XI. Lindaviæ nomen quin patria mea a paganis adhuc temporibus repetat, parum abest, quin ausim asserere. Certe si situm spectes, non facile dixeris, insulam appulsui navium, maxime omnium in universo lacu commodam, per tot secula nomine caruisse, etsi vel maxime post excidium non illico fuisset inhabitata. Novimus equidem non neminem Historicorum animadvertisse, ipsum illud castellum in insula laudata a Romanis extructum a Tiberio conditore, seu potius restauratore suo nomen habuisse, Tiberiique insulam fuisse dictam, quando autem & ante Romanorum adventum, & postea insula

 hæc

hæc accolis nautis ignota esse nequivit, alio quodam nomine compellatam credimus, quo rejectis & devictis in illa regione Romanis, insequenti tempore iterum obtinuerit. Quamobrem pro certo habemus, Lindaviæ sive Lintaugiæ nomen antiquissimum & insulæ nostræ & oppido in ea sito antiquitus inditum per tot secula illibatum mansisse.

§. XII. Neque tamen una fuit eademque hujus nominis scriptio, sed mire variavit, ceu Munsterus, Stumpfius, Gulerus, Crusius, Bruschius, Dresserus, maximeque Reverendus Dn. D. Præses sub initium *Historiæ Lindaviensis MSC.* observarunt. Vulgatissima hodie sunt Lindavia, Linthaugia, Lindavium, & Germanice **Lindaw**/ corrupte **Lendaw**, quæ extrema vox ab antiquis Cœnobii Lindaviensis patronis latine per *Lendaugiam* expressa est.

§. XIII. Porro non est dubium, quin nomen sit compositum, & quidem ex voce **Linden** seu **Lenden**/ & **aw**/ quæ conjunctim prolatæ constituunt vocem **Lindenaw** vel **Lendenaw**/ contracte **Lindaw** vel **Lendaw**. De posteriore syllaba, quæ singulis appellationibus propria, primo agendum est. Deprehendimus autem istam varie scriptam, ita tamen, ut semper idem denotet, quod veteribus Germanis maxime usitatæ & primitivæ voces **gaw** & **aw**/ vel **au**/ de quorum ortu & significatu liceat dispicere.

§. XIV. Wolfgangus Lazius a Græca voce γαῖα, quæ terram denotat, deducit. Sed jam ante eum Andreas Althamerus vel a vocula *Græcis* Poetis usitata αἶα pro γαῖα, vel etiam a γαῦ, quod profundiorem terræ locum significat, derivavit. Et sane multum roboris huic sententiæ inde accedit, quod Germanica lingua quam plurimas habeat voces vel e Græco natas, vel cum Græcis proxime convenientes, quod præ ceteris observavit Matthias Berneggerus, *quæstione XI. in Tacitum de moribus Germ.* Verum fortassis operæ pretium non est, ut ad Græcos confugiamus, quando vocula **au** veteribus Germanis campum irriguum, pascuum, item insulam inter amnes denotat, ut Henischius *in Lexico linguæ Germanicæ* animadvertit. B. Lutherus etiam, ut istiusmodi locum satis exprimeret, in versione Bibliorum non raro vocula **au** est usus. Supersunt insuper exempla ex ævo Carolino, quæ nos edocere queunt, istiusmodi insulas (uti Lindavia est) jam tum ex ista voce **aw** compositum nomen accepisse. Et nota est ex superius dictis *Augia Dives* in Veneto lacu e regione Constantiensis Episcopalis urbis sita, quæ ita dicta quasi sit ager summe fertilis, vel pascuum opulentum, Germanis dicitur **die Reichenaw.** Eadem autem ratio esse videtur Lindaugiæ, quod ut illa a divitiis suis, ita hæc a tileis, quas magno numero ibi plantatas fuisse legimus, apposita voce **aw**/ **die Lindenaw**/ & contracte **Lindaw** audierit.

§. XV. Jam ut ad priorem syllabam **Lind** vel **Lend** accedamus, uti illam genuinam censemus, ita hanc corruptam opinamur. Neque tamen nescimus, quo pacto colorem quæsierint, qui hanc pro prima approbarunt. Nimirum ferunt, Adalbertum quendam Comitem S. Palatii (de quo cap. VI. egimus) sub initia seculi noni ex felici suo ad istam insulam appulsu, cum prius undis aquarum jactatus vitæ periculum adiisset, nomen ipsi dedisse, & **Lendenaw**/ sive **Lendaw** vocasse. Hanc sententiam cœnobialium antiquitatum propugnatores tanquam causæ suæ patrocinantem adeo amarunt, ut denique vel ipsum diploma Ludovicianum, in quo tamen prora ac puppis eis fuerat hacte-

hactenus, non verentur destruere, haud equidem aliud spectantes, quam ut exinde ipsum Adalbertum insulæ Dominum fuisse, & vi dominii quodlibet ipsi nomen imponere potuisse adstruerent. Verum præterquam quod, ficitium licet, diploma diserte Linthaugiam insulam dicit, tot alias rationes attulit Conringius, quibus illum Adelberti appulsum, & inde factum nomen insulæ convulsit, ut neminem amplius his fabulis daturum esse locum existimemus. Unde legens hæc, ac animo volvens nuperus cœnobii Defensor non potuit non faciles hac in re aures præbere Censori Conringio, sic ut ipse non dubitaret affirmare, si unquam insula, oppidum vel cœnobium Lendaugia audierit, id ex nativo illo dialecti Suevorum vitio profectum esse, sibi interim ne vis fiat diplomatis antiquitati, magis arridere Lindaugiæ vocem sive Lindaviæ, unde etiam illa sit orta, ostendens. Huic autem voci non magis commodum etymon reperiemus, quam si retulerimus ad tilias, quas Germani **Linden** dicunt, quarum plantationi a pluribus retro seculis maxime apta insula nostra fuit, quæque omnibus temporibus plurimas easque miræ magnitudinis produxit. Favent huic sententiæ Crusius atque Dresserus, ille quidem diversis in *Annalium Suevicorum* locis; hic in libro, *quem de Germaniæ urbibus* composuit. Reusnerus itidem *de urbibus Imperialibus* scribit: *Lindoja sive Lindavia, (quæ Græcis Philyrea est) vulgo appellatur a tiliis.* Ante omnia hoc comprobant insignia urbis perantiqua viridem tiliam in albo clypeo præ se ferentia, quorum formas æri incisas repræsentat extrema tabula, qua Lindaviense territorium exhibetur *Actis Lindaviensibus* B. Heideri præmissa. Uni tiliarum insidet aquila, quam urbs, cum inter Imperiales reciperetur, bicipitem obtinuit. Hactenus de nomine.

§. XVI. Situ est hæc urbs perquam præclaro ac communito, in ipsa insula lacus Bodamici fluctibus undarum undique circumfusa, omnique aditu ita distincta, ut nulla sui parte continentem tangat, in qua ponte ligneo ferme CCC passuum rursus oræ crepidinique annectitur: ex altera vero parte oppidi portio, quæ *Isel* vulgo appellatur, ad occidentem conversa, vineis undique obsita, fossa muroque disjuncta augusto, ponte rursum duplici adjungitur & continetur, uti hæc conspectus ipse, ex scriptoribus vero Crusius & Dresserus commonstrant.

§. XVII. Continuit hæc urbs per aliquot secula & quasi in sinu suo fovit, illustre quoddam monialium virginum cœnobium, cujus originem, ut fama vulgi, ita fictitium quoddam diploma, nonnulla etiam incertæ fidei Historicorum scripta ad initia seculi novi referunt: cujus tamen natales intra pomœria sua Lindavia non vidit, sed in prominentia quadam a dextra lacus parte littus legenti occurrente olim habuit, prout hæc capite sequente demonstrabimus. Quantum interea ex historia veteris ævi colligimus, illud ipsum cœnobium tempore Ludovici III. seculo decimo tutelæ civium Lindaviensium se credidit, qui ut ferebat religiosi seculi mos, miserti virginum nobilium locum in insula sic satis amplum pro domicilio ipsis assignarunt, eoque res cœnobiticas in portum deduxerunt. His beneficiis aliquandiu contentæ fere per aliquot secula Benedicti, post Augustini legibus constrictæ moniales, seculari interea & liberiori vitæ generi addictæ, denique tamen multis adversis oppidanos benefactores & nutritores suos afficere cœperunt, præsertim vero superiori & hoc ipso seculo cives subditosque Lindavienses multimodis afflixere. Denique eo deventum, ut fictitio quodam diplomate abusæ, in ipsam urbis per tot secula servatæ conservatæque libertatem manus injicere, & ex civium ac subjectorum sorte ad dominium adspirare non sint veritæ: ceu hæc satis clare docent Hei-

Heideriana Acta, & scriptum nuperum ab Amplissimo dulcissimæ patriæ meæ Senatu pro sui defensione in lucem editum. Nos, ut historiæ lucem conferamus, producemus primum diploma, post notas, ex quibus ejus νόθεια diluceat, extantiores afferemus.

§. XVIII. Sic igitur habet diploma, prout novissimus Cœnobitarum Vindex expressit. *IN nomine domini dei & salvatoris nostri jesu christi hludowicus divina repropiciante clementia Imperator Augustus. Si locis deo dicatis quippiam muneris conferimus & imperialis munificentiæ morem exsequimur, &* (hactenus literis majusculis) *divinum per hoc nobis favorem facilius conciliandum confidimus. Idcirco noverit collegium omnium fidelium nostrorum presentium videlicet & futurorum, qualiter adalbertus fidelis vasallus noster & sacri palatii comes presentibus scilicet nonnullis fidelium nostrorum principibus nostram adiens celsitudinem obtulit obtutibus nostris quoddam cænobium sanctimonialium nomine lindaugia situm infra lacum vvithse & constructum in honore sanctæ dei genetricis* MARIÆ, *quod idem adalbertus pro salute & remedio animarum omnium parentum suorum & sua primo fundavit omnibusque suis allodiis augmentavit & juge dei servicium ibi ordinavit. Sed ne deinceps laudes divinæ & regulares disciplinæ ibidem deficerent dignitatem nostram per interventum fidelium nostrorum illustrium rabani scilicet sanctæ mogontinæ aecclesiæ metropolitæ nec non salomonis videlicet constantiensis aecclesiæ præsulis postulavit quatenus pro redemptione animæ nostre nec non parentum nostrorum eidem monasterio aliquid muneris conferremus & eandem libertatem & justitiam quam constantiensis habet aecclesia in omni* (hic perforata est membrana, & superne ascripta hæc vox *regulari*) *jure concederemus. Cui rationabili & ut credimus divinitus illi instinctæ petitioni libenti animo assensum prebentes decrevimus ita fieri & secundum dei judicationem ac fidelium nostrorum suggestionem hoc nostræ autoritatis præceptum jussimus inde conscribi. Per quod decernimus atque omnino jubemus quatenus prenominatus sacer locus habeat possideat quidquid ex libera hereditate prefati fidelis nostri fiscus noster sperare debeat in tributis, in monetis, in teloneis & navigationibus ac liber salvus & quietus sine cujuslibet persone contradictione vel molestacione prorsus permaneat & in dispositione abbatissæ ejusdem monasterii consistat. Statuimus* (etiam hic perforata est aliquantulum membrana in medio hujus vocis) *quoque per ejusdem auctoritatis municionem ut nullus publicus judex neque dux neque comes aut quislibet ex judiciaria potestate aecclesias curtes aut loca vel agros seu reliquas possessiones memorato monasterio presenti tempore subjacentes vel quæ deinceps in jus & dominium ejusdem monasterii divinæ pietatis augmento pervenerint ad causas audiendas vel freda exigenda vel paratas faciendas aut homines etiam tam ingenuos quam & servos super terram ejusdem monasterii commanentes distringendos nec ullas redibitiones* (etiam hic attrita est nonnihil membrana) *vel bannos aut illicitas occasiones requirendas seu ullum publicum placitum habendum ullis temporibus ingredi vel ea quæ supra memorata sunt exigere presumat. Et ut censales homines sive familiæ in quibuscunque locis sint constituti pacem habeant & coram nullo comite regant, aut bannum persolvant* (hæc ægre legi possunt propter plicas) *aut seculare negotium habeant nisi coram abbatissa vel ipsius monasterii advocato.*

Idem autem advocatus bis in anno semel in estate secundo in hieme placitum habeat, sed ultra XII equos nullum adducat. Et tunc honeste procuretur quicquid placitando adquisierit due inde partes erunt abbatissæ tertia advocati. Nullum domus dei servientem sine abbatissa vel ipsius consensu ad judicium cogat. Nullum de familia sine justa sociorum suorum deliberatione dampnet vel coherceat,

Nullum

Nullum subadvocatum vel exactorem sine abbatissæ permissione sibi constituat. Nibil privati muneris vel servitii a quolibet loco sive curte sive a cellariis quasi ex debito & statuto sibi jure exigat Mansiones seu pernoctationes undique in locis ejusdem monasterii frequentare caveat. Quod si ultra statutum nostrum alicubi placitare voluerit ipse de tercia sui parte ibidem sibi contingente provideat quid ad sumptum habere debeat nisi forte aliqua de caussa ab abbatissa illuc vocetur a qua tunc decenter sibi exhibeatur quod oportet. Proinde si quisquam advocatus hæc statuta obstinata audacia transgressus fuerit nisi sane resipuerit sexaginta libras auri optimi XXX palacio nostro XXX supradicto monasterio persolvat. Et ipsa advocacia cum ceteris commodis in perpetuum careat Nos quoque supradicti fidelis Vasalli nostri peticionibus & voluntati per omnia satisfacere cupientes firmissima largitate constituimus ut quamdo divina vocatione abbatissæ prefati monasterii ex hac luce migraverint quamdiu ipsæ sanctimoniales inter se tales invenire potuerint quæ ipsam congregationem secundum regulam suam bene regere prevaleant eligant sin autem firmissimam licentiam alias eligendi dominas cum consensu regis vel imperatoris habeant. Si quis autem homo cujuslibet potestatis existens ausu temerario contra hoc privilegium agere presumpserit, aut præfatum venerabile monasterium vel aliquas pertinentias ejusdem beneficiali causa euiquam hominum concedere temptaverit nisi resipuerit & his nostris institutis adquieverit nomen & memoriale illius de libro vitæ subtractum manent in æternum maledictum. Hæc autem superius comprehensa pro emolumento animæ nostræ ad idem monasterium contulimus quatenus abbatissa ejusque consorores nec non canonici sanctissimæ Virgini MARIÆ *ibi famulantes stipendium necessarium habeant & pro nobis alacrius dei misericordiam exorare procurent & ut hæc nostra imperialis auctoritas pleniorem in dei nomine obtineat vigorem anuli nostri impressione adsignari jussimus.*

Signum Serenissimi { locus Monogrammatis } *Hludovici Imperatoris*

Hirminmarus Notarius ad vicem Hugonis recognovi. Data XI. Kaleudas Majas anno Christo propitio XXVI. Imperii Domini Ludovici piissimi Augusti Indictione II. Actum Boduma Palatio Regio in DEI nomine feliciter Amen. (anno incarnat. dni dccclxvi)

§. XIX. Atque hoc est famosum illud diploma, de quo præsenti potissimum seculo ab utriusque partis patronis acriter est disceptatum. Etsi autem primus sub publicam censuram id vocavit nobilissimus variaque & exasciata doctrina præstantissimus Ictus, deque Republica patria optime meritus D. Daniel Heiderus, nullum tamen dubium est, quin id citius factum fuisset, modo plenior notitia prius cum Patriæ Patribus communicata, nec a re fuisset monialium, quamdiu liceret, arcanas illas chartas premere, certe cavere, ne ante tempus divulgarentur. Bonum tamen factum, quod laudatissimus noster Heiderus præcipuas hujus diplomatis falsitates detegens, patriæ haud parum consuluit. Exin vindiciæ Cœnobii delatæ sunt (ut plerique autumant) P. Heinrico Wagnereccio e Societate Jesu, claro fama scriptori, qui causam cœnobiticam pro virili agens, Vindicias Heideriano operi oppositas anno seculi hujus XLVI. Embsii ad Rhenum vulgavit, sub inscriptione: **Standhaffte Rettung und Beweisung x.** Hujus libri pagellas cum nimium & conviciis in B. Heiderum, & injuriis in urbem ipsam plenas cognovere oppidani, censuram cum diplomatis, tum nefariæ hujus opellæ Hermanno Conringio, Historicorum & Politicorum suæ ætatis facile principi commisere, qui, ut fert præfatio operi præmissa, consideratis, quæ utrique parti favere potuissent, argumentis, urbis

partes nihil dubitans suscepit, quas etiam anno hujus seculi LXXII. (illo enim censura ejus Helmstadii typis est excusa) ita egit, ut scriptor nuperus Cœnobiticus censuræ Conringianæ, præter innumeras in auctorem calumnias, vix quidquam, quod malæ causæ conducere potuisset, regerere valeret. Quo tamen majus Abbatissa cœnobio suo præsidium, majoremque novo libro auctoritatem conciliaret, hunc Augustissimæ Romanorum Imperatricis inclyto nomini inscripsit, & sub titulo, *Justa defensionis Antiquissimi Diplomatis, quo Ludovicus Imperator Cœnobium nobilium virginum Lindaviense nono abhinc seculo stabilivit, contra iniquam censuram Hermanni Conringii suscepta*, Constantiæ anno MDCXCI. in lucem edidit.

§. XX. Potissima jam controversia est de auctore diplomatis, quem Ludovicum Imperatorem tum subscriptio tradit, tum quæ a Cœnobitis addita fuit inscriptio. Æra autem Christi DCCCLXVI. Heidero non alium Ludovicum Imperatorem pari visa est, ac hujus nominis secundum Lotharii filium, cujus tamen nec anni Imperii, nec stylus curiæ, nec temporis historia illis respondent, quæ partim contextus, partim etiam subscriptio diplomatis docebant. Scilicet diu venditarunt hunc auctorem moniales, a quibus ipsis etiam Historicis, alias non obscuræ famæ viris impositum est, ut & ii Ludovicum II. parentem & conditorem hujus fictitii diplomatis assererent. Sunt autem Munsterus, Stumpfius, Crusius & alii, quorum verba Conringius *cap. X. Censuræ* repetiit. Ipse etiam Heiderus, prout ferebat operis jamjam accrescentis ratio, eosdem adduxit, firmissimisque argumentis ipsos deceptos ostendit. Potiora desumta fuere ab anno Imperii XXVI. quem Ludovicus anno DCCCLXVI. nondum attigerat: ab indictione, quæ tum non II. ut habet diploma, sed XIV. erat: a persona Rabani, cujus interventu dicitur diploma concessum, qui tamen decem ante annis obierat: a potentia & dominio Ludovici II. quod ultra Italiam sese non extendebat, proindeque e regione, quæ patruo Ludovico Germaniæ Regi parebat, monachis elargiri nihil poterat. Nam hæc & alia prolixe deduxit Heiderus in Opere Apologetico p. 860. seq. His uti se convictos videre cœnobitæ, ad Ludovicum Germaniæ Regem confugientes, ejusdem auctoritatem, quoquo modo diplomati conciliare sunt annixi. Sed fides saltem penes credulos fuit, donec plane alienum hoc ab antiquitatum & historiarum fide doceret Conringiana Censura, qua in id egit vir summus, ut non solum evidenter demonstraret, Ludovicum Germanicum nequaquam esse potuisse diplomatis auctorem, sed & ultimis refugiis, quæ fortassis in Ludovico Pio (quanqnam non sine diplomatis corruptione) inventuras se putarent sanctimoniales, locum præclusit, dum nec huic quidem tribui posse, solidis rationibus probatum ivit. Nos, quoniam liber pervulgatus, ea, quæ etiam annuentibus Pontificiis adversus Wagnereccium disseruit, haud repetemus: de Ludovico autem Pio, in quo nunc omnis Cœnobiticorum spes residet, ulterius disquirendum erit.

§. XXI. Certe historiarum fides nullum seculi IX. Ludovicum dictitat, cui æque vel magis, quam eidem Pio ipsa diplomatis acta quadantenus respondeant, uti id ostendit Conringius, quem tamen nuperus Defensor toties mendacem, & quicquid non? licet temere nimis & improvide appellitavit. Scilicet toto Defensionis capite V. ostendit, quam omnia, quæ in diplomate contineantur, quadrent commodissime in unum Ludovicum Pium. Et primo

de

de nomine ac titulo disputat prolixe. Numero II. Piissimi cognomen non nisi huic uni ex asse convenire ostendit. Numero III. Ludovico Monogramma tribuit, quo in, sicut & in præcedenti, consentientem habet Conringium. Numero IV. Sigillum huic Imperatori vendicat, id quod & Conringius egit cap. V. *Censura*. Cap. VI. Defensor ulterius fidem asserto suo, quo Ludovicum Pium & non alium diplomatis auctorem declaravit, variis argumentis adstruxit, quorum primum est desumtum ex subscriptione tabulæ, & speciatim ab anno Imperii Ludovici Pii, inciditque ille vigesimus sextus in A. C. DCCCXXXIX. cui etiam ex mente Conringii & aliorum Indictio II. respondet. Locum commorationis & donationis Ludovico ibidem Pio accommodavit Conringius, simulque castigavit Wagnereccium, qui Ludovicum Germanicum anno Imperii sui XXVI. Bodami commoratum esse (quanquam ex ipsa patrocinantium mente absurde) propugnaverat.

§. XXII. At vero mox in limine impegit confictor diplomatis, dum inter alia his utitur verbis: *Noverit collegium omnium fidelium*. Hanc formulam jam olim impugnavit Illustris Conringius, & insolentem veteri ævo dixit, imo ab Hirminmaro, apud Ludovicum Pium per tot annos Cancellarii munere perfuncto, nuspiam usitatam fatetur Jesuita, dum ex omnibus Pii instrumentis ne unum quidem proferre potuit, in quo aliquid lateret, quod vel aliquatenus dictæ phrasi responderet. Simillimam equidem huic esse voluit hanc: *Noverit experientia & utilitas omnium fidelium*; item istam: *Noverit sagacitas & industria omnium &c.* Sed *experientia & utilitas*, sive etiam *industria & sagacitas omnium*, plane non respondent *Collegio fidelium*: & certe si aptiora producere nequivit, dissimillima produxit, & ἀσύστατα. Quid enim sit *Collegium*, quamque minus recte de omnibus & singulis Christianis dicatur, quos tamen auctor diplomatis compellare videtur, pluribus docet *Glossarium* magni in his literis Viri Caroli du Fresne.

§. XXXIII. Alterum, quod fidem diplomatis dubiam facere potest, est id, quod in contextu dicitur Monasterio Lindaviensi *eandem libertatem & justitiam, quam habet Constantiensis Ecclesia, in omni regulari jure concessam esse.* Neque enim e more Ludovici Pii erat, jura monasteriorum ita ad exemplum alicujus particularis Ecclesiæ adstringere, ut simul etiam illam Ecclesiam, ad quam adstringebat, appellaret. Sunt in promtu varia varii generis diplomata: legat ista ac relegat cœnobii defensor, & videat, an unicum proferri possit ex omni Ludovici Pii periodo, quod similem isti formulam contineat, cum e contra plurima extent, quibus probatum iri possit, jura recens conditi vel monasterii vel alius particularis Ecclesiæ ad exemplum omnium, quæ fuerunt in Francia Orientali, Ecclesiarum conjunctim sumtarum conformata esse. Habet hanc in rem exemplum ipse Defensor in Appendice Num. IV. nullum autem, quod sibi faveat, attulit. Quid si igitur Henricus Episcopus Constantiensis, si non architectus, conscius tamen hujus imposturæ fuisset? Nam is, dum hos, qui Friderici II. Imperatoris partibus invito Papa studebant, insectatus, etiam patriæ meæ libertatem, qua inter Imperii status recepta gaudebat, quod & incolæ ejus cum Cæsarianis facerent, videtur invidisse, exindeque de jure & privilegiis, quæ invitis monialibus (ut infra docebimus) a Suevis Imperatoribus acceperat, si non detrahere, saltem reditus & proventus quovis modo minuere voluisse; subornando scilicet moniales suas Lindavienses, ut fingerent diploma, cujus vi pari cum summa diœceseos Ecclesia, quæ Constantiæ erat, immunitate perfrui ipsis liceret, eoque obicem eximiis oppidi incrementis ponerent. Atque hoc ipsum vel ex eo haud obscure colligimus, quod eum in

stabiliendo diplomate confecto monialibus auctoritate sua auxilio adfuisse, testantur literæ ejus anno MCCXLII. VII. Calend. Septembris Constantiæ exaratæ. Dabimus illas, prout a novissimo cœnobii Defensore accepimus, bona fide.

Universis Christi fidelibus hanc paginam inspecturis H. Dei gratia Constantiensis Ecclesiæ Episcopus salutem in omnium Salvatore. Cum satis constet providis & benignis, quod sanctorum patrum privilegia & Imperialia scripta pro expediendis necessariis negotiis in ipso contentis non sit tutum propter malum statum temporis undique deportare: quia nobis ex inspectione sanctæ memoriæ Ludovici quondam Imperatoris Piissimi constitit evidenter, quod ipse ad petitionem Adalberti quondam Sacri Palatii Comitis, Lindaugiensis Monasterii fundatoris, & intercessionem piæ recordationis quondam Salomonis antecessoris nostri omnem libertatem & justitiam, quæ Constantiensis Ecclesia in omni jure habere dignoscitur, eidem monasterio contulit & concessit: Nos hoc solum, quod sæpius in quæstionem deducitur, ad instantiam Abbatissæ dicti Monasterii & conventus duximus exprimendum, videlicet, quod in jure capituli & mortuariis hæreditatibus suorum hominum percipiendis & hominibus collocandis, dictæ Ecclesiæ debeat in omnibus concordare. Hanc schedulam ipsis in testimonium hujusmodi conditionum æqualium conferentes, sigilli nostri munimine roboratam. Datum Constantiæ anno MCCXLII. VII. *Calend. Septembris, Indictione* XV.

§. XXIV. Jam quis non videt has ipsas literas assertioni illi cœnobiticæ de diplomatis etiam ab oppidanis per aliquot secula æstimata veritate aperte contradicere? Qui enim potuere oppidani illud pro vero atque legitimo agnoscere, cujus inspiciendi facultas etiam tum, cum de juribus & privilegiis utriusque partis disceptaretur, ipsis est denegata? Dixeris fortassis cum Henrico: *Tutum non erat propter malum statum temporis diploma Ludovicianum undique deportare.* Imo vero non tam propter malum temporis statum tutum id non erat (hic enim qualiscunque fuisset, obstare nequivisset, quo minus æquis & bonis viris exhiberetur scriptum) sed veritæ certe sunt moniales, quique illis adhærebant, ne, si in apricum producerent recens natum fœtum suppostitium, in cunis suis adhuc vagientem audirent oppidani, & ut spurium inibi suffocarent, genitores autem falsarios imposturæ incusarent. At Henrico, *viro admodum commendabili; qui nemini atque adeo nec urbi Lindaviensi, quod suum erat, auferre voluerit*, oblatum dicet adversarius. Bene! si de odio Henrici in illos, qui partibus Friderici II. Imperatoris adhærerent, non constaret eruditis. Æquum proinde judicem egisse Episcopum, nemini facile persuadebit, & si vel maxime; quidni & urbicis advocatis, vel certis quibusdam bonæ famæ & fidei civibus diploma ostendi permisit? Certe, si omni suspicionis nota illud caruisset, hoc omnino tutum atque utile utrique parti fuisset: Cœnobitis quidem, ut sua sibi reservarent, oppidanis autem, ut iis, quæ obtinuere, in pace perfruerentur, litibusque omnis adimeretur materies. Contrarium autem ubi obtinebat, necesse fuit, ut civibus facile credulis, auctoritate Henrici, quem sub periculo excommunicationis offendere non dabatur, metus incuteretur, eoque a foro & legibus arcerentur. Interim si Piissimus ille Imperator Ludovicus, prout hic tradit Henricus Episcopus, auctor fuit diplomatis, mirum non prius id constanter asseruisse Cœnobitas eorumque patronos, sed variis se torquentes modis, nunc ad Ludovicum II. Lotharii filium, nunc ad Ludovicum Germanicum, Ludovico Pio Imperatore natum, confugisse.

§. XXV. Tertium, quod nec Cancellariam Ludovici Pii redolet, nec constitutionibus veterum Francorum respondet, id est, quod in contextu diplomatis legitur, *Decernimus atque jubemus, quatenus praenominatus sacer locus habeat, possideat, quicquid ex libera haereditate praefati fidelis nostri fiscus noster sperare debeat in tributis in teloneis in monetis.* Quae verba docere videntur, & Adalbertum jus cudendae monetae in agris etiam & praediis suis habuisse, & fiscum regium varios exinde proventus tulisse, quos deinceps Ludovicus Abbatissae extructi in Adalberti agris monasterii reliquerit, eoque juribus fisci bona ejus exemerit, quicquid hic contradicat adversarius *c. XIV. Defensionis num I.* contendere nimirum nisus, nec Adalberto Comiti, nec monasterio Lindaviensi jus cudendae monetae his verbis probari. Quaeso enim, quomodo Ludovicus juribus fisci Imperialis proventus alicujus loci, sive fuerint in monetis, sive in tributis, sive etiam in aliis eximere potuit, si nec ipse possessor istiusmodi proventus exinde unquam habuit, aut absque injuria Palatii regii habere potuit? vel quomodo fiscus regius sperare aliquid ex eo poterat, quod re ipsa nec erat, nec futurum erat? Imo quomodo possidere quicquam sacer locus potuit in illis, de quibus in omnibus agris nec vola nec vestigium fuit? Jam vero haec omnia in monetis locum habent, quas utique juris regii solum fuisse, constat ex variis documentis illius seculi v. g. ex Capitularibus Caroli Magni & Caroli Calvi, quorum hujus XI. & XII. clare vetuere, ne moneta alibi fit, quam in Palatio suo, aut in populosioribus urbibus, ut v. g. in Gallia, in Quantovico, Rotomago, Remis, Sennonis, Parisiis &c. Et quanquam fortè non supèrant constitutiones, quas Ludovicus Pius, aut ejus filius Ludovicus Germanicus in Francia Orientali ediderint; verosimile tamen est, eundem omnino morem illos servasse, inprimis quia ostendi non potest, cur hi ipsi in re tanta in diversa abierint. Et notari omnino meretur, quod ipse Carolus Calvus, laudato capitulo XL se in hoc antecessores suos secutum, diserte profiteatur. Non igitur monetae in allodialibus Adelberti Comitis esse potuere, quae omnia extra urbes fuisse, Conringius, *cap. XVI. Censurae suae* docuit, unde nec ex agris illis fiscus quicquam sperare, aut juribus suis proventus eximere potuit. Et quid? si adderemus, nec voluit. Credibile enim non est, tam improvidum fuisse Imperatorem, aut etiam ita fallacem, ut sanctimonialibus talia elargitus, de quibus, quod aliquando quicquam essent recepturae, ne spem quidem ipsis facere potuerit, nisi vim inferre voluisset pervetustis Francorum Regum constitutionibus, quas etiam sub exordia Imperii authoritate sua firmasse credimus. Verum quid nodum in scirpo quaerimus? Ipse adversarius nobis dedit, non habuisse jus cudendae monetae in agris suis Adalbertum: sed nec hoc quidem in diplomate a Notario dictum, multo minus vero coenobio eo monetae jus concessum esse, contendit; id saltem exprimere voluisse Hirminmarum affirmans, Caesarem omnibus fisci juribus cessisse, quibus in bonis Monasterio donatis gaudere potuisset, inter haec autem omnino etiam fuisse jus cudendae monetae, proindeque non perperam ejus fieri mentionem. *Non tamen*, inquit, *hinc consequens est, aliquo loco, qui Monasterio hac donatione obveniebat, revera cusam tum fuisse monetam, sed tantum cudi potuisse, unde Notarius verbo sperare est usus. Nam quae sperantur, saepe non praesentia, sed absentia sunt, & non tam fiunt, quam fieri possunt.* Verum si hoc non est torquere sensum scripturarum, & vim facere literae, nescio quid sit. Aliud nimirum significat *sperare*, si extra contextum & abstractive (ut sic loquar) sumitur; aliud, si intra contextum locum habet, & quatenus cum aliis vocibus & rebus, ut fit in diplomate, cohaeret. De illo dubium non est, quin *sperare* sit saltem futurorum & eorum, quae facta non sunt, fieri tamen & obvenire possunt, quando autem in contextu nostro dicitur, *quic-*

quid fiscus noster ex libera hereditate præfati nostri fidelis in tributis telonis monetis sperare debuit: tum utique respicit etiam, quæ & facta sunt, & ulterius debent, non saltem possunt fieri, scilicet, *si quid fiscus regius sperare debuit in monetis ex libera hereditate Adalberti*, necesse est, prius fuerint monetæ, unde aliquid provenire potuisset. Jam vero quod non fuerint, dedit adversarius, dabit ergo etiam, quod nihil ex hæreditate libera Adalberti sperare debuerit, quodque illo fisci jure cedere nunquam potuerit Cæsar, quia nondum extiterat, cum collocare prius debuisset summam, quam quæstum exinde expectare.

§. XXVI. Haud leve porro falsitatis documentum petitur ex eo, quod impostor limites Advocati in habendis placitis præter morem & stylum Cancellariæ Ludovici haud secus constrinxit, ac si isto seculo ejusmodi facinora ab Advocatis in cœnobia, cumprimis circa lacum Bodamicum, fuerint patrata, qualia tamen Conringius, quamvis sedulus scrinia veterum instrumentorum sit scrutatus, non invenit, nec ipse Hyperaspista nuperus protulit. Nos equidem non inficias ibimus, datas aliquando Advocatis leges, ad quas sese componerent, dum curam monasteriorum agerent, tam varias autem, tamque duras jam a Ludovico Pio latas cautelas, negamus atque pernegamus, ipso nobis patrocinante diplomatis Defensore, qui nullum reperit, quod quoad hanc sui partem Lindaviensi responderet.

§. XXVII. Insuper fraudulenta diplomatis fabrica patet porro ex his verbis: *Si quis autem homo, cujuslibet potestatis existens, ausu temerario contra hoc privilegium agere præsumserit, aut præfatum venerabile monasterium, aut aliquas ejus pertinentias beneficiali causa cuiquam homini concedere temptaverit, nisi resipuerit, & his nostris institutis acquieverit, nomen & memoriale ejus de libro vitæ subtractum maneat in æternum maledictum.* Diræ sat graves, & vix de venerabili Ludovici Pii ore pendentes! Certe non erat ista consuetudo Regum Carolini inprimis seculi, ut violatores diplomatum facile anathemati addicerent, quod iterum exinde probatum imus, quia non extat documentum ejus ævi, ex quo contrarium erui possit. Nimis igitur ineptum fuisse oportet confictorem diplomatis Lindaviensis, qui cum tot extiterint genuina Ludovici Pii diplomata, non tamen ad ullum istorum ea, quæ in Lindaviensi præcipuum locum habere debuissent, satis apposite componere, & sic vel in prioribus saltem, fraudem occultare potuit. Sed quid fraudis? inquiet Jesuita. An ergo insolitæ execrationes illi ævo? Nonne ex ipsa Ludovici Pii ætate exemplo sunt literæ Concilii Germiniacensis in Gallia anno post obitum Ludovici Pii IV. habiti? quibus omnino Patres ejusdem Concilii non solum beneficia Ludovici Pii cœnobio S. Launomari exhibita multis deprædicarunt verbis, sed & diras violatoribus addidere formidables. Namque in contextu literarum legitur: *Si quis ergo (quod absit) hujus privilegii destructor, aut in ejus destructionem fraudulentus machinator in posterum emerserit, salutem propriam negligens & aliorum salutem persequens, secundum potestatem ligandi ac solvendi nobis per voluntatem Christi traditam, æternum cum vinculo perpetuæ damnationis extra beatorum requiem alligamus cum omnibus, qui in hac nequitia ei consentiunt, nisi hoc correxerint, qui quod ad salutem multarum animarum provisum est, impie non timet infringere.* Addit Jesuita: *Intortum a Synodo fulmen, & quicquid illa statuerat, Carolus Calvus Francorum tum Rex ratum, dato diplomate habuit. Unde consequens est, nullo modo ab illius seculi moribus alienum fuisse, pro sola violatione privilegiorum monachis indultorum gravissimas perpetuæ damnationis pœnas interminari.* At enim quis non videt, magnum

num discrimen esse inter laicum, qualis Imperator Ludovicus erat, & inter Clericos, quales Germiniacensis Concilii Patres fuerunt? Non dicimus alienum fuisse ab istius seculi Clericis, qui ligandi & solvendi sacra potestate usi; sed tum non e more fuisse putamus Regum atque Imperatorum, ut horribili anathemate damnassent, qui sacris eorum constitutionibus adversarentur, praesertim quia ipsis eorumque successoribus non deerant alii coercendi transgressores modi.

§. XXVIII. Denique mala fides sub finem diplomatis se prodit in voce *adsigniri*, quæ sane nihili & in publicis chartis ejusdem ævi minus usitata, minimum curiam Ludovici Pii non redolere, exinde palam fieri potest, quod a Notariis nullibi fuerit adhibita, sed *sigillare* & *signari* &c. sint usi. Imo, quod singulariter notandum est, in Campidonensis Ecclesiæ privilegio, quod Hirminmarus Notarius triduo ante, quam Lindaviense conscriptum fertur, composuit, legitur: *annuli nostri impressione jussimus sigillare*. Neque enim probabile est, Hirminmarum a consueta formula tam cito recedere, certe inconditam vocem pro recepta usurpare voluisse. Ceterum de addito monogrammate Ludovici etiam aliquid monendum, ac haud immerito quærendum, unde id diplomati Lindaviensi accesserit, cum tamen de *propria manus subscriptione* contextus nihil habeat. Legat enim defensor, quotquot vel apud Mabillonem, vel alibi extant Ludovici Pii diplomata, & ex tanto numero unicum saltem, quod sit genuinum, producat, in quo, ubi monogramma additum, etiam in ipso contextu manus propriæ non sit facta mentio; vel ubi sit omissum, non simul quoque formula de subscriptione manu propria facta sit omissa.

§. XXIX. Restat ut diplomatis confictorem, tanquam hospitem in historia antiqua ob Rabanum pro *Sanctæ Ecclesiæ Moguntinæ metropolita* venditatum accusemus, criminisque falsi non injuria damnemus. Demus enim diploma Lindaviense jam anno Christi DCCCXXXIX. conditum (licet contrarium facile ex superius dictis pateat) quæso, quomodo is laudato anno Archiepiscopus esse potuit, qui consentientibus omnibus bonæ notæ Historicis anno tandem DCCCXLVII. ad hanc metropolitanam cathedram evectus est, cum antea Abbatem Fuldensem egerit? quamvis ab Otgario Moguntinæ Ecclesiæ Præsule, quod Ludovici Germanici partes adversus Cæsarem Lotharium foverat, anno DCCCXLII. ex invidia remotus fuerit. Quo ipso simul concidunt, quæ nuperus Scriptor de amore Orgarii erga Rabanum, sive ex ignorantia historiæ, sive studio partium adductus confinxit. Interim lectu digna sunt, quæ de Rabano consignarunt Joh. Trithemius *de Viris Illustribus*, Nicolaus Serarius *in rebus Moguntiacis*, Maxime Reverendus Dn. D. Præses *in Antiquitatibus Ducatus Thuringiaci*, & Christianus Franciscus Paulini *in Theatro Illustrium Virorum Corbejæ*. Bene autem est, quod ipse nuperus Defensor agnoscit, alienum a veritate esse, quod Rabanus anno seculi noni XXXIX. Archiepiscopus Moguntinus fuerit. Quoniam tamen reperire non potuit, qui Gordium nodum hunc solveret, uno ictu eum diffecuit, mendum hoc Notarii esse dicens, ut qui pro Otgario Rabanum scripserit, vel Moguntinum Præsulem dixerit, quem Fuldæ Abbatem nominare, vel denique, qui Otgario Rabanum jungere debuerat, sed ex oscitantia & oblivione hunc solum posuerit. At quanto rectius fecisset Hyperaspistes, si, quod olim Cœnobitici Patroni fecerunt, hunc scopulum devitasset solicite, ac plane intactum reliquisset. Recognoscat enim verba: An welchen scopulum wohlgedachtes Stifft sich nicht begehret zustossen. Quis enim sanæ mentis homo credat, Hirminmarum Notarium tot chartis scribendis exercitum, ac non minus totius Imperii quam curiæ, cui serviebat,

viebat, Imperatoriæ gnarum, tam enormiter oscitantem ac fœde obliviosum fuisse, ut pro Otgario, Archiepiscopo tum temporis Moguntino, Rabanum Abbatem Fuldensem substitueret? Nam quæ de Rabani tot ante annos in Præsulem Moguntinum prædestinatione afferuntur, tam sunt ab omni fide omnique veri specie aliena, ut magna non modo meam parvitatem sed Viros eruditissimos atque prudentissimos admiratio subeat, ad hæc ἀνύστατα devenire potuisse defensores monasterii. Interea agnoscimus hic sincere, ac religiose simul veneramur divinam providentiam, quæ, quantumvis permiserit, ut in re momenti magni, & ad libertatem insignis S. R. Imperii urbis spectante, technæ ac fraudes agitarentur, sic tamen pro ineffabili sua sapientia disposuerit, ut dum tam crasse in historiam impegerint impostores, ex illa ipsa nota omnis offuciarum machina feliciter disjici ac disturbari possit. Neque dubium est, quin porro divina bonitas afflictæ patriæ contra adversarios omnes felicissimam opem latura, ac tandem tot apertis æque ac clancularis molitionibus obicem positura sit. Id quod, ut clementer faciat, ac valide, ex intimis oro suspiriis, iisdemque præsens caput finio.

CAPUT IX.

DE

STATU LACUS BODAMICI

SUB

ARNULPHO

ET

LUDOVICO III.

§. I.

CArolo Crasso sine mascula prole extincto, novoque Imperatore Arnulpho ex Carolomanno Ludovici Senioris filio & Litovinda concubina ex Charinis orta, prognato, variis modis distracto, Francorum regna, quæ Crassus conjuncta habuerat, rursus dissipata sunt, tot æmulis plerasque Italiæ partes occupantibus. Restaurarunt etiam Burgundiones regnum suum, quod annis fere CCCLXVI. Francis paruerat, in Regem superioris Burgundiæ Rudolpho quodam creato. Hæc autem omnia ita male habuerunt Arnulphum, ut nihil intentatum relinqueret, quicquid ad evertendos regni æmulos posset facere, frustra tamen diu laboranti hostes in saxosis Alpium jugis abditi haud difficulter se subducebant, ejusque conatus sufflaminabant.

§. II. Fatis igitur adversis Imperii clavum suscepisse videtur Arnulphus. Atque utinam pertinax fortuna ulterius Germaniam urgere destitisset. Venit autem

autem ex Scythia Sarmatiaque Asiatica, Tanai transito, Ungarorum innumerabile agmen, toti Europæ bellum minitans, inprimis autem in Sarmatiam Germaniæ propiorem se diffundens. Ansam bello datam nemo hactenus Scriptorum plenius indagare potuit, aliis domo expulsi, aliis vero aviditatę novi soli Europam ingressi videbantur, nonnulli ab Arnulpho ipso adversus Slavos in auxilium evocatos esse judicabant. Prima, quam occupavere, terra Pannonica erat, cujus veteres incolas postquam absorpserunt, sedes illas deprædationi & depopulationi universæ Germaniæ delegerunt.

§. III. Arnulpho anno DCCCXCIX. veneno sublato, infelix Ludovicus filius ejus, prope puer, sceptra Germaniæ capessit. Et sane Deus ita disposuisse videbatur, ut Carolingorum Imperium, quod secundo cursu antehac ad summum fastigium penetraverat, multis iisque gravissimis motibus concussum, simul cum prosapia in hoc Principe totum destrueretur. Omnia enim varietate fortunæ jactabantur, nec spes ulla suberat, gloriam a majoribus acceptam posteris relinquendi, ac tanta mox sub exordia regni ejus Germaniam omnem calamitas vexabat, quanta nunquam antea audita erat.

§. IV. Præter intestinos Imperii hostes anno DCCCCI. Ungari quoque agmina sua Germaniæ admovere: Italiam tamen primum petiere, civili discordia turbatam, quæque suo pavore felices reddidit hostes. Jam in ipsum Berengarium Italiæ Regem cudebatur faba, cujus exercitum, cum veniam impune discedendi Ungaris denegaret, ex improviso irrumpentes, turpi dissiparunt fuga. Ex quo dein non prius Italiam reliquerunt, quam pecuniæ ingentem summam accepere. Videantur Liutprandus *lib. II. cap. V. & VI.* Hermannus Contractus *in Chronico.* Stumpfius *lib. IV.* Aventinus *Annal. Boj. lib. IV.* Crusius *p. II. lib. III. cap. V.*

§. V. Posthæc ad oppugnandos Bojos cum immanibus Barbarorum copiis venit Cussala Rex Ungarorum, nulla ratione habita fœderis, quod vix dum (quamvis, ut palam est, dolose satis) renovarant. Bojoarios, fiducia fœderis nihil mali metuentes, nomen & fama Ungarorum, maximum utique in bellis momentum, pavidos reddidit, ita ut, quo quemque aut spes aut metus duceret, dilaberentur. Ungari interea omnem, quæ est infra Anassum flumen, regionem igne & ferro misere vastarunt, brevi tamen post Bajoarii, Luitpoldo quodam agmen ducente, fortiter hostem repulere. Prælium commissum est infra Viennam Austriæ metropolim, splendidissimam nunc Cæsarum sedem.

§. VI. Ludovicus interea desperata pace ad reparandas vires bellumque impigre renovandum intentus, anno DCCCCIV. hostibus obviam ire decrevit. Principes regni omnes Regem in aciem secuti, ea quidem mente, victoria ut potirentur, sed mortem pro patria non recusarent. Maximæ utrobique copiæ, præstabant barbari, nondum tamen noverant aperto Marte congredi. Insidiis igitur confidebant, & vel lacessendo vel circumeundo Germanorum cohortes, sæpius vicerunt. Cæsi sunt Germani primo in ipsis Ungarorum campis, Luitpoldo etiam duce amisso. Confestim etiam ad Ludovicum, qui cum parte copiarum Anassiburgi substiterat, agmina victoris delata sunt, eumque ita perculerunt, ut exercitu omni insidiis hostium relicto, ipse cum paucis vix barbarorum manus effugeret. Hinc omnis cædes atque direptio Bajoariæ secuta est: cumprimis autem (Aventino teste) rabies ipsorum in destruendis monasteriis, abducendis & stuprandis monialibus, profanandis sa-

cris, & ejusmodi sceleſtis facinoribus aliis patrandis, grassata est, castella enim & loca munitiora vi oppugnare nondum didicerant. Neque tamen hæc solius Bajoariæ erat fortuna, sed omnis omnino regionis, quæ intra Rhenum, Mœnum & Danubium sita fuit. Namque mox Franciæ Ducatus stragem immensam sensit: deinceps Alemannia omnis exercitu hostili repleta, diruta & devastata est. Imo nec Rheni rapidus fluxus transitum inhibere potuit, sed ad littora ejus dilapsi hostes, omnibus prius, quæ moveri poterant, direptis, vadum trajecerunt. Exinde ad deprædanda Turegiensis pagi cœnobia ditissima se accinxere, armisque omnis Alemannia Helvetica strepuit, & ubique oculorum prospectum fumus prohibuit. Non hic loci, sive Episcoporum, sive Abbatum, sive aliorum ex Clero melior fortuna fuit, atque illorum, qui Cis-Rhenana littora incolebant, adeo, ut qui Helveticam Alemanniam aut etiam lævam Rheni oram habebant, in tutiora, quæ videbantur, loca (qualia nonnulla ex Romanorum excidiis reliqua erant) se conferre necessum haberent. Hæc sinistra Alemanniæ Bajoariæque fata denique animum Ludovici Regis multum perculisse, quis non credat? Neque enim vel consilium vel vocem ulli aulicorum præsentis periculi species reliquerat, quos pertinax fortuna ulterius gravatura videbatur. Unde iterato prælio aleam belli tentavit Ludovicus, sed & hoc victus omnem omnino spem ea recuperandi, quæ amiserat, abjecit, & ut nonnulli ferunt, pacem auri pondere ingenti redimere nullus dubitavit. In annua insuper tributa consensisse, docent successorum Ludovici gesta, modo ut quietem Germaniæ dulcissimam restitueret, vasis etiam aliisque monasteriorum ornamentis, quæ hostium manus effugerant, in hunc usum collatis. Conferantur Hermannus Contractus ad annum seculi decimi sextum & sequentes, Aventinus *Annalium lib. IV.* Stumpfius *in Chronico Helvetico.* Buccelinus *in Chronico Constantiensi.*

§. VII. Ipsa hæc bella, quod mortem insuper præmaturam ultimo Carolingicæ familiæ Imperatori attulerint, ex aliquot scriptoribus colligimus. Contra, reparata utcunque quiete, Germanos instaurandis urbibus, palatiis & inprimis monasteriis studuisse, sequentium temporum docet historia, legique merentur, quæ de hoc argumento scripsit Vir omni laude major, Hermannus Conringius *in Dissertatione de Urbibus Germaniæ.* Nos, ut de Lindaviensi Cœnobio quædam afferamus, ipsa temporis ratio dictitat. Illud enim olim ad littora lacus Bodamici situm, hoc demum seculo decimo in ipsam insulam, eundemque, ubi nunc viget, locum fuisse translatum, asserere nulli dubitamus, præsertim, cum id non solum sana ex tempestatis hujus difficultate sumta ratio suadeat, sed etiam Caspar Bruschius *in insigni Idyllio de Wasserburgo* hoc fateatur. Quoniam autem sanctimoniales pluribus inde annis inclytæ Lindaviensium Reipublicæ gravissimas de hac translatione lites moverunt, digna res videtur, quæ pluribus discutiatur.

§. VIII. Disceptarunt hactenus aliquot scriptores Pontificii cum Patriæ meæ Patribus de tempore, quo Cœnobium illud in insula fuerit extructum. Nihil intentatum illi omisere, quo fictitio ejusdem cœnobii diplomati etiam hac in re veritatem adstruerent. Verba diplomatis, quæ de primo monasterii situ agunt, hæc sunt: „ Adalbertus fidelis Vasallus noster, & Sacri Palatii „ Comes, obtulit obtutibus nostris quoddam Cœnobium sanctimonialium, „ nomine Lindaugia, situm infra lacum Withsee. " De nomine Lindaugiæ actum supra est satis, nec est, cur quædam repetamus. Tum vero constat ex superioribus, cœnobitas diploma suum ad annum DCCCXXXIX. referre, quo

quo ipso ex eorum mente natales simul inclarescerent cœnobii. Sed iis pro tempore relictis, de priori natali solo saltem erimus soliciti.

§. IX. Locum igitur, quo a primo inde exordio suo conditum Cœnobium, fuisse margines lacus Bodamici, & quidem dextram versus in promontorio sive cornu quodam, uno ferme milliari ab oppido & insula Lindaugiensi distante, Excellentissimus Conringius *in Censura sæpe dicti diplomatis Ludoviciani c. XIII.* pluribus demonstravit. Argumenta ejus brevibus repetemus. Et primum quidem desumtum est ex Idyllio isto Bruschiano, quo in auctor allodia monasterii, quæ in illo lacus littore prope castellum Wasserburgense olim habuerat, designat, disertisque verbis translationem cœnobii in insulam recenset. Alterum suppeditant superstites illæ denominationes pagorum *Nonnenbornii* & *Nonnenbachii*, quæ sane non nisi monasterii alicujus monumenta redolent. Quis enim nescit, *Nonnas* olim dictas vitæ cœnobiticæ dicatas virgines? utut hodie nomen illud refugiant Lindavienses sacræ virgines. Tertium petitur ex altera Idyllii Bruschiani parte, quæ clare docet, Wasserburgi primum vixisse Abbatissam, post factam autem translationem Præfectum monasterii sedem pristinam obtinuisse, donec illa vendita Dynastæ cuidam Kiseloccio, qui eandem rursus Ulrico & Marquardo, Schellenbergiis vendiderit. Huc accedit quadringentis inde ab annis omnium ore vulgata fama de ista cœnobii sub tilias Lindavienses translatione.

§. X. Eximiis hisce argumentis Conringianis præter acerba dicteria, pauca, quæ reponeret, habuit novus Conringii adversarius. Quomodocunque tamen illa sint, prætermissis conviciis spectabimus. Primo inquit: *Mirum dictu, quod, qui Bruschio non credit Historico, credat eidem Poetæ.* Quasi vero vel omnia, quæ scripsere Historici, alba linea, quæ autem cecinerunt Poetæ, atro carbone sint notanda, nec ex ipsis etiam carminibus historica eruenda sit veritas. Quod sane in hoc Idyllio Bruschiano majorem habet locum, quia ad formam scripti historici compositum, cum veteri famæ tum scriptis antiquioribus innititur. Quid? quod nec Conringius omnem fidem adimat historiæ Bruschianæ, sed in quibusdam saltim vacillare ostendat. Jam vero, quod metris miserabilis hujus (sic enim vocat) Poetæ fidem omnem denegat Hyperaspista, rerum suarum nimium studiosi, & neque sic tamen sat providi hominis est. Præterea Sebastianus Munsterus docet, Abbatissam Lindaviensem adhuc superiore seculo Wasserburgi nonnulla prædia possedisse. Imo testatus est Heiderus *in Opere Apologetico p. 952.* nunquam cœnobiales hoc ipsum negasse nec negare potuisse. Et utinam scrinia aliorum circa lacum Bodamicum cœnobiorum evolvere liceret, fortassis plura ejusdem argumenti scripta, quæ Idyllio Bruschii responderent, in apricum proferrentur. Maneat igitur fides penes Poetam, usque dum luculentius ostenderint adversarii, carminis hujus figmenta, & firmis rationibus contrarium evicerint. Ad alterum argumentum illudendo Conringio respondit, ac si canenti Bruschio ipse cum contribulibus suis illepidam & anserinam accinisset musicam, *dum Nonnenbornium & Nonnenbachium* Wasserburgo vicina, a Nonnis prope habitantibus dicta, asserat, & quasi pueriles conjecturas a sola nominis notatione desumtas lectori obtrudat. Sed non erat, cur scommatibus meris hic pugnaret novus scriptor. Sæpius enim ex ipsis nominibus potissima antiquitatis monumenta deducuntur: nec dubium est, quin hæc ipsa nomina *Nonnenbachium & Nonnenbornium* a Nonnis condita, vel post varia excidia pagis ibidem in memoriam sanctimonialium, olim eosdem agros incolentium extructis, indita sint. Illud tamen Hyperaspista nobis vix persuadebit, nomina ista a moniali-

bus in insula degentibus mutuare potuisse pagos illos, cum adstrictius vitæ genus, cui olim adsuevere, non facile ipsas in agris tam longe dissitis frequentes esse permiserit, ut tandem ipsis prædiis de suo nomen condiderint. Confer, quæ de monialium arctiori vivendi consuetudine habet Hepidanus *cap. XV. in Vita Wiborada*. Vero igitur manet simile, cœnobium vel in his ipsis agris sua habuisse initia, vel saltem vicinum illud Wasserburgense solum natale habuisse, & per plures annos usque ad Ungaricæ depopulationis tempus ibidem floruisse. Neque tamen ex eo, quod duo pagi a Nonnis sive monialibus nomen acceperunt, consequens est (id quod putat Conringii adversarius) geminum cœnobium extra Lindaugiam extitisse, cum in altero sedes esse, alter proxime cœnobio adjacere potuerit.

§. XL. Quod ad tempus translationis attinet, plerique eruditorum, qui unquam animo ista volutarunt, translatum cœnobium eo putant tempore, quo omnis Alemannia hostibus Ungaris obruta est, idque circa annum DCCCCX. quo potissimum tempore Ungari omnia ad littora lacus Bodamici pervaserunt, cumprimis autem in monachos ac moniales acerbissime sævierunt. Hanc autem hostium rabiem ut effugerent sanctimoniales Lindavienses, tutiora quæsivisse loca, quis dubitabit? Quarum receptioni cum non alius aptior videretur locus ipsa Lindaugia, eo se contulere, civiumque (ut facile datur intelligere) tutelam expetiere. Et sane credibile est, motos misericordia cives insulæ spatium, quod vel in præsenti sic satis amplum obtinent, ad struendas ædes domiciliaque sibi suisque restauranda, assignasse. Factum autem postea est, ut moniales avidæ gloriæ & dominii in omnem insulam, non solum sese urbicis in insula antiquiores esse propugnarent, sed & ipsa jura urbis impugnare conarentur. Præcipue autem moleste tulerunt, dixisse urbicos, cœnobium seculo demum decimo in insulam translatum, monialesque eo se subduxisse, ut hostium immanitatem evitarent, cum tamen ipsa Lindaugia non satis tuta fuerit ab irruptione hostium, nullis munita vallis, nec circumdata muris. Sed his omnino reponenda ista Aventini ex *libro IV. Annalium Bojorum: Urbes, oppida, arces & loca munita* (quæ inter omnino etiam fuere, quæ ipsa natura adversus hostium vim munivit) *Barbari declinavere, cum vi oppugnare, obsidere & expugnare, res adhuc ipsis incognita esset.* Contemnendum igitur Lindaugia oppidum, in ipsa insula lacus Bodamici situm, isto tempore non fuit, sed potius validum receptaculum, a quo aquarum perpetui fluctus hostes arcerent, si vel maxime etiam tum temporis mœnibus aut vallo caruisset, id quod tamen nondum est evictum. Neque forsan alteri, quæ in continenti erat, oppidi parti, Eskinhovæ dictæ, sua defuere præsidia, quibus hostium vim fregissent; cum nullibi legamus, castrum illud Ungaricæ desolationi fuisse obnoxium, quod sane vix sicco pede præteriisset Aventinus, quem aliorum longe inferioris sortis vel oppidorum vel monasteriorum fata posteris tradidisse legimus. Ceterum potioris momenti argumentum videtur, quod ex *Hepidani vita S. Wiborada* hactenus produxerunt defensores cœnobitici, eoque ostendere sunt conati, cœnobium seculo nono in insula jamjam extitisse, non vero demum seculo decimo ex agris supradictis, ut contendimus, transpositum esse. Verba Hepidani ita se habent: *At Cilia invidiose tumens contra virginem (Wiboradam) propter ejus inobedientiam, simul verita sibi decrescere quæstum, si diu ibi moraretur, demandavit Episcopo Salomoni, quod vellet secreto cum ipsa verba miscere. Adveniens, postquam semotis cæteris multa perfide, quasi fideliter, de virgine locuta est, etiam hanc sententiam subintulit. Compertam habeo vestram spiritualem voluntatem erga eandem puellam, quod eam, si vobis occasio datur, vultis inserere alicubi*

choro

choro sanctimonialium, quatenus tota à mundiali fluctuatione liberius in Dei servicio possit durare. Ad hoc etiam rescitum habeo vestrum iter Lindaugiam, eo loci, si vos non alias trahit voluntas, consiliarer ejus insertionem, tum quod conversatio ibidem valde spiritualis est, tum quod promtior ei illic pateret ingressus, ibi enim omnia vestro nutui parebunt. Præsul autem hæc de radice dilectionis procedere autumans, latus effectus est, & præcipiens ratem armare, misit quendam de suis servientibus, B. Wiboradæ intimandum, ut sibi ad navim eunti expedita foret ad navigandum secum ad prædictam insulam. Hæc autem oraculo (ut fertur) per somnium sibi facto deterrita, nihil respondit Episcopo, sæpiusque redeuntem illius ministrum sine ullo responso dimisit. Notandum tamen est, hanc ipsam Wiboradam, quam primum Salomon Lindaugia fuerit reversus, ab hoc ad S. Gallum deductam ibidem reclusam esse. Quod si igitur Wiborada Lindaviæ inseri debuit prius, quam ad S. Gallum recluderetur, sequitur Lindaugiæ ante quoque fuisse monasterium monialium, quarum cohorti inseri potuisset. Et vero de antecedente laudatus Hepidanus neminem dubitare finit. Consequens etiam quoniam sua luce radiat, in temporis computo omnis difficultas sita erit. At nec de eo sibi multum laborandum putavit Hyperaspista, dum ex historia Udalrici Episcopi Augustani luce meridiana clarius esse prodidit, B. Wiboradam jam anno DCCCXXCVII. aut saltem ante annum DCCCXCVII. Sangallum venisse, suffragante ipso Papebrochio *in Notis ad vitam Sanctæ Martyris ab Hartmanno monacho Sangallensi perfectam, ab Ekkehardo autem B. Wiborada synchrono inchoatam.* Queis ita collatis omnino sequi credit scriptor nuperus, saltim adhuc ante annum DCCCXCVII. Lindaugiæ monasterium floruisse. Nos, ut accuratius ad singula respondeamus, ipsa Hepidani verba sedulo expendamus, collatisque aliis scriptorum documentis controversiam hanc pro virili expediemus.

§. XII. Facit autem hanc in rem præter Hepidani vitam S. Wiboradæ, Chronicon quoddam breve quidem, at eximiæ eruditionis ab Hepidano majore editum, nec minus etiam Chronicon Hermanni Contracti. Sunt autem utriusque verba, quæ habent ad annum DCCCCXIV. isthæc: *Wiberat reclusa & arctius inclusa est.* Hæc autem verba non secus ac ipse Hyperapista de altera illa, cujus etiam Hepidanus junior *cap.* XIX. *vitæ B. Wiboradæ* mentionem fecit, arctiore inclusione intelligimus. Verba ejus, quoniam adversus nuperum Scriptorem pugnare videntur, producemus. Ait autem capite laudato: *Evolutis pene quatuor annorum circulis* (post primam scilicet insertionem Wiboradæ) *prædictus Episcopus, Constantiensis Præsul ad Cœnobium S. Galli venit. B. autem Wiborada postulavit ab eo, sibi domicilium alterum concederet, & ut breviter ejus desiderium prosequar, secretum clausulæ concupivit. Qui studens omnibus modis ei morigerare, jussit ei desideratum domicilium prope Basilicam S. Magni construi, atque in sancto die Pentecostes, copiosa multitudine divinis laudibus prosequente, devotis precibus Deo commendatam, sanctisque benedictionibus includens abscessit.* Annus igitur DCCCCXVI. quem Hepidanus major & Hermannus Contractus, ipso approbante Hyperaspista habent, tempus arctioris inclusionis fuit, ad quod teste Hepidano quatuor anni a primi ista Wiboradæ ad D. Galli insertione, quos liberior adhuc inter cœteras moniales versans degebat, decurrêre. Jam vero si hos IV. annos ab istis DCCCCXVI. annis subtrahemus, annus DCCCCXII. is fuisse colligitur, quo Wiborada a Salomone Episcopo primum eo deducta, ibi inter moniales recepta est. Hunc autem annum paulo præcessisse navigationem Præsulis Constantiensis, qui Wiborada Lindaviam devehi, ibique ejus studio inseri debuerit, superius prolata Hepidani verba pluribus edocuere. Clarum ergo est, frustra laborasse nuperum

perum Hyperaspistam, cum ex his probare conaretur, cœnobium seculo nono jam fuisse in insula.

§. XIII. Ne tamen Hyperaspista sibi in illis, quæ ex Udalrici Historia in rem suam produxerat, vicisse videatur, liquido demonstrabimus, nec historiam illam quidquam ad thesin, tot argumentis destructam, denuo stabiliendam facere posse. Auctor nempe Anonymus Vitæ Udalrici, qui apud Illustrem Velserum in eximio *de rebus Augustanis Opere* extat, tradit illum anno DCCCXC. in lucem editum (quod item alii faciunt) puerum deinde septem annorum monachis Sangallensibus educandum, & bonis moribus imbuendum commissum esse; Wiboradam post hæc ipsum excepisse, & ad omnem honestatem assuefecisse. Ex his contendere voluit Hyperaspista, Wiboradam jam tum ad D. Galli fuisse, cum a parentibus suis Udalricus in cœnobium illud mitteretur, motus inter alia testimonio Hartmanni cujusdam, qui puerulum adhuc Udalricum sæpius ad Wiboradam ventitasse scripsit, ratus *pueruli* vocabulum non nisi masculis septennium vix egressis competere, proindeque necesse esse, ut, si puerulum viderit Wiborada virgo, jam circa annum DCCCCXVII. aut etiam prius aliquanto in isto monasterio affuerit. Destituti quidem sumus scriptis Hartmanni, Hepidanum tamen ducem secuti, nihil dubitamus asserere, Udalricum minimum pueritiæ annos jam excessisse, cum primum ipsum conspexisset Wiborada. Quid enim puero decem vel etiam duodecim annorum (ne nunc puerulum septennem cum Hyparaspistis singamus) castitatis præcepta, & media illam tuendi, qualia Hepidano teste Wiborada ipsi dederat, profuissent? Verendum sane fuisset, ne in tenello animo præmaturos stimulos excitasset Wiborada, puerumque cogitationibus istiusmodi imbuendo, a summa sua sanctitate detraxisset. Quæ quando nec ipsi Pontificii admiserint, aut adultæ ætatis jamjam illum fuisse, aut in extremis saltem pueritiæ annis constitutum, largiantur necesse est. Et sane ipse Hepidanus adolescentem jamjam consuluisse Wiboradam scribit, cujus verba, quoniam maxime cœnobialibus adversantur, ex eodem *cap. XIX.* referemus: *Eodem tempore fuit in monasterio S. Galli quidam adolescens, nomine Udalricus*, & paulo post: *Is cum gravitatis semen in juvenili flore virtutibus æmularetur, post discessum jam sæpe dicti Salomonis rogatus est a fratribus, ut monastico habitu assumto, nomen & curam pastoris eorum hæreditaret.* Sed en aliud absurdum ex his ipsis Hepidani verbis. Dicitur Udalricus a fratribus suis mox post discessum Præsulis Constantiensis & sic mox post reclusionem B. Wiboradæ, in pastorem postulatus, quo tempore undecimum vel duodecimum ætatis annum attigisset, si ex Hartmanni & asseclæ ejus, nuperi Hyperaspistæ mente anni computandi essent. Egregius pastor, qui nondum ex ephebis egressus! Quis enim credat puero reliquorum omnium curam commissam esse, cum dubio procul non defuerint adultioris ætatis viri, qui munere isto pastorali rite perfungi potuissent? Sed admittant adversarii, quodcunque velint, victas spero manus dabunt & aperte fatebuntur, aut absurdis sese circumseptos, aut largiendum esse nobis, nequaquam ex historia Udalrici, nec etiam ex Hepidano deduci posse, quod jam seculo nono insula Lindaugiensis suo sinu foverit moniales, seculo autem decimo demum receptas a civibus, ea quæ hodie tenent, domicilia occupasse. Et hæc memoratu digniora nobis visa sunt ex iis, quæ Arnulpho & Ludovico imperantibus circa Bodamicum lacum contigerunt.

CAPUT X.

DE

STATU LACUS BODAMICI

SUB

CONRADO I.

§. I.

POstquam Carolina prosapia una cum Ludovico Arnulphi filio in Germania sepulta, unanimi mente Proceres Germaniæ Ottoni, Saxonum Duci, fasces Imperii decreverunt. Magna omnino spes in eo posita erat, ex eo fortassis, quod non solum ex Magno illo Wittekindo, strenuo ac forti bellatore (ejusmodi Principe tum temporis indigebat Germanicum Imperium) ortum duxerit; sed & Status totius regni non ignarus videretur, qui hactenus per plures annos Ludovico tutoris instar fuerat. Sed hic causatus senium, honorem delatum recusavit, suasor autem fuit Principibus Imperii, ut Conradum, Franconiæ fortissimum Ducem in Regem deligerent, qui etiam anno DCCCCXII. omnibus annuentibus sceptra suscipiens, pleraque gessit ex arbitrio Ottonis illius præstrenui Saxonum Ducis.

§. II. Imperante Conrado varia fortuna Germania usa est, cumprimis autem Alemanniæ tractus, qui erat circa lacum Acronium, cujus vires ex superioribus annis penitus a barbaris Ungaris sunt exhaustæ. Iidem enim, simul ac compertum habuere, non sine æmulis regnare Conradum, sed mox sub exordia Imperii ejus Bertholdum & Erchingerum, potentes Sueviæ Duces, Arnulphum etiam, Bajoariæ Principem adversus eum insurrexisse, impunes sese fore rati, Anasso amne superato, trajecturi jamjam ipsum etiam Oenum, ibidem consederunt & pro victoribus se gesserunt, freti proxima victoria & copiis suis, quibus vix campi, in quibus castra metarentur, sufficerent. Ex pacto igitur, quod iis cum Ludovico intercesserat, tributa exegerunt, omni Bajoariæ, nisi solverentur, excidium minitantes. Arnulphus autem Dux superbe legatis Ungarorum respondit, se ab ineunte ætate imperare, non parere hostibus didicisse. Ungari infesto hoc responso irritati, cum copiosissimo milite Bajoariam ancipiti loco invasere; sed ab Alemannis & Bajoariis, Arnulpho Duce viriliter oppressi, ad unum pene omnes ceciderunt: pacem deinde pacti, domi se tenuere: testibus Aventino *Annal. Boj. lib. IV.* Stumpfio *lib. II. & IV.* Crusio *in Annalibus Suevicis p. II. lib. III. cap. VII.* & Bucelino *in Rhætia, ad annum* DCCCCXIII.

§. III. Hinc metu liberior Conradus Rex Bodamici lacus littora invisit, Constantiæ inprimis diversatus. Præ ceteris Regi charus erat Salomon III. Episcopus Constantiensis, cujus summam in cœnobiticis curam maximi omnino fecerat, maxime vero arridebat arctior ista disciplina, qua pueros senesque imbue-

imbuebat, ita enim vel præſente Rege imperata fecerunt, ut nec vi nec vocibus inde arceri poſſent. Fertur præterea laudatus Rex tanti æſtimaſſe monachos Sangallenſes, ut aliquando littora Bodamici lacus legens, & cœnobium Sangallenſe intrans, cum ipſis convivarit, ſeque in numerum ipſorum recipi petierit. Videatur Ekkehardus Junior *de Caſibus Monaſterii Sangallenſis cap. I.*

§. IV. At vero illam Regis lætitiam quidam lepidus caſus turbavit. Nimirum erant cum Rege & Epiſcopo bini (uti vocantur ab Ekkehardo) Cameræ Suevicæ Nuncii, quos Duces alii appellant, Berchtoldus & Erchingerus, inclyto genere nati, qui utrumque lacus Bodamici latus, Imperiali fiſco addictum, ut & reliquam Alemanniam omnem adminiſtrabant. Hos, poſtquam Conradus ex monaſterio S. Galli reverſus, triſtes & exacerbatos vidit, cauſas triſtitiæ ex illis vultu hilari ſciſcitatur. Erant autem partim ſales dentati, quos aliquando inter pocula Præſul Conſtantienſis effuderat; partim joci minus urbani, quibus ipſis publice ad infimæ ſortis hominibus Epiſcopi indultu erat illuſum. Vix dum in animo Ducum iſta obliterata erant, quæ paucis ante annis cum Epiſcopo geſta, cum parum abeſſet, quin in conventu publico Moguntiæ habito, rei ob id acti, ſummoque ſupplicio affecti, quod vi atque armis ea ab Epiſcopo voluiſſent repetere, quæ ipſe Rex de bonis Imperii benevole ipſi elargitus. Nondum igitur omnino ſopitas iras reſuſcitare nihil veritus Epiſcopus, gravibus periculis ſe ſuaque expoſuit. Quanquam enim tempore Natalitiorum, quæ Conradus Rex Conſtantiæ celebraturus erat, eo rediere, non tamen id in gratiam fecerunt Epiſcopi, ſed ut Regi ex debito miniſtrarent. Sic evenit, ut cum Rex diutius aliquanto cum monachis verſaretur, Duces cum Epiſcopo piranderent. Hic autem recordatus eorum, quæ nuper per jocum de paſtoribus ſuis, Sueviæ Ducibus perſuadere conatus, quod ſcilicet, ſi illos viderint, aperto capite coram ipſis genua ſint flexuri, re ipſa hoc demonſtrare voluit. Miſerat enim paſtores duos, homines utique ſilveſtres, hirſutos & prolixis barbis, ut captam ferinam ſtatuto tempore adducerent, cumque alter urſum, alter cervum attuliſſent, Epiſcopo illud fecerunt indicari. Is juſſit, ut exutis agreſtibus veſtimentis, velut Barones comparerent, ipſique Ducibus ferinas offerrent. Duces, viris iſtis conſpectis, primum nihil iſtiusmodi metuentes, de menſa, qua ut Proceres Alemanniæ ſeorſim utebantur, ſurrexere, capiteque adaperto gratias habuere ſummas pro oblatis feris. Epiſcopus auctor fraudis ægre riſum continuit, quod Duces attendentes multum indignati, detectoque dolo ſuas res ſibi haberet, atque ab his ludibriis parum infulæ ſuæ convenientibus abſtineret, monuere. Hæc cum Regi renunciarentur, ſedato animo Duces eſſe, & cum Epiſcopo in gratiam redire juſſit. Vide Ekkehardum *l. c.* Stumpfium *lib. IV.* Cruſium *Annal. Suevic. part. II. lib. I. cap. VII.*

§. V. Sic etſi Præſuli pro tempore reconciliati Duces, non tamen cauſæ irarum ſævique dolores animo exciderunt, ac inprimis alta mente repoſta manebant, quod Arnulphus Imperator eorum ditioni pagos nonnullos ſubtrahens, Salomoni fuerat elargitus. Maxima autem lis erat de caſtello quodam prope Steinheimium Turgoviæ pagum ſito, quod Duces propria impenſa extruxerant, & ſic tamen Conradus Rex Salomoni attribuerat, cujus præceptum Duces floccifacientes, ſubditis ſuis extrema omnia comminati ſunt, ſi vel obolum Epiſcopo perſolverint, imo ipſum Epiſcopi quæſtorem variis afficere contumeliis nihil dubitarunt. Ipſe denique Epiſcopus, cum aliquando Ducibus obviam factus, quereretur de injuriis ſibi illatis, ipſosque paulo acerbius reprehen-

prehenderet, vix ictum gladii, quem Luitfridus ex sorore Ducum natus, in eum strinxerat, evitavit: comprehensus tamen a Ducibus Salomo Episcopus Diepoldisburgum, ad uxorem Erchingeri Bertham missus est, jussam, ut clanculum de medio tolleret Episcopum. Sed hæc, utut alias mentis non satis probæ, alienam a se cædem Præsulis esse voluit, commiserata etiam sortis tristissimæ, quam nefarii hi ausus Alemanniæ Ducibus allaturi essent. Neque falsa fuit vates, siquidem Duces, qui cum suis, quos fidissimos habebant, clandestine agentes in silvis delituere, tertia a patrato scelere nocte a Sigefrido quodam, patrueli Episcopi, dormientes oppressi, atque Duellium, quod comperta clade suorum deditionem fecerat, captivi abducti sunt. Sic Bertha, Erchingeri uxor mox solvit Episcopum, & honesto comitatu Constantiam deduci jussit, veniam delicti a marito ac leviro commissi precata. At enim ad Regem postquam res delata est, Comitia Moguntiam indixit, ubi prædiis in fiscum redactis, capitis damnati fuere. Vixere tamen per biennium in carcere superstites, cujus moræ causam Scriptores laudati non expresserunt.

§. VI. Hæc dum agebantur, Sueviæ Ducatus Mavortio Heroi Burchardo I. ex generosis ad Bodamicum lacum Comitibus Buchornensibus nato agnatoque captivorum Ducum proximo commissus est. Primus hic fuit Alemanniæ Dux, qui eam ut Vicarius Regis & non tanquam Fiscalis, prout antecessores ejus procuravit. Liberius enim tum temporis Alemannia administrari cœpta est, atque factum sub Regibus Carolingicis. Habuit quidem jam tum suos Duces, sed sui juris non erant, ad fiscum proventus, ad Palatium causas deferebant. Ab hoc jugo exemtus Burchardus pleniori potestate subditos suæ ditionis regebat, causasque civium suo arbitrio decidebat. Reditus Alemanniæ quod attinet, etiam hos in commune Suevorum ærarium illatos esse, exinde palam fit, quod apud probatæ fidei scriptores legitur, captivorum quoque bona fisco alias adscribenda, ipsi Duci propria concessa esse. Legere etiam est, Burchardum pro captivis Ducibus apud Regem deprecatum, repulsam tulisse, eosque tandem anno DCCCCXVII. die XXV. Januarii apud pagum Sueviæ Andigenam jugulatos fuisse. Atque utinam non ulterius sæviisset Conradi Regis ira, nec anno insequente Palatium illud Bodamum, tot Cæsarum totque Ducum domicilio nobilitatum, in ipsa ora Bodamici lacus situm destruxisset, cum id odio esset Sangallensibus suis, quod in eo quondam captivus egisset S. Othmarus, & recens inde gravissima inter Duces & Episcopum orta esset contentio. Quo de pluribus legi possunt Ekkehardus *de Casibus Monasterii S. Galli cap. I.* Stumpfius *lib. IV.* Crusius *Annalium Suevic. p. II, lib. II. cap. III. VII. & VIII.* & Bucelinus *in Chronicis suis.*

§. VII. Simulac autem novum & bellica virtute præstantissimum rectorem accepit Alemannia, Ungari rediere, & ipso anno DCCCCXVII. omnem ferme Sueviam, quocunque eam pervadere licuit, impune devastarunt. Videantur ex junioribus Crusii *Annales Suevici p. II. lib. II. cap. VIII.* & Bonfinii *Rerum Ungaricarum Decadis I. lib. X.* Neque tamen est, quod primam cladem vel negligentiæ vel desidiæ Ducis adscribas. Fortis enim ille heros erat, & virtutis haud spernenda specimina posterioribus annis edidit. Quamobrem illam turbatis, & irruptione hostium inopinata consternatis Suevorum animis tribuendam esse censemus, queis certe omnis in pedibus salus erat, cum de hostili Ungarorum agmine fama esset, ex quo deinde fortassis factum, ut ne vel cohortante Duce ad vim vi repellendam erectus fuerit animus.

§. VIII. Cæterum sub auspiciis Conradi, loca quædam & oppida frequentiora, Comitatus etiam nonnulli haud levia habuere incrementa, ipsi inprimis, quos ipse Rex præ reliquis in oculis tulit. Fuere inter oppida ad lacum Bodamicum Constantia & Sangallum, quorum Cœnobia (ut habent *Chronica*) plurimum ditavit: Episcopatum etiam Constantiensem, adjectis ditioni ejus plurimis pagis castellisque, quæ prius Ducibus Alemanniæ & sub illis Comitibus Turgoviensis Pagi paruerant, locupletavit. Inter Comites ad eundem lacum, Buchorniensis ac Brigantinus felicissimi fuere. Et ille quidem Ducatu auctus est, hic autem non solum, quem Brigantini Comites a Caroli M. temporibus inde habuere, terræ tractum jam hæreditarium accepit, sed & Lindavia insula & oppidum fisco regio exemta, ei concessa est. Neque tamen illa translatione quicquam detractum, sed potius largifluas fortunæ accessiones Lindaviæ factas credimus, idque colligimus ex ista, quæ seculo subsequente undecimo est insecuta, urbis libertate & redemtione. Quod si enim Lindavienses non antea libertate majore donati fuissent, atque sub Carolingis Imperatoribus usi essent, vix foret credibile, tam vili pretio semet ipsos in tantam libertatem asserere potuisse, ut nulli nec Fiscali nec Comiti paruissent, sed immediatam Imperii tutelam expetere, seque reliquis Imperii civibus & opibus & juribus æquare valuissent. Indicio certe hoc est, mitiori jugo sub Brigantinis Comitibus eos assuetos esse, oppidumque illud saltem usque ad annum DCCCCXLVIII. majore solito fortuna floruisse: Videantur *Opus Apologeticum* B. Heideri diversis in locis, & Conringii *Censura diplomatis cap. XIV.*

CAPUT XI.

DE
STATU LACUS BODAMICI
SUB
HENRICO AUCUPE
ET
OTTONIBUS TRIBUS.

§. I.

Conradus Francus morti vicinus, vocatis in concilium Proceribus, de successore prospicere voluit Germaniæ. Noverat is Eberhardum fratrem sceptris regni temperandis non satis habilem, populoque minus acceptum; contra Henricum Saxonem, Ottonis filium, virtute ac potentia longe prævalentem, quem id propter, tum ipsi fratri, tum ceteris primoribus regni commendavit. Atque is ipse quoque ab excessu Conradi, nemine invito, regni curam suscepit.

§. II.

§. II. Vix tamen unctus in Regem Henricus noster, licitatores capitis habuit atque regni. Inter primos Regi sese opposuerat Præfectus Alemanniæ Burchardus, maxime motus Giselberti Lotharingiorum, & quem paulo ante laudavimus, Eberhardi Franciæ, Ducum, quos tamen Cuno quidam regii generis, cum collectas copias Brisacum prope navibus trajecissent, imparatos aggressus, exercitu in fugam compulso, misere interfecit. Videatur Ekkehardus Junior *de Casibus Monasterii S. Galli*, & Joh. Conradus Dietericus *in Historia Henrici Aucupis.*

§. III. His sublatis, solo cum Burchardo Suevo Regi res erat, sed mox ad deditionem eum compulit. Burchardus enim, quanquam & virtute belli & populum gubernandi peritia plures superabat, cum prudentiore tamen & fortiore bellatore sibi negotium fore sentiens, nihil cunctatus, se suosque in Henrici Regis potestatem dedit.

§. IV. Ceterum hoc ipso tempore Burchardus ad lacum Bodamicum tyrannum sese gessisse fertur, inprimis in monachos monialesque Divitaugienses & Sangallenses sævift, uti Stumpfius testatur. Et ex Augia quidem Heribertum Abbatem, una cum Præposito fratribusque haud paucis expulit, a Sangallensi autem monasterio pecuniæ ingentem summam in militum stipendia poscebat, non aliam ob causam, quam quod Henrico Regi, quem sibi ad Imperium adspiranti adversum noverat, faverent.

§. V. Intestinos tumultus anno DCCCCXXIII. & sequentibus Barbarorum motus excepere. Maximam hi diripuere Germaniæ partem, cum ad omnem omnino Alsatiam, Saxoniam, Germaniamque devastandam adventarent. Et sane non erat locus ab horum injuriis immunis relictus, imo quod stupendum, extremam Germaniæ oram omnem pervasere, ac diram ibidem crudelitatem exercuere, sic ut & littora lacus Bodamici igne ferroque vastarentur. Hinc ad profananda sacra concurrebant hostium agmina, claustra cœnobiorum perfringebant, Constantiam urbem obsidebant, vicos & oppida ex utraque lacus parte solo æquabant, ipsæ demum insulæ deprædationi eorum patuere. Tristis hæc conditio erat lacus Bodamici, & tantum non totius Germaniæ, post tot ac tantas calamitates vix ultra tolerabilis. Interim parum abfuit, quin omne sibi subjecisset Imperium hostis: neque enim vires supererant ex superioribus bellis, nec opes quibus hostium vim avertere potuisset Henricus. At Saxoniam cum intrarent Ungari, contigit quendam ex Principibus eorum capi, vinctumque ad Regem deduci, quem tanti fecerunt hostes, ut magnum auri argentique pondus pro eo offerrent. Rex non aurum sed pacem efflagitans, tandem obtinuit, ut reddito captivo cum aliis muneribus pax ad novennium confirmaretur. Videatur Ekkehardus junior *l. c.* Witekindus *lib. I. Annalium.* Bonfinius *de Rebus Ungaricis.* Stumpfius *lib. IV. c. XXXVI.* & *lib. V. cap. V.* Crusius *Annal. Suevic. p. II. lib. III. c. XI.* Bucelinus & Dietericus *l. c.*

§. VI. Jam non aliam Ungarici hujus belli causam fuisse autumamus, quam quod Henricus, primus post Ludovicum Arnulphi filium tributum, quod quotannis Germania ex pacto solverat, hostibus reddere detrectaret. At certe periculosum erat hostes irritare: namque mox sub exordia belli omnis Germaniæ vis opibus Ungarorum opponebatur, quam si fregissent Barbari, actum fuisset de Imperio Occidentali, cum & externus & internus hostis ancipiti Henricum premerent loco. Sed semoto jugo Ungarorum, Germania

omnis sub tutela Principis & liberatoris sui Henrici per novem annos non parum respiravit.' Queis exactis, postquam Henricus induciis optime usus, in pace continuo de bello Ungarico cogitans, cum ad id omnia bene disposuisset, comitia habuit Hervordiæ anno DCCCCXXXII. in quibus consultatum, quid cum Ungaris agendum post inducias, contra quos unanimi consilio decernitur & paratur bellum.

§. VII. Hæc dum agebantur, Alemanniæ Dux Burchardus, æmulus Imperii, scelere interfectus, Hermanno Franconiæ Dynastæ cessit. Hic, ut erat fidelis in Regem, ita summa cum laude per viginti & quod excedit annos Ducatui Alemannico præfuit, sæpiusque feliciter cum Bodamici lacus accolis & Augustanis colonis Henrico adversus Ungaros & Obotritos militavit. Vide Stumpfii *Chronicon lib. VII. cap. XXV.* & Crusii *Annales Suevicos p. II. lib. III. c. XII.*

§. VIII. Novennio exacto, cum anno DCCCCXXXIV. legatos, qui tributa exigerent, mitterent Ungari, Henricus ea non solum negavit serio, sed & ludibrio ipsos habuit. Hi insigni contumelia irritati, cum innumerabili equitum numero Germaniam inundarunt, ac postquam satis diu Sueviam & utramque Rheni oram libere afflixissent, Thuringiæ & Saxoniæ fines incursarunt, quibus dein parato cum milite Henricus Rex, æger quantumvis & lectica decumbens, occurrit, maximamque eorum stragem fecit. Qua victoria Henricus summam potentiæ virtutisque famam undique diffudit.

§. IX. Haud minori prudentia animique solertia Imperii clavum tenuit Otho filius ejus, a rerum gestarum gloria Magnus postea dictus. Hic, ut erat facilis in omnes Imperii status & ministros, ita inprimis Alemannico Ducatui eundem prospexisse colligimus. Hermanno certe, Sueviæ tunc Duci in omni negotio opitulatus est. Fatale autem hoc erat Brigantino Comitatui, quem fortassis, si non totum, saltem quoad certam partem, sub Conrado Rege sibi Alemanniæque suæ subtractum credebat Hermannus, & ob id sudes in oculis ejus erat, quod nobilis illa circa lacum Bodamicum regio hæreditario jure ipsis Brigantinis Comitibus cessisset, ex qua alias ad fiscum plures rediissent proventus, opesque Ducum multum augeri potuissent. Hæc Hermannus diutius secum meditatus, magnam tandem potentiæ Comitum cladem intulit, ac circa annum DCCCCXLVIII. opibus copiisque Othonis I. sublevatus, Brigantiæ castrum vi armorum oppugnavit, diripuit & solo æquavit: mox etiam Lindaviam urbem succendens, devastavit, damnaque per tot secula vix dum resarcita, civibus attulit. Sed Brigantinis quod intulit detrimentum, brevi post morte luit. Conferantur Hermannus Contractus & Hepidanus in *Chronicis.* Munsterus *in Cosmographia lib. III.* Stumpfius *lib. IV.* Gulerus *lib. VIII. Chronici Rhætiensis.* Conringius *in Censura Diplomatis cap. XIII.* & maxime Reverendus Dn. D. Præses *in Historia Lindaviensi MS.*

§. X. Tristibus itaque casibus defunctam Lindaviam urbem, ex insula, in qua hactenus sita fuit, in continens transferri oportuit, quo ibi facilius refloresceret. Et sane per plures annos eximia felicitate usa, seculo subsequente resurrexit, quamvis qua occasione hac fuerit potita, vel torpor scriptorum ejus ævi vel temporum injuria nos sinat ignorare. Vero tamen putamus simile, crebra potissimum commercia decus ei ac robur conciliasse. Inter hæc varia fortuna reliquas circa Bodamicum lacum urbes fruitas esse, quis dubitabit? Et certum est, plerisque meliorem sortem atque Lindaviæ, & quod proximum

ei

ei erat, Brigantio affulsisse. Sane si Constantiæ DCCCCXLVIII. ludi illi equestres (Torneamenta vulgo dicuntur) celebrati sunt, facile licet animadvertere, non parum illam floruisse. Verum, quia antiqua horum ludorum historia (certe quantum Rixneriana fide nititur, multis est involuta fabulis) non est, cur huic rationi inhæreamus unice.


§. XI. Post hæc novi Ungarorum motus totius lacus Bodamici accolis terrorem incusserant ingentem; cumprimis autem monachis Sangallensibus, sed ipse terror eximia Sangallo oppido munimenta dedit. Namque Abbas monasterium cum adsitis domiciliis omnibus mœnibus turribusque circumdedit, & fossis amplis, qua fieri potuit, munivit.

§. XII. Vix ac ne vix quidem monachi cellulas suas cinxere muris, cum clangor tubarum armaque Ungarorum omnem iterum replevere Germaniam, & quidem ipsis illis, qui paulo ante fideles se Regi simulabant, Heroldo scilicet, Salisburgensi Episcopo & Conrado, genero Regis, ducentibus, omnem Bajoariam misere devastarunt, transitoque Danubio Sueviam Franconiamque magno cum furoris impetu majoreque impietate egerunt in prædam, ac denique Nemetum Vangionumque agros, imo ipsam Lotharingiam ferro flammaque consumsere. Inde ab occasu orientem versus rediere Ungari, ipsamque Vindelicorum Augustam petiere, quo infinitas opes ex vicinis agris oppidisve congestas credebant. Et certe in hac urbe omnis belli fortuna sita videbatur. Hanc enim, si diripuere licuisset, una omnes Imperii vires coucidissent. Otho autem Imperator oblitus laborum, quibus paulo ante perfunctus erat, ad primum nuncium, quot potuit, e Saxonibus suis coegit, & cum iis in hostem concitatis equis profectus, castra posuit in confiniis obsessæ Augustæ. Ibi cum plures auxiliares copiæ sese illis jungerent, ac ipse transfuga Conradus cum copiis suis in castra rediret, milites, pace invicem data & accepta; erectis signis processere e castris, & licet primo minus prospere pugnarent, tribusque legionibus fusis, Ungari sarcinas omnes diriperent, plurimis Germanorum captis, belli tamen alea brevi conversa, Conradus, qui quartæ legioni præerat, cuneo hostili turbato, non solum spolia manibus eripuit, sed & captivos, quos habuere extorsit. Hisce Otho auditis, ipse quoque fortissimi militis & optimi Ducis officium faciens, primus equum in hostes vertit, ad exemplum Regis reliqua manus in hostem ruit, & agmen ejus, quod audacius primo resistebat, sed mox, ubi socii profugere, inclinabat, gravissima partim cæde prostravit, partim in effusissimam fugam conjecit. Qua pugna Otho multo gloriosior factus est. Neque enim quisquam ex omnibus Regibus & Imperatoribus, qui intra ducentos annos floruerant, tanta victoria creditur potitus. Ita quoque isto prælio vires Ungarorum debilitatæ, ut posthæc Germaniam non amplius invadere sustinerent. Conferantur præter laudatos Annalium Scriptores, Lambertus Schafnaburgensis, Marianus Scotus, Abbas Urspergensis, Sigebertus Gemblacensis, Otho Frisingensis, *in Chronicis suis*. Vir Illustris Marcus Velserus *in Annotationibus ad vitam Udalrici Episcopi Augustani* refert, Othonem I. textoribus Augustanis ob res contra Ungaros fortiter hoc prælio gestas, insignia luteo & rubro distincta clementissime indulsisse, imo quod potioris momenti esse videtur, Augustanis civibus post feliciter devictos hostes pomæria urbis proferendi potestas facta est: cujus rei etiam meminit Crusius *Annal. Suevic. p. II. lib. IV. cap. VIII.* ut & laudatus Dn. Præses *in Historia Augustana MS.* quo opere non parum nos in hac scriptione adjutos, libenter profitemur.

§. XIII. Pace recuperata Otho Imperator multa in Imperio feliciter ordinavit & immutavit, inprimis autem Christianæ Ecclesiæ curam gessit, ut ex inferius dictis patebit. Sed de rebus politicis brevibus prius disquirendum. Laudabile omnino est, quod & in his Otho Henrici parentis exemplum imitatus, in pace de bello cogitarit. Docent hoc munimenta variis in Germaniæ urbibus ejus nutu extructa. Ipse lacus Bodamicus testis est, quippe qui vel in hodiernum diem ad extremas oras, qua Rhenus suo alveo delabi incipit, castellum haud vulgare, quod incolæ *Steinium* dicunt, ostentat. Hoc sane non alii atque Imperatori Othoni fundamenta sua debet, hujus enim jussu Burchardus Sueviæ Dux illud extrui fecit, quo exinde hostes, & a Veneto lacu, & a littore Rheni, imo ab omni Alemannia arceret, teste Stumpfio *in Chronico Helvetico.*

§. XIV. Præter hæc multis aliis bene ordinatis, quæ ad divinum cultum & Ecclesiæ incrementa faciebant, sedulus curavit singula, quæ his obesse videbantur, amovit, omniaque sic composuit, ut non contemnendos successus Christiana religio sperare posset. Notum est, quid, cum circa lacum Bodamicum monasteria inviseret, in cœnobiis Augiensi & Sangallensi cum Abbatibus monachisque actum, quos fama ferebat licentius, quam decuit Clerum, cum monialibus vixisse. Scilicet, abdicatis illis alios substituit, ac facile reperias, quos vel exilio vel morte multarit. Non otiosos non luxuriosos toleravit, sed expulit omnes & aqua & igne eis interdixit. Confer, quæ de his Stumpfius Crusius aliique variis in locis retulere.

§. XV. Episcopi interea aliique Ecclesiarum antistites, quorum antecessores pridem in civilibus negotiis occupati, dominium in ipsos subditos, quæque eo pertinebant rerum emolumenta, facile sunt consecuti. Unde factum, ut eo tandem amplitudo bonorum Ecclesiasticorum Præsulumque potentia excresceret, ut regna religioni jungerent, Imperiique membra constitui, & præ Principibus honorari amarent, imo quod in horum detrimentum vergebat non modicum, integræ urbes, arces, Ducatus & Marchiæ, ac multa quæ Imperio propria, ipsis dicata sunt, ita quidem, ut vel in præsentem diem seculares quidam Principes ab ipsis Monachis dependeant, eorumque imperia ut vasalli exequantur. Non alibi exempla quæreremus, sed ex ipsius lacus Bodamici accolis advocaremus, si instituti ratio prolixiores esse pateretur. Legendos interim censeo Joachimum Vadianum *Lib. II. de Collegiis & Monasteriis Germ.* & Dietericum *in Othonibus tribus.* His enim imperantibus, etiam Conringio teste *in Dissertatione de Ducibus & Comitibus Germaniæ*, plerique Episcoporum castra urbes & Comitatus suos nacti sunt.



CAPUT

CAPUT XII.

DE

STATU LACUS BODAMICI.

SUB

HENRICO II. CONRADO SALICO, HENRICIS III. IV. V.

§. I.

Nondum variis turbarum fluctibus jactari destitit omnis circa lacum Bodamicum regio cum universa Alemannia. Duces tyranni varios subinde excitavere motus & cumprimis in ipsos Imperatores sæviere. Hermannus Sueviæ Dux primus potentiam & imperium Henrici II. perosum habuit, regnique cupiditate accensus agitatum scelus exequuturus Suevos coegit, & cum ipsis Argentoratum, quam partes Regis adversarii tueri sentiebat, diripuit, vastavitque, ratus eo ipso vires laudati Regis non solum multum infractum, sed & suas auctum iri. At enim hoc ipso ruinæ rerum subdidit capita Suevorum, omniumque opes in perniciem traxit. Namque simul ac regione sua exierat Hermannus, Rex eam invadens, depopulando agro ad lacum Bodamicum usque pervenit, & in diviti Augia commoratus est, cumque inde ad pugnam ab Hermanno provocatus descendisset, hic spes illic metus militarem Ducis animum versabant, ut tandem veritus ne impar futurus esset, pugnæ discrimen detrectaret. Rex, uti sese frustratum ab Hermanno vidit, Argentoratensem cladem ulturus, Constantiam ad lacum Bodamicum, aliasque urbes (hæ non tam ut obsequium Duci præstarent, cujus imperia non agnoscebant, quam ne deferendo fortunam Ducis in futurum sibi minus bene consulerent, partibus ipsius sese addicebant) variis in locis succendens, deprædationi militum reliquit. Dirutis itaque munimentis Ducis Alemannici in Franconiam secessit, ubi (ut habet Aventinus) supplici Duci gratiam fecit. Conferantur *Annales* toties laudati variorum auctorum.

§. II. Posthæc non ita multo decessit Hermannus, cognomini filio puero Ducatum Alemannicum relinquens. Sed ne hic quidem diu superstes fuit, namque a morte patris anno octavo naturæ concessit. Jamque ad Ernestum anno MXII. Ducis dignitas pervenit, qui tamen anno tertio regiminis occubuit, telis in venatione percussus. Reliquit is duos filios, quorum major Ernestus Alemanniæ curam suscepit, feliciterque absque ullis æmulis per plures annos gessit. Et sane mirum est, Sueviam, alias sorti adversæ nimis destinatam, hoc tempore bellicis motibus non fuisse obnoxiam. Hac autem felicitate quin & lacus noster Bodamicus fuerit usus, nulli dubitamus. Atque utinam ea perpetua frui licuisset! sed convulsa est omnis potestas & majestas Alemanniæ, & intestinis dissidiis quassata prope corruit, quamprimum post Henrici II. obitum per biennium discordantium Principum sententiæ in Conradum Salicum consenserunt, ad eumque cura Imperii paucis omnino reluctantibus delata est. Conradus, postquam curiam disposuisset, singu-

singulas transiit regni Germanici provincias, easque pacis fœdere regiaque auctoritate multum roboravit. Lacus nostri Bodamici oras primi regni suo anno invisens, Constantiæ Pentecostalia celebravit. Conventum quoque ibidem habuit regalem, & plerosque Italiæ legatos benigne excipiens, eo spem sibi fecit de occupando regno Italiæ. Ordinata deinde Suevia abiit, & ad Turcicum castrum porrexit, ibique Italos nonnullos, qui in Constantiensi placito comparere non potuerunt, in fidem recepit. Hinc Basileam progressus, eam invito licet Rudolpho Burgundionum Rege subjugavit. Inde reversus per Rhenum in Saxoniam devenit, ibique se ad iter Italicum comparavit.

§. III. Hæc dum agebantur, varii Principum Imperii motus gliscebant. Aspernabantur imperia Conradi Regis Ernestus Alemanniæ, Conradus Franconiæ, Fridericus Lotharingiæ Duces, cum nonnullis aliis. Hinc secreta iniere consilia, copiasque quibus præerant prohibuere, quo minus in Italiam Regem sequerentur, castris etiam terras suas adversus dubios casus cinxere. Verum Rex parvi eos pendens, minas intentavit, nec ab itinere ad sedandos intestinos tegni motus est aversus. Quamobrem Ernestus Dux minas Regis non sustinens, castra ejus Augustam usque secutus, veniam delicti supplex petiit, neque tamen impetrasset, nisi Gisela conjux Regis, eademque mater Ernesti, ejusque frater uterinus Henricus parvulus quidem, sed jamjam in Regem coronandus, pro eo deprecati fuissent. Ita receptus in gratiam, castra Regis sequebatur. Postquam enim aliquandiu Regi in Italia militasset, Abbatiam Campidonensem in beneficium accepit, sicque non parum honoratus in patriam rediit.

§. IV. At enim nec hæc subdolum Ernesti Ducis animum ad frugem revocare potuerunt. Conradus tamen securus, felicia quæ intulerat Italiæ arma prosequi omni studio nitebatur, donec de Ernesti aliorumque Principum moliminibus certior fieret. Et sane non alias magis ora Bodamici lacus pressa est, quam dum Rex a Germania aberat. Ipsi enim accolæ Comites nonnulli cum Ernesto Duce novam societatem inierant, & jamjam pugnaturi adversus regios profecti erant. Primus Altorfensis ex nobilissima illa Welphorum familia oriundus, militem Augustæ urbi totius Sueviæ splendidissimæ admovit, & post varios conflictus misere eam cum omni vicina regione devastavit & diripuit. Ipse Ernestus varie omnem terram, quæ Regi parebat, depopulatus, cumprimis Alsaticos & Burgundiones afflixit, undique munimenta extruens, queis eos, qui jugum recusarent, ad officium redigeret. Et sane parum aberat, quin omnem Burgundiam sibi subjecisset, nisi Rudolphus Rex Burgundus eum expulisset, gratiam Conradi Regis initurus. Reversus igitur inde Ernestus forte ad Bodamicum lacum delapsus, & Augiensem & Sangallensem Abbatias nimium distraxit, aliasque ad lacum Bodamicum arces & oppida infestavit, nec prius destitit a turbis, quam Conradus ex Italia reversus gravissimis eum coerceret pœnis. Nam is Italia pacata in Alemanniam regressus, Augustæ Vindelicorum, quæ paulo ante tristi fato pene extincta erat, comitia habuit, quibus in Welpho Comes damna, quæ dederat principi huic urbi, resarcire est coactus. Inde Ulmam conversus novum ibi instituit conventum, Ernestumque Ducem, qui hostili animo comparuerat, desertum a suis in custodiam tradidit militibus, & in Saxoniæ castro Gibichsteinio, quod Hallensi urbi incumbit, jussit asservari.

§. V. Per biennium ibidem detentus Ernestus denique Ducatum recepit. Quoniam autem ex tenore pacti Wehelonem, Comitem Kyburgensem, qui

qui in plerisque factionibus suasor ipsi extiterat ac adjutor deserere noluit, Conradus ira accensus a Ducatu ipsum semovit, eundemque fratri ejus Hermanno contulit. Ipse Ernestus cum paucis se subduxit, cumque diu animo pensitasset, quomodo Conrado noceret, tandem ad Othonem Franciæ Comitem pervenit. At hic nihil adversus Regem ausus, suppetias ei denegavit. Igitur desperatis rebus denuo Alemanniam ingressus, post in Sylva Nigra rapto vivere assuevit. De his certior factus Conradus, Ernestum in tantas angustias redegit, ut absque vitæ periculo evadere non posset. Et vero adduxerat Manegoldus Comes gregarios quosdam, qui cæteroquin in Augia divite, Constantiæ aliisque in urbibus ejus oræ excubias agebant, quorum manu circumventus Ernestus acerrimo in conflictu una cum milite suo Wehelone periit, quamvis & Manegoldus cum pluribus regiis occumberet. Corpus Ernesti Constantiæ, Manegoldi in Augia terræ condita sunt. Conferantur Hermannus Contractus *in Chronico.* Wippo *in Vita Conradi Salici.* Stumpfius *lib. IV. cap. XI.* Mutius *in Chronico Germaniæ.* Carionis *Chronicon lib. IV.* Bucelinus *in Chronico Constantiensi* & alii.

§. VI. Post hæc Hermannus Sueviæ Dux, Ernesti frater non diu superstes fuit, sed mox anno MXXXVIII. obiit, Ducatum vero Alemannicum vivo adhuc Conrado Imperatore Henrico filio, Regi reliquit. Hic anno sequenti Conrado mortuo in Imperio successit. Anno ML. primum lacum Bodamicum navigasse legitur, & Constantiæ Christi Natalitia celebrasse; inde in Augiam divitem trajecisse, & cum Abbate Brunone aliisque ejusdem insulæ monachis nimium familiariter vixisse. Triennio elapso res memoratu digna Constantiæ contigit. Comitia scilicet ibi habuit Henricus. Rerum, de quibus ibi actum, non postrema fuit, pax illa Suevica, Constantiæ tum sancita, qua omnium Principum Statuumque Imperii ordines novo Regi conciliati sunt, quiesque singulis Provinciis reddita. Et sane merito pax illa inter præcipua felicitatis Sueviæ exempla refertur, oraque totius lacus Bodamici sibi de ea gratulatur. Confer laudatos auctores. Anno MLI. Henricum Lindaviam quoque & Buchornam visitasse, credibile est. Id certum, quod cum eodem ferme tempore & Lindaviensis & Buchauiensis Abbatissæ decessissent, utrique loco nobilem, prudentem & religiosam viduam Ivotam nomine præfecerit. Confer Hermanni *Chronicon ad annum* MLI. Munsterum *lib. III. Cosmogr.* Stumpfium *lib. IV. cap. XLI.* & *lib. V. cap. XXIII.*

§. VII. Henricum IV. nunc series annorum nobis Regem ac Imperatorem sistit, magnitudine animi, rebus gestis, in maxima rerum vicissitudine & periculis pro publica salute susceptis, constantia, cum paucis mortalium comparandum; ceterum omnino maximum turbatæ reipublicæ exemplum. Omnis certe Germania nullius sub imperio majoribus motibus immersa est, & vix ullus Imperii tractus fuit, qui iniquiorem ætatem unquam incurrerit. Administrationi autem Henrici an hæc tribuenda, an vero seditiosis hominum inquietorum studiis nunc non definimus. Nam licet per plura secula varie agitata fuerit quæstio, nondum tamen omnibus de vero convenit. Supra plures autem vitæ gestorumque Henricianorum scriptores dignissima utique lectu est *Dissertatio*, quam anno MDCLXXX. de Henrico IV. conscripsit Excellentissimus Dn. D. Georgius Schubartus, inclytæ hujus Salanæ Professor, optime de juventute ac universa Republica literaria meritus.

§. VIII. Ad Bodamicas res quod attinet, facile colligere est, his turbis fuisse involutas. Ducatum Alemannicum sub Henrico IV. Rudolphus,

Rheinfeldensis Comes tenuit, æmulumque habuit Berchtoldum Zæringensem Comitem, quem Henrici IV. parens annulo dato Ducatui destinarat, sed frustra: occupavit enim eum Rudolphus, nemine prorsus renuente, quam primum Otho Dux decessit, filiamque Regis Mechtildam matrimonio sibi junxit. Gravissimi hoc ipso concitati sunt motus, nec prius placari potuit Berchtoldus, quam Carinthiæ Ducatum impetraret.

§. IX. Nondum sedati erant animi Principum civilium, cum etiam inter ipsos Clericos circa lacum Bodamicum, speciatim inter Rumoldum Episcopum Constantiensem & Abbatem divitis Augiæ obtentu privilegiorum, quæ Henricus Imperator annis superioribus Augiensi Ecclesiæ, cum Augiam ipse invisisset, concesserat, magna suborta est discordia, quæ frustra aliquoties composita, tandem vero cum morte Episcopi extincta est, ex quo Abbas suis lætari habuit privilegiis. Confer *Chronicon* Hermanni & *Constantiense* ex editione Pistorii, Stumpfii etiam *Chronicon*.

§. X. Jam Alemannia pereundi perdendique libidine tota quasi exæstuabat. Primum erat Saxonicum bellum, cujus eventus dubius primo prælio constitit, quo in Rhæti Suevique in paucis virtute eminuere, quorum aciem Rudolphus Dux instruxerat. Jam verosimile est, huic adfuisse multos Helveticæ Alemanniæ littorumque lacus Bodamici incolas, quorum magna pars ab omni ætate Rhætis, maxima vero Suevis populis est accensa. Nimiam autem Henrici Regis in auctores belli Saxonici conceptam iram, qua vel excidium illorum vel translationem in alias terras Caroli M. exemplo molitus est, non probarunt Imperii Principes, unde etiam perosi illum deseruere, remque omnem Hildebrando Papæ commisere. Sed hoc ipso ansa data est Pontifici Romano, qui collum regio jugo subtraheret. Seditiosos enim ubi vidit Imperii Status, eos ulterius adversus Henricum irritare est conatus. Nec fefellit eum opinio, namque simul ac Imperatorem diris insecutus ex Ecclesia proscripsit, Principum animos ab eo abalienavit, & instinctu Saxoniæ Procerum Rudolphum Sueviæ Ducem ut deligerent, petiit, coronam auream ad eundem perferri curans, cui erat inscriptum: *Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.* Fertur equidem, Rudolphum iniquos Imperii fasces primo abhorruisse, variis tamen compulsum Episcoporum rationibus, tandem titulum Regis Forchemii anno MLXVIII. suscepisse. Sed si ulla unquam bellorum immanitas fuit, certe hoc ipsum temporis momentum exemplar stupendum stitit. Rudolphus, absente e Germania Henrico, & in Italiam veniæ impetrandæ ergo profecto, Imperium, quanta potuit vi, invasit. Jungebant Rudolpho vires suas plures Imperii Principes. Soli, qui ad Rhenum habitabant, & Franci germani scelestum facinus sunt detestati, ipse etiam Otho Constantiensis Episcopus, Henrici partes pro viribus tuitus est, sed & primus sævitiam Rudolphi sensit. Simul ac enim hic Moguntia expulsus, ad Augiam Bodamici lacus est delapsus, istaque subacta Constantiam ipsam oppugnavit, & Othonem Henrici studiosum exinde exulare fecit. Henricus Imperator interea cum Hildebrando Papa in gratiam redierat, ac Roma profectus Germaniam repetiit, cumque omnem prope Alemanniam cum reliquis regionibus adversantem sibi reperiret, Rudolphum, quanta potuit celeritate insecutus, eum in castello Sueviæ Sigmaringa obsessum tenuit, ac fuga elapsum in Saxoniam compulit. Alsatiam deinde & Brisgoviam petiit, easque ad obsequium redegit. Varia postea circa lacum Bodamicum ordinavit, Abbatemque cœnobio Sangallensi dedit Ulricum, Carinthiæ Ducem, Lutoldo, quem adversarius Rudolphus constituerat, deposito. Exinde igitur turbæ gravissimæ sunt excitatæ, ac uterque, cum Augiæ Abbas, qui

qui Rudolphi rebus ſtudebat, tum Sangallenſis noviter conſtitutus, magnam & populi & bonorum jacturam fecerunt.

§. XI. Has Clericorum turbas excepere bellorum per omnem Alemanniam rumores. Henricus enim, cum Rudolphi copias ad Nicrum profligaſſet & in Saxoniam conjeciſſet, Suevis ipſi ulterius reluctantibus, ingenti cum exercitu regionem illorum irruit, cunctaque igne ferroque miſere devaſtavit & diripuit, ita quidem ut denique nec una (uti vel vere ſcribunt vel nimium rem exaggerant) bovis ungula, quæ terram ſulcaret, ſuperſtes maneret, ipſi autem homines manus aratro admoverent. Conferantur *Chronica* Hermanni, Carionis, Mutii, Uſpergenſis, Stumpfii, Bucelini aliorumque ad annum MLXXVIII.

§. XII. Nunquam triſtiori ſorti implicita eſt omnis circa Acronium lacum regio, quam ſequenti anno, quo hoſtes ancipiti loco caſtella ejus oppugnavere. Ab ortu Bavariæ Dux Welpho, a meridie autem & ſeptentrione Sangallenſis Abbas Ulricus littora vaſtabant. Ille Rudolpho Regi fidelis Rhætiam aggreſſus, ad Sangallum usque miſere omnem terram eſt depopulatus. Hic contra Rudolphi partes averſatus, cum ſubditis ſuis contra Rudolphinos profectus, primo Marckdorfium caſtellum boream verſus prope ad Acronium lacum adſitum, dein Brigantium oppidum expugnavit & deſtruxit. Paulo poſt Hartmannum Kyburgenſem Comitem, expugnatis ejusdem in Turgovia caſtris debellavit, ſed uti fortuna nunquam ſimpliciter indulget, ita etiam Ulricus varietate ejus jactatus, damna quæ aliis intulit, in propriis facultatibus luit. Ekkehardus enim Abbatia Augienſi exutus, alienigenis ſtipatus militibus Ulricum non ſolum Augia ſua, quam non ita pridem beneficio Heinrici occuparat, expulit, ſed & Abbatiam Sangallenſem quaternis vicibus oppugnatam igne ferroque infeſtavit, ipſum inde ejicere conatus. Dedit hæc Clericorum diſcordia Berneccio arci ad margines lacus Brigantini olim munitiſſimæ ſuos natales. Ekkehardus enim, quam primum Sangallenſem Abbatem Ulricum ſemet armare vidit, caſtello hoc ſe munivit, ratus exinde illum ab Abbatia ſua arceri poſſe. Sed parvi pendens hos conatus Abbas fretus auxilio Henrici Imperatoris (qui interea Rudolphinas copias variis prœliis fatigavit, vicit & profligavit, ipſo Rudolpho æmulo & hoſte ſublato) Berneccium caſtellum obſedit & expugnavit, eoque deſtructo Sangallenſem Abbatiam recepit.

§. XIII. Vices Rudolphi interfecti Henricus Cæſar Friderico Stauffenſi detulit, ita quidem ut Ducatum ipſi ejusque poſteris hæreditarium relinqueret, idem etiam de aliis Comitatibus factum, cumprimis quorum rectores ſibi fideles cognoverat Cæſar. Friderici Ducis regimen primo non adeo fauſtum fuit, nam vix anno MLXXXII. cum Hermannus Lotharingo-Lützelburgicus a ſeditioſis Saxonibus in Regem creatus erat adverſus Henricum IV. graviſſimo ad Danubium prælio ab eo victus eſt, poſtea ad lacum Bodamicum delapſus denuo hoſtes in Sangallenſem Abbatem concitavit. Hic tamen variis prœliis ſuperior hoſtes ſubinde repulit, usque dum anno MLXXXIV. Berchtoldus Zæringenſis Marchio junctis cum Augienſi Abbate viribus, ita omnem lacus oram a Brigantia ad Conſtantiam usque obſedit, ut nemo ſecurus regionem peragrare poſſet, imo utriusque Epiſcopi Conſtantienſis & Abbatis Sangallenſis ditionem miſere diripuit. Paulo poſt illata ſibi damna reſarciturus Sangallenſis Abbas omnem lacus oram ad Bodamum arcem usque delevit. Confer *Chronica* hactenus

ctenus laudata. His igitur fatis defuncta omnis circa Acronium lacum regio meliorem sortem sperare prius non debuit, quam Henricis Imperatoribus vita defunctis, regia ac Imperatoria majestas ad ipsos Sueviæ Duces maxime tum potentes est delata.

CAPUT XIII.

DE

STATU LACUS BODAMICI

SUB

RELIQUIS REGIBUS

ATQUE

IMPERATORIBUS

USQUE AD

RUDOLPHUM HABSBURGICUM.

§. I.

IMperium Germanicum artibus hactenus & ambitione Pontificum Romanorum convulsum & dilaceratum, postquam Lotharius (sic pro Ludero vel Luthero appellari maluit) cujus corona fere ex summi Pontificis nutu pependerat, decessisset, virtute & industria Officialium Imperii & Electorum in Reges Suevorum Ducum non nihil refloruit. Hic autem statim observamus, una cum Suevicis illis Regibus immutatum esse statum regni Germanici, majoremque vim electionis, quam sanguinis obtinuisse. Quam autem insigni astutia Pontifices Romani hoc electionis jus Principibus Imperii assertum vindicatumque sint insectati, perplura subinde inter Imperii Principes accensa ab iis dissidia ostendunt, quas tamen technas Deus ita confudit, ut isto suo jure inconcusso omnes primum Status, post gravissimus Electorum Senatus usque ad tempora Invictissimi nostri Leopoldi ejusque filii, novi Romanorum Regis Josephi (quos Deus servet!) fuerint usi.

§. II. Primus inter Suevos ad regale solium qui sic evectus, Conradus III. erat, Sueviæ Dux, strenuus ac fortis bellator, exindeque omnibus præter Henricum Bavariæ Ducem cognomine Superbum probatus. Hic enim confisus viribus suis, studiis item & favore Saxonum sublevatus, Imperium certo sibi despondérat. Ut autem se deceptum sensit, Sueviæ metropolin Augustam, qua in Conradus pro tempore resederat, ingenti exercitu obsedit, ac quando

quando convenire cum Conrado, ad pugnæ discrimen minus parato, detrectaret, proscriptus brevi post in Saxonia, sive veneno sive quo alio morbo repentino exstinctus, ad latus Lotharii soceri in æde Regio-Lutterana sepultus est.

§. III. Ad Bodamicum Lacum Zæringensis Comes Berchtoldus Sueviæ Ducem oppugnabat. Fridericus autem Friderico Unoculo, qui frater erat Conradi Regis, natus (a rubore barbæ Italis Barbarossa dicebatur) adversus eum profectus, primo belli impetu eximium Alemanniæ oppidum Turegum, cujus præturam sibi Zæringensis vendicarat, cepit, præsidiisque ibidem collocatis, stipatus magna militum manu ad ultimos Alemanniæ limites processit, summe validum castrum Ducis Zæringen dictum expugnavit, eoque potentem alioquin Germaniæ Comitem, Berchtoldum illum, in tantas redegit angustias, ut supplex pacem petere compelleretur. Hæc gesta juvene Friderico, ex quo, quid olim foret acturus, dabatur colligere. Videatur Otho Frisingensis *Lib. I. de rebus gestis Friderici I.* & ex recentioribus Stumpfius *Lib. IV. cap. XLVI. & Lib. VI. c. IV.*

§. IV. Tanta autem omnium de Friderico fuit opinio, ut ipse etiam Conradus moriturus suo suffragio successorem eum destinaret, quod προβούλευμα reliqui Principes amplexi, uno omnes consensu imperium ad ipsum detulerunt. Hic autem nihil habuit prius, quam ut domi pacem & quietem constitueret, qua omnino ad sananda & solidanda vulnera, quæ priora bella Henricorum regno & Imperio inflixerant, opus esse existimabat. Unde nec legimus ullum majus, præter id, quo Henricum Leonem, fortissimum alias Bajoariæ & Saxoniæ Ducem ad officium redegit, intra Germaniam bellum sub ipsius auspiciis susceptum. Quies undiquaque erat, & si forte motus videbantur orituri, mox comitiis indictis Fridericus in ipsa herba suppressit, prout etiam anno MLXXXIII. Constantiæ ad lacum Bodamicum istiusmodi ἀμνηστεία sancita effecit, ut etiam exterorum Principum animi mutua benevolentia coalescerent, prout legere est apud Stumpfium & Bucelinum *in Chronicis.*

§. V. Neque vero & ipsis Henrico VI. & Philippo filiis Friderici I. pacis studium adeo exosum fuisse credimus, modo Papales iræ Imperii sceptra non agitassent, atque Othonem IV. Henrici Leonis filium Philippo opposuissent. Neque tamen adeo Alemanniæ quies turbata est, ne eximiis suis incrementis ocioque a Suevis Imperatoribus dato uti licuisset, usque dum tandem Philippo sica Othonis Wittelspachii peremto, Otho laudatus Princeps ex pacto, quod cum Philippo & Proceribus Imperii fecerat, in solium est evectus. Hic enim quamvis omni nisu eo laborarit, ut ubique pacem atque tranquillitatem servaret, nec quicquam temere aut inconsulto faciens, prohibere tamen non potuit, quin sub auspiciis suis Principes quidam utriusque ordinis ad margines Bodamici lacus Patriæ quietem turbarent, ac funestis præliis in propria sævirent viscera. Auctores motuum erant Wernerus Episcopus Constantiensis, & Abbas Sangallensis Ulricus, quorum odiis ansam dederat Reineccium castellum, quo de diu inter illos varia fortuna disceptatum, usque dum Otho Imperator castellum una cum advocatia Sangallensi, ad quam paulo ante frustra aspirarat Zæringensis Comes, in peculium regni vindicaret.

§. VI. Hæc Othonis gesta plerisque Principibus exosa, accedentibus etiam caussis aliis, Pontifex Rom. ipse damnans, anathematis fulmine ipsum perculit, & ut sacris abstento Imperium abrogarent Principes, perfecit. Stabant quidem nonnulli a partibus Imperatoris, sed vim adversantium non sustinere,

 nuere,

nuere, unde nec impedire poterant, quo minus Fridericus Rex Siciliæ, Sueviæque Dux, Henrici VI. filius, anno MCCXII. adversus Othonem evocaretur. Hic per Alpes egressus in Rhætiam Curiensem venit, inde Sangallum & porro Ulrico Abbate Sangallensi comite Constantiam pervenit. Brevi inde trajectu Uberlingæ cum milite suo Otho Imperator consederat, magnumque pavorem incusserat accolis Bodamici lacus, sic ut inprimis Constantienses Fridericum ægre reciperent, veriti ne imparatum & levi milite stipatum Otho in ipsa Constantia opprimeret. Sed Fridericus collectis Suevis, tantum virium reparavit, ut Othonem facile eluderet, qui cum se imparem videret, Brisacum abiit, ratus inde vim Friderici facile arceri posse, at spe sua frustratus & ab incolis expulsus ad Rheni primum ostia, mox ut manus Friderici effugeret, in Angliam concessit. Hinc fœdere cum cognato Rege pacto rediens, infesta arma Philippo Franciæ Regi socio Friderici Imperatoris intulit, sed gravi victus prælio sceptris se abdicavit, regnumque & Imperium Friderico II. reliquit, donec annorum curarumque satur, in Hartzburgensi montano castro anno MCCXVIII. obdormiret, inque San-Blasiano cathedrali templo Brunsvvici sepeliretur. Conferantur, quæ ab anno MCCXII. ad annum MCCXIV. observavere Carion, Munsterus, Stumpfius, Crusius, Bucelinus & alii.

§. VII. Friderici autem sub auspiciis Sueviam felicissimam fuisse, dicere quid vetat? Non quidem nos fugiunt diræ atque execrationes Tiberinæ, quibus una cum Domino suo variè afflicta fuit, potentissimi tamen Imperatoris favore auxilioque freta facile Pontificibus Romanis illusit, sua interim sorte contenta. Fides, quam Principi suo tum temporis servavit illibatam, est, quæ immunem ab hostili impetu reddidit Alemanniam. Neque enim facile legeris, quod externa vis incolas oppresserit, aut interna multum turbarit, modo exceperis frustraneos illos Episcopi Constantiensis Comitumque Kyburgensis & Tockenburgensis adversus Abbatem Sangallensem conatus, dum in vivis esset Fridericus, quos paucis notavit Stumpfius *Lib. IV. c. L.* Fides est, quæ ab omni tributo, quod Ducibus Comitibusque hactenus plerique solverant, liberavit, & ut non nisi soli Imperatori parerent, effecit. Insigne Imperialis favoris & benevolentiæ documentum Tigurum, Helveticæ Alemanniæ oppidum olim ostentavit, cujus Imperialem præfecturam, quam antea decessores Friderici II. Zæringensi Comiti commisere, exstincta hac familia in Imperii clientelam suscepit, variaque privilegia una cum jure Senatum urbicum eligendi (hæc alias penes collegia duo fuere, quæ ex Francorum ævo ad Suevos usque duraverant) ad cives retulit; queis non multo post cum ipsi Tigurini una cum aliis Imperii urbibus anathemate à Pontifice percuterentur, plura addidit. Suitii etiam Sylvani & Urenses populi fide sua in Imperatorem singularem ejus favorem demeruere, quem etiam Fridericus insigniter anno MCCXL. est contestatus, ubi ipsis vetera libertatis suæ privilegia non solum renovavit, sed & quod rarissimum affectus indicium, Suitios & Urienses liberos & immunes ab omni superiore dominio pronuntiavit. Sunt, qui omnem reliquam Sueviam ab ipso adscriptam & assertam Imperio produnt, quod tamen nobis non videtur verosimile, quia Fridericus universam hanc regionem, quam cum reliquo patrimonio acceperat, ac filiis erat relinquenda, haud facile ducali jugo exemtam unius Imperatoris nutui committere voluisse censendus est. Quid? quod vivo adhuc patre Conradus filius & denique hoc ipso natus Conradus junior (Conradinum vocant Itali) Sueviæ Ducatum sibi vendicarint proprium.

§. VII.

§. VIII. At in Helvetios non modo tam benignus fuit Fridericus, sed ut Crusius testatur, aliæ quoque civitates in clientelam Imperii ab eo sunt receptæ, & has inter Reutlingensis, cujus incolæ in paucis virtute & fide in Fridericum, cum Papæ instinctu Imperium ipsi abrogassent Principes excelluere. Ulma quoque civitas cum Imperatore fecisse fertur, unde etiam factum, ut graviter ab Henrico Thuringiæ Landgravio, qui anno MCCXLV. in Regem Romanorum Francofurti electus erat, obsideretur; quam tamen cives tanta animi fortitudine propugnarunt, ut Henricus infectis rebus discederet, & paulo post domum rediens, sive ex vulnere in obsidione accepto, sive potius profluvio ventris exstinctus Isenaci sepeliretur. Quo de argumento sollicite nuper egit Excell. Præses D. Sagittarius, in Disquisitione Historica de electione ac reliquis Henrici hujus gestis. Columbaria itidem, Kaisersberga, Neoburgum aliæque plures ex pagis & vicis paulatim in urbes excrevisse, posteaque Imperio sese tradidisse, leguntur.

§. IX. Sed nec est, quod omnem Sueviæ felicitatem in unius Friderici II. tempora congeramus. Virtute quidem parta his libertas est, qui Friderici ætatem attigere, decessorum tamen non minor erat felicitas. Recordantur Ulmenses Conradi III. ejusque studia in urbem suam, queis quasi ex cineribus, in quos Lotharius Saxo redegerat, revocavit, eamque regali magnificentia exornavit. Novit Augusta Fridericum I. grataque mente merito ejus colit memoriam, utpote qui civibus præter Episcopi ac Monachorum expectationem majorem in curandis civilibus negotiis, & Republica exornanda libertatem concessetat, eoque ipso Clericorum machinis frenum injecerat. Et quis quæso dubitabit, alias libertate donatas ab imperatoribus urbes. Ipse lacus Bodamicus plures ostendit, quas omnino majoribus Friderici II. regnantibus ad istam libertatem aspirasse, necesse est, cum ipse sæpius a nobis laudatus Stumpfius cives plurium urbium Imperio immediate subjectos a Friderici, utut excommunicati partibus stetisse, imo cum eodem anathematis fulmine percussos esse, memoret. Fuere autem sub Suevis Imperatoribus circa dictum lacum maxime Constantia, Sangallum, Lindavia, queis in sequentibus annis tempore illius interregni & deinceps accessere Scaphusium, quod proxime lacum qua Rhenum amnem in alveum suum emittit, attingit, Uberlinga item & Buchorna urbes hodienum Imperii florentissimæ. Unde autem his aliisque Imperii urbibus libertas quæsita, varii varie enarrant. Quid nobis videatur, uno alterove inciso imonebimus.

§. X. Ad seculum XII. usque a regimine Francorum inde, nihil ferme fuit, quod incrementa paucis admodum, quæ tum extiterunt, urbibus dedisset. Non immunitas incolarum, uti enim sæpius monuimus, magna Germaniæ Alemanniæque pars, donec ad Saxoniæ Principes delatum est Imperium, Fiscalibus, postea plurimæ liberiori potestate usis, Ducibus, Comitibus, Episcopis, Monasteriisque, vel prodiga Cæsarum largitione, vel venditione, vel etiam negligentia suberant, illisque nomine jurisdictionis & onerum fiscalium serviebant, non commerciorum frequentia; vix dum enim exculta natio istiusmodique rebus aptata ingenia, cum Henrici ac Othones regnarent. Imo, ne tum quidem sic satis compositi incolæ, sed longa die instruendi erant. Non denique Illustrium virorum inhabitatio, quorum vita profusior opificum aliorumque ministrantium manus attraxisset, sed posterioribus demum temporibus, cum paulatim numerus urbium increscerct, & commercia magis magisque florere inciperent, singula hæc felicius multo cessisse, ex Historicis collegimus,

gimus. Unde etiam fortuna urbium in aperto est, utpote quæ mercaturæ opificiisque magnam opum & divitiarum partem debeant.

§. XI. Auctis itaque viribus & divitiis oppidanorum in facili ipsis fuit ad libertatem aspirare, cumprimis ubi ipsos Reges ac Imperatores Suevicos in id incumbere sentiebant, tanquam regiæ ac Imperatoriæ dignitati admodum proficuum, ut opulentiores & potentiores urbes Episcoporum, Ducum ac Comitum imperio subducerentur. Præterea crescente indies opulentia civium, Ducum vero ac Comitum potentia quadantenus imminuta, cum ipso eorum imperio rejecta est, indeque a pecuniæ indigis, varia libertatis ac immunitatis privilegia modico sæpius ære subditi redemerunt, imo ubi multum difficultatis Comites dabant, vi sibi vendicarunt, auctoritate Regum ac Imperatorum firmata. Etsi enim & aliæ rationes supersunt singulares, quibus certæ civitates ad illam libertatem pervenere, non permittit tamen institutum, ut de his agamus exquisitius. Et forte Excellentissimus Præses noster D. Sagittarius, qui de plerisque Urbibus Imperii liberis ἀξιομνημόνευτα historica & de nonnullis satis operose collegit & disposuit, brevi, sive conjunctim tomis aliquot de omnibus ac singulis, sive separatim de una atque altera dispiciet, eoque tum ipsas illas civitates & Respublicas tum orbem literarium sibi devinciet.

§. XII. At enim lectori non ingratum erit, puto, si in suavissimæ Patriæ meæ libertatem curatius paulo inquisivero. Lindaviam privilegiis in tanto urbium numero non levissimis hactenus usam esse, nemo fortassis ignorabit. A quo tamen Regum Imperatorumve in ordinem liberarum Imperii urbium sit recepta, si vel maxime ignoraretur, cum aliis florentissimis Rebuspublicis Germaniæ id haberet commune, quæ diuturna possessione gavisæ, plane non habent opus, primum impetratæ libertatis titulum docere. Suffecerit Rudolpum Regem sancte confessum: se jura & libertates civibus Lindaviensibus „ suis & Imperii fidelibus a divæ recordationis Imperatoribus & Regibus suis „ prædecessoribus ipsis traditas & concessas innovare, innovatas hujus majesta„ tis suæ decreti munimine confirmare.“ Quæ verba si nihil aliud hoc sane probant, Lindaviam longe pluribus ante annis & Imperialem dictam, & concessis a decessoribus Rudolphi privilegiis usam, quam ipse in Regem Romanorum fuerit electus. Exhibuit hujus rei documenta certissima B. Helderus *in Opere Apologetico sæpius laudato p. 700.* ubi donationis literas, quibus anno MCCLVIII. vineæ duæ sororibus Conventus, quæ dicebantur **an der Steg/** coram Senatu Urbico in perpetuam possessionem concessæ & confirmatæ sunt. Quæ donatio ratihabita non fuisset, nisi urbs in subditos suos plenario imperio jam tum fuisset usa. Sed quid multum in hoc evincendo laboramus? cum ipsi Cœnobitæ, quia alias omnium maxime urbis libertatem infestarunt, literas Senatus Lindaviensis antiquo sigillo tiliæ subjectæ aquilæ bicipitis anno MCCLXIII. obsignatas, olim in judicio Cæsareo produxerunt, ex quibus omnino clarum est, multis ante Rudolphum annis in urbibus Imperialibus numeratam esse. Nec enim aquilæ bicipitis signum urbi convenire, quæ in Imperium non sit cooptata, ostendit Conringius *in Censura Diplomatis Ludoviciani cap. XIV.*

§. XIV. Friderico II. quando una cum aliis, cives etiam Lindavienses militarunt, optime exin colligitur, nec sub illo in libertatem vindicatos esse, sed ab antecessoribus ejus eo evectus, nunc sua quoque fide & constantia efficere voluisse, ut Imperatorem se esse, ipse etiam Fridericus crederet; quicquid etiam vel Henricus Constantiensis Episcopus vel ipse Pontifex Romanus tenta-

tentaverit, anathematis telo persecutus, quoscunque Friderici partes tueri sentiebat. Quoniam autem præter virtutem vix alia libertatis occasio suboriri potuit, atque summa quæ penes omnes Bodamici lacus accolas erat, commerciorum opportunitas, atque exinde hausta divitiarum copia, credibile est, eximia hac sua forte usos Lindavienses, & uti alii plures, Regum Cæsarumque fortassis ope sublevatos, paulatim Comitis sui imperia detrectasse, donec mediocri ære libertatem suam redemerint, inque plenam Imperii clientelam recepti sint.

§. XV. Interea ex supradictis constat, quod pluribus annis ante, quam Fridericus II. ad Imperium evectus, ea gavisi sint Lindavienses. Ad tempus autem paulo exactius definiendum, nihil æque nobis inservire poterit, quam si incrementa urbis post excidia sua repetierimus. Cap. XI. ex variis scriptoribus probavimus, Lindaviam tempore Othonis I. ab Hermanno Sueviæ Duce una cum Brigantia vicina funditus prope deletam & excisam esse, ita quidem, ut vix dum vestigia urbis invenisses, nisi singulari Dei providentia S. Petri ædes una cum paucis aliis domiciliis in insula conservata fuisset. Ex hoc excidio quam ægre resurrexerit Lindavia, exinde colligimus, quod cives omnes paucis quibusdam exceptis, quos piscium captura & navicularia in aquis detinuit, agriculturæ operam navarunt. Sed quam difficile sit, exinde victum modo, cultumque corporis, ne dum insignes opes quærere, ipsa commonstrat experientia. At insequenti seculo, ubi commercia in integrum restituta, ex mediocri primum in florentiorem statum succrevit, ac denique longe felicissimum nacta est Lindavia.

§. XVI. Quando autem (uti facile est creditu) plerique cives post desolationem urbis, partim ut agris suis vicini magis essent, partim vero, ut minori ære domicilia sibi repararent, in continenti & quidem in castello, quod Eskinhova sive Eschachium dicebatur, sedes fixerint, fieri potuit, ut successu temporis & opibus & viribus aucti, cum propter varios armorum strepitus, tum alia pericula, quibus obnoxii fuerant, quamdiu in continente se tenebant, potissimum autem ob summam commerciorum commoditatem in insula iterum cohabitare exoptarint. Hujus voti compotes facti, pluribus scriptoribus seculo duodecimo sedes suas transtulisse videntur. Præter enim Munsterum, Crusium, Lazium & alios, probat hanc sententiam *Rotulus* ille pervetustus *depositionis testium*, quem Cœnobium citra omnem exceptionem, tanquam verissimum obtulit Cæsareo judicio, atque inde acceptum Inclytus Senatus urbis adjunxit magno suo *Apologetico Operi num. VII. pag. 527.* Est ille quidem & principio & fine mutilus; confectum tamen fuisse circa finem seculi XIII. recte colligit doctissimus operis illius Auctor B. Heiderus. Hoc in Rotulo plures comparent testes, qui de ista transmigratione in insulam verba fecerunt. Nos e multis unicum producemus, & quidem Ulricum quendam Brenderum, civem Lindaviensem, quo de Rotulus sic habet: *Ulricus dictus Brender civitatis Lindaviensis testis juratus, non odio &c. Resp. de 1. 2. 3. 4. articulis dicit, sibi nihil constare, nisi quod est communis opinio hominum in oppido Lindaugiensi habitantium, quod monasterium Lindaviense ad ducentos annos fundatum fuit, antequam oppidum Lindaviense transferretur de loco dicto* Altmarckt *ad insulam Lindaviensem. Et hoc audivit a dicto Briel, qui habebat centum annos, qui dixit, hoc idem se audivisse a patre suo, qui similiter fuit centenarius.* Quid hæc præter transitum Lindaviensium in insulam probent, fortassis inferius urgere licebit. In præsenti sufficiat, nos de reditu isto a continenti sub philyras Augienses vel ex hoc certos esse posse. Æram Christi autem, quamvis expressam non legamus, facile tamen illam colligemus, quando quæ capite VIII. de cœ-

nobio circa seculi decimi initia in insula fundato diximus, cum hisce Rotuli verbis contulerimus, ducentosque, de quibus Brenderus testatus est, æræ illi rotundæ, quam dicto loco assignavimus & probavimus, adscripserimus. Sed fortassis hæc omnia clarius patescent, si quæ eadem tempestate Lindaugiensibus obtigisse ferunt Historici, perpendemus.

§. XVII. Dicuntur autem Lindavienses sub idem ferme tempus, quo in insulam immigrarunt, libertatem suam ab Hugone Comite Brigantino, cujus decessoribus ex decimo inde seculo paruere, XLII. auri argentique ponderibus sive marcis redemisse. Fidem historiæ faciunt, quæ scriptor quidam Suevus, (de cujus fide non disputamus, cum illam jam olim solidis rationibus probaverit laudatissimus D. Heiderus *in Opere Apologetico p. 611. sub literis aaa.*) nomine Thomas Lyrerus, Ranckvilensis, Chronico suo, quod uti ipse sub finem testatus est, primum anno MCXXXIII. die Osvvaldi fuit descriptum, anno autem MCCCCLXXXVI. Ulmæ demum excusum est, inseruit. Verba Lyreri integra, & uti repetiit Knipschildius, bona fide recensebimus, **Haug (des Herrn von Bregentz Sohn) was in seinem Castell Lindaw/ das lag dazumahl nit im See/ da hat einer von Embs eine Tochter/ hieß Eva/ die was gar schön/ der nahm die/ und macht Sie schwanger/ da was ein Mann in der Stadt gesessen/ hieß Schönstein/ der gab denen von Lindaw den Raht/ daß Sie mit ihrem Herrn Hugo redten/ daß er etwa viel Gelts von ihnen nehme/ und Sie frey sagte/ so wolten sie ihm helffen/ daß Er eine Vestin und Wohnung bauete/ und sein liebe Frauen darauff setzete/ daß sie sicher wer/ daß sein Freund ihr nicht Leid theten. Das trieben sie so lang/ daß Er mit ihnen eins ward um XLII. Marck/ halb Gold und halb Silber/ damit bauet Er ein Vest/ hieß Bodtmann. Da nahm Er Sie zur Ehe/ und hat mit Ihr drey Söhne/ die wolten die Herren von Rothenfahn nit Erbe lassen seyn. Er war gar einfältig/ und der von Rothenfahn überkam mit ihm um das Erb/ und gab ihme Melchingen seines Bruders aus derselbigen Reichen Aw Flucht-Hauß/ und gab dem Abt darum 21. Marckt Silbers/ und nahm Bregentz ein/ mit allen Land und Zugehörig.** Hæc Lyrerus. Lyrerum secuti Munsterus in *Cosmographia lib. III. cap. CCXXXIX.* & Crusius *Annalium Suevic. p. II. lib. IX. c. XVI.* Idem placet Wolffgango Lazio *lib. VIII. de Migrationibus gentium*, qui sua aliunde prorsus, certe non ex Lyrero hausisse videtur. Omnes autem in eam sententiam abeunt, quod certa pecuniæ summa sibi libertatem redemerint, imo nec in definiendo æris pondere discrepant. In æra autem Christi consignanda in diversa abeunt. Lyrerus (ut jam vidimus) loquitur de hac redemtione tanquam de re præterita, ita quidem, ut ex ipsius mente prius libertatem recepissent Lindavienses, quam Chronicon ejus fuerit descriptum, proindeque adhuc ante annum MCXXXIII. Lazius sub auspiciis Henrici III. id factum refert, quando sub isto Imperatore Hugo, patre Hugone natus, floruerit. Ex aliorum autem mente anno MCLXVI. restitutam urbis libertatem recenset. Sed quid Lazii Genealogiis sit credendum, dudum eruditi docuerunt. Scilicet ex variis confusæ sunt scriptoribus, historica autem fide vel nulla prorsus vel admodum exigua sæpius fundatæ. Et sane, dum Hugoni Comiti patrem quoque dat Hugonem, a Munstero, Brulchio aliisque abit, qui Hugonem Rudolpho (hic anno 1102. Comitatum Brigantinum ab avo suo hæreditate acceperat, & postea Wulphildæ cuidam nupserat) prognatum dicunt. Non itaque cum Lazio, sed illis, qui vero magis consentanea dixere, faciemus, inprimis quod & in reliquis, quæ de Lindavia urbe retulit, & naturæ loci & veritati historicæ adversetur, cum

Escha-

Eſchachienſes continua lacus inundatione afflictos fuiſſe, proptereaque ædibus in continente relictis in inſulam ſeſe recepiſſe ſcripſit. Quod igitur Hugo Rudolpho Comite Brigantino, qui jam anno MCII. Comitatui præeſſe cœperat, genitus ſit, in natales ejus non immerito inquirimus. Munſterus quidem nuptias cum Wulphilda anno MCXXVII. demum contractas prodit, quo in ipſi lubentes calculum adjiceremus, niſi verendum foret, ne eo præter neceſſitatem Lyrero fidem detraheremus, qui Hugonem Rudolphi filium circa annum MCXXX. aut etiam prius aliquanto (certum enim annum reticuit) Lindavii reſediſſe, caſtellumque civibus vendidiſſe, memoriæ prodidit, quod tamen ſi fidem Munſtero habemus, abſonum videtur. Vix enim tale quid de Principe puero ſuſpicari licebit, imo quod potiſſimum, quomodo in puerili iſta ætate comprimere potuiſſet Nobilem Embſiam, de quo tamen nemo (niſi me fallunt omnia) dubitat, & primaria libertatis Lindavienſibus reſtitutæ occaſio fuiſſe judicatur. Veroſimilius ergo eſt, Rudolphum Hugonis noſtri parentem Wulphildæ, ſi non prius, certe paulo poſt ſuſceptas Comitis vices nupſiſſe, ita quidem ut Hugo filius, quem ex ea ſuſceperat, ſaltim jam adoleverit, cum onere fiſcali Lindavienſes ſuos liberaret. Et hac ratione nec Bruſchium ſua fide prorſus defraudamur, dum ipſius computum, qui ſtuprum Embſiæ illatum ad annum circiter MCXXX. eoque ſimul natales Hugonis ad annum fere MCX. tempus autem liberatæ Lindaviæ itidem ad annum MCXXX. refert, ratum habemus. Nec Munſteri aſſertionem omnimodo rejicimus, dum in Genealogicis ducem illum ſequimur. Quod ſi tamen Munſterum etiam in æra Chriſti conſignanda admittere vellemus, nequaquam habita ratione eorum, quæ in contrarium adduci poſſunt, ad viginti annos, & ſic ad æram Chriſti circa MCL. quo tempore Conradus III. Suevus habenas Imperii feliciſſime tenuit, protenderentur, quæ de Lindavienſium libertate hactenus diximus.

§. XVIII. Cum igitur ex his ſatis conſtet de tempore, quo Patriæ meæ libertas ære admodum exiguo ſit reparata, facile colligere erit, non diu poſt redemtionem ſuam in continenti commoratos eſſe cives. Namque periculum erat, ne recens partæ libertati a mox ſecutis Brigantini Comitatus poſſeſſoribus, utpote qui & Palatini Tubingenſes ſimul eſſent, atque adeo Brigantinis potentiores novum periculum immineret, cui evitando non ſane aptius remedium excogitari poterat, quam in inſulam tranſitus, ubi nempe & loci opportunitate & unita vi facile poſſit, quamvis magna potentia ſecure eludi.

§. XIX. Neque tamen eſt, quod hic admittamus Cruſium, Dreſſerum & alios Dreſſeri veſtigiis inſiſtentes, per quos, uti fama vires acquirit eundo, fabula illa crevit, quaſi ſcilicet Abbatiſſa, quæ Lindaviæ erat, imperium expetierint, ſeque iſti ſubjecerint cives, & quamvis nuperus pro Cœnobio Scriptor fucum fabulæ variis ratiociniis inducere ſit auſus, hoc tamen nemini, qui a partibus liber eſt, facile perſuadebit, quod Lindavienſes ita fuerint improvidi, ut ab imbellibus Comitibus liberati, ſponte ſe multo imbellioribus mulierculis ſubjecerint, cum tamen imperia herilis animi Sueviæ Ducum reſpuerint, prout clare docuit Conringius *in Cenſura Diplom. Ludov. cap. XIV.* Reponit quidem Hyperaſpiſtes, hoc ipſo, quod dominium Sueviæ Ducum ſint aſpernati, eximii roboris momentum illi ſententiæ accedere, quæ Abbatiſſam pro Domina recepiſſe Lindavienſes ſtatuat. Ita enim loquitur Defenſionis ſuæ cap. XII. num. XI. *Migrationis præter alias ea fuerit cauſa, quod mallent Abbatiſſæ eſſe ſubjecti, quam Comitum Brigantinorum imperia in loco hoſtium incurſionibus undique expoſiti diutius ferre. Nec eſt, quod Cenſori credamus, neganti potuiſſe placere Eſchachienſibus dominatum impotentium mulierculorum potius,*

quam Comitum virorum. Nam & Abbatissas Nobiles tam contemptim appellare non debuit, & satis ipsa docet experientia, subditis ferme melius esse, cum Religiosis seu viris seu feminis parent, quam cum iis subjecti sint, qui uti pluribus opus habent, aut certe plura appetunt, ita per varias exactiones hæc a suis subditis extorquere consueverunt. Sed & hic vacillat consequentia. Quando enim certum est, periculum recens partæ libertati imminuisse, ope omnino indigebant, qua illud averterent. Hanc autem ipsis nobiles, ut vocantur, Canonissæ adversus vim externam præstare non potuere, quippe queis nihil infirmius, nihil imbecillius, ergo alius auxilia implorare necesse habebant. Et sane potuissent ad Sueviæ Duces confugere, nisi semel recuperatam libertatem, cujus amore natura omnes ducimur, obtinere placuisset. Ad quod aptius remedium non suppetebat, quam si Imperii Cæsarisque clientelam expeterent, nec dubium est, quin illam mox impetrarint. Ita enim publicæ salutis studiosi fuerunt Suevi in primis Reges ac Imperatores, ut omnem omnino lapidem moverent, uti urbes quam plures hactenus Principibus obnoxias, Imperio assererent per universam Germaniam, quas olim decessores ipsorum Principibus vel oppignorarant, vel vendiderant, vel prodige donaverant. Cujus extremæ sortis ipsa olim Lindavia compos facta est. Inconcussum igitur manet, Lindavienses mox a transitu suo in insulam non Abbatissæ, non Sueviæ Ducibus, sed Imperio se subjecisse, cum aliud veritatis vel levissimum quoque documentum non supersit.

§. XX. Neque autem dominium Canonissarum non solum non agnovere Lindavienses, sed ne beneficii quidem titulo sese monialibus obstrictos fuisse, satis superque edocuere in *Deductione* sua, locis variis. Multus equidem in hoc adstruendo nuperus Cœnobita est, sed parum felix veritatis assertor. Thesis, quam ita acriter propugnavit, est, *Monasterio imperium in omnem insulam competit.* Hanc pluribus rationibus stabilire conatur Defensionis cap. XII. Potissimum desumtum est ab auctoritate Gassari, Munsteri, Lazii, Papebrochii aliorumque, qui clare dixerint, nullam in insula seculo nono extitisse urbem, pro quorum veritate pugnare putat cœnobii muros, partem urbis non modicam complexos, maxime si vinea adjungatur perampla, cœnobio contigua, & ædes in urbe aliquot pleno jure ad cœnobium spectantes. Ad illud quoque spatium provocat, quod e D. Francisci familia quidam incoluerint, & de quo minime dubia fama & traditione plurium literis consignata constet, quod ipsis olim Abbatissæ beneficentia fuerit concessum. Ædes alias, quas censuali jure obnoxias sibi habeat monasterium, se silentio præteriturum dicit. Colligit autem ex his, fundum illum omnem olim ad monasterium pertinuisse, & in vacuam possessionem insulæ ingressas moniales, tantum sibi vendicasse spatii, quantum rebus suis commodum fuerit visum, reliquum supervenientibus undiquaque habitatoribus non invitas concessisse. At respondemus: Amicus Gassarus, amicus Munsterus, amici alii, magis amica nobis veritas. Certe nisi clari isti viri aniles quandoque admisissent fabulas, & quicquid vulgus Cœnabialium retulit, in scriniis suis reservassent, alia posteris de hisce rebus reliquissent, quod quando factum non est, mittimus eorum scripta, eaque revolvimus, quæ supra capite VI. de Adalberto diximus, quod scilicet non potuerit insulam oppidumque, quod seculo nono juxta cap. VIII. Dissertationis nostræ jamjam in insula floruit, elargiri. Qua stante sententia corruunt, quæcunque Hyperaspista illis Munsteri superstruxit, reditque illud, quod capite IX. deduximus, receptas scilicet esse moniales in insulam titulo beneficii, locumque ipsis assignatum, qui rebus illarum fuerit aptus, quem deinceps pro ratione temporis varie dilatarint. Ansam autem, terminos suos ulterius protendendi,

dendi, omnino incendium illud exitiosum urbi anno DCCCCXLVIII. quo cives plerique, ut insulam relinquerent, & variæ commoditatis ergo, Eschachium se conferrent, sunt coācti, eo ipso enim commode & nemine omnino refragante, bona sua extendere potuere cœnobiales, namque animus in insulam suam revertendi civibus tunc temporis nullus erat. Non tamen totam insulam reliquere, sed ex igne superstes remansit ædicula (Capellam vulgo vocant) S. Petro dicata (quæ vel in hodiernum diem Lindavii superet) ut ad illud, ubi sacris litandum, frequentes è continente se reciperent. Quæ sane non solum dominium Eschachiensium in insulam arguunt, sed & manifestum urbis, quæ olim ibidem floruit, documentum exhibent, imo docent, nec post incendium in insula esse desiisse, sed continuo inhabitatam & cultam fuisse, ab illis quidem, qui in aquis agere amabant, queis absque dubio plures opifices sese junxere. Primarium etiam pastorem, & qui sacra curaret, cohabitasse, ex eo colligimus, quod ipsi etiam Eschachienses S. Petri fanum, quod in insula erat, pro summo templo in gratiam oppidi non ita populosi habuerint. *Ast*, inquit Hyperaspista, *ingens omnino & populosum admodum oppidum, si superis placet, cujus omnes incolas, quin & accolas unum angustum sacellum capit*. Num autem in sacris ita cavillari liceat, jam non disquiremus, id saltem Jesuitam monebimus, plura omnino, imo fortassis etiam majora habuisse sacraria, cum seculo decimo adhuc floruerit Lindavia, postea vero cum præter illud Petri fanum igne omnia fuerint destructa, plerique etiam incolarum Eschachium, quod instar suburbii Lindaviæ erat, concesserint, reliquis, qui in insula permanserint, satis amplum omnino fuisse. Pro Parochiali autem, quod etiam Eschachienses habuere, id fortassis venerationis ergo & quod in urbe ipsa esset situm, factum censemus. Interim tamen ipsis etiam Eschachiensibus in castello suo templum fuit S. Stephano sacrum, quod post plurium annorum decursum, cum ipsi in insulam transiere, una fuit translatum, & è regione Monasterii ampla illa D. Stephani ædes, par urbi in insula conjunctæ, extructa est. Ex his autem puto, absurdi nihil esse, si dixerimus, Parochiale Lindaviæ urbis templum S. Petri per ducentos & quod excedit, annos fuisse, cui illud, quod Eschachii fuit, successu temporis sit adjunctum.

§. XXI. Sed vel ex dictis colligere erit, quam alienum sit a vero, quod Cœnobiales hactenus propugnarunt, Lindaviam urbem monasterio & nomen & ortum & incrementa sua debere. Nam contrarium potius nos evicisse credimus, donec non calumniis, aut cavillationibus, sed fide historica, & antiquis documentis anthithesin suam comprobaverint adversarii, id quod ad Kal. Græcas futurum, non tam patriæ quam veri amore nobis persuademus.

§. XXII. Floruit ergo Lindavia libera per complura secula, & summam Regum Cæsarumque benevolentiam, seculis cumprimis undecimo & duodecimo, strenua virtute sibi conciliavit. Unde quod Munsterus *Cosmographiæ Lib. III. cap. CCXLVI.* & ex illo Crusius *Annal. Suevicorum p. III. lib. II. cap. XV.* recte scribunt, "Lindoja (celeberrimum lacus Bodamici oppidum) "Imperium Romanum gubernantibus potenter Sueviæ Ducibus, sub eorum & "Imperii tutelam venit, ac multis propter virtutem donata privilegiis, jus cu-"dendæ quoque monetæ, & viridem tiliam in albo clypeo pro insignibus ac-"cepit. " His igitur aliisque pluribus privilegiis macta, opibusque luculentis aucta, tempore Friderici II. cum externa vis imminere videretur, mœnibus circumdata & propugnaculo quodam communita est, id quod omnino ista tempora requirebant. Namque cum varii Principes Imperium Germanico-

Romanum invaderent, securi intra sua pomœria latere Lindavienses potuerunt. Ne tamen omni prorsus tutela destituti essent, Sangallensi Abbati, Berchtoldo a Falckenstein, advocatiam urbis Imperialem sponte detulerunt. Qui quidem per octennium prope urbi præfuit, ad extremum autem, cum multa secus quam decebat, apud Lindavienses conaretur, captus a civibus, eique advocatia abrogata est. In reliquis autem melior Lindaviæ fortuna, quam cæteris Alemanniæ inprimis Helveticæ urbibus, quos Fridericus ejusque antecessores juribus Ducatus Suevici exemerant, affulsit. Urios, Suitios, Sylvanos, quanto quæso odio persecuti sunt Nobiles ejusdem regionis, utpote Imperii subditos. Tigurum, quid non incommodi sensit a Conrado juniore, ultimo illius familiæ Suevorum Ducum, qui cum urbem ac viciniam Ducatui suo vi adjungere non valeret, proscriptione notavit. Et ecce vix a Richardo Rege absoluta, novum adiit discrimen. Cum enim Regensbergii Nobilis cujusdam patrocinium adversus invasores Imperii expeterent, donec novum Regem acciperent, Regensbergius postulavit, ut imperia sua suscicerent Tigurini, suoque se subjicerent dominio. Sed illi alienum dominium aversati, socium sibi adversus eum adscivere Rudolphum Habsburgicum, qui brevi eo omnibus suis castris ejecto, præsidiarios trucidavit, arcesque ejus destruxit. Confer Stumpfium *Lib. VI. cap. XXII. & seqq.* ac Crusium *p. III. lib. II. cap. XVIII.*

§. XXII. Bellicos autem tumultus, quamvis hoc tempore abesse a patria mea jusserit Deus, non tamen adversæ sortis vim omnimodo effugit, sed quod dolendum, anno MCCLXIV. altera vice igne tota est extincta, ita quidem, ut nec privilegiorum ab Imperatoribus, Regibus, Ducibus, Comitibus, acceptorum scripturas flammis eripere possent cives. Et vero Lindavienses mei sua non tam subito restituissent, nisi proximis inde annis gloriosissimum Comitem Rudolphum Habsburgicum Principes Electores unanimi sententia anno MCCLXXIII. in Regem Romanorum electum, patrem Imperio diu desideratissimum reddidissent. Enim vero is uti totius Suevici Ducatus, qui post extinctum Conradum Friderici II. nepotem, Imperio Germanico in multas quantumvis partes distractus cessit, ita inprimis quæ in illo erant, urbium Imperialium & in his quoque Lindaviæ curam singularem suscepit. Et sane non est tam immemor beneficiorum Resp. Lindaviensis, nec tam ingrata majorum soboles, qui non immortales referant grates tanto Principi, laudesque invictissimi justissimique Rudolphi in cœlum usque evehant. In hoc enim, quod per plures clades amiserat, largiter recepit, imo majori modulo beneficia in sinum patriæ meæ effudit, quam alius Regum aut Imperatorum unquam. Quæ cum ita se habeant, nulli prorsus dubitamus, quin LEOPOLDUS noster MAGNUS, Turcarum, Gallorumque domitor Potentissimus, sed & Pater Patriæ optimus dulcissimusque Rudolphi utpote Austriacæ familiæ suæ Satoris felicissimi, vestigiis laudatissimis instituturus & Lindaviæ libertatem fortiter conservaturus sit; atque ut idem exacte faciat JOSEPHUS Rex, gemina quidem corona, sed magis patriarum avitarumque virtutum jubare splendissimus, eundem commoniturus sit, ut adeo fallant denique, ac fallantur omnes, qui putent, Germaniæ nostræ Reges atque Imperatores rerum privatarum curam totius Reipublicæ saluti antepositturos.

Sed en ipsas Rudolphi Regis tabulas. RUDOLPHUS DEI GRATIA *Romanorum Rex semper Augustus, universis Sacri Romani Imperii fidelibus gratiam suam & omne bonum. Dignum judicat nostra Serenitas, ut illorum vota graciosius admittamus, & eorum desideriis benignius occurramus, qui Sacri Romani Imperii Principibus, divæ recordationis Imperatoribus & Regibus fidelius adhæse-*

adhæserunt, nec ab ipsorum servitiis se aliquatenus averterunt. Cum itaque dilectos fideles nostros & Imperii Cives Lindaugienses tales fuisse & nunc esse, fide cognoverimus oculata, eademque experimentis certioribus sint probata: Nos eosdem prosequentes affectu gratiæ specialis, jura & libertates iisdem a divæ recordationis Imperatoribus & Regibus nostris prædecessoribus ipsis traditas & concessas, præsentibus innovamus, innovatas hujus nostræ Majestatis decreti munimine confirmamus. Promittimus itaque dictis Civibus pro munere gratiæ specialis, quod Nos Advocatiam Nobis & Imperio attinentem, quæ vulgariter dicitur Castfogit, nunquam alienabimus, obligabimus aut commutabimus. Volentes id ipsum a nostris successoribus inconvulsum perpetuitate temporis observari. Item statuimus, quod nullus Judex publicus, nec Dux, nec Comes aut quislibet ex judiciaria potestate ipsos super possessionibus juri forensi ipsorum Civitatis subjacentibus, & in aliis causis secularibus quibuscunque, nisi coram Advocato, vel suo judice substituto in palatio Dominæ Abbatissæ & præsente Domina Abbatissa poterit aliquatenus convenire. Præterea proscriptio Advocati, Ducit, Comitis vel alterius Judicis ratione judicii cujuscunque, ipsorum civium intrare non debet vel attingere Civitatem. Ipsorum etiam Civitas tali jure & libertate uti debet, videlicet quod quicunque extraneus servilis conditionis a prædictis Civibus recipitur in Concivem, si idem per spatium unius anni sine impetitione & repetitione Domini sui in dictorum Civium civitate commoratur, ita si ipsum Dominus scit in Oppido residentem, deinceps liber & solutus ab omni servitio sui Domini penitus permanebit. Si autem ab eodem Cive recepto servitium a suo Domino postulatur, ita tamen si infra terminum illius primi anni convincitur de jure ad servitutem pertinente, quicquid Advocato de ipso nomine servitii dabitur, Dominus in tertia parte penitus contentus esse tenetur. Insuper, si proprius alicujus Domini convictus ad servitutem in sæpe dictorum Civium moritur civitate, Domino tertia pars rerum mobilium cedet. Ita si ibi carnales hæredes esse videntur, si non, tunc Domino medietas mobilium assignatur. Item si aliquis homo Advocaticius in ipsorum civitate est residens, Advocato de sua persona aliquod servitium facere non tenetur, si autem idem homo advocaticius viam carnis ingressus fuit, universæ Ecclesiæ, ad quam spectare videtur, quicquid juris eadem Ecclesia in ipso vel in his, qui sunt ejusdem conditionis habere videtur, dabitur sine dolo. Quicumque etiam aliquod predium ad forum pertinens eorundem civitatis, ratione emptionis vel hereditatis per spatium unius anni & unius diei in quieta tenet possessione, ita si infra terminum prædictum, secundum juris formam non contradicitur reclamando, illo reclamante in provincia existente, de cetero id predium pacifice possidebit. Nullus etiam miles nec Monachus prædium aliquod in civitate prædictorum Civium hæreditario jure acquirere poterit, nec tenetur. Et si aliquod prædium alicui Cœnobio vel aliis personis religiosis dabitur propter Deum, infra terminum unius anni vendere tenentur, quod si facile neglexerint, ex tunc proprietas ejusdem prædii ad heredes proximo tradentis succedet libere & quiete. Quicumque etiam puer cum rebus propriis a suis parentibus separatus, sine carnali herede de hac luce emigrabit, eadem hæreditas in patrem vel in matrem cadet evidenter. Si autem ibi parentes esse non videntur, tunc in proximum heredem, sive ille sit ex parte patris sive matris, de jure cadet hereditas antedicta. Prædicta omnia & singula ob favorem Civitatis & Civium Lindaugensium confirmamus, & roboramus in perpetuum duratura. In cujus rei testimonium præsens scriptum Sigilli nostri munimine jussimus roborari. Datum apud Nurinberch V. Nonas Martii Indictione tertia. Anno Domini M. CC. LXX. quinto, Regni vero nostri Anno secundo.

DISSER-

DISSERTATIO X.

DE

VIIS MILITARIBUS

ROMANORUM

IN

VETERI GERMANIA

PER

RHÆTIAM, VINDELICIAM ETC.

PRÆFATIO.

DE QUALITATE VIARUM IN ITINERARIO ANTONINI ET TABULA PEUTINGERIANA DESIGNATARUM.

SOlent plerumque, qui ſcriptionis aliquid in publicam emittunt lucem, præfandi occaſionem haud temere prætermittere, ut habeant nimirum, quo aut excuſent inſtitutum ſuum aut commendent. Nihil eorum a nobis jam exſpectes, quibus paullo inverecundius videtur, ſive de tua æquitate, lector erudite, ſtatim deſperare, ſive de ingenii noſtri mediocritate magnifice nimis ſtatuere. Tuum eſt hæc definiendi arbitrium, cujus ego adſenſum neque intempeſtiva ſingularis operæ oſtentatione captare auſim, neque deprecationum blanditiis emendicari. Nec enim præfationem eo conſilio a nobis adornari ſcias, ut vulgatæ ſatisfaciamus conſuetudini, aut ut libello noſtro ſaltem aliquid præfati eſſe videamur. Quin juvat potius aliquot iſtas paginas, quibus tumultuarias & alienas ab inſtituto cogitationes illinere, ex communis moris indultu liberum eſt, eos in uſus adhibere, ut exponamus quædam de argumento, cui cum eo, quod ipſa commentatione perſequimur, plurimum intercedit cognationis. Neminem fore arbitramur rerum harum intelligentiorem, qui inſpecta opuſculi hujus inſcriptione non ſtatim exiſtimaverit, certiſſima ſæpius libello noſtro præſidia fuiſſe nos fœneraturos ex *ITINERARIO ANTONINI* & *PEUTINGERIANA TABULA*. Et recte omnino exiſtimaſſe, quisquis ita habuerit, oſtendet non infrequentibus locis ipſa commentatio. Sunt enim duo iſta monimenta omnium antiquiſſima, quæ vias per univerſum orbem Romanum victoris populi auſpiciis atque cura ordinatas recenſent, & con-

continuis descriptas stationibus data opera, quod ajunt, exhibent. Nihil jam adtinet, in auctorem & ætatem utriusque operis penitius inquirere. Varie nimis divisæ sunt hac de re, maxime quantum ad *ITINERARIUM* pertinet, eruditissimorum virorum sententiæ. Alii *JULIO CÆSARI*, alii *T. ANTONINO PIO*, alii *ÆTHICO* cuidam, illud vindicant. Ad recentiorem longe ætatem, Valentiniani nempe Imperatoris, una cum *PEUTINGERIANA TABULA* idem *ITINERARIUM* retulit, & ita conjecturis indulsit, ut *AMMIANO MARCELLINO* auctori adsereret utrumque opus, *PHILIPPUS CLUVERIUS* 1). Nulla fere harum opinionum destituitur argumentis mirifice speciosis, quæ una cum sectatoribus suis pleniori stilo recensuit *NICOLAUS BERGIERIUS* 2), qui & ipse suam hac de caussa sententiam perlaturus, litium istarum arbiter & conciliator, diversas a singulis plane in partes abit, & rem omnem, ni fallor, feliciter ad modum definit. Visum est integra elegantissimi viri verba 3) subjicere, quibus suas strictim exposuit conjecturas, nobis quidem visas omnium maxime probabiles. Harum sane nec oblitos nos velim existimes, aut contrariam istis mentem eo professos, quod eidem *ITINERARIO*, quoties ejus mentio erat injicienda, *ANTONINI* nomen junximus & adhuc servamus. Id enim eo animo factum interpreteris, vehementer nolim, ut confecti ejus operis gloriam soli huic Imperatori eamus vindicatum. Verum quod alias usu venit, ut designandis rebus adhibeamus nomen, quo maxime frequentantur, licet lis sit nondum definita, rectene satis idem illis conveniat, an minus, idem hic quoque licere credimus. Atqui addunt *ANTONINI* nomen scriptores tantum non omnes, qui librum istum memorant. Suspenderunt quoque idem elogium quasi in vestibulo celeberrimi duo editores, quorum cura publicatum istud *ITINERARIUM* præcipue versavimus, *HIERONYMUS SURITA* & *ANDREAS SCHOTTUS*. Et jure merito litte-

1) *Germ. Antiqu. Lib. II. Cap. V.*

2) *Dans l' Histoire des grands Chemins de l' Empire Romain, Lib. III. Cap. VI. §. 4. seqq. Tom. I. p. 335. seqq. ed. Brux.* MDCCXXVII.

3) *Cit. loc. §. 11. pag. 339. Certes il me semble, que nous n' irons pas loin de la verité, si nous disons, que Jules Cesar, ny Auguste, ny Antonin le Débonnaire, ou autre de ce nom, ne sont point les auteurs de l' Itineraire, que nous avons aujourd' hui sous le nom d' ITINERARIUM ANTONINI AUGUSTI, d' autant, qu' il y a plusieurs noms de villes, & autres places, qui n' estoient point encore fondées ny basties de leurs siecles, ny long-tems depuis: telle que* Constantinopolis, Diocletianopolis, Maximianopolis, Constancia *& antres, que je passe sous silence. Ce n' est point toutefois, que Jules, Auguste & Antonin n' ayent rien, qui leur appartienne en cet œuvre, mais j' estime que des les tems de Jules & d' Auguste il se soit fait par l' ordonnance du Senat quelque description du monde, en laquelle les chemins ayent esté marquez par les villes, citez, colonies, municipes, gistes, postes & lieux semblables, qui se trouvent assis sur iceux en chacune Province. Et que quelqu' un des Antonins, soit le Débonnaire, ou autre, y ait adjousté quelque chose du sien: comme pareillement les Empereurs suivans y ayent mis les villes & autres places fondées ès siecles posterieurs à mesure qu' elles ont esté faites. Et quant à Aethicus, la Cosmographie duquel se trouve jointe de si près au dit Itineraire, il est à croire, qu' ayant pris des Romains l' un & l' autre de ces deux œuvres, il les a descrit & augmenté a sa mode, & accommodé à son stile & que de-là est procedé, que plusieurs les citent sous son nom.* Subtexuit *BERGIERIUS* uberiores in conjecturarum suarum præsidium de isto cosmographico *ÆTHICI* opere observationes, suffragio quoque *JOSIÆ SIMLERI* firmatas, quas lubenter jam intactas prætermittimus, ne in exscribendis aliorum commentariis longi nimis, justoque videamur operosiores.

litterario antiquæ rei viariæ monimento adſcriptum putamus *ANTONINI* titulum, maxime ſi ad M. Aurelium, cognomine Philoſophum retuleris, quem Imperatorem vias urbis atque itinerum diligentiſſime curaviſſe, diſertis verbis, quod haud ſcio, an multis aliis contigerit, rerum geſtarum fides loquitur 4). Nihilo fere certius eſt, cuinam auctori *PEUTINGERIANA TABULA* ſit adſerenda. Id ſaltem conſtat, fuiſſe hominem chriſtianæ civitati adſcriptum, cum ex ſacro codice utriusque fœderis varia inſperſerit. Aetatem communi pæne conſenſione referunt ad labentis Imperii Romani æram, penitius ad Theodoſium Magnum Imperatorem, unde *THEODOSIANÆ* quoque *TABULÆ* cognomen hæſiſſe, paſſim reperimus. Plura, quæ huc pertinent, conquiſivit & eleganter diſpoſuit *JOANNES GEORGIUS LOTTERUS* 5). Nobis jam animus eſt, de interiori quadam utriusque monimenti conditione, & *ITINERARII* & *TABULÆ*, nonnullis quidem indiciis, quæ *BERGIERIUS* 6) ſtudioſe collegit & recenſuit, in vicem ſibi bene convenientis aliquantiſper hoc loco diſpicere. Deſignantur utrobique ordinatæ per Romani orbis provincias viæ, quarum efformatam ingenio Romanorum diviſionem, in privatas, vicinales atque publicas in ipſo opuſculo 7) tetigimus. Si jura ſpectes, & condendarum viarum ex inſtituto Romanorum rationes, omittere poteris mediam illarum ſpeciem, vicinalium puto, & magis adæquata erit partitio in privatas & publicas, aut quas a publicis nullo fere ſejungi diſcrimine, ibidem notavimus, militares. Jam prope modum intellexeris, quo pertingat, quam hac præfatione promiſimus diſcutiendam, de viarum in *ITINERARIO ANTONINI* & *TABULA PEUTINGERIANA* deſignatarum qualitate quæſtio. Cave hanc otioſam intempeſtiva deciſione clamites, & omnino futilem, ſi forte derivatam ex ſola ſoli & agrorum indole atque dominio, qua viæ patuerunt, in publicas & privatas diviſionem, eaque hunc in modum ſuppoſita, ventilatam quæſtionem ſolutu perquam facilem exiſtimaveris. Ultro enim conſequi videbitur, ut non poſſint publicarum numero non haberi, enumeratæ in *TABULA* æque ac *ITINERARIO* viæ, quas publica ſummæ poteſtatis civilis voluntate in communes omnium uſus fuiſſe deſtinatas, ex conditione utriusque illius monimenti non obſcure colligitur. At enim vero, quod nuda enunciatione, neque idoneis auctorum ſuffragiis munita, in opuſculo noſtro audacius aliquanto ſubnotavimus, ubi de ſumma viarum partitione, diverſisque illarum conſtituendarum rationibus exponendum fuit, vias publicas non deſtinatione ſolum certi ſpatii ad eundum, ambulandum, eoque libero relicto, ſed munitione ſimul iſtius Romani conſtituerunt. Nihil jam eſt, cur ediſſeramus munitionum formam & genera, viis ordinandis Romanotum inſtituto adhiberi conſueta, quod argumentum incredibili plane curioſitate tantaque induſtria pertractavit *BERGIERIUS* 8), ut vehementer dubitandum ſit, an aliud unquam antiquitatis opus ſcrutatores habuerit æque intentos & felices, neque quidquam iſte reliquiſſe videatur, quod ſecundis aliorum curis quaſi per ſpicilegium poſſit conquiri. In illud igitur nobis præſertim eſt inquirendum, an viæ iſtæ, quas *ITINERARIUM* atque *TABULA* ſignat, perpetuis munitionibus fuerint productæ. Quod ſi ut evincamus contigerit, plurimum inde roboris

---

4) Vid. *JULIUS CAPITOLINUS in M. Antonin. Philoſ. pag. 27. inter Script. Hiſt. Auguſt. ex recenſ. CLAUDII SALMASII, Pariſ.* MDCXX.

5) *in Diſſ. de Tabula Peutingeriana* §. *VIII. pag. 20. ſeqq. habit. Lipſ.* MDCCXXXII.

6) *Lib.* III. *Cap. IX.* §. *3. ſeqq. pag. 355.* 7) §. II. *pag. 6. ſeqq.* 8) *Lib.* II. *Cap. I - XXXII. pag. 121. ſeqq.*

boris conjecturis variis, in opusculo subinde adlatis, substructum iri confidimus. Ita enim recte demum intelliges, quanta laudis argumenta in unumquemque viarum instauratorem ex singulari ea cura proficiscantur. Primo statim loco in hujus rei disputatione notatu dignum est, vias a Romanis per universum pæne terrarum orbem, qua iste nimirum dominationi eorundem paruit, dispositas fuisse atque munitas, quam adsertionem *C. SUETONII TRANQUILLI*, *ÆLII ARISTIDIS*, & *ISIDORI HISPALENSIS* suffragiis stabilivit *BERGIERIUS* 9). Addidit eidem depromta ex Romanarum legum fragmentis 10) præsidia, & binos ex recentiori ævo sententiæ suæ fautores, acutissimi judicii viros, *HIERONYMUM SURITAM* 11) & *JUSTUM LIPSIUM* 12). Vix poteris, quin suspiceris, stationes earundem viarum, tantis munitionum operibus undiquaque instauratarum, in *ITINERARIO* pariter atque *TABULA* enumerari, cum habeas utrobique designata per omnes orbis Romani provincias itinera, quæ nulli non publicorum usuum, quales quidem a viarum commoditate proficisci possunt, fuere destinata, quibus, ut exemplis rem declaremus, ad bella suscipienda deduxerunt exercitum, quibus ipsi quoque Imperatores processerunt, si quando provincias suas inviserint. Dabimus posterioris hujus usus argumentum, tanto quidem dignius commemoratu, quanto propius ad ipsum institutum pertingit, quod commentatione nostra exponitur. Describit statim initio carminis, ultra seculi sui genium elegantis, quo Mosellam fluvium celebravit, viæ a Navæ transitu ad Treviros usque ductum *AUSONIUS* 13) Valentiniano & Gratiano Imperatoribus, uti bellica in expeditione contra Alemannos, ita post fugatos sanguinolento prælio ad Solicinium hostes, *AMMIANO MARCELLINO* auctore 14), Augustam Trevirorum revertentibus, additus in itinere comes. Plenioribus viæ, ab *AUSONIO* proditæ, rationes commentariis illustraverunt *MARQUARDUS* FRE-

9) *Lib. II. Cap. V. pag. 331.* 10) *L. 2. C. de immun. nem. conced.*

11) *In præfat. ad comment. emendat. in Antonin. Aug. Itiner. pag. 166. edit. Colon. Agripp.* MDC.

12) *De Magnitud. Rom. Lib.* III. *Cap. X. pag. 794. Tom.* III. *Oper. edit. Vesal.* MDCLXXV.

13) Addimus carminis principium, quousque huc pertinet:

Transieram celerem nebuloso lumine Navam,
Addita miratus veteri nova mœnia vico,
Aequavit Latias ubi quondam Gallia Cannas,
Infletaque jacent inopes super arva catervæ.
Unde iter ingrediens, nemorosa per avia solum,
Et nulla humani spectans vestigia cultus,
Prætereo arentem sitientibus undique terris
Dumnissum, riguasque perenni fonte Tabernas
Arvaque Sauromatum nuper metata colonis,
Et tandem primis Belgarum conspicor oris
Nivomagum, divi castra inclyta Constantini.

Pergit deinde Mosellam amœnissima vena describere, & secundo istius fluvio ad Treviros tandem descendit, nullam amplius interjectarum stationum disertis verbis commemorans.

14) *Rer. Gest. Lib. XXVII. pag. 377. ex biblioth. FRIDERICI LINDENBROGII, Hamburg.* MDCVIIII.

FREHERUS 15), & *ÆGIDIUS BUCHERIUS* 16). Hoc loco adnotasse sufficit, cum illis, quæ *AUSONIUS* de hac via perhibet, proxime convenire stationes, in *TABULA PEUTINGERIANA* 17) delineatas. Transitus enim Navæ fluminis, quem *AUSONIUS* memorat, conjectura valde probabili refertur ad Bingium, in *TABULA* non indictum, & idoneum cum primis trajiciendo Rheno locum, ubi pontem pridem fuisse constitutum, ex *TACITO* 18) discimus. Reliqua deinceps loca ab *AUSONIO* adnotata, *TABULÆ* ductui exacte respondent, & tantum utrimque deprehenditur similitudinis, quantum quidem a Romanis monimentis, ubi nomina peregrina & varie inflexa produnt, exspectare potueris. De Tabernis, ab *AUSONIO* in hoc itinere notatis, quas ignorat *TABULA*, disputationem non ingredimur, pridem jam a *FREHERO* 19) studiose peroratam. Habet ejusdem quoque viæ vestigia, sed obscuriora paullo & minus recta *ITINERARIUM* 20). Ceterum in isto Germaniæ inferioris tractu, a Castello, vulgo *Berncastel*, usque ad Mosellæ adsitum oppidum, *Kirprick*, viam, ex situs sui natura eandem judicatam, quam *AUSONIUS* & *TABULA PEUTINGERIANA* indicat, & observatam ante jam *SEBASTIANO MUNSTERO* 21), vidisse se & trivisse, quum anno superioris sæculi nono & vicesimo Leodio Moguntiam, una cum *PETRO ALOISIO CARAFFA*, Nuncio tum temporis, uti vocant, Apostolico, post ea Patribus Ecclesiæ Romanæ Purpuratis adscripto, iter faceret, *BUCHERIUS* 22) significat. Est & alius αὐτόπτης testis, sagacissimus ejus-

15) *In Comment. ad AUSONII Mosell. v. 1. seqq. pag. 1. seqq.*

16) *In Belg. Rom. Eccles. & Civ. Lib.* XI. *Cap.* XI. §. 5. *seqq. pag.* 351. *edit. Leod.* MDCLV.

17) *Pag.* 731. *in Oper. MARCI VELSERI, ex edit. CHRISTOPHORI ARNOLDI,* MDCLXXXII. Adscribere juvat integrum, veluti *TABULA* prodit, stationum ordinem:

Mogontiaco,	
Bingium.	*XIII.*
Dumno.	*XVI.*
Belginum.	*VIII.*
Nouiomago.	*X.*
Aug. Treuirorum.	*VIII.*

18) *Histor. Lib.* IV. *Cap.* LXX.

19) *in cit. comment. ad v. 8. voc.* Dumissum, *pag.* 10.

20) *pag.* 83. 84. *in Itin. a Lugduno capite Germaniarum Argentoratum.*

Confluentibus,	
Vincum	*M. P. XXVI.*
Noviomagum	*M. P. XXXVII.*
Treveros	*M. P. XIII.*

21) *Cosmograph. Lib.* III. *Cap.* CLXXXI. *In regiuncula Hunsruck via quædam est constrata & elevata, quæ a Bachrach per terram illam asperam rectissime tendit in Berncastel & inde Trevirim. Quis eam straverit, nemini constat. Elevatur ad altitudinem alicubi scamni, alicubi mensæ, supra planiciem terræ.* Indulgebis, Lector, bono viro veniam plebejæ descriptionis, & judicii parum concinni.

22) *cit. loc.* §. 6. *pag.* 351.

ejusdem viæ vindex, sæpius jam laudatus *FREHERUS* 23). Non pigebit puro lectores, diutius nobiscum nonnihil moratos esse in viæ hujus ruderibus. Vellem sane liceret ita circumducere per omnes undiquaque vias, quas Romanis auspiciis per Germaniam ordinatas investigavimus, & commonstrare ubivis priscæ munitionis reliquias. Ita enim, ut munitas fuisse vias, quas *ITINERARIUM ANTONINI* & *PEUTINGERIANA TABULA* memoriæ prodidit, ultro unusquisque consentiret, exposita viarum per Germaniam conditarum, structura non minus adduceremus, quam exploratis Gallicarum exemplis effecit *BERGIERIUS*. Facile nimirum nemo non observabit, eruditissimum istum virum, ubi locupletissimos de re viaria Romanorum commentarios instruxit, ita in illis perficiendis versatum esse, ut viarum maxime stationibus, quas per Galliarum agros late disposuerunt Romani, & ruderibus earum summa cum cura evolutis, aut conjecturas suas universim confirmet, aut instituto peculiari easdem vias passim recenseat. An indefessum istum veterum viarum circuitorem patriæ amor, in Gallicanos potissimum pellexerit aggeres, an situs vicinia invitaverit, & scrutandi facilitas, aliis omnibus commodior, paullo incertius est, neque nostro jam arbitrio definiendum. Ar enim vero quidquid illius caussæ fuerit, acceptum ei est ferendum, quod æterna viarum opera, per universas pæne Gallias veteri Romanorum cura & instituto educta, omnium quasi oculis exposita sint, remotissimæ, si qua futura est, posteritati admiranda. Accedit simul ex istarum viarum exemplis, & antiquæ munitionis indiciis adhuc conspicuis, quæ passim *BERGIERIUS* diligenter explicuit, plurimum patrocinii opinioni nostræ, quam extemporali pæne opera nonnihil adstruendam nobis sumsimus, fuisse scilicet vias, quas *ITINERARIVM ANTONINI* & *PEVTINGERIANA TABVLA* recenset, munitionibus instructas & in perpetuos usus efformatas. Haud leviter eandem sententiam confirmant, quæ incomparabili plane industria *BERGIERIVS* itidem congessit, & diversis æterni operis sui capitibus exposuit, de publicis itinerum aggeribus per alias passim orbis Romani provincias exstructis, & maxime de Italiæ viis, quarum pleræque a conditore suo sortitæ sunt cognomen, eoque hodienum frequentantur. Utinam simili adcuratione doctrinæque apparatu persequi nobis licuisset militares Romanorum in veteri Germania vias, quas hoc libello descriptas exhibemus. Suggessit de illis commentandi consilium communis patriæ amor & haud vulgaris delectatio, qua perfundi animum sentimus, si quando prudentissima venerandæ antiquitatis instituta perlustrare, & coram quasi mirari contingit. Haud difficulter igitur ad pertractandum istud argumentum induximus animum, quum nuper ad modum ita ferret occasio, ut conjunctissimæ necessitudinis cura publicæ cujuspiam scriptionis monimento significanda esse videretur. Ingressi hoc stadium, amplius illud & longiori meta defixum statim animadvertimus, quam quod una confici possit excursione. Peragravimus igitur vias potissimum, primo post natum humani generis Servatorem seculo, Romanis auspiciis in Germania ordinatas, eaque temporis periodo priorem nostram commentationem quasi limitibus suis circumscripsimus. At quum horum itinerum pariter jucunditas atque fidei liberandæ desiderium pelliceret, ut ex intervallo,

23) *Cit. loc. pag. 11. Et ego vidi inveniri in ea regione, viam ab antiquo constratam & elevatam ultra planitiem terræ, quæ incipiens ab oppido Bacbrach transeat per asperam illam terram rectissimo itinere usque ad Berncastel, & inde ad Treverim. Strata autem illa a Moguntiaco & Bingen usque Treverim in alto &c. & in Lothariugiam, vulgo dicitur* uff der Caseyen, *quem ad modum via Æmilia* Emmel vvege, *via Livia*, Lieven vvege.

vallo, in quo aliquantisper adquievimus, ocyus surgeremus, cursum scilicet cœptum penitus consecturi, fieri non potuit, quin iterato transitu prius absolutam jam viæ portionem perlustraremus. Ubi cum varia deprehendimus aut plane prætermissa, quæ singulari tamen cum adtentione fuissent observanda, aut minus recte dicta, quam par erat, ea passim, quantum licuit, loco suo reposuimus, eaque de caussa priorem commentationis nostræ partem curis secundis recognitam, & varie auctam typis iterum una cum reliquis omnibus, quidquid ejusmodi viarum explorare datum est, exscribi fecimus, ut habeas adeo publicas Romanorum in Germania vias uno libello indicatas. Quo si facile neminem non carere potuisse, eo saltem arbitreris, quod easdem jam vias in plenissimo suo opere persequutus sit *NICOLAUS BERGIERIUS*, & omissas ab illo industria litteratissimi interpretis, *HENRICI CHRISTIANI HENNINII* copiose suppleverit, curatius nonnihil ad opusculum nostrum conferri velim elegantissimum viri utriusque opus & ocyus puto adparebit, Germaniæ vias ὡς ἐν παρόδῳ transcurrere *BERGIERIUM*, neque *HENNINIUM* curiosius in iis morari, sed e longinquo quasi eas tantum ostendere, neque deesse omnino, quas indictas præterierit. Neuter itaque illorum omnem exponendi de viis Germaniæ occasionem præripuisse videbitur, quamquam lubentissime fateor & præ me fero, multum inde lucis & præsidii huic commentationi suppetiisse. Quam feliciter ceteroquin minusve in istis viis emetiendis progressi simus, æqui & intelligentes harum rerum æstimatores judicaverint. Ipsemet certe nihil dissimulo, spem auspicatioris successus exiguam valde, imo plane nullam animo me præcipere. Certiora procul dubio de his viis adferri potuissent, si tales obtigissent ὁδηγοὶ, doctrina & occulata auctoritate præeuntes, quales in opere suo conficiendo & indagandis maxime Galliarum viis adjutores habuisse, sibi gratulatur *BERGIERIUS* 24) viros utpote reconditæ eruditionis laude non minus illustres, quam munerum dignitate conspicuos, ex quibus præsertim honoris caussa ipse collaudat *CAROLUM DU LIS*, *CLAUDIUM NICOLAUM FABRICIUM PEIRESCIUM*, *ERICUM PUTEANUM*, æterna litterariis meritis nomina. Ita nempe comparata sunt antiqua ejusmodi opera, ut non sufficiat, ex vetustis monimentis illa eruere, sed diligenter quoque circumspiciendæ sint illarum reliquiæ, qualescunque nostra ætas servat superstites. Plurimum igitur præsidii ad veteres istas vias in Germania recte definiendas exspectandum est a viris rerum antiquarum peritioribus, quibus commodum est, per agros illos, Romanis viarum jugis olim sulcatos excurrere, suisque oculis munitionum rudera earumque ductum investigare. Quale quidquam ut susciperent, ea opera veteri geographiae lucem adfusuri, si commentatione nostra viros aliquos eruditos excitari contingeret, ingentem illius mercedem atque laudem reportavisse nobis videremur.

---

24) *Dans l' avertissement au Lecteur, proposé au commencement de l' Histoire des grands Chemins de l' Empire Romain.*

§. I.

§. I.

VIÆ PUBLICÆ ROMANORUM, MAGNIFICENTISSIMA OPERA, IN GERMANIA MAGNA NON EXSTITERUNT.

SI Romanorum ædificiis tantum artis & laboris impensum esse miramur, ut vel illorum reliquiæ, temporis & hostium insultu superiores, victricis gentis magnitudinem loquantur & æternitati tradant: in stuporem plane rapiant, necesse est, viarum munitiones, quas, una cum aquæ ductibus & cloacarum fabricis, tria magnificentissima Romæ opera existimat *DIONYSIUS HALICARNASSEUS* 1); ego certe omnium, quidquid humana umquam industria efformaverit, opus maxime laboriosum haberi velim & splendidissimum. Quotusquisque videlicet est ætate nostra Romæ confinia pervagatus,

qua limite noto
Appia longarum teritur regina viarum 2),

qui non viam istam, aliarum enim vestigia hodienum conspicua, lubens jam prætermitto, eadem admiratione, qua olim *PROCOPIUS* 3) inductus, istam post nongentos a prima munitione annos 4) integram, neque tot sæculorum usu quidquam adtritam, extra historiæ suæ argumentum, oculatus arbiter, descripsit, jam duodecim fere a *PROCOPIO* inde sæculis elapsis, parum in deterius mutatam, parumve corruptam, duobus itaque annorum millibus & ultra, superstitem, & nativo pæne robore adhuc superbam suspexerit, neque aliunde, quam a victore orbis terrarum populo tam sumtuosum & æternum opus exspectari posse, fuerit arbitratus. At tunc deficere prorsus videntur notiones, quæ & operum & populi conditoris dignitati conveniant, si quando subit, publicas ejus modi vias, non per conterminos Romæ agros solum patuisse, neque intra Italiæ quidem substitisse fines, sed per longinquas subinde provincias, una cum Romanorum imperio, tamquam certissima victoriarum monimenta propagari consuevisse, & per omnem fere terrarum orbem fuisse dispositas, uti auctor est *ISIDORUS*, Hispalensis Episcopus 5), & congestis veterum scriptorum testimoniis, plenius probatum ivit solertissimus iste viarum Roma-

1) *Antiq. Rom. Lib.* III. *pag.* 200. *edit. Lips.* MDCXCI.

2) *PAPINIUS STATIUS in Villa Surrentina Pollii Felicis, Silv. Lib.* II. *Carm.* II. *v.* 11. 12.

3) *Hist. Bell. Goth. Lib.* I. *Cap.* XIV. *pag.* 347. *Tom.* I. *Oper. ex interpr. CLAUDII MALTRETI, Paris.* MDCLXXII.

4) Servavimus annorum numerum, a *PROCOPIO* venditatum, licet annis pæne quinquaginta abundantem, veluti jam observavit *JUSTUS LIPSIUS de Magnit. Rom. Lib.* III. *Cap.* X. *pag.* 793. *Tom.* III. *Oper. edit. Vesal.* MDCLXXV.

5) *Orig. Lib.* XV. *Cap.* XVI. *pag.* 379. *ex recens. BONAVENTURÆ VULCANII, Basil.* MDLXXVII. *Primum Pœni dicuntur lapidibus vias stravisse: post ea eas Romani per omnem pæne orbem disposuerunt, propter rectitudinem itinerum, & ne plebs esset otiosa.*

Romanarum indagator, *NICOLAUS BERGIERIUS.* 6) Sufficiffet tanta operum publicorum moles, vias iftas regias intelligo, fi vel nulla prorfus alia ipfi futura fuiffent monimenta, oftentandæ Romanorum magnitudini ejusve memoriæ ad remotiffimam pofteritatem transmittendæ. Habere fimul poterant provinciarum Romanarum incolæ, quotiescunque in vias iftas, fuis fæpe quidem impenfis aut fervitiis certe paratas intuerentur, unde in mentem revocarent, quanti fint fuerintve victores fui, & tranquilliori ejusmodi contemplationi vacantes, fubjectionis infamiam non fuprema excufarent folum neceffitatis lege, fed & aliquam dignitatis fpeciem ipfi prætexerent. Solent humana ingenia duriffimis malis frequentiori ufu paullatim adfuefieri, & præter vulgare illud patientiæ, aliud ex communi utilitate argumentum debellatis provinciis fuppetiiffe arbitror, quo ifta viarum ftrata, tanquam victricis Romæ tropæa, per fines fuos difpofita fibi gratularentur. At enim vero, quidquid inde commodi profectum fuerit, miferum ereptæ libertatis folatium, & exiguam fervitutis mercedem nemo non exiftimabit. Equidem earum civitatum populi longe mihi videntur feliciores, quorum agri viarum juga, Romanorum inftituto producta, non tulerunt, cum eximiæ inde fimul fortitudinis, qua intentum fervitutis jugum a cervicibus fuis depulerunt, probabilis ad modum nafcatur fufpicio. Tenet illas inter regiones, quibus nullæ viarum munitiones, Romana opera confectæ, fuerunt, ornamento dicam an opprobrio, principem fere locum Germania, dicta ex Italiæ fitu Transrhenana, cui additum Barbaræ vocabulum 7) Liberæ, quod jure fortita eft, elogio pulcre compenfatur. Quantacunque enim Romæ jam terrarum dominæ in Germaniam, imperio fuo denique adjiciendam, fuerint molimina, nihil fane illis effectum eft, nifi ut ifta civium fuorum oculos mulceret aliquando, vel potius deluderet triumphatæ fæpius, quam victæ gentis illius imagine. 8) Parum officere Germanorum virtuti ludicra illa tropæa, nifi prorfus ignorata, ipforum fane a confpectu quam longiffime remota, & evertere poterat adfectati dominii offendiculum finium ingenuitas, nullis umquam peregrini victoris monimentis, aut certe non diuturnis, corrupta & nativa telluris patriæ conditio, nullis viarum Romanarum ftratis fulcata.

§. II.

DEFINITUR VIA PUBLICA SEU MILITARIS.

Quæ commentationi noftræ adhuc præfati fumus, longe aliena plerisque videbuntur ab ipfa, quam fronti ejus præfiximus, infcriptione. Imo quos

6) *Dans l'Hiftoire des grands chemins de l'Empire Romain. lib. I. Cap. V. pag. 331. edit. Brux.* M. DCCXXVIII. Inferuit hunc librum ex Gallica in Latinam linguam ab HENRICO CHRISTIANO HENNINO translatum, una cum BERGIERII correctionibus, operi fuo per curas pofteriores adnotatis, Item JOHANNIS BAPTISTÆ DU BOS animadverfionibus & interpretis HENNINII notis, *Tom. X. Thefaur. Antiq. Rom.* JOHANNES GEORGIUS GRÆVIUS.

7) Indit hoc Germaniæ Magnæ nomen, ut alios taceamus complures, EUTROPIUS *Breviar. Hift. Rom. lib.* VII. *cap.* V. *n.* 7. *lib.* IX. *cap.* IV. *n.* 3. *S.* AURELIUS VICTOR *Epit. cap.* XXIX. *de Decio.* AMMIANUS MARCELLINUS *Rer. Geft. lib.* XVIII. *pag.* 126. *edit. ex bibliotb.* FRIDERICI LINDENBROGII *Hamb.* MDCIX.

8) C. CORNELIUS TACITUS *de Mor. Germ. cap.* XXXVII.

quos ego futuros fuisse nullus dubito, qui cum in istam intuiti sunt, nobis occinendum esse censuerint:

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu? 1)

iidem fortassis aliqua cum indignatione amphoram primum currente rota institui cœpisse, neque jam urceum quidem exire, criminabuntur. Male profecto illos habebit, jactari de viis Romanorum in veteri Germania militaribus opusculum, quarum nulla umquam per eas terras patuerit, quod mea ipsius sponte faterer, oportuit satis tempestive. Neque deerunt alii, qui præpostere nimis id concessum esse arguant, eo quod forte meminerint, Drusum una cum exercitu trajecto Visurgis fluvio, ad Albim usque processisse, constituto ibidem in tantæ expeditionis memoriam tropæo, uti *DIO CASSIUS* 2) perhibet, & dispositis, quæ *L. ANNÆUS FLORUS* 3) memorat, per Albim & Visurgim æque ac per Rhenum & Mosam præsidiis & castellis; imo Germanicum post ea ulterius in Germaniam penetrasse, inque Campo Idistauiso, ad Visurgim Arminio cladem intulisse, uti *TACITUS* 4) memoriæ prodidit. Deductis itaque in mediam Germaniam Romanorum legionibus, non posse arbitrabuntur, quin adserantur Romanis viæ in Germania veteri militares. Ego vero utrumque istud judicum genus vehementer moneo rogoque, ne tabellam illico poscant, nec indictam caussam suffragiis decernant nimium festinatis. Quæ cum subterfugere conducat, operæ præsertim pretium erit, ut notiones, quas signandæ dissertationi nostræ adhibuimus, recte definiamus, quibus curatius observatis id simul efficietur, ut luculentior eorum constet ratio, de quibus exponere instituimus. Viarum divisionem apud Romanos summam fuisse in publicas, privatas & vicinales, ipsa docet illorum juris prudentia. 5) Variorum nominum viis publicis additorum, quorum viginti e *JULII TABOETII* ephemeridibus historicis adlatas, enumerat *BERGIERIUS*, 6) celebre cum primis & usitatum fuit militarium cognomen, sive quod militum potissimum labore viæ istæ sterni consueverint, 7) unde maxime nomen istud eas traxisse, *RAPHAEL FABRETTUS* 8) colligit, sive a fine, cui potissimum viarum muniones destinabantur, deducendis videlicet per istas legionibus efformatum. Nos illo sane vocabulo quin uteremur, nihil obstare censuimus, cui plurimum patrocinatur *DOMITII ULPIANI* Juris consulti 9) auctoritas, qui viarum militarium & publicarum dictionem promiscue usurpavit. Ne quis incuriæ fortassis admissæ *ULPIANUM* arguat, jungimus ipsi alium eandem in

1) HORATIUS *Art. Poet. v.* 138.

2) *Hist. Rom. Lib. LV. pag.* 578. *B. ex edit.* JOHANNIS LEUNCLAVII *Hanov.* MDCVI.

3) *Histor. Rom. lib. IV. cap. XII. pag.* 232. *ex recens.* NICOLAI BLANCARDI, *Franeq.* MDCLXXXX.

4) *Annal. lib. II. cap. XVI. seqq.*

5) *L.* 2. §. 22. *D. Ne quid in loco publico vel itinere fiat.*

6) cit. loc. *lib.* III. *cap.* LI. §. 2.

7) Ita *stratum militari labore iter*, a compendiario distinctum, memorat M. FABIUS QUINCTILIANUS *Instit. Orat. lib.* II. *cap.* XIII. *pag.* 146. *Tom. I. Oper. edit. Lugd. Bat.* MDCLXV.

8) *In Syntagm. de Col. Trajan. cap.* II. *pag.* 46. *edit. Rom.* MDCXC.

9) *L.* 3. §. 1. *D. De loc. & itin. publ.*

rem suffragatorem Graecum institutionum Justinianearum παραφράστην, *THEOPHILUM*, 10) quibus tamen in testimoniis, quantumvis sint luculenta, non ita esse acquiescendum existimavere Viri aliquot Summi, quin modos varios, quibus diversae fuerunt a publicis viis militares, sibi sumerent eruendos, & curatius in illos inquirerent, e quibus praesertim memorandi sunt *CLAUDIUS SALMASIUS*, 11) *JACOBUS GOTHOFREDUS*, 12) *CASPARUS ZIEGLERUS*. 13) Alias singuli diversitatis rationes, quibus utrumque istud viarum genus distinctum fuit, reperire sibi visi sunt. Plenius eas recensendi opera tuto supersedemus. cum illas quasi compendio descriptas stiterit Juris consultus celeberrimus, cui praeter alia merita & infinita paene ornamenta, prisca viarum jura luci suae restituta, aequi elegantioris juris prudentiae aestimatores debent, *EVERARDUS OTTO*. 14) Quarum quidem conjecturarum licet nulla sese probaverit Viro illi πολυμαθεστάτῳ, & ipse bona fide certissima praesidia, ex probatissimo quovis scriptore studiose conquisiverit, quibus confirmari videretur exaequata sibi in vicem viarum militarium & publicarum conditio, nihil inde tamen evinci, quam omnem quidem viam militarem esse publicam, sed contra omnem publicam non esse militarem, & potuisse discrimen in latitudine vel in genere munitionis intercedere, arbitratur. Pronunciandi arbitrium, quale conjecturae isti pretium sit statuendum, in nos recipere non audemus. Nec temere tamen nec inepte factum esse confidimus, ut de publicis Romanorum in veteri Germania viis acturi, militarium cognomen prae reliquis optaverimus, quippe omnium maxime condendarum earum occasioni usuique adcommodatum. Viam publicam, qua cum ex auctoris certe, quem iterum jam antestatum imus sententia, eandem esse militarem, modo notavimus, describit *ULPIANUS* 15) quod sit *solum publicum*, *relictum ac directum certis finibus latitudinis ab eo*, *qui jus publicandi habuit*, *ut ea publice iretur*, *commearetur*. Ex variis quae his addenda essent, id saltem subnotamus, vias publicas non destinatione solum certi spatii ad eundum, ambulandum, eoque libero relicto, sed munitione simul istius a Romanis esse constitutas. Ostendit praeter ea Ulpiana definitio, ex ipsa Romanorum mente non condi potuisse viam publicam, nisi a suprema potestate civili. Quam enim in hac lege usurpatam legimus *publicandi* vocem, idem denotare, quod publicum facere, separare scilicet rem, & eximere commercio privatorum, eamque publicis usibus, vi summi imperii destinare, laudatissimi *OTTONIS* 16) est observatio. Quibus omnibus sibi in vicem comparatis, facile unusquisque animadvertet, vias publicas Romanorum in Germania Magna vel Transrhenana exstitisse, omnino

---

10) *ad* §. 5. *Inst. de Leg. Aqu.*

11) *Exerc. Plinian. in* C. JULII SOLINI *Polyhist. Tom.* I. *pag.* 677. *edit. Paris.* MDCXXIX.

12) *in Comment. ad* L. 4. *Cod. Theodos. de Curs. publ. pag.* 414. & 415. *Tom.* II. *edit.* Lugd. MDCLXV.

13) *De jur. Majest.* Lib. II. Cap. XVII. §. 5.

14) *De Tutel. viar. publ. Part.* II. *Cap.* II. *pag.* 329. *seqq. edit. Traject. ad Rhen.* MDCCXXXI.

15) L. 2. §. 21. *D. Ne quid in loc. publ. vel itin. fiat.*

16) *cit. loc. Part.* II. *Cap.* I. *p.* 316.

nino nullas 17) eamque consequutionem mirifice patrocinari earundam negationi, quæ simul a scriptorum silentio, & ab eo, quod nulla earum supersint vestigia, secure satis deducitur.

§. III.

DESCRIBUNTUR GERMANIÆ FINES, ET EXPONITUR UNIVERSA INSTITUTI RATIO.

VErum posita Germania veteri, per cujus agros ductæ olim militares Romanorum viæ describuntur, non eam saltem terrarum partem designatam velim, quam veteres proprio Germaniæ nomine comprehenderunt, Rheno, Danubio, Vistulaque fluviis, & Codano sinu, limitibus suis circumscriptam: sed potius Germaniæ fines occidentem versus ultra Rhenum, adjecta scilicet potiori Galliæ Belgicæ parte, quam ipsi Romani haud infrequenter Germaniam Cisrhenanam dixere, portendere visum est, eique meridiem versus Rhætiam, Vindeliciam atque Noricum adjungere. Ampliatis hunc in modum Germaniæ finibus, nihil extimescimus, ne quis terminorum motorum contra experiri velit, quamquam non ignoramus, regionum illarum populos a Germanica civitate avulsos, libertate, Germano bono, excidisse, & Romana passos esse imperia, quod sane quo tempore quibusve modis evenerit, suo deinceps loco explicabimus, cum ab instituto nostro prorsus alienum haud videatur. Præsidium enim sententiæ nostræ in eo ponimus, quod gentes istæ, uti est veri simillimum, communes cum reliquis Germaniæ populis adnoscant origines, deinde quod Romanos dominatus, non nisi florentissimis demum eorum rebus experti, Germanos tamen mores & instituta servaverint, denique quod vergente ad lapsum Romanorum imperio & Germanorum civitate ordinatius condita, postliminii quasi jure in eandem redierint, nostraque adhuc ætate maximam partem Germaniæ finibus contineantur, eximia Imperii Romano Germanici portio. In his sane regionibus, Magnæ olim Germaniæ proxime adfinibus, habitaculis Germanarum gentium, veteris Imperii Romani provinciis, passim deprehenduntur viæ publicæ, Romanis auspiciis & moribus dispositæ atque munitæ. Quas cum eruditissimi viri, sæculi & gentis suæ ornamenta, qui locupletiori adparatu instructi, antiquissimam communis patriæ historiam ætate nostra publicæ luci restituerunt, circumspecto studio & disquisitione sua non iudicaverint indignas, nec utilitatis, quam vetus inde fœneretur geographia, omnino vacuas: neque nos desperavimus, aliquod certæ operæ nostræ futurum esse pretium, si vias istas peculiari libello breviter descriptas, una veluti tabula simus exhibituri. Quam ubi jam suspensum imus, monendum esse duximus, ita nos in viis istis investigandis describendisque illarum compendiis, esse versaturos, ut secundum temporis ordinem, quo Romani Germanique de imperio illi, hi de libertate in his terris decertaverunt, ubivis adnotemus, si quas in istis provinciis vias esse munitas, appareat. Ita vero, quam nobis ultro diximus, ordinis hujus legem observabimus, ut singularum viarum munitiones ad auctores suos, si de

17) Restringere non nihil videtur hanc adsertionem aggeratus trames, si PHILIPPI CLUVERII arbitrio standum est, per Westphaliæ tractum editus, Domitio plerumque auctori vindicatus, de quo copiosius differendum erit §. VIII.

illis constiterit, referamus; si qua occurrerit, cujus conditor ignoratur, circa illius Imperatoris ævum exponamus, quo primum a scriptoribus memorari reperitur. Nec conquirere animus est leviorum conjecturarum farraginem, unde viarum ejus modi vestigia per tædiosa demum ambagum diverticula e longinquo conspici queant, sed quod in exercitatione, tumultuario pæne studio conscripta, qualis est hæc nostra, fieri potest, eas tantum persequemur vias, quæ certæ satis, eoque nomine memoratu videntur digniores; notaturi simul obiter, quod ajunt, alia Romanorum opera, quæ ad viarum militarium munitiones perperam aliquando referuntur. Repetenda igitur erunt commentationis nostræ argumenta inde a Julii Cæsaris ætate, quo Imperatore primum Romanas aquilas in Germaniam prolatas esse novimus. Subsistere demum licebit in labentis Imperii Romani periodo, ad cujus æram usque vehementissime inter Romanos Germanosque subinde in ipsis Germaniæ eique vicinis regionibus bellatum est, nec inde Romanis viarum istic muniendarum defuit occasio, donec Theodosio M. Imperatore fatis functo, ea rerum commutatio repente ad modum exorta est, qua tantum abfuit, ut Romani de Germania lacessenda, ne quid de viis, per illius fines ordinandis, adjiciam, cum effectu potuerint cogitare, ut ne intra adstrictiores Italiæ quidem limites a Germanorum armis auspicato sese defendere, ipsis contigerit. Investigabimus profecto hujus generis vias, quousque licuerit, presso pede secuturi scriptores idoneos, qui tamquam ὁδηγοὶ peritiores, vias istas vetustate collapsas digito demonstrent, & nobis per obscuros jam calles deambulaturis, facem præferant. Quibus si destituamur aliquando præeuntibus, aut una cum incertis dubii hæreamus, oculos & animos juvabit advertere ad milliares lapides eorumque titulos, veluti ad merculiares statuas, quibus erectis non adserere magis operi suo immortalitatem, quam erranti viatori succurrere voluere conditores. Nec emolumento minori, quam voluptati foret lucem commodare instituto nostro ex antiquis Romanorum nummis, certissimis alioquin operum publicorum præconibus, si quos eorum umquam exstare vetus Roma, aut ad nostram transmittere voluisset ætatis mediæ invidia, unde militares Romanorum in Germania viæ possent aliquantisper illustrari. Solabitur illam aut egestatem, aut sæculi nostri jacturam, & ipsi simul ignorantiæ atque incertitudini, quacum colluctantes, maxime ubi ad sequiorem ætatem progrediendum est, sæpe numero nos relinquunt paullo infrequentiora scriptorum de hujus modi rebus suffragia, aliquantisper medebitur *ANTONINI* Imperatoris itinerarium, curiosus viarum index, & studiose huc conferenda tabula ista geographica, quæ a vetustate, qua omnes superat, pretium & commendationem, ab eruditissimo possessore, qui primus innotuit, *CONRADO PEUTINGERO*, Patricio Augustano, vulgare cognomen olim sortita est, & adhuc retinuit, quamquam e latebris suis nostra demum ætate in excelsiores sedes transmigravit, utpote inter litterarias opes Invictissimi Μεγαγίτε, EUGENII FRANCISCI, Sabaudiæ Principis recepta, inde una cum illis ex ultima Incomparabilis Herois destinatione splendidissimo domicilio, quod Musarum cimeliis pridem instructum servat, & sacrarum largitionum munificentia in dies auget Augustissimus Imperator CAROLUS VI. procul dubio illata. Hisce igitur adminiculis subfulti, vias istas bono animo ingredimur, quantaque fieri potest cum cura & cautione persequemur.

§. IV.

§. IV.

PONS A C. JULIO CÆSARE ITERUM RHENO JUNCTUS.

C. Julius Cæsar uti rerum gestarum magnitudine, successu atque fructu, omnes populi Romani duces, qui superiorem ætatem virtute sua collustravere, longissime superavit: ita maximis ejus facinoribus accensendum est, quod aliquot Germaniæ populos, quorum alii vix decem ante lustris in ipsam Italiam arma sua pertulerunt, & ipsi Romæ ultimo fuerunt terrori, non nisi post ambiguos tandem casus ejecti, jam omnium Romanorum primus, in ipsis eorum sedibus debellaverit. Qui sane Imperator, licet præteriri potuisse in hac commentatione videatur, si vias ab eo in Germania conditas quæsiveris, quarum nos quidem nullam novimus: ideo tamen nobis est commemorandus, quod pontem Rheno impositum, omnium haud dubie primum, ad eum referri jubeant historiarum monimenta. At junxere ipsi Romani viarum & pontium curam, cujus rei testimonia sæpe numero in marmorum occurrunt titulis 1): neque nostrum igitur erit, lustrando vias, pontes præterire. Moverunt Cæsarem frequentiores Germanorum in Galliam incursiones, & postulata contra Suevos ab Ubiis auxilia, & post Usipetes Tenchterosque fugatos, equitatus illorum pars, quæ prælio non interfuit, Mosam ante frumentandi prædandique caussa transgressa, deinde post suorum fugam trans Rhenum ad Sicambros aufugiens, ut de Rheno transeundo cogitaret, & suam ipsius reputans secum, & tanti

1) Exemplo esse poterunt marmora ista vialia per Vindeliciam & Noricum, in honorem L. Septimii Severi Cæsaris & utriusque filii, ob vias per istos tractus aut recens munitas, aut instauratas, passim disposita, quorum aliquot ad posteritatis notitiam pervenerunt, imo quantum suspicari liceta hodienum supersunt, exhibita in MARCI VELSERI *Antiq. Agr. August. Monim. pag. 409. Oper. edit. Norimb.* MDCLXXXII. & JANI GRUTERI *Corp. Inscript.* CLVII. *2. 3. 4. 5.* Quorum licet pleraque suo loco inferius sint adferenda, ubi de Cæsarum istorum cura, quam viis in Germania condendis impendere dignati sunt, exponi ordinis & instituti ratio jusserit: visum tamen est ex his marmoribus integram inscriptionem unius, quod primo præ reliquis loco posuit VELSERUS, in observationis nostræ exemplum & præsidium hic adlegare. En igitur istam sequentem in modum VELSERI fide descriptam:

IMP. CAESAR. LVCIVS. SEPTIM
IVS. SEVERVS. PIVS. PERTIN
AX. AVG. ARABICVS. ADIAB
PARTHICVS. MAXIMVS
PONTIF. MAX. TRIB. POT
VIIII. IMP. XII. COS. II. P. P
PROCOS. ET. IMP. CAESAR
MARCVS. AVREL. ANTON
INVS. PIVS. AVG. TRIB.
POT. IIII. PROCOS. ET. IMP.
P. SEPTIMI. GETA. ANTON.
VIAS. ET. PONTES. REST.
AB. AVG. M. P. XXXXI.

tanti populi, cujus auſpiciis bellum gereretur, dignitatem, legiones non aliter, quam per pontem transducendas eſſe, decerneret. Pontem igitur decem dierum ſpatio conſtruxit, & transducto exercitu ea omnia exſequutus, quorum cauſſa tantam expeditionem molitus eſt, metu Germanis injecto, Ubiis liberatis, Sigambros ultus, poſt dies decem & octo trans Rhenum omnino conſumtos, in Galliam rediit & pontem reſcidit, quæ omnia & ipſius pontis conditi rationem plenius ipſe *C. JULIUS CÆSAR* 2) expoſuit, tetigerunt etiam *PLUTARCHUS* 3), & *DIO CASSIUS* 4). Itaque effectum eſt, quæ princeps ſuſcipiendi tam ardui conſilii erat cauſſa, ut intelligerent Germani, & poſſe & audere populi Romani exercitum Rhenum tranſire, idemque illos eodem iterum conatu ſucceſſuque Cæſar docuit. Paullo enim poſt ea, quum Induciomarus & Ambiorix, Trevirorum ille, hic Eburonum Princeps, Nerviorum, Menapiorum, Attuaticorum, imo & Transrhenarum gentium, Suevorum præſertim, auxiliis ſubfulti, Romanis arma & clades inferrent, Cæſar disjectis Nerviis, Treviris iterum profligatis, occiſoque illorum Duce Induciomaro, debellatis Menapiis 5) & eo, ut pacem peterent adactis, Rhenum iterum tranſire, duabus potiſſimum de cauſſis conſtituit, partim ut auxilia contra ſe Treviris miſſa ulciſceretur, partim ne Ambiorix receptum ad eas regiones haberet. Pontem igitur paullum ſupra eum locum, quo antea exercitum transduxit, faciundum curavit, & opus iſtud nota atque inſtituta ratione, magno militum ſtudio paucis diebus effectum eſſe, memoriæ ipſe *CÆSAR* 6) prodidit. Firmo in Treviris ad pontem præſidio relicto, eduxit trans Rhenum legiones contra Suevos, quorum fuga in ſilvarum latebras cognita, reducendas iſtas ſtatuit. Ne tamen reditus ſui metum Germanis tolleret, partem quidem pontis ultimam, quæ Ubiorum ripas contingebat, in longitudinem CC pedum reſcidit, at in extremo ponte turrim tabulatorum IV conſtituit, eique loco magnis munitionibus firmato, & præſidio præfectum dedit C. Volcatium Tullum 7). Locum ipſum, quo utrumque pontem Cæſar conſtruendum curavit, ſitui ſuo proprie ſatis adſignare vix licet, cum nec ipſe Cæſar præter Ubiorum & Trevirorum fines, quos ille contigit, hac de re ſpeciatim magis quidquam fuerit commentatus. Priori expeditione pontem haud procul a confluente Rheni & Moſæ fluvio iſti fuiſſe impoſitum, inde colligitur, quod eo usque Romanos fugitivis Uſipetibus Tenchteriſque inſtitiſſe, captumque deinde ſtatim a Cæſare Rheni transeundi fuiſſe conſilium, ipſius *CÆSARIS* 8) commentarii fidem

---

2) *Comment. de Bell. Gall.* Lib. IV. Cap. XVI. *ſeqq.* Pontem ipſum, tabula ænea delineatum, editio C. JULII CÆSARIS, ex muſeo JOANNIS GEORGII GRÆVII, Lugd. Bat. MDCCXIII, adornata, lectorum oculis ſubjicit.

3) *In Vit. C. Cæſaris pag. 718. F. 719. A. Tom. I. Oper. edit. Francof.* MDCXX.

4) *Hiſt. Rom. Lib. XXXIX. p. 113. C. D.*

5) Refert CÆSAR *cit. comment. Lib. VI. Cap. VI. partitis copiis ſeſe cum C. Fabio Legato & M. Craſſo Quæſtore, celeriterque effectis pontibus, Menapios adiiſſe tripartito.* Fuerunt pontes illi, quos Cæſar penitius non tangit, Scaldi haud dubie juncti, quem fluvium inter & Moſam ſedes ſuas potiſſimum habuiſſe Menapios, ibique hæc geſta eſſe, oſtendit CHRISTOPHORUS CELLARIUS, *Notit. Orb. Ant. Lib. II. Cap. III. Sect.* XIII. §. CLXII. *pg. 288. Tom. I. ex recenſione* JOANNIS CONRADI SCHWARZII, Lipſiæ, MDCCXXXI.

6) *Lib. VI. Cap. IX.* Conf. DIO CASSIUS *Lib* XL. *pag. 135. D.*

7) Lib. *VI.* Cap. *XXIX.* 8) Lib. *IV.* Cap. *XV.*

fidem faciant, quamquam obviam ibi lectionem dubiis suis vehementer sollicitat *PHILIPPUS CLUVERIUS* 9), ponendum potius Rheni & Mosellæ confluentem ratus, quam contra emendationem copiose disputavit *JOANNES ISAACUS PONTANUS* 10). Sunt hæc paullo abstrusiora, nec certitudinis inde quidquam, nec aliunde capi potest, quæ difficultas magis ex eo redditur impedita, quod nulla hodie utriusque istius pontis rudera, nulla reliquiarum vestigia supersint, quæ de vero situ tutius conjiciendi præbeant occasionem. Uti enim extemporali pæne opera pontes isti fuerunt constructi, ita destinatione sua partim, partim fatorum necessitate non nisi temporarii, nec æternitate atque frequentiori usu suo, uti alia Romanorum opera solent, æque fuerunt memorabiles, ac consilii novitate summaque ipsa gloria, quam e communi Romanorum consensione & adplausu conatui tanto adhuc inaudito, accessisse, luculento indicio est, exhibitum inter publicas & solemnes pompas, quantum ex *FLORI* 11) testimonio colligimus, victi Rheni simulacrum, quum A. U. C. DCCVII. per quatuor dies continuos, de Gallia, Aegypto, Ponto & Africa, Cæsar, *DIONE* 12) teste, triumphos ageret. Et postera sane Romanorum ætas novos & prosperrimos istos Cæsaris conatus, inter pulcherrima facinorum militarium specimina reponendos, & ipso Cæsare cum primis dignos esse censuit; quem ad modum cogitasse secum mihi videtur, qui, cum in fictitio isto Deorum conuivio Cæsari cum Alexandro de virtutis & rerum gestarum principatu contendendum esset, Romano illi heroi verba satis magnifica de iterato Rheni transitu, ad trajectum Alexandri auspiciis Istrum comparato, adfingit *JULIANUS* Imperator 13).

§. V.

RES ROMANORUM CONTRA GERMANOS AUGUSTI CÆSARIS AUSPICIIS GESTÆ, ET GALLIA OMNIS AB EODEM ORDINATA.

Tantorum moliminum, quæ C. Julius Cæsar debellandis aliquot Germaniæ populis, Cisrhenanæ præsertim & Galliæ Belgicæ colonis impendit, fructum tulit ex sorore pronepos, adoptione in gentem Juliam transcriptus, cui omnia Cæsaris facinora, stabiliendo unius dominatui destinata, cesserunt, Octavius Cæsar Augustus. Hoc jam rerum potito, ingravescunt Romanorum & Germanorum bella, & luculentiora paullatim exseruntur indicia, unde non Germaniæ Cisrhenanæ solum, insigni Galliæ Belgicæ portioni, sed & aliis regionibus, quæ Germanis incolis paruerunt, additam provinciæ formam, eoque simul occasionem, viarum militarium muniendarum, Romanis paratam, cognoscimus. Noricum enim circa A. U. C. DCCXXVIII. P. Silius, si *DIONIS*

9) *German. Antiq. Lib. IV. cap. IX. edit. Lugd. Bat.* MDCXXXI.

10) *Disceptat. Chorograph. de Rheni divortiis Part. I. Cap. V. p. 27.*

11) *Lib. IV. Cap. II. pag. 212.* 12) *Lib. XLIII. pag. 223. B.*

13) *in Cæsar. pag. 320. Oper. ex edit.* EZECHIELIS SPANHEMII, *Lipsiæ*, MDCXCVI.

DIONIS CASSII 1) suffragium recte capimus, imperio Romano subdidit, quamvis tantæ accessionis partæ gloriam *VELLEIUS PATERCULUS* 2) adsignet Tiberio suo, cui certiori quidem jure competit laudis, ob Vindeliciam Rhætiamque provinciis Romanorum adjectam, cum Druso fratre societas 3), *VENUSINI VATIS* 4) carminibus æternitati consecrata. Melioribus auspiciis, quam Romanorum ante quisquam alius, contra Germanos porro bellavit Drusus, quo Imperatore ad Albim usque Romanas aquilas prolatas esse, superiori loco notavimus. Quanta cura, quantove successu tam pulcris victoriarum primordiis, post præmatura Drusi fata, institerit Tiberius frater, loquuntur acceptus in deditionem, & in Galliam translatus Sigambrorum populus 5) subacti deinde Caninefates, Attuarii, Bructeri, recepti Cherusci, Visurgis amnis transitus, hiberna ad caput Luppiæ fluminis locata 6), perlustrata porro armis tota Germania, receptæ Chaucorum nationes, fracti Langobardi, Romana classis Albi subvecta, & eo usque perductus cum signis exercitus 7), Suevi denique & Maroboduus Rex pace obstricti 8), & datus Germaniæ præfectus, C. Sentius Saturninus, periculorum æque ac triumphalium post ea honorum Tiberii socius 9), ejusque in locum subrogatus, Quinctilius Varus 10) cui ab Arminio, Cheruscorum Principe, illata clades omnium in Germanos Transrhenanos moliminum fructu, quantumcunque spe præceperint, Romanos defraudavit, & Germaniæ Magnæ libertatem restituit. Et hac tam gravi, nec opinata rerum commutatione factum est, ut Augustus, jam florentissimo imperio pæne defunctus, ne in ulla quidem Germaniæ parte potuerit efficere, aut quodam effectum modo conservare, quod sub prima olim dominatus initia in universam Galliam ipsi licuit, quam & provinciam Romanam constituit, & ut constitutam retineret, solicite ad modum prospexit. Facta enim cum Senatu provinciarum divisione, Augustum Galliam sibi omnem sumsisse, *DIO CASSIUS* 11) auctor est, qua simul utramque Germaniam Cisrhenanam, superiorem & inferiorem, sive quo nomine posthac reperitur frequentata, primam & secundam, contineri adnotavit. Eundem Imperatorem paullo post Narbone conventum, & a tribus Galliis censum egisse, *LIVII EPITOMATOR* 12) refert, cui consentit plenius *DIONIS* 13) testimonium, Augustum componendis Gallicis rebus, agendoque Gallorum census, & vita & re publica formanda, aliquantum temporis extraxisse. Ea igitur tempestate Galliæ

1) Lib. LIV. pag. 534. D. 2) Hist. Rom. Lib. II. Cap. XXXIX. 3) DIO CASSIUS Lib. LIV. p. 536. 4) Carm. Lib. IV. Od. IV. v. 17. seqq. Od. XIV. v. 10. seqq.

5) C. SUETONIUS TRANQUILLUS in Octav. Cæsar. August. Cap. XXI. Conf. TACITUS Annal. Lib. II. Cap. XXVI. HORATIUS Carm. L. IV. Od. XI. v. ult.

6) VELLEJUS PATERCULUS Lib. II. Cap. CV.

7) IDEM ibid. Cap. CVI. Conf. DIO CASSIUS Lib. LIV. p. 567. E.

8) TACITUS Annal. Lib. II. Cap. XXVI. Conf. Cap. XLVII.

9) DIO CASSIUS Lib. LIV. pag. 567. F.

10) IDEM Lib. LVI. pag. 582. D. VELLEJUS PATERCULUS Lib. II. Cap. CXVII. seqq.

11) Lib. LIII. pag. 503. D. seqq. 12) Lib. CXXXIV. 13) Lib. LIII. pag. 512. B.

Galliæ divisionem in Aquitanicam, Celticam & Belgicam, hujus præsertim in Galliam Belgicam, speciatim sic dictam, & Germaniam Cisrhenanam, Germaniæ Cisrhenanæ in primam & secundam 14), aut effictam noviter, aut rectius fuisse ordinatam, ad veri similitudinem proxime accedit.

§. VI.

VIÆ MILITARES, AUGUSTO CÆSARE, PER GERMANIAM CISRHENANAM DISPOSITÆ.

Rebus itaque per universam Galliam tanta cum cura ordinatis, nullum est dubium, quin de viis per eam disponendis, cogitaverit Augustus, eumque cum effectu hac de re cogitasse, præsto sunt idonea satis testimonia. Illius enim auspiciis M. Vipsanius Agrippa per amplissimum Galliarum tractum quatuor vias aperuit, unam per Cemmenos montes, in Aquitaniam & ad Santones usque, alteram ad Rhenum, tertiam ad Oceanum per Bellouacos & Ambianos, quartam in Narbonensem Galliam & ad littus Massiliense, uti *STRABO* 1) disertis verbis exposuit. Plenius de istis viis, earumque munitarum rationibus & æra constaret, nisi *AGRIPPÆ* commentarios de Gallia, quorum *PLINIUS* 2) meminit, superioris temporis injuria ætati nostræ invidisset. Quibus dum caremus, conquirenda erunt aliunde præsidia, ex quibus ea cum primis, quæ ad alteram viarum istarum pertinent, quo scilicet ordine *STRABO* istas persequitur, tamquam instituto nostro propiora, depromantur. Porrecta sane fuerit via ista Lugduno ad Rhenum quam longissime oportet, maxime, si ad eam, quod sagaciores arbitrio suo definiant, tamquam portio aliqua pertinuerit via, quam a Lugduno Batauorum Argentoratum, & quæ itineris hujus intermediæ sunt mansiones, a Treuiris Agrippinam, ab iisdem Argentoratum, item a Colonia Trajana Coloniam Agrippinam, in *ANTONINI AUGUSTI ITINERARIO* 3) designatam legimus, & quæ aliquot saltem stationibus interjectis, ab isto discedit, *PEUTINGERIANA TABVLA* 4). Alia & luculentiora viæ istius vestigia, a quopiam lecta aut indicata, non memini. Quæ conjiciendo enim proponit *BERGIERIUS* 5),

 commo-

14) Conf. STRABO Rer. Geograph. Lib. IV. pag. 268. A. Tom. I. editio Amstelod. MDCCVII.

1) *Rer. Geograph. Lib. IV. pag. 318. Tom. I.*

2) *Hist. Nat. Lib. IV. Cap. XVII.* STRABONEM quoque *Rer. Geograph. Lib. IV.* eosdem AGRIPPÆ commentarios memorasse, quod ὡς ἐν παρόδῳ notamus, perhibet ÆGIDIUS BUCHERIUS *Belg. Rom. Eccles. & Civil. Lib. I. Cap. IX. pag. 22.* At mihi non liquet, & integro isto STRABONIS libro perlustrato, licet, ne quid dissimulem, remissiori aliquantum cum cura, nihil eorum explorare potui. Poterunt fortassis alii, quibus ea pressius investigandi otium est & voluptas. Inter ea STRABONEM, sola BUCHERII fide, in partes vocare vix ausim.

3) *pag. 83. 84. edit. Colon. Agripp.* MDC.

4) *pag. 727. 730. seqq.* in MARCI VELSERI *Operibus*, a CHRISTOPHORO ARNOLDO, *Norimb.* MDCLXXXII. una editis.

5) *Lib. I. Cap. XXIX. §. VI. pag. 111.*

commoditate hujus viæ, recens tunc temporis stratæ factum esse, ut Tiberius, ad ægrotantem in Germania Drusum fratrem abiturus, una nocte ac die CC millia passuum tribus vehiculis, uti *PLINIUS* 6) refert, emensus fuerit, incerta sunt, nec inde quidquam lucis fœneratur via ista, quantacunque cum cura *DIONIS* 7) testimonium de itinere Tiberii huc conferatur, quod apprime consulendum commendat *JOANNES HARDUINUS* 8). Neque istud jam definire possumus, an ea Lugduno ad Rhenum via ad æternitatem ferendam ab Agrippa, perinde fuerit composita ac alia, per Bellouacos & Ambianos ad Oceanum, eodem auctore, ducta, quam & *ITINERARIUM* servat *ANTONINI* 9) & *PEUTINGERI TABULA* 10) & sua ætate, tangit hæc autem priores sæculi XVII annos, ultra dimidium ejus cursum provecta, visam esse, imo se ipsum ex parte obiisse, adfirmat *ÆGIDIUS BUCHERIUS* 11). Stravit Agrippa vias istas, quantum conjiciendo adsequi licet, circa A. U. C. DCCXVII, & qui proxime subsequuti sunt, quo tempore ipsum sacra Augusti Cæsaris vice, cum æmulis adhuc de rerum summa decertantis, Galliis præfuisse, bellum cum Gallis ab eo gestum, & trajectum Rheni flumen, *DIONI CASSIO* 12) memoratum, & Aquitanica illius victoria ab *APPIANO* 13) indicata, suspicari jubent. Notandæ sunt veræ viarum istarum origines tanto curatius, quanto futiliores sunt *NICOLAI REUCLERI*, quem Hannonia circa sæculi XII & XIII confinia poetam aluit, nugæ de Bauone, antiquissimo Trojani sanguinis heroe, Priami patruo, novo post excidium Trojanum Galliarum incola, viarumque istarum conditore, aut *CLAREMBALDI*, *HUGONIS TULLENSIS* & *LUCII TUNGRENSIS* de Brunehaldo, Bauonis trinepote, viarum earundem auctore, fabulæ, non inepta minus, qui nugatoribus istis nimia credulitate indulget, *JACOBI DE GUISE*, opera conciliatæ; quanto denique longius a veri specie distat plerorumque opinio, qui ejusdem instituti gloriam, sexcentis itaque circiter annis serius partam, ad Brunehildin, Austrasiæ Reginam referunt, *SIGEBERTI GEMBLACENSIS* procul dubio, & *ANNALIUM BERTINIANORUM* testimonio, de Reginæ illius ædificiis, decepti; quorum uniuscujusque commenta uberius recensuit & explosit *BERGIERIUS* 14). Nobis commemorasse saltem sufficiat caussæ speciem, unde nugosas istas de harum viarum origine commentationes, obstetricante illepidorum ingeniorum vertigine, quæ fictio-

6) *Hist. Nat. Lib. VII. Cap. XX.* 7) *L. LV. pag. 549. A.*

8) *in not. ad* PLINII *Hist. Nat. cit. loc. n. 16. pag. 386. Tom. I. edit. Paris.* MDCCXXIII.

9) *pag. 81.* ubi exhibetur Lugduno Gessoriacum usque iter, Morinorum, quos *extremos hominum* VIRGILIUS *Aen. Lib. VIII. v. 727.* vocat, in freto Britannico portum, qui an cum oppido fuerit conjunctus, idemne cum Icio portu, divisæ sunt inter rerum harum scrutatores sententiæ, copiosius recensitæ a C. CELLARIO *Notit. Orb. Antiq. Lib. II. Cap. III. Sect. XV. §. CLXXXVIII. seqq. pag. 30. Tom. I.*

10) *pag. 727. & 730.*

11) *Belg. Rom. Eccles. & Civ. Lib. I. Cap. IX. §. 7. pag. 22, 23.*

12) *Lib. XLVIII. pag. 389. D.*

13) *de Bell. Civ. Lib. V. p. 1149. Tom. II. Oper. ex edit.* ALEXANDRI TOLLII, *Amstelod.* MDCLXX.

14) *Lib. I. Cap. XXVI – XXIX. pag. 98. seqq.*

fictionibus absonis & inficetis excoluerunt, enatas esse, veri est simillimum. Reperire illam cum aliis rerum istarum scrutatoribus mihi videor in solo fere nomine, quo vias illas frequentavit posteritas. Præter *viarum* enim *ferratarum* titulum, Gallis *chemins ferres*, adpellatione magis vulgata, cujus quidem me non adsequi caussas & origines, ingenue fateor, *calceja Brunehildis*, Gallicano sermone, *chaussées de Brunehault* dici consueverunt. Quod si quis tamen ex fabulis potius nomen, quam ex nomine fabulas efformatas repetere malit, nihil metuat, ne dicam ipsi scribamus, nullius pretii causam acrius peroraturi. Cum in Galliarum viis adhuc morati sumus, quæ Cæsaris Augusti auspiciis stratæ sunt, breviter divertendum erit in Belgicas istas, quas ordinatis, uti superius dictum est, Galliarum rebus ab eodem Imperatore munitas fuisse, *BUCHERIUS* 15) suspicatur. Recenset iste, oculatus testis, octo ejus modi vias, Bauaco, celebri cum primis Belgii urbe, huc istuc deductas, suo, quo ipse vixit, sæculo satis conspicuas, qua de caussa non præter rem visum est integra ejus verba his subjicere. Ego vero, licet rei hujus generis disquirendæ, cum idoneorum testium suffragiis destituaris, plurimum cautionis adhibendum esse, non diffitear, probabili ad modum studio ingenioque istam *BUCHERII* conjecturam, si generatim ad ea, in quibus versatur, respicias, efformatam esse sentio. Dispositæ fuerunt ab Augusto per Germaniam Cisrhenanam octo legiones, quatuor per inferiorem, prima scilicet, quarta, vicesima, & una & vicesima; quatuor per superiorem, nominatim secunda, tertia decima, quarta decima & sexta decima, quarum stativa luculentius ex *TACITI* 16) descriptione colliguntur, totidemque legiones, præcipuum robur Rhenum juxta, commune in Germanos Gallosque subsidium, sub Tiberio fuisse, quem modo adlegavimus, *TACITUS* 17) commemorat. Rebus igitur tunc temporis, per universam Galliam & Germaniam Cisrhenanam, pacatis, facile ut credamus, adducimur, Augusti præcipuam curam in id incubuisse, ne adsuetus expeditionibus miles otio lasciviret, ad conficiendas potius publicorum operum machinas adigendus. Patrocinantur hisce conjecturis nostris tumultuantium, sub Augusti excessum, legionum querelæ, apud *TACITUM* 18), quando coram Germanico sedatum rebelles animos adprope-

15) *cit. loc.* Lib. I. Cap. XII. §. 19. pag. 31. *Vias quoque militares hac ordinatione sequentibusve, ab eodem Augusto, sicut & paullo ante a M. Agrippa, ac deinceps ab aliis, per Galliam duci cœptas, nullus dubito. Hoc enim anno, prius quam ex Italia in Gallias adveniret, vias extra urbem ipse aliique reficiendas curaverant. Quanto magis in Galliis, ubi tanto pauciores? Eas etiamnum in Belgica nostra superstites, & labore herculeo rectissima procedentes, non sine admiratione videmus & calcamus, a cujusvis gentis capite, ad quodvis aliud sine ullo deviandi metu ducentes. Bauaco quidem octo emanant, quarum una Coloniam Agrippinam per Tungros; altera per Mosæ superiora propter Dionantum, & per Ardennam, Augustam usque Trevirorum; tertia Durocortorum Remorum; quarta Augustam Veromanduorum; quinta per Cameracum, leva quidem Bapalmas & Samarobrivam Ambianarum, hodie* Amiens, *dextera Nemetacum Atrebatum, Taruanam Morinorum & Bononiam ad mare; sexta Virsoviacum, hodie Vernik ad Lisam, Castellum Morinorum,* Cassel, *Marcis ad littus Saxonicum, hodie Flandricum,* Mardyck; *septima Gandavum in Menapios; an & inde ad Oceanum? octava denique per Enghien, Keister, Asche in Brabantiam, Rheno Trajectum, hodie Ultrajectum, tendebat. Hæ scilicet tunc erant illustriores Belgii urbes.*

16) *Annal.* Lib. I. Cap. XXXVII. Conf. Cap. XXXI. 17) *Annal.* Lib. IV. Cap. V. 18) *Annal.* Lib. I. Cap. XXXV.

rante, duritiam operum exprobrant, propriisque incusant nominibus vallum, fossas, pabuli, materiæ, lignorum adgestus, & si qua alia ex necessitate aut adversus otium castrorum quæruntur. Fuit fortassis Germaniæ Cisrhenanæ incolis eadem fortuna subeunda, quam victos a Romanis populos, inter alias servitiorum molestias expertos esse, Britannis suis exponit *GALGACUS* 19), ut ipsa corpora nimirum, & manus, silvis ac paludibus emuniendis, verbera inter ac contumelias adtererent. Sed his pretium esto statutum, quod conjecturis solet. Nec illa ego ausim ad vias, sive a *BUCHERIO* recensitas, sive alias per Galliam Belgicam, aut Cisrhenanam Germaniam, Augusto Imperatore fortassis dispositas, temere transcribere.

§. VII.

DRUSI FOSSA. EJUSDEM PONTES RHENO JUNCTI.

Accedendum jam propius est ad Magnæ Germaniæ oram. Immo quid vetat, quin transeamus tandem, Augusti Cæsaris auspicia sequuturi, e Cisrhenana in Transrhenanam Germaniam, curiosius spectatum magnifica Romanorum opera, & præsertim, an, quæ ad viarum munitiones pertinent, hujus intra fines reperiantur. Celebrantur ab illius ævi scriptoribus complura monimenta, Drusi ductu per utramque Germaniam hinc inde disposita. In primis huc referenda sunt castella, quæ per Mosam flumen, per Albim, per Visurgim, & maxime per Rheni ripam, quinquaginta amplius, eundem direxisse, *FLORUS* 1) adnotavit, de quibus evolvi merentur *BUCHERII* 2) conjecturæ. Nostrum est, missis aliis, quæ Drusi nomini pepererunt immortalitatem, de viarum cura, qua nova iste decora sibi adleruit, succinctis commentariis exponere, quamquam ita fortuna tulit, ut viæ per paludes & aquarum fluctus potius, quam per terræ jugera, & pronos agrorum campos parandæ, Drusi studia exercuerint. Arduum & gravissimum opus est fossa illa, Rheni, bicornis hactenus, exitus tripartito dissectos efficiens, quam Drusi nomine celebrem testatur *TACITUS* 3) & *SVETONIVS* 4) uberius, mutuis dissensionibus inter se certantes, descripserunt *CLVVERIVS* 5) & *PONTANUS* 6) & qui primo loco erat nominandus, dignus maxime, qui hac de re consulatur, *MENSO ALTINGIVS* 7). Nihil nos horum observationes, oculatorum utpote arbitrorum, conjecturis nostris incertioribus interpungimus, nec enarrandis eorundem sententiis immoramur, quarum compendiariam notitiam suppeditat *CHRISTOPHORVS CELLARIVS* 8). Propius Germaniæ Magnæ terminos adtingunt bini pontes,

19) apud TACITUM *in vit. Jul. Agricol.* Cap. XXXI.

1) Lib. IV. Cap. XII. pag. 232. 2) Lib. I. Cap. XVII. §. 12. p. 43. 3) *Annal.* Lib. II. Cap. VIII. 4) *in Tib. Claud. Cæs.* Cap. I.

5) *German. Ant.* Lib. III. Cap. XVII. p. 565.

6) *Discept. Chorograph. Part.* I. *passim.*

7) *Notit. Germ. Infer.* P. I. D. III. p. 54. F. X. pag. 67. N. I. pag. 100.

8) *Notit. Orb. Antiq.* Lib. II. Cap. III. §. X. seqq. Tom. I. pag. 210.

tes, Rheno fluvio a Druso impositi, quibus Bonnam & Moguntiacum junxisse, *FLORUS* 9) perhibet, eo cum primis memorabiles, quod omnium qui perpetuos in usus trans Rhenum producti sunt, pontium hi haud dubie habeantur antiquissimi, quorum mentionem veteres scriptores injecisse reperiuntur. Utrum ex iisdem pontibus alter, an alius fortassis, aliive fluvio inter illarum regionum confinia præterlabenti eadem fere ætate impositus, habendus sit iste, quem apud Treuiros, qui post Mediomatricos & Tribocchos Rheno adjecerunt, a Romanis imperatoribus contra Germanos belligerantibus ea tempestate, qua suos videlicet rerum geographicarum commentarios consignavit, ædificatum esse *STRABO* 10) memorat, non satis liquet. Temporis sane rationes nihil refragantur, quo minus ad Drusi expeditionem trahi queat *STRABONIS* suffragium, quem Augusti Cæsaris temporibus æqualem fuisse inter omnes constat. Cui tamen argumento si tantum adtendere velis, interpretem ages nihilo magis violentum, ubi aliis exercitus Romani ducibus pontis trans Rhenum, vicinosve illi fluvios strati gloriam ex illo vindicaveris. Quis enim nescit, diuturna satis Augusto cum Germanis fuisse bella, nec uno alterove anno composita, & complurium ducum imperiis agitata, quorum quis illius pontis conditor fuerit, certe satis vix evinci poterit, nisi extra omnem controversiam posueris, quod effectu videtur omnino difficillimum, quo proprie anno libros suos istudque de hisce pontibus suffragium *STRABO* perscripserit. Qui porro cum apud Treviros, quos inter Rhenum & Mosam circa Mosellam maxime habitavisse novimus, pontem istum ædificatum esse perhibeat, æque Mosæ aut Mosellæ ac Rheno junctus esse potuit. Mosæ pontem satis longo post annorum intervallo, a Claudio Labeone, ubi contra Civilem bellavit, anteceptum *TACITUS* 11) meminit, quem aut Leodicum aut Trajectum Mosæ, aut initium saltem alterius utrius urbis conjunctum habuisse, *CELLARIUS* 12) pontis Mosæ fortassis nomine Romanis Mosæ Trajectum memoratum fuisse, *ALTINGIUS* 13) suspicatur. Nihil nobis in hæc curatius inquirendum sumimus, quibuscum una conjecturam mittimus, an forte, quem allegavimus, pontis Mosæ origines ab ista *STRABONIS* narratione sint repetendæ. Parum expedit disputare de operum ejus modi instauratoribus, quos ignorare nos voluit æqualium scriptorum incuria. Ea profecto bellorum Germanos inter & Romanos agitatorum frequentia est atque ratio, ut suspicari ultro nos jubeat, fluvios, qui utriusque Germaniæ confinia fere adluunt, quorumque numero præter Rhenum Mosa & Mosella habentur, sæpius subactos fuisse Romanorum pontibus, quos scriptores rerum, ea tempestate gestarum, aut indictos omnino neglexerunt, aut alia monimenta ita saltim transmiserunt ad posteritatis notitiam, ut præter conditoris nomen nihil plane pervenerit. Exemplo hujus rei adferimus lapidem, tabernis Rhenensibus in Alsatiæ tractu conspicuum, quem *JANUS GRUTERUS* 14) exhibet, pontium trans Rhenum haud dubie, a

9) Lib. IV. Cap. XII. p. 232. 10) Rer. Geograph. Lib. IV. Tom. I. p. 295.

11) *Hist. lib. IV. cap.* LXVI.

12) *Cit. loc. lib. II. cap. III. Sect.* XI. §. CXXXIV. *Tom. I. pag. 279.*

13) *Cit. loc. P. I. Q. 1. pag. 106.* 14) *Corp. Inscript. CLXIII. 5.*

IN. H. DD.
L. SILVANIUS
PROBUS
PONTES. D. S. DD.

L. Silvanio Probo constructorum præconem, de quorum ætate occasione alisque fatis frustra quæsiveris. At revertamur ex hoc diverticulo, in quod deflexi sumus, operæ atque curæ vestigia exploraturi, quam viis in Germania ordinandis Drusus impendendam arbitratus est. Non est, cur huic heroi laudis hujus augmenta ficulneis conjecturis conquiramus, cui ad eam obtinendam sufficit uterque pons Rhenanus, luculento *FLORI* testimonio, ad quod ante provocavimus, eidem auspici & auctori adsignatus. Meruit sane vel hac viarum cura Drusus triumphalem arcum in principe Romanarum via, Appia, honoribus ejus positum 15), cujus fragmentum sistit *JANUS GRUTERUS.* 16) Et majora fortassis curæ hujus daturus fuisset Drusus specimina, nisi præceps ex equo lapsus fata fere adhuc juveni maturasset, unde accidit, ut Tiberio fratri, quæ Drusus in Germaniam tam belle conari cœpit, expediunda cederent.

§. VIII.

DOMITII PONTES LONGI.

Quantum Tiberius auspiciis Augusti Cæsaris contra Germanos bellando effecerit, succincta narratione supra nos persequutos esse meminimus, de opere quodam expositiuri hoc loco, quod videtur susceptas sub ejusdem ductu viarum in ipsa Germania Magna munitiones ostendere. Domitium scilicet Ahenobarbum, Neronis Cæsaris avum, exercitu flumen Albim transcendisse, longius penetrata Germania, quam quisquam priorum, eamque ob rem insignia triumphi adeptum, *TACITUS* 1) memorat, cumque ornamentis e Germanico bello triumphalibus clarum vocat *SUETONIUS* 2). Vivendo iste adtigit extrema Augusti tempora, cujus in testamento familiæ pecuniæque emtorem fuisse, idem *SUETONIUS* 3) auctor est. Rite igitur excussis & temporum rationibus & quibus ceteroquin adtendendum est, Tiberio belli comitem, quo circa A. V. C. DCCLIV. Caninefates, Attuarios & Bructeros subegit, sagacissimi rerum antiquiori ævo gestarum scrutatores conjiciunt, quorum partes firmat eximiæ auctoritatis adsensione, quem honoris caussa nominas, Vir illustris *JOANNES JACOBUS MASCOVIUS* 4). Expeditionis ejus in Magnam Germaniam a Domitio confectæ, monimentis annon adnumerandum sit celebre oppidum, in ditione Daneburgica superstes, *Demitz* adpellatum, modestam uti par est in rebus incertioribus, conjecturam proponit *BUCHERIUS* 5) dubio arbitrio relictam, quam definiant sagaciores. Definiat nostra pace cuicunque vacaverit. Nostrum est redire ad ea, de quibus dicere instituimus. Aggeratus est ab illo Domitio vastas inter paludes trames, qui pontes longi dici consueverunt; quos ut post ea, vetustate ruptos, reponeret, & una cum inferioris Germaniæ legionibus superaret, quum A. Cæcina Germanici Legatus daret operam, Romanorum exercitum Arminio duce, a Germanis vehementer infestatum, & nocte demum adversæ pugnæ inclinantes jam legiones exem-

15) SUETON. *in Claud. cap. I.* 16) *Corp. Inscript.* CCXXXVI.

1) *Annal Lib. IV. Cap. XLIV.* 2) *in Ner Claud. Cæs. cap. IV.*

3) *Cit. loc.* Conf. IDEM *in Octav. Aug. cap. CI.*

4) *in den Geschichten der Teutschen, Lib.* III. §. XXI. *Tom. I. pag. 72.*

5) Lib. I. cap. XXIV. §. 6. p. 57.

exemtas esse, *TACITO* 6) auctore novimus. Quos per agros trames iste aggeratus fuerit, varie solet disceptari. Patuisse a Veteribus inde Castris ad Alisonem, eodemque fuisse situ, quo nunc etiam vasta satis palus in medio oppidorum *Ham*, *Alem* & *Lurighusen* sternitur, longitudine decem circiter millium, conjectura est *CLUVERII* 7). At eum potius esse, qui suo adhuc ævo exstabat & usui erat, per paludes ac uligines haud procul Amisia, inter Lingam Weddam & Cœvordam, arbitratur *LIPSIUS* 8) cui adsensum præbet *ALTINGIUS* 9). Fuerunt sane pontes isti longi, quantum ego suspicor, perducendarum saltem per paludes legionum caussa ita dispositi, ut necessitati potius inserviret, quam ornamentorum aut commoditatis aliis procurandæ rationem haberet conditor illorum Domitius. Viam fortasse militarem in his pontibus deprehendi eo non nemo arbitretur, quod ipse *TACITUS* refert, ipsos fuisse aggeratos, cujus verbi usus ex Romanorum instituto ad viarum munitiones pertinet. Sicuti enim extrema viarum latera margines vocari consueverant, eorumque structuræ marginandi vox vulgo adhibita fuit, ita usu venit, ut mediæ viæ pars quæ præcipua erat, & utroque margine quasi adstricta, illoque multo editior, aggeris nomen ferret, & aggerari diceretur. Apte utrumque, ni fallor, pro ipsa videlicet operis constructione. Unde universam harum munitionum rationem nobis veluti ob oculos positam intuemur, quando vias sternendas silice in urbe, glarea extra urbem substernendas marginandasque *T. LIVIUS* 10) memorat, ubi substernendi vox haud dubie ad mediam viarum partem, aggerem dictum, refertur, neque alio, quam ipsum aggerandi verbum, pollet significatu. Ipsius aggeris & formam & materiam describit *ISIDORUS* 11), qui ab historicis eum viam militarem dici adnotat, eamque in rem *VIRGILIUM* 12), suppresso licet nomine attestatur. Cujus tamen ex enunciatione cum parum patrocinii addi videatur posteriori huic *ISIDORI* positioni, dabimus ipsi binos suffragatores alios, certos magis & luculentos, historicum alterum, alterum poetam, *AMMIANUM* scilicet *MARCELLINUM* 13), & *SIDONIUM APOLLINAREM* 14), quibus auctoribus certe illud evi-

6) Lib. I. cap. LXIII. LXIV. 7) Lib. III. cap. IX. pag. 541.

8) *in not. ad* TACIT. *Annal.* Lib. I. cap. XLIII. *ad verb.* angustus is trames.

9) *Part. I. D. I. p. 53.*

10) *Hist. Lib.* XLI. *Cap.* XXVII.

11) *Orig. Lib. V. Cap. XVI. pag. 374. Agger est media stratæ eminentia, coaggeratis lapidibus vel glarea aut silice strata ab aggere, id est, coacervatione dicta, quam historici viam militarem dicunt.*

12) *Æn.* Lib. V. *u.* 273.

Qualis sæpe via deprensus in aggere serpens.

13) *Rer. Gest.* Lib XIX. *pag.* 156. *Tamquam itinerario aggere vel superposito ponte complanatum spatium. - - - patefecit hostibus transitum.* IDEM Lib. XXI. *pag.* 204. Ubi lux excanduit tertia, morarum impatiens, percussis aggeribus publicis succus, nemine auso resistere, præsidiis occupavit.

14) *in propemt. ad Libell. Carm. XXIV. u. 5. seqq.*

Antiquus tibi nec teratur agger,
Cujus per spatium satis vetustis
Nomen Cæsareum viret columnis.

Conf. EIUSDEM *epitaphium*. Appollinari avo suo positum, quod exstat *Epist. Lib. III. Epist. XII. v. 3. seqq.*

evictum iri confidimus, quod aggeris vocabulum ad vias publicas sive militares transferri consueverit. Eidem notioni signandæ *aggeris publici* nomen adhibent Imperatoriæ Constitutiones 15.) At quotcunque quantæque auctoritatis perscripta hanc in rem suppetant testimonia, inde tamen universali consequutione deducere nemo ausit, aggeris nomen aut aggerandi mentionem, ubicunque facta occurrerit, ita semper ad viam publicam seu militarem esse pertrahendam, ut alii significatui locus relinqui plane non possit, quantumvis reliqua narrationis capita contrariam sententiam suadere videantur. Si qui futuri sint, qui eum in modum hac de re statuant, illi profecto secum nos consentientes non habent, & quorum dissensus longe acrius vellicabit istam opinionem, optimos scriptores frequenti satis usu sibi adversos facile deprehendent. Adscribimus eorum numero ipsum *TACITUM*, qui de pontibus longis a Domitio aggeratis exponens, plenius hæc de illius vocabuli usu & potestate disputandi occasionem nobis suppeditavit, & sententiam nostram, si recte capimus illius verba, egregie confirmat. Quanto enim opere viarum militarium moli convenire videatur aggerandi vocabulum, quod describendæ istorum pontium constructioni commodat, a viæ publicæ tamen forma, qualem Romani quidem soliti sunt efficere, longe remotior est, quam laudatus auctor iisdem addit, *angusti tramitis* adpellatio. Neque igitur pontes isti a Domitio muniti, si recte animum advertas ad eorum descriptionem, quam *TACITUS* succincte consignatam tradidit, ex Romanorum instituto, elogium publicæ vel militaris viæ tueri, neque adsertionem nostram superiori loco positam, nullas Romanorum vias militares patuisse per Germaniam Transrhenanam, si quis vel maxime pontes hos longos Domitianos eo usque productos esse, cum *CLUVERIO* statuat, imo plane aliquando evicturus sit, poterunt quidquam evertere.

§. IX.

LIMITES AGGERESQUE, INTER ALISONEM AC RHENUM A GERMANICO EDITI.

Tiberio Imperatore post Augusti obitum rerum potito, Germanicus Drusi filius ultioni Varianæ cladis a Germanis exigendæ, nuper jam ab Augusto destinatus, cum Arminio in primis Cheruscorum Principe, quam acerrime bello decertavit, ipso patre longius per Germaniæ fines grassatus. Quantacunque tamen edita his in bellis ab ipso fuerint facinora, parum ad modum deprehenditur, ex quo conjici possit, vias ab eo in Germania, sive Cisrhenana, sive Transrhenana fuisse munitas. Temere nimis hæc edixisse videbimur, si quis forte meminerit, quæ *TACITUS* 1) memoriæ prodidit, a Germanico, cum expeditum exercitum in Cattos raperet, L. Apronium fuisse ad munitiones viarum & fluminum relictum. Et habent profecto istæ viarum munitiones, quorum argumento ad viarum militarium similitudinem referri queant, maxime si a potiore fine illam efformandam esse arbitreris. Est enim idem illis communis, ad perducendas legiones compositus. Nihil tamen mutamus nostram enunciationem, quam valde confirmant luculentæ discriminis notæ, quod istas

15) L. 2. *Cod. Theod. ne quis in palat.* L. 5. *C. Th. de itin. mun.*

1) *Annal.* Lib. I. Cap. LV.

istas viarum munitiones L. Apronio commissas, & usitatas Romanis viarum militarium rationes intercedere deprehenditur. Edisseremus jam unicam, reliquis notatu digniorem, facile statim observatam, quando utrumque viarum genus destinationis suæ diuturnitate dimensi sumus, quo sane respectu longe discrepare suspicamur. Quod enim summum magnitudo, & materiarum durities, & incredibilis pæne laborum fervor ultro loquitur, Romanis viam militarem aggerantibus illud erat consilium, isque ordinarius finis, ut stratorum ejus modi usus, uno alterove legionum transitu haud desineret, sed iisdem potius finibus, quotcunque nimirum vicibus ad eos contendendi necessitatem impositura foret occasio, quam sæpissime obsecundaret, & mercium vecturæ, aliisque viatorum quorumcunque rationibus inserviret, immo perpetuitatem suam ad remotissimam inde posterorum seriem transmitteret. Contra Germanicus, quum contra Cattos profectus, ad viarum & fluminum munitiones relinqueret militarem manum, vix de tanti operis æternitate, sed uti bonum & providentem Imperatorem decet, de eo cum primis cogitavit, ut ex terra hostili, horrida, inculta, silvis & paludibus multum impedita, quam ingressurus jam erat cum legionibus, reditus aliquando pateret, ideoque visum est, L. Apronium una cum manipulis aliquot vias a tergo tuendis præficere. Suadebat istam cautionem, uti *TACITUS* subnotavit, regionis cœlum, ex cujus temperie, cum siccitate & amnibus modicis inoffensum iter properavisset, imbres & fluminum auctus regredienti metuebantur. His itaque probe inter se in vicem comparatis, istas viarum munitiones ita capiendas esse crediderim, ut Apronium constitutum fuisse ostendant, qui præsidio militari commodum regionis tractum occuparet, & dispositis quasi stationibus regrediendi libertatem universo exercitui tueretur. Neque porro ad vias militares ego trahendos esse crediderim novos limites aggeresque, quibus cuncta inter castellum Alisonem ac Rhenum permunivisse Germanicum, *TACITI* 2) fide, compertum habemus. Fraudi non erunt huic positioni, quæ paulo ante adtulimus de aggeris significatu, ad vias publicas haud infrequenter translato. Quo enim minus eum in sensum hic accipiamus, prohibet additum limitis vocabulum, quo diversa plane a viarum aggeribus munimenta definiuntur. Exstant hodienum limitum aggerumque hujus modi reliquiæ, & late per inferioris comitatus Cattimelibocensis tractum, & Wetterauiæ Hassiæque superioris agros patent, diligentius a *JOANNE JUSTO WINKELMANNO* 3) descriptæ. Quæ tamen utrum aggeris ejus, a Germanico editi, an aliorum limitum, quales post eam ætatem Romani sæpius præsidii caussa istis in terris disposuisse perhibentur, portio sit habenda, definitu mihi paullo videtur difficilius. Id sane ut constet, futurum puto, aggeres istos limitesque valli loco & præsidii fuisse conterminis Romanorum sive castris, sive provinciis, nec potiori jure ad viarum munitiones referri, quam istud P. Aelii Hadriani & M. Aurelii Probi vallum & murum, nostro adhuc sæculo per agri Nordgauiensis, vicinarumque ditionum tractus, ruderibus suis hinc inde satis conspicuum, de quo peculiaribus libellis commentatus est Vir Clarissimus *JOANNES ALEXANDER DOEDERLINUS* 4).

2) *Annal. Lib. I. Cap. VII.*

3) *in der Beschreibung der Fürstenthümer Hessen und Hersfeld*, Part. I. Cap. IV. pag. 229. ubi adnotat, aggeres istos vernaculo nomine plerumque *die Pohlgraben*, perperam ab aliis *Pfahlgraben* dici.

4) Prodiit primum laudati auctoris *Schediasma Historicum de Imperatoribus P. Ael. Adriani, & M. Aurelii Probi Vallo & Muro*, latino stilo exaratum. *Norimb.*

§. X.

CORBULONIS FOSSA.

QUæ jam sub reliquis Imperatoribus, qui primo post partam humano generi salutem sæculo functi sunt imperio, viarum militarium in Germania explorentur vestigia, nulla sunt, aut sane perquam tenuia. Ne tamen præcipiti nimis discessu ordinis filum deseruisse arguamur, breviter ea exponere animus est, quæ ad Romanorum curam vias in Germania ordinandi, generaliori aliquantum ratione sunt referenda. Probato hoc consilio indicanda est fossa, quam inter Mosam Rhenumque, ut miles otium exueret, trium & viginti millium spatio præduxisse Corbulonem, exercitus per inferiorem Germaniam dispositi, sub Claudio Imperatore Legatum, qua incerta Oceani vetarentur, *TACITUS* 1) refert, cui omnino consentit *DIONIS* 2) testimonium, nisi quod duobus passuum millibus ex mente interpretis, *GUILIELMI XYLANDRI* 3), fossam illam breviorem perhibeat, cui tamen expositioni adversatur *JUSTUS LIPSIUS* 4), mensuram *DIONIS* & *TACITI* proxime convenire arbitratus. Hanc esse Corbulonis fossam, traxit enim a conditore nomen, quæ ab urbe *Leida Delftum* defertur, atque inde ad vicum *Maselandt* deducta, tandem ad propinquum vicum *Sluys* Mosæ jungitur, adlegatis quatuor potissimum rationibus, arguit *CLUVERIUS* 5). Ad Rhenum quidem coepisse a capite rivi Lugdunensis, delineatione valde probabili ob oculos ponit; at confutat, per Delfensem urbem ad Mosælandiæ cataractas ductam esse istam fossam, *ALTINGIUS* 6), cujus in sententia fossæque ductu, una cum *CELLARIO* 7) perstamus & adquiescimus.

§. XI.

Norimb. MDCCXIII. Vernaculo deinceps sermone donata eodem de vallo commentatio, priore auctior, præfixa inscriptione: *Antiquitates in Nordgavia Romanæ, oder genauere Vorstellung des alten Römischen Valli und Land-Wehre &c. Weissenb.* MDCCXXXI, publici juris facta est.

1) *Annal.* Lib. XI. Cap. XX. 2) Lib. LX. pag. 685. E.

3) Vertit XYLANDER τοὺς σταδίους ἑβδομήκοντα καὶ ἑκατὸν, a DIONE proditos, *unum & viginti passuum millia*, & *in adnot. in* DION. *cit. loc. pag. 969.* observat, TACITUM viginti & tria passuum millia fossæ illius longitudini adsignare, at stadia centum & septuaginta, quæ DIO memorat, millia saltem viginti & unum, cum quadrante uno conficere.

4) *in not. ad* TACIT. *Annal.* Lib. XI. Cap. XX. ad verb. *inter Mosam Rhenumque.* Tribuit enim XYLANDER singulis passuum millibus octo stadia, contra LIPSIUS, PLUTARCHO, SUIDA, aliisque auctoribus, septem stadia cum dimidio pro milliari capit, ex qua computandi ratione apud veteres potissimum recepta, eoque nomine nobis quoque apprime probanda, ut stadia centum & septuaginta conficiant milliaria tria & viginti, duobus stadiis & semi minus, ultro consequitur.

5) *in not. ad* TACIT. *cit. loc.* 6) *loc. cit.* Part. I. Cap. X. pag. 48. Conf. Tab. IV.

7) *Not. Orb. Antiq.* Lib. II. Cap. III. §. XVI. pag. 212.

§. XI.

AGGER DRUSIANUS, A POMPEJO PAULLINO ABSOLUTUS. L. VETERIS DE JUNGENDO MOSELLÆ ET ARARIS FLUVIO CONSILIUM.

QUietæ pacatæque res per omnem Germaniam, ad Neronis Imperatoris tempus, utrique legionum istic dispositarum Legato suppeditavere occasionem, de publicis operibus cogitandi, quorum structuris otiosos milites exercerent. Dignos existimavit utriusque ducis conatus, successu quidem varios, quos posteritati commendaret *TACITUS* 1), quo auctore strictim eosdem persequemur. Pompejus enim Paullinus, qui legionibus inferioris Germaniæ præerat, inchoatum ante tres & sexaginta annos a Druso aggerem, coercendo Rheno absolvit. Clariora de aggeris hujus ductu indicia veteres scriptores non dederunt, suoque silentio descriptu istum omnibus, qui sequiori ævo sibi sumsere investigandum, reliquerunt difficillimum. Consentiunt omnium fere conjecturæ, ultimam eidem Drusi moli perficiendæ manum admovisse Pompejum Paullinum, quam aliquot lustris post ea dirutam fuisse a Claudio Civili, Bataviæ liberatore, idem *TACITUS* 2) adnotavit. Qua sententia stabilita confutavit istos, qui Drusoburgum ad Isalam situm, eandem Drusi molem esse contenderunt; at refellere quidem aliena, firmare ipse nihil potuit *LIPSIUS* 3). Certiora nonnihil hac de re, Rheno scilicet in illum alveum, cui hodie *Lecca* nomen, per aggerem Drusi & Pompeji abacto, debentur *ALTINGIO* 4), cui fides est habenda maxima, quanta quippe illis esse debet omnino, qui antiquarum rerum eleganter intelligentes, ad præsentem situm propriis oculis usurpatum, diligentiori cum cura & judicio easdem conferunt. Majus hoc aggere opus molitus est L. Vetus, exercitus Romani per superiorem Germaniam Legatus, quando Mosellam atque Ararim, facta inter utrumque fluvium fossa connectere paravit, ut copiæ per mare, dein Rhodano & Arari subvectæ, per eam fossam mox fluvio Mosellæ in Rhenum, exinde Oceanum decurrerent: sublatisque itinerum difficultatibus navigabilia inter se occidentis septentrionisque littora fierent. At factum est invidia Aelii Gracilis, Galliæ Belgicæ Legati, ut tanti operis consilium effectui dari non potuerit. Deterruit enim iste Veterem, ne legiones alienæ provinciæ inferret, studiaque Galliarum adfectaret, & quo plerumque conatus honesti prohibentur, formidolosum id Imperatori dictitavit. Fuit quidem ea hujus operis conditio, ut nemo sit, qui non perspiciat, impeditiores longe, quam Aelii Gracilis invidiam, L. Veteri futuras fuisse difficultates, quas superaret, immo tantas, quibus tollendis non suffecisset magis, quam alii maximorum Principum, qui post illam ætatem sæpe numero de iisdem, aliisve fluviis conjungendis, irrito successu cogitaverunt. Tanta scilicet est naturæ pervicacia, ut fines suopte arbitrio statutos, arte operaque humana mutari ægre nimis patiatur. Quoscunque ceteroquin successus

1) *Annal.* Lib. XIII. Cap. LIII. 2) *Hist.* Lib. V. Cap. XIX.

3) *in not. ad* TACIT. *Annal.* Lib. XIII. Cap. LIII. ad verb. *inchoatum a Druso aggerem.*

4) Part. I. D. III. pag. 55. Conf. Tab. IV.

experturum fuisset istud Veteris consilium, digna sane illius est magnitudo, cui magnificos *LIPSII* 5) adplausus, ex singulari admiratione natos, unusquisque non iniquus arduorum conatuum æstimator occinat, *utile, magnum, regium, vel Romanum plane opus.*

§. XII.

DISQUIRITUR, AN SUB RELIQUIS PRIMI SÆCULI IMPERATORIBUS VIAS ROMANI IN GERMANIA CONDIDERINT.

Breve nimis, quod post Neronis interitum, eodem pæne tempore, adfectavit Ser. Sulpicius Galba, M. Salvius Otho & A. Vitellius, & multo turbulentius fuit imperium, quam unde tantorum operum alicubi, præsertim in Germania, condendorum auspicia exspectari potuissent. Neque habet utriusque Vespasiani principatus, quantumvis bene stabilitus, & rebus domi & foris ordinatis, valde conspicuis, quæ sibi ex viis per Germaniam dispositis vindicet ornamenta. Nulla tamen inde in hos Imperatores derivanda est suspicio, fuisse illos viarum in provinciis muniendarum incuriosos, cum habeat hodienum, quibus hanc invidiam ab utroque amoveat, monimentorum reliquias Hispania; columnam scilicet militarem, viæ a Cappara urbe ad Emeritam usque, impensa Vespasiani patris restitutæ, præconem, quam *FLORIANI OCAMPII* fide descripsit *HIERONYMUS SURITA* 1); exhibuit etiam *GRUTERUS* 2) & alius lapidis inscriptionem, ab eodem *GRUTERO* 3) relatam, ex qua Titi filii cura colligitur, qua vias in ista provincia fecit instaurari. Tacemus alia monimenta, unde plures in rei hujus argumentum conjecturæ, at paullo incertiores, possint evolvi; quarum si qui cognoscendarum cupidi fuerint lectores, ad *BERGIERIUM* 4) ablegamus. Quo autem minus viarum per Germaniam instauratoribus accensendi essent, intercepere filium præmatura fata, patrem impedivit, veluti suspicamur, acerrimum cum Claudio Civili bellum, in terris Germaniæ Cisrhenanæ & Galliæ Belgicæ dubio marte diu satis exercitum. Hoc enim deſæviente tantum abfuit, ut novas in Germania publicorum operum machinas construere Romanis licuerit, ut ne a variis quidem arte sua & labore pridem in tutelam legionum suarum effectis, excidium hostili manu intentatum, potuerint prohibere. Dirutam esse a Claudio Ciuili aliquam Drusi molem, paullo ante, præeunte *TACITO* 5) memoratum est, & eodem auctore 6) cohortium, alarum, legionum hiberna, per universam cis Rhenum Germaniam, Ciuilis itidem ductu, subversa & cremata esse novimus, iis tantum relictis, quæ Mogontiaci ac Vindonissæ sita fuerant. Alterum Flavii Vespasiani filium, Domitianum Imperatorem, habuisse aliquoties, quæ suis auspiciis in Germania gererentur, occurrunt apud illius ævi scriptores passim argumenta, quæ quanto sunt obscuriora, tanto dexteriori cura & judicio con-

5) *in not. ad* TACIT. *cit. loc.* ad verb. *Mosellam atque Ararim.*

1) *in Comment. emendat in Antonin. August. itinerar. pag. 584.*

2) *Corp. Inscript. CLIV. 3.* 3) *ibid. CLV. 3.*

4) *Lib. I. Cap. XVII. §. 4. seqq. pag. 53. 54.*

5) *Hist.* Lib. V. Cap. XIX. 6) *ibid.* Lib. IV. Cap. LXI.

conquisivit illustris *MASCOVIUS* 7), Præceptor & Patronus diligenti studio suspiciendus. At quod ex monimentis reportavit, si qua forte in Germania condi fecerit, exile sane decus fuerit, oportet, nisi præstantius illis pretium constiterit, quam falso ipsius e Germania triumpho obtigit, quem derisui fuisse, *TACITO* 8) teste, ipsi Domitiano inerat conscientia, quantiscunque verborum phaleris Arctoos triumphos,

Bisque jugo Rhenum, bis adactum legibus Istrum

PAPINIUS STATIUS 9), cothurnatus Domitiani adsentator jactitet. Quanto tamen opere Imperator iste parum ceteroquin laudabilis vias muniendas curaverit, testatur Domitiana via, quam Sinuessa Puteolos productam, *DIONIS* auctoritate *XIPHILINUS* 10) commemorat, & altisono hendecasyllaborum adparatu decantat *STATIUS* 11). Neque Domitianum viarum in provinciis curam omnino abjecisse, intelligimus ex quapiam columnæ milliaris, haud procul a Medina in Hispania positæ, inscriptione, quam descriptam sistit *BERGIERIUS* 12). At enim vero militares in Germania vias, quæ ad eundem Imperatorem referendæ videantur, explorare omnino nullas licuit. Quarum ne quas circumspicias, a Coccejo Nerva, qui post Domitianum rebus Romanis præfuit, ordinatas, ultro ipse cavebis, si subierit imperii fortuna, nullis in Germaniam facinoribus nobilitata, & brevis ad modum duratio, paucis saltem mensibus ultra unius anni terminum producta. Quamquam brevior ista summæ potestatis usura non impedivit, quo minus de Italiæ viis bene meruit idem Imperator, uti ex binis lapidum fragmentis colligimus, quæ descripsit & explicavit *RAPHAEL FABRETTUS* 13). Digna nobis hæc visa sunt, quæ hic memorentur, ea potissimum de caussa, quod supplementum inde addi possit *BERGIERII* observationibus, qui viaria Cocceji Nervæ Imperatoris opera plane indicta prætermisit, circumspectus alias & valde industrius ejus modi rerum explorator.

§. XIII.

TRAJANUS VIARUM PUBLICARUM INSTAURATOR UNDIQUAQUE CURIOSISSIMUS.

At cum non sine caussa nobis extimescendum sit, ne pigeat tandem lectores, circumduci per omnem Imperatorum Romanorum ordinem, hærere in

7) *in den Geschichten der Teutschen, Lib. V. §. 1. seqq. pag. 136. seqq. Tom. I.*

8) *in Vit. Jul. Agric. Cap. XXXIX.*

9) *Thebaid.* Lib. I. v. 19. Conf. CASPARI BARTHII *Animadverf. ad* PAPIN. STAT. *dict. loc.* Tom. II. pag. 13.

10) *Excerpt. e* DIONIS CASSII *Hist. Rom.* Lib. LXVII. pag. 766. A.

11) *Silv.* Lib. II. Carm. III. cui additus est titulus, *Via Domitiana.* Conf. EJUSDEM Epistola, inscripta Statio Marcello, & Lib. IV. *Silvarum* præfixa.

12) *cit. loc.* §. 5. pag. 55.

13) *de Aquis & Aquæduct. Vet. Rom.* Diss. II. pag. 1722. in IO. GE. GRÆVII *Thes. Antiq. Rom. Tom. IV.* Conf. GRUTERI *Corp. Inscript.* CLV. 4. MLXXVIII. 5.

in singulis, sciscitari vias per Germaniam stratas, & explorare plerumque nullas, de compendiaria magis ratione cogitabimus, qua vias istas investigemus & emetiamur. Pervenimus jam ad ea tempora, quæ plures paullatim vias, non per Germaniæ tantum fines, de qua tamen enunciationem nostram comparate cum aliis provinciis, & pro ista limitum descriptione, quam initio hujus commentationis dedimus, accipi velimus, sed universum pæne terrarum orbem Romanis auspiciis hinc inde dispositas, quasi aperiunt, & solertiori cum cura ordinatas, ideoque paullo certiores, aut si quando vetustatis caligine obscurantur, luculentioribus tamen signis produnt & monimentis. Non unius scilicet sæculi opus erat, sive incredibilem fere impensarum exactionem, sive invictam laboris pertinaciam ad temporis rationes contuleris, per longinquum provinciarum tractum, quæ Imperii Romani majestatem coluerunt, viarum munitiones producere. Ista cæteroquin erat publici hujus instituti præstantia, ut & utilitatis fructum & conditoris laudem ad remotissimam inde posteritatem transmitteret. Utra quidem potissimum caussa tantum non per omnem ætatem, dum sua Romano nomini gloria stetit & auctoritas, Imperatorum animos ad suscipienda tam sumtuosa opera excitarit, neque segnius confirmaverit in eorundem perfectionem, incertum est. At enim vero, utracunque demum fuerit, valde probabili monimentorum fide illud haud temere adfirmamus, ex iis maxime Imperatoribus, qui altero post natum humani generis Servatorem sæculo, rerum Romanarum summa potiti sunt, adeo de viis muniendis plerosque promeruisse, ut in isto laudis stadio & ad superioris ævi Cæsares, aliosque illustres & egregie cordatos viros, quos strenue in eodem, dum res publica stetit, decurrentes suspexere cives, proxime accesserint, & ceteros, quos ipsis in principatu successores fortuna & sequior ætas dedit, longo post se reliquerint intervallo. Eum fere in modum de Trajano Imperatore, cui electio adrogatoris parentis, Cocceji Nervæ Cæsaris imperium, & illius bene administrati memoria & eminentissimæ virtutes immortale Optimi Principis cognomen pepererunt, eloquentissimus ejus laudator, *C. PLINIUS SECUNDUS* 1) statuit, qui ad Pompeji Magni mensuram herois sui magnitudinem ob viarum curam conferre nullus dubitavit. Ampliora laudis ista providentia partæ argumenta in Trajanum proficiscuntur ex suffragio *GALENI* 2), celeberrimi ex antiquioribus medici, qui pariter illius ætati æqualis vixit, operum istorum oculatus procul dubio arbiter, illorumque magnitudine in tantam admirationem raptus, ut temperare sibi non potuerit, quin alieno prorsus loco de istis exponeret. De libris enim *HIPPOCRATIS*, medicorum principis, quando disputat, tantum quidem illis pretium esse statuendum, quantum debetur artis inventori, qui cultorum gregem quasi præierit, ita tamen illis universam artis rationem non exhaustam, ut culturæ nihil amplius addi possit, sed inchoatam potius, quam consummatam, ad eamque perficiendam aliorum curam & diligentiam requiri, edocturus, rem omnem similitudine, a viarum munitionibus petita illustrat, quarum olim varias hinc inde disponi cœptas, sed multiplici demum opera in plenissimos usus efformatas a Trajano & omnino absolutas memorat. Meruit singularis illa Trajani cura & viarum tutela, quod nemini post Augustum Cæsarem contingit, quantum nostra quidem ætate habemus compertum, ut immortalitati eam numus, Viæ Trajanæ præco consecraret,

1) *Panegyr. Cap.* XXIX. §. 2.

2) *De method. medend. Lib.* IX. *Cap.* VIII. *pag.* 212. *Tom.* X. *Operum* HIPPOCRATIS & GALENI, *edit. Lutet. Paris.* MDCLXXIX.

traret, quem penitius descriptum sistit *SEBASTIANUS ERIZZIUS* 3), eo lubentius hic adlegatum, quo notatu digniorem judicamus symbolicam viæ imaginem, ex ingenio Romanorum ibi expressam, feminæ scilicet procumbentis specie, sinistro brachio innixæ, illaque manu arundinem tenentis, sive ramum dextra rotam propellentis. Commendatur quoque admirandi operis, & ruderibus suis adhuc superbi, quod æque ad viarum munitiones pertinet, pontis scilicet trans Danubium a Trajano in Dacia constructi, memoria numorum & marmorum titulis. Exponit illorum typum æternum opus *NICOLAI BERGIERII* 4), hos descriptos exhibet *JANUS GRUTERUS* 5). Laudatur præter ea ejusdem Trajani cura plane singularis, quam viis aut denuo ducendis, aut si quas vetustatis injuria in statum deteriorem redegerit, sua opera instaurandis, undicunque impendere dignatus est, tot lapidibus, quot sane nescio, an simile alius cujusque Imperatoris institutum meruerit. Nobis hoc loco sufficiat indicasse illos summatim, inter ista vetustatis fragmenta, quæ *GEUTERI* collectionem ornant, obvios 6), nonnullos etiam ab *HIERONYMO SURITA* 7) in Hispania observatos & luci suæ restitutos, quorum plenior tamen notitia hic suppeditari vix potest, cum illud sit illorum argumentum, ut non nisi valde invita consequutione ad ea pertrahi possit, de quibus hoc opusculo commentari in animum induximus. Pertinent enim lapides illi omnes ad vias, aut per Italiam aut Hispaniam passim dispositas, quam utramque provinciam ita hinc inde viarum aggeribus ornavit Trajanus, ut & majestatis Romanæ domicilium, ejusque dignitas, & patriæ telluris recordatio plurimum apud eum valuisse videatur. An simili quopiam opere Germaniam Imperator iste instruxerit, valde dubitavimus, nec ulla ejus vestigia explorare licuit, præter columnam milliarem, Trajani titulis insignitam, haud procul a Celeja, veteris Norici oppido olim conspicuam, jam inter Musei Imperialis Viennensis ornamenta relatam, & primum, quod scimus, nuper ad modum luci expositam 8), cujus integram inscriptionem in margine inferiori lectorum oculis

---

3) *Nella Dichiarazione di Medaglie antiche, pag. 331. seqq. edit. Venet.* MDLXVIII.

4) *Dans l' histoire des grands Chemins*, Lib I. Cap. XXV. §. 8. Tom. I, pag. 97. Conf. FRANCISCI MEDIOBARBI BIRAGI *Numism. Imp. Rom. ad ann. P. C. N. CV. p. 154.*

5) *Corp. Inscript.* CLXII. 9. CXLIII. 1.

6) *Corp. Inscript.* CLI. 1. 3. 4. CLV. 5. 6. 7. 8. 9. 10. CXC. 2. 3. CXCVIIII. 1. MXIX. 8.

7) *in Comment. emendat. in Antonin. August. itiner. pag. 597.*

8) *Nelle Osservazioni Letterarie, Tom. I. Art. VII. num. 24. pag. 184.*

IMP NERVA TRAIA
NVS CAES AVG GER
PONT MAX TRIB POT
P P COS IIII
VI.

Prodire cœperunt doctissimæ illæ observationes, vernaculo Italorum sermone conscriptæ, Veronæ superiori anno, Augustissimi Imperatoris, uti titulus præfert, auspiciis, eoque consilio, ut continuationis loco addi possint ephemeridibus litteratorum Italiæ, antea in lucem datis, & debentur, si non omnes, præcipuæ certe illarum partes, quantum suspicari licet, Illustrissimo Marchioni, SCIPIONI MAFFEJO.

oculis subjicimus. Ampliorem de lapidis hujus indiciis & auctoritate disputationem seponimus sectioni proxime subsequenti, ubi simile quoddam Hadriani monimentum adferemus.

§. XIV.

COLUMNA ÆLII HADRIANI IMPERATORIS IN NORICO MILLIARIS.

AD Traianum Imperatorem uti aliis præclaris facinoribus, ita & viarum cura proxime accedere studuit Ælius Hadrianus, adoptione filius & in imperio successor, quamvis inficias iri non possit, prioris hanc in rem merita pluribus monimentis celebrata innotuisse posteritati. Si provincias spectes, quarum viis instaurandis operam dederunt, circa easdem utriusque cura versata fuit. Quod enim paullo ante de Trajano adnotavimus, Italiam potissimum & Hispaniam viarum munitionibus ab eo fuisse ornatam, idem ab Hadriano factum esse, lapides edocent ætati posteræ superstites, quorum quatuor adfert *JANUS GRUTERUS* 1). Quod ad vias ab eodem Imperatore in Germania conditas adtinet, luculentius, quam de Trajano, monimentum non exstat, idque pariter unicum, lapis milliaris. Reperimus eum eodem loco, unde similem ante Trajani columnam depromsimus, in *OBSEVATIONIBUS* scilicet *LITTERARIIS VERONENSIBUS* 2) ubi, cum plurium lapidum tituli, præter jam recensitos, exhibeantur, qui instituti nostri rationibus valde conveniunt, absonum haud videtur, eorum nonnulla, quæ ad istas marmorum reliquias pertinent, inde huc transcribere, maxime cum hic libellus in nostris oris nondum satis, quantum quidem meretur, innotuerit. Unicum enim, quod scimus, doctissimarum observationum exemplar Lipsiam adhuc pervenit, idque in instructissima bibliotheca sua servat Vir Excellentissimus *FRIDERICUS OTTO MENCKENIUS*, qui aviti paternique nominis gloriam, rei publicæ litterariæ apprime auspicatam, meritis suis sustinet, & egregie propagat, cui, quod libellum hunc elegantissimum benevole nobiscum communicavit, debentur ea, quæ inde ad institutum nostrum transferimus. Exhibentur autem ibi una cum exasciatis adnotationibus lapides Romani, numero LVI. maximam partem adhuc ignorati, sub Musei Imperialis Inscriptionum titulo. Pars illorum anno æræ vulgatæ M DCCXXII, in Transilvaniæ tractu, haud procul ab Alba Julia, cui jam Carolostadii nomen cessit, inter veterum ædificiorum rudera effossa est, quum munitionum aliquot educendarum caussa in abdita telluris viscera requiretur. Bono sane omine lapides isti genium veluti tutelarem præsentem habuere Illustrissimum Comitem, *JOSE-*

1) *Corp. Inscript. CLVI. 1. 2. 3. 4.* 2) *Cit loc. num. 26. pag. 185.*

IMP. CAESAR. DIVI
TRAIANI. PARTICI. F.
DIVI. NERVAE. NEPOS.
TRAJANUS. HADRIANUS.
AVG. RONTIF. MAX. TRIB.
POT. XVI. COS. III. P. P. PROCOS
VI.

JOSEPHUM ARIOSTUM, Centurionem tunc temporis, jam legionis Cæsareæ Tribunum vicarium, peritiſſimum rerum antiquariarum æſtimatorem, qui ab interitu vindicavit, & litteratiſſimo Marchioni, *SCIPIONI MAFFEIO*, Florentiam, ubi tum commorabatur, titulos eorum deſcriptos transmiſit. Qui quum datis ad *APOSTOLUM ZENONEM*, Poetam in aula Imperiali & Hiſtoricum litteris obtinuiſſet, ut eos ſevandos Inviɛtiſſimo Imperatori ſupplex commendaret, colligere juſſus eſt primus vindex, *ARIOSTUS*, Viennam inde transportandos. Conquiſivit eorum ſex & quinquaginta, Mariſci, Tibiſci & Danubii fluviorum ope Viennam quatuor navibus transvehendos, quarum tamen una prope Segedunum merſa eſt, decem & octo lapidibus onuſta. Altera pars lectiſſimarum inſcriptionum, quæ laudato obſervationum libello infertæ, & quorum in numero ſunt columnæ milliares referendæ, per Stiriæ ac Carniolæ agros diſperſa fuit, donec anno hujus ſæculi ſupra viceſimum octavo ea illis adfulſit fortuna, ut ipſe Cæſar Imperator Auguſtus, CAROLUS VI, quum per illas regiones Tergeſtam iter faceret, iſtas antiqui Latii Muſas & Veneres, in triviis quaſi errantes, reſpexerit, & perlectas ordinari ac Viennam pariter transferri juſſerit, auguſtiori aulæ Imperialis domicilio reponendas, quæ mandata, quanta fide potuit, exſequutus eſt Illuſtris *GARELLIUS*, Imperatoris Auguſtiſſimi a bibliotheca, & princeps medicus, atque in iſta peregrinatione comes, veluti rem omnem copioſus exponit eruditiſſimus *OBSERVATIONUM VERONENSIUM AUCTOR* 3). Illati ſunt omnes iſti lapides, certiſſimi rerum a Romanis in Dacia paſſim atque Norico geſtarum teſtes, ſplendidiſſimo atrio, quod ad Cæſareæ bibliothecæ penetralia deducit, & plurimis antiquitatis Romanæ reliquiis ſpectatorum oculos defixos tenet. Recte ceterum de iſtis inſcriptionibus ſtatuit, qui eas in lucem prodire juſſit, dignas eſſe, quæ cum univerſa litteraria civitate communicentur, & additur inde illius operæ pretium valde probabile, quod cujus ipſe fidem facit 4) oculato judicio illas αὐτόπτης arbiter perluſtraverit. Huic igitur auſpi-

3) *Pag. 120. Quelle (inſcrizioni) della Carniola, e della Stiria, che ſono ſceltiſſime, ſi debbono per ogni conto all' erudizione dell' Imperadore medeſimo; perchè oſſervate da lui nel viaggio, che fece l'anno 1728. fino a Trieſte, ſi compiacque di leggerle, e di ordinare, che foſſero transportate a Vienna; in che fu ottimamente ſervito dal Sig. Cavalier* Garelli, *Protomedico e Bibliothecario di S. M. il quale d'altre ancora nell' iſteſſo viaggio andò in cerca. Alcuni di que' cippi migliari erano ſtato ſtampati ſeſſant' anni avanti nella* Pallas Rhetica *dello Specbero.* Quæ hic memorantur de SPRECHERO, perperam ita operarum fortaſſis incurſa expreſſo, referenda ſunt haud dubie ad FORTUNATI SPRECHERI a BERNECK *Palladem Rbeticam armatam & togatam*, quæ anno MDCXVII. Baſileæ prodiit. In hoc quidem opuſculo præter unicam L. Sepsimii Severi Cæſaris columnam milliarem, haud procul a Vilsheimenſi cœnobio poſitam, quam SPECHERUS *Lib. II. pag. 37. 38.* MARCUS VELSERUS *in Monim. Auguſt. Peregr. n. I. pag. 420. in Oper.* & inde GRUTERUS *CLVI.* 5. deſcriptam dedit, nullos plane hujus generis lapides invenimus. At quod OBSERVATIONIBUS AUCTOR diſertis verbis memorat, *ſexaginta annis ante*, unde actus inter ſeptuageſimum octogeſimumque ſuperioris ſæculi annus efficitur SPRECHERI *Palladi Rhetica* cippos iſtos milliares fuiſſe inſertos, inde nata eſt ſuſpicio, prodiiſſe fortaſſis novum deſignato tempore hujus libelli editionem, eamque noſtra priori auctiorem, & inſcriptionum illarum titulis ornatam, cujus tamen explorandæ inſpiciendæve facultas nobis non obtigit.

4) *Pag. 171. Ben degno è adunque d'eſſer communicato a tutta la letteraria republica queſto Muſeo, il che non ſi fa qui da perſone chi ſtando lontane, ſi ſiano raccomandate ad alcun' altro, perchè le traſcriva; ma da chi le ha perſonalmente eſſaminate, e ſotto gli occhi ſuoi fatte ricopiare.*

catæ Romanorum ruderum pervestigationi debemus viale illud Hadriani marmor, quod & magnitudine & litterarum elegantia reliquis præstare perhibetur. Viennam perinde ac ista Trajani, & tres aliæ columnæ milliares, quarum exhibendarum deinceps suppetet occasio, Celeja transmigravit, non incelebri Noricorum urbe, præcipua scilicet integri Comitatus, qui sequiori ævo inde nomen traxit, neque priscis Romanis incognita, quippe quam una cum Viruno, Teurnia & Agunto inter Norici oppida *PLINIUS* 5) jam recensuit. Uti tamen priori jam Trajani columnæ subnotavit laudatissimus *OBSERVATIONUM LITERARIARUM SCRIPTOR* 6) Celeja milliarium istarum columnarum nativa sedes non fuit, qua primum positæ videantur, sed aliunde isthuc translatæ sunt. Quibus quidem ex indicibus recte colligas, fuisse a Romanis vias per hunc tractum dispositas, nostra ætate Imperatoris Cæsaris Augusti, CAROLI VI, auspiciis & munificentia instauratas, qua tamen in statione isti cippi primum fuerint collocati, proprie satis definire haud possis, licet præferant singuli numerum VI, basi suæ incisum, qui haud dubie totidem passuum millia designat, & ad oppidum majus quodpiam a situ illarum proximum erit referendus. Nihil tamen ego dubitaverim, fuisse columnas istas primo usu demonstrandis per Noricorum agros Romanis viis destinatas, & veri similius videtur, eas in istis terris primitus statutas, quam sequiori demum ævo aliunde esse advectas, cum Noricum, ex quo Romano dominatui cessit, perpetuas fere Romanis legionibus sedes, & Imperatoribus suis rerum ibi gerendarum occasionem subinde præbuerit. Quale quidqnam si sub Hadriani imperio circumspicias, eundem Imperatorem, qui exemplo pæne inaudito provincias omnes, quæ Romæ paruerunt, ipsemet peragravit, vestigiis non obscuris in Norico præsentem deprehendes, ibi procul dubio aliquamdiu commoratus, quum Germaniam perlustraret, quo ex Galliis transisse & exercuisse militem quasi bellum immineret, refert *ÆLIUS SPARTIANUS* 7). Idem in Norico cum primis factum esse, indicio est Hadriani numus, qui Noricum exercitum disertis verbis exprimit, a *FRANCISCO MEDIOBARBO BIRAGIO* 8) *EZECHIELE SPANHEMIO* 9) & *JOANNE VAILLANTIO* 10) memoratus. Coloniæ itidem memoriam, quam idem Imperator Iuuauiæ, ex cujus ruderibus Salisburgum, archiepiscopalis sedes surrexisse colligitur, in Norico

---

5) *Hist. Natural. Lib. III. Cap. XXIV.*

6) *ad n. 24. pag. 206. Questa è la prima colonneta migliaria, venuta di Cilla, come l' altre, che hanno in fondo il numero VI, cioè miglia sei, ed è la distansa dalla maggiore e più prossima città. In qual sito fossero anticamente collocate, non si sà, perchè a Cilla erano state trasportate d' altronde. Ben se ne impara, come quella era la via praticata anche da' Romani. In oggi il gran Carlo VI l' ha fatta lauorare in modo, che non ha per certo da invidiare a quelle di Trajano, o degli altri antichi.*

7) *In Hadrian. Imp. pag. 5. inter Script. Hist. Aug. ex recens.* CLAUDII SALMASII, *Lutet. Paris.* MDCXX. *Post hæc profectus in Gallias, omnes causariis liberalitatibus sublevavit. Inde in Germaniam transiit: pacisque magis, quam belli cupidus, militem, quasi bellum immineret, exercuit.*

8) *In Numism. Imper. Rom. ad ann. P. C. N. CXXVI. pag. 174. edit. Mediolan.* MDCLXXXIII.

9) *De Us. & Præst. Num. Diss.* XIII. Sect. VI. §. 3. Tom. II. pag. 630. *ex recens.* ISAACI VERBURGII, *Amstel.* MDCCXVII.

10) *Numism. Imp. Rom. Tom.* I. *pag.* 61. *edit. Paris.* MDCLXXXII.

Norico mediterraneo condidit, vetustus apud *GRUTERUM* 11) lapis servat, in æde D. Ruperti Salisburgi superstes, cujus *VAILLANTIUS* 12) quoque meminit. Nihil ergo metuimus, ne conjecturam nimis temerariam ex isto viali marmore effingamus, vias inde in Norico aut denuo muniri coeptas, aut restitutas, aut rectius ordinatas, quamvis proprias illarum stationes evolvere non liceat, Hadriano Imperatori vindicaturi, cui publicorum in ista provincia editorum, operum gloriam aliis monumentis adsertam reperimus, unde facilior huc pertingit consequutio, quam ad istam columnam Trajani prius adlatam, quo ab Imperatore gestarum in Norico rerum argumenta, quantum scimus, exstant omnino nulla. Eo factum est, ut tutius arbitrati simus, conjecturas omnes de Trajani columna suspendere, quamvis non ab ista ignorantia consequi existimemus, ut ad Noricum iste lapis pertinere haud possit, cum a provinciæ Præside, rebus omnibus pacatis, figi potuerit, vialis operis Trajani auspiciis confecti testis ingenuus, jam quasi senio factus infirmior.

§. XV.

ANTONINORUM VIARIA MONIMENTA.

Continuantur jam paullatim per temporis ordinem & Principum in Imperio Romano successionem documenta, unde viæ in Germania publicæ ab iis instauratæ cognoscuntur. Exstat item in *OBSERVATIONIBUS LITTERARIIS* 1), unde aliquot adhuc commentationi nostræ argumenta fœnerati sumus, milliaris lapis T. Antonini Pii, qui proximus ab Hadriano Imperium Romanum obtinuit. Sortem habet cum utroque prius exhibito communem, neque notas quidquam certiores exserit, ex quibus secura viæ ab Antonino Pio curatæ vestigia elicias. Supervacaneum igitur arbitramur, plura de isto cippo commentari, cum eadem huc pertineant, quæ paullo ante de simili Hadriani monimento exposuimus. Illud profecto conjectura inde haud nimis longinqua repetere nobis videmur, Antoninum Pium quoque viarum in Norico curam non intermisisse. Servant quoque Norici & Vindeliciæ confinia, qua Monachium Augusta Vindelicorum iter patet, vialis columnæ fragmentum, valde quidem mutilum & inductione plurium verborum deforme, argumentum tamen viæ a Romanis per illos tractus ordinatæ fidissimum, sequentem in modum opera *JANI GEUTERI* 2) descriptum:

11) CCLXV. 4. 12) *Num. Imper. in Colon.* P. I. p. 153.

1) *n. 28. pag. 186.* Hanc quoque columnam eximiæ magnitudinis esse, adnotavit editor. Inscripti sunt ei sequentes tituli:

IMP. CAESAR. T. AELIVS
HADRIANVS. ANTONINVS
AVG. PIVS. P. P. PONTIFEX
MAXIMVS. TRIB. POTESTATIS
IMP. II. COS. III.
VI.

2) *CLVI. 6.*

. . P. CAESAR. M. . . . .
ANTONINVS. PIVS. AVG. TRIB
POT. IIII. PROCOS . . . .
. . . .
VIAS. ET. PONTES. REST
AB. AVG. M. P
XXXI.

Miramur sane, hanc inscriptionem & a *GRUTERO*, si ordinem spectes, quo exhibuit, & clarius a *NICOLAO BERGIERIO* 3)), acutissimi alioquin in hisce rebus judicii viro, vindicatum esse T. Antonino Pio Cæsari, cui tamen non convenire, unusquisque curatius inspecturus facile poterit animadvertere. Quod enim post mutila verba IMP. CAES. expressum est siglum, M littera haud dubie Marci vocem notat, Antonino Pio non adplicandam, quem Titi prænomine usum fuisse, nemo ignorat. Præferunt illius notam æque ac proximum inde nomen Aelii Hadriani, quod adoptionis jure nactus est, omnes lapides, Antonini Pii titulis decorati, quorum adparatum haud exiguum instruxit *GRUTERUS* 4) & aliquot inde in opus suum transscripsit, aliamque istius Cæsaris columnam, quæ viam publicam Nemauso Arelatum ornat, præter complures ejusdem generis, ab illustri olim viro, *NICOLAO CLAUDIO FABRICIO PEIRESCIO*, cum ipso communicatas, in publicum ipse dedit *BERGIERIUS*. 5) At si jam probe dimetiaris litterarum spatium, quæ in nostro lapide post siglum M expressæ fuerunt, temporis incuria exesæ, comparato ad istud Aelii Hadriani nomine, non posse facile observabis, ut in illud desiisse versum, commode conjicias. Aptius illi explendo fuerit vocabulum *AURELIUS*, quo Marci quoque & Antonini nomen rectius interpungi docet historiarum fides. Neque ideo tamen lapidem hunc referendum esse arbitramur ad Antonini Pii successorem, civili adoptionis vinculo filium, sanguinis necessitudine generum, M. Aurelium Antoninum, vulgato cognomine Philosophum, quantumvis nominis ratio conjecturis nostris omnino consentanea suadere videatur. Auctorem potius hujus lapidis cum aliqua certitudine demonstraturi, ad qualem nempe in hisce rebus pertingi potest, præter idoneam nominis speciem & mensuram, aliorum quoque monimentorum similitudinem, qua inscriptio hæc ad alias ejus modi accedit, expendendam esse judicamus, eaque reperta, ultro adducimur, ut titulos in marmore isto expressos, L. Septimii Severi Cæsaris filio natu majori, Bassiano Caracallæ, quo quidem nomine plerumque frequetantur, tribuamus. Nata est hæc conjecturæ nostræ fiducia ex cognatione valde probabili, quæ lapidi nostro intercedit cum aliis columnis milliaribus, ob vias per Rhætiam & Vindeliciam ordinatas, Septimio Severo Imperatori, & utrique filio, Bassiano & Getæ, designatis jam Cæsaribus passim ibi consecratis, quarum copiam nobis fecit *MARCI*

3) *dans l'histoire des grands Chemins, Lib. I. Cap. XVIII. §. 4. pag. 62.*

4) *XXXX. 13. CLXI. 4. CLXIII. 9. CXC. 11. CCLIII. 4. 5. 6. 7. MXII. 5. MXXII. 6. 8.* & passim alibi.

5) *dict. loc. Lib. IV. Cap. XXXVIII. §. 10. pag. 659.*

MARCI VELSERI 6) & *JANI GRUTERI* 7) fides atque industria. Observamus in illis M. Aurelii Antonini nomen Bassiano additum, quo publica monimenta pæne omnia ipsum compellant. Observamus eundem, quartum scilicet, tribunitiæ potestatis annum. Observamus computata passuum millia inde ab eodem loco, Augusta nimirum, florentissima pridem Vindelicorum colonia. Ad quas igitur quando curatus nonnihil conferimus, iisque satis congrue plurimis signis respondere animadvertimus inscriptionem nostram mutilam, cujus aliquot superiores versus omnino deletos esse, adnotavit *GRUTERUS*, elogiis, quantum conjicere licet, Cæsaris Imperatoris Severi occupatos, non dubitamus exactiori earum similitudini hunc in modum restituere.

imP. CAESAR. M. *aurelius*
ANTONINVS. PIVS. AVG. TRIB
POT. IIII. PROCOS. *et. imp.*
septimius. g e t a. antoninus
VIAS. ET. PONTES. REST
AB. AVG. M. P
XXXI

Restitutioni nostræ fidem addent & auctoritatem ipsa lapidum exempla, unde nostrum supplevimus, statim plenioti stilo hic describenda. Quos tamen adlaturi, antequam ad Septimii Severi Cæsaris ætatem progrediamur, ex ordinis lege memorare decet monumentum viale Divorum Fratrum, M. Aurelii Antonini & L. Aurelii Veri. Dabimus illud *GRUTERI* 8) fide, in lapide milliario Hagæ Comitum apud Batavos superstes, qui eundem e monasterio, Delphos inter & Hagam posito, quod Syon dicitur, huc translatum esse notat, unde suspicionis igitur haud parum subnascitur, fuisse per Germaniam inferiorem a Divis Fratribus vias aliquas curatas, licet investigare, quantum par est, & digito quasi eas designare ob monimentorum silentium & defectum non liceat.

Kkk 3 §. XVI.

6) *in Antiqu. Agr. August. Monim. X. XI. XII. pag. 409. 410. & in Monim. Peregr. pag. 420. in Oper.*

7) *CLVII. 2. 3. 4. 5.*

8) *CLVI. 7.*

IMP. CAES.
M. AVREL. ANTO
NINO. AVG. PONT
MAX. TR. POT. XVI
CO. XIII. ET

IMP. CAES.
L. AVREL. VERO. AVG
TR. POT. II. COS. II
A. M. A. E. C.
M. P. XII

§. XVI.

L. SEPTIMII SEVERI ET UTRIUSQUE FILII COLUMNAE VIALES, PER RHAETIAM, VINDELICIAM ATQUE NORICUM DISPOSITAE.

POst Antoninos viarum cura penitus ab Imperatoribus Romanis per aliquod tempus videtur intermissa, donec eam, tertio post communis Servatoris nativitatem sæculo, tedauspicatus fuit Imperator L. Septimius Severus, qui rebus undiquaque compositis, Antoninorum & dignitatem, & nomen ita renovavit, ut illud non utrique solum filio, sed omnibus quoque in imperio successoribus perinde ac Augusti titulum, uti *AELIUS SPARTIANUS* 1) perhibet, cognominis loco addi voluerit, quo tamen effectum est, ut nactus sit poeta quidem, cur Antonini nomen ad ultimas sordes pervenisse, *JULIO CAPITOLINO* 2) teste, cavillaretur. Nos eorum nihil curamus, quibus id certe persuasum est, Septimium Severum, vel sola viarum cura meruisse, cur æquaretur Antoninis, aut prorsus anteponeretur. Superstites sunt ætati nostræ viarum ab isto Imperatore per Hispaniam & Italiam passim instauratarum, testes certissimi, lapidum vialium inscriptiones, quorum si qui fuerint inspiciendarum curiosiores, ad *JANUM GRUTERUM* 3) ablegamus. Imo longinquius in Syriam usque curæ illius provectæ argumenta dabit *JACOBUS SPONIUS* 4). At his omnibus omissis, ad ea convertimur, in quæ nobis, tamquam in propria, & instituto nostro propria, maxime intuendum est, & quibus omnino satis occupamur. Exstant nempe per Rhætiam, Vindeliciam, Noricum, & adfines iis regionibus tractus tot pæne solius Severi columnæ milliares dispositæ, quot in Germania vix ex universo reliquorum Cæsarum adparatu conquisiveris, ut habeamus adeo viarum, per has terras istius Cæsaris auspiciis ordinatarum, testimonia copiosa satis, & perquam luculenta. Venerunt in laudis, ex viali per Germaniam cura partæ, consortium duo filii, quos tempestive satis in imperii quoque societatem vocavit parens, eo quidem cum discrimine, ut illorum natu majorem, Bassianum Caracallam, sive quo nomine marmorum reliquiæ plerumque demonstrant, M. Aurelium Antoninum, una cum patre omnes isti lapides, nonnulli etiam alterum ætate minorem, P. Septimium Getam Antoninum memorent. Digni sunt præter ea, qui curatius paullo perlustrentur, hi cippi viales, eo cum primis nomine, quod non obscuris vestigiis statuarum milliarium ordinem, in Vindelicia cœptum, per Noricum inde in Pannoniæ usque agros pæne continuatum, & licet jam vetustatis rapinis varie interruptum, conjecturis tamen aliqua ex parte adsequutu facilem, & viæ publicæ simul tam longam prodat seriem, quam vix in alia Imperii Romani provincia, ne in ipsa quidem Italia, ordinatis ejusmodi signis exploraveris. Dabimus istos lapides, secundum situs sui ordinem, cujus ex lege primum sibi locum vindicare videtur sequens, in monasterio S. Benedicti prope

---

1) *in Antonin. Get. pag. 90. int. Script. Hist. Aug.* 2) *in Opil. Macr. pag. 94. ibid.*

3) *CL. 5. CLVI. 9. CLVII. 7. CLXIII. 8. CLXXXVII. 3. MXX. 2.*

4) *Dans les recherches curieuses d' Antiquité, pag. 193. seq. Paris.* MDCLXXXIII.

prope Isuensem urbem in Algoia, Sueviæ provincia conspicuus, & a *GRUTERO* 5) exhibitus.

IMP. CAESAR. L. SEPTIMIVS
SEVERVS. PIVS. PERTINAX. AVG
ARABIC. ADIAB. PARTHICVS. MAX
PONTIFEX. MAX. TRIB. POT. VIIII
IMP. XII. COS. II. P. P. PROCOS. ET
IMP. CAESAR. M. AVRELIVS
ANTONINVS. PIVS. AVG. TRIB
POT. IIII. PRO. COS
VIAS. ET PONTES. RESTI. A. CAMB
M. P. XI

Passuum millia, quæ hic lapis notat, computata esse suspicamur a Campoduno, quod Sueviæ oppidis una cum Brigantio, Vindelicorum oppido, *SRABO* 6) accenset, & *ITINERARIUM ANTONINI* 7) tribus vicibus indicat. Non turbat hanc conjecturam vulgatus nominis ejus scribendi usus, ab eo quidem diversus, quem lapis prodit. Adhibuerunt istum veteres promiscuum. *STRABO* Καμπόδουνον exprimit, quod latinis litteris servat *ITINERARIUM*. Contra *PEUTINGERIANA TABULA* Cambodunum ponit, idemque haberi observamus in *NOTITA IMPERII*. A Campoduno haud procul nimis, sexaginta nimirum passuum millibus, si stationem mediam ponas Nemaviæ Rostrum, si Guntiam & Cælium montem, octo propius distat 8) Augusta Vindelicorum, jam olim, auctore *TACITO* 9), splendidissima Rhætiæ provinciæ colonia, quo quidem in testimonio ita Rhætiæ vocem accipiendam esse, ὡς ἐν παρόδῳ notamus, ut quod ex usu veterum non nunquam solet, monente *CHRISTOPHORO CELLARIO* 10) Vindeliciam simul complectatur. Augusta inde Vindelicorum mensuram Romanis viis publicis per Vindeliciam productis indidisse, documento sunt, qui ex lapidibus per eas dispositis ad ætatem nostram duraverunt, & a celeberrima illa colonia per longinquos fines passuum millia computata referunt. Ex quibus primo loco *VELSERI* 11) & *GRUTERI* 12) fide, memorandæ sunt tres istæ columnæ, octonum circiter pedum, Ursinii, quæ dioeceseos Augustanæ villa est, servatæ, antiqua situs proximitate sibi in vicem fere contiguæ. Vix esse arbitramur, cur eas hoc loco exhibeamus pleno stilo descriptas, cum primam illarum jam superius 13), alieno quidem loco, in conclusionis inde deductæ robur integram adduleri-mus,

5) CLVII. 8. 6) *Rer. Geograph.* Lib. IIII. p. 242. 7) pag. 53. 55. 57.

8) vid. ANTONINI ITINERARIUM pag. 58. 55.

9) *de Mor. Germ.* Cap. XLI.

10) *Notit. Orb. Antiq.* Lib. I. Cap. VII. §. I. & XXII. Tom. I. pag. 412. & 422.

11) *In Monim. Agr. August.* n. X. XI. XII. *in oper.* pag. 409. seq.

12) CLVIII. 2. 3. 4. 13) not. 1. ad §. IV. pag. XI.

mus, & omnes in vicem sibi unoquoque versu, imo singulis litteris exacte respondeant, eo saltem argumento diversæ, veluti nempe situs sui natura postulat, quod prima quadraginta & unum ab Augusta passuum millia, altera quadraginta & duo, tertia quadraginta & tria numerat. Jam si conjecturis nostris pretium aliquod statueris, recte arbitratus, vialem statuam, quam *BERGIERIUS* Antonino Pio perperam vindicavit, paullo ante a nobis Severi filio, Bassiano Antonino esse restitutam, habebis unam ex quadraginta columnis præcedentibus, unde istarum ordini supplementum addas, eumque ad Augustam aliquanto propius perducas. Numerat enim passuum millia triginta & & unum, ex Augustæ situ demetienda. Longius producturis lapidum istorum seriem occurrit in tractu Augustano, Parthani, mutilum valde cippi milliaris fragmentum, *GRUTERO* 14) indicante.

IMP. . . . . . .
L. SEPTIM . . . .
PERTINAX . . . .
ADIAB . . . .
PONTIF . . . .
IMP. XII . . . .
IMP. CA . . . .
TO . . . .

Integritati restituit sequentem in modum *MARCUS VELSERUS* 15).

IMP. *caes*
L. SEPTIM*ius. seuerus. pius*
PERTINAX. *aug. arabicus*
ADIAB. *parthicus. maximus*
PONTIF. *max. trib- pot. viiii*
IMP. XII. *cos. ii, p. p. procos et*
IMP. *caesar. m. aurelius an*
TO*ninus. pius. aug. trib. pot*
iiii. procos. et imp. p. septim
geta. anton. vias. et. pontes
rest. ab. aug. m. p. lxiii

Congrue satis ad reliquorum ejus modi monimentorum similitudinem & situs rationem. Totidem enim passuum millibus Parthanum ab Augusta distare significat *ANTONINI ITINERARIUM* 16). Dubii jam hæremus, an ad producendam ejusdem viæ seriem e *GRUTERI* 17) adparatu recte liceat adferre sequentem lapidem:

SE. P.

14) CLVI. 6.

15) *in Monim. August. Peregr.* p. 420. *in Oper.*

16) *pag. 62. in itin. ab Augusta Vindelicorum Veronam*, cujus altera statio est Parthanum.

17) CLVII. 2.

SE. P. ROMANVS. DIR. IN. C
A. IX. BAD. PAL. AX. PONT
MAX. TRIB. P. VIIII. IMP
XII. COS. III. P. P. PROCOS. ET
IMP. CAES. M. AVREL. AN
TONINVS. PIVS. AVG. TRIB
POT. PROC. GVNL VII. A. SE
TRONIO. RESTEO. A. AVG
M. O. L. M. C. X

Habes inſcriptionem, tot pæne mendis corruptam & obſuſcatam, quot verbis abſolvitur. Quam cum ex ſimilibus emendatu facilem pronunciet *HENRICUS CHRISTIANUS HENNINIUS* 18), enixe mallemus, experimento ipſe confirmaſſet arbitrii ſui veritatem vir eruditiſſimus. Nos ſane medicas cohibemus manus, eidem non niſi cum inſigni violentia inferendas. Unde quam parum adeo lucis & certitudinis argumento noſtro commodari queat, facile perſpexeris. Suſpicionem ſaltem aliquam excitat lapidis ejus ſitus inter Sterczigenſem vicum & Oeni pontem, qua patuiſſe Parthano viam, CXII paſſuum millibus productam, *ITINERARIUM ANTONINI* 19) notat. Convenit porro cum aliorum lapidum titulis numerus, quem Imperatorio Septimii Severi elogio & tribunitiæ illius poteſtati adſignat, at uno puncto ſuperat, quem Conſulari ejuſdem dignitati tribuit monimenti hujus inſcriptio. Cujus denique poſtremis ſiglis ſi advertas animum, haud difficili nimis conjectura elicies computatam ab Auguſta Vindelicorum paſſuum menſuram, cui tamen exacte ſatis reſpondere haud videtur ſignatus eorum numerus, utrovis modo *ITINERARIUM ANTONINI* 20) ſequi viſum fuerit, ſive ab Auguſta Vindelicorum per Parthanum, ſive omiſſis iſtis ambagibus, per Ambre & Iſiniſcam rectiori compendio viam hanc metiri malueris. Iſte ductus enim efficiet ſeptuaginta & octo ſupra centum, hic novem & octoginta paſſuum millia. Adeo ſcilicet obſcura & tot dubitationis obnoxia & ſublestæ fidei ſunt omnia, quæcunque de lapidis hujus valde corrupti finibus adtuleris. At confirmat tamen aliqua ex parte numeri rationes, paſſuum millibus deſignandis in corrupto hoc cippo adhibitas, & certiora viæ iſtius, ab Auguſta Vindelicorum longe ſatis productæ, indicia perhibet columna viaria, prope Vilthaimenſe cœnobium, haud procul pariter ab Oeni ponte ſitum, collocata, quam *MARCO VELSERO, JANO GRUTERO & FORTUNATO SPRECHERO a BERNECK* auctoribus, publicæ luci expoſitam eſſe, antea notavimus 21), hoc loco integram ipſi exhibemus.

18) *in not. ad* NICOLAI BERGIERII *de publ. & militar. imper. Rom. viis* Lib. I. Cap. XIX. §. 5. pag. 659. Tom. X. JOANNIS GEORGII GRÆVII *Theſ. Antiqu. Rom.*

19) *pag. 56. in itin. a Lauriaco Veldidenam.*

20) Deſcribuntur duplicis hujus viæ ſtationes p. 56. & 57. ita tamen, quod ingenue fatemur, ut aut alteram alteri contrariam, aut certe mendis deformatam non poſſis non habere.

21) in not. 3. ad §. XIV. pag. XLVIII.

IMP. CAES. L. SEPTIMIVS
SEVERVS. PIVS. PERTINAX
AVG. ARABIC. ADIABEN. PAR
THIC. PONT. MAX. TRIB. POT. VIIII.
IMP. XII. COS. II. P. P. PROCOS. ET. IMP
CAES. M. AVRELIVS. ANTONINVS
PIVS. AVG. TRIB. POT. IIII. PROCOS
ET. IMP. P. SEPTIMIVS. GETA
ANTONINVS.. VIAS. ET. PONTES
REST. AB. AVG. M. P. CX

En igitur viam, Augusta Vindelicorum per Vindeliciam & Noricum CX passuum millibus, imo amplius fortassis deductam. Ut enim cippi longinquiores, ejusdem viæ indices vetustate aliove casu interciderint, non minus facile potuit contingere, quam illorum complures proximi mediique situs perierunt. Ceterum pleniori studio in lapidum istorum situm inquisivit felicissimus antiquitatis scrutator *MARCUS VELSERUS* 22), qui temporum quoque rationibus aliquantisper adversari, aut certe sibi non bene in vicem convenire Imperatorii tituli & Consulatus numeros in iisdem omnibus Severo adscriptos, observavit 23). Magis impedit istas temporis eruendi difficultates numerorum diversitas, expressa in tribus aliis ejusdem Imperatoris cippis milliaribus, viæ per Noricum mediterraneum ordinatæ designatoribus, eoque nomine huc transcribendis. Primum illorum forma rotundum, longitudine pedum octo, in pago Stratsualtio, Salisburgum versus in via erectum, ita inscriptum sistit *GRUTERUS* 24).

IMP. CAES. L. SEPTIMIO
SEVERO. PIO. PERTINACI. AVG
ARAB. ADIAB. PARTHICO. MAX
BRITAN. MAX. PONTIF. MAX. TRIB
POTES. III. IMP. VII. COS. II. P. P. PROCOS
ET. IMP. CAES. M. AVREL. ANTONINO
PIO. INVICTO. AVG. PARTHICO. MAX
BRITANNICO. MAX. GERMANICO
MAX. PONTIF. MAX. TRIB. POTEST. XVI
IMP. III. COS. III. P. P. PROCOS. FORTIS
SIMO. AC. FELICISSIMO. PRINCIPI
DOMINO. INDVLGENTISSIMO
M. P. LI

Alterum eorum, *GRUTERO* 25) iterum auctore, referimus, in jugo Radstadi Stiriæ positum.

IMP.

22) *Rer. Aug. Vindel.* Lib. III. p. 214. *Oper.* 23) *in Monim. Agr. August. pag.* 410.
24) CLVII. 1. 25) CLVII. 6.

IMP. CAES. F

PIVS. SEVERVS. PER. AVG.

TRIB. POTES. IX. IMP

XII. COS. II. P. P. GOTH

IMP. CAES. MAR. AV

RE. ANTONINVS. PIVS

FELIX. AVG. ARAB. GERM

MAX. NT. TRIB. POTE

P. P. PROCON. AT

M. LIII

Subjungimus tandem hisce tertium, ex *OBSERVATIONIBUS LITTERARIIS VERONENSIBUS* 26) petitum, de cujus nativo situ, cum nihil compertum habeamus, quam quod Celeja Viennam ex jussu Augustissimi Cæsaris, CAROLI VI. migraverit, recordari eorum jubemus lectores nostros, quæ paullo superius 27) de aliis hujus generis lapidibus, ex eadem urbe in Museum Imperiale translocatis, memoravimus. En jam columnæ hujus inscriptionem:

IMP CAES L SEPT SEVERVS PIVS PERT AVG

ARAB ADIAB PART MAX PONT MAX TRIB

POT VIII IMP XII PP COS PROCOS ET IMP

CAES M AVR ANTONINVS PIVS FEL AVG

PART MAX BRIT MAX GERM MAX PONT

MAX TRIB POT XVII IMP III COS IIII P P

PROCOS MILIARIA VETVSTATE

CONLABSA RESTITVI IVSSERVNT

Mittimus jam abstrusas chronologicorum calculorum disceptationes, quarum definiendarum laudem felicioribus ingeniis lubentes relinquimus. Offendent sane, in quibus solvendis vim suam & sagacitatem exerceant, nodos quam plurimos & valde implicatos Cæsareorum titulorum numeros, sive istos inter se vicissim, sive paternos contuleris ad eos, qui filio proprii sunt, sive denique ad similitudinem aliorum lapidum, qui nominibus eorundem Cæsarum signati sunt, redigere illos placuerit. Horum nos jam nihil curamus, notaturi saltem, quod unum sufficit, ætate vetustiores esse Noricos hosce lapides, quam istos Vindeliciæ, cujus rei suspicionem non ex dubiis solum numerorum signis derivamus, sed eo præcipue confirmari opinamur, quod in Noricis non expressum sit P. Septimii Getæ nomen, una cum parentis & fratris elogiis unicuique Vindelicorum columnæ inscriptum. Vias his lapidibus distinctas per Noricum patuisse, ex eorum situ colligimus, unde tamen exire cœperint, quove desierint, ægre definies, cum cippi nulla istius rei prodant vestigia. Id sane ex subnotatis milliarium numeris satis liquet, servatam hic passuum mensuram ab Augusta Vindelicorum ductam haud esse, neque Noricam hanc viam

 portio-

26) Tom. I. art. VII. n. 31. p. 187. 27) §. XIV. p. XLVII. seqq.

portionem aut seriem ejus efficere, quam per Vindelicum columnis milliaribus ante demonstravimus. Subductis jam rationibus id evinci arbitramur, Septimii Severi Augusti & utriusque filii Cæsarum auspiciis, per Noricum prius vias publicas seu militares aperiri, muniri & lapidibus milliaribus ex Romanorum instituto distingui cœptas, deinde idem opus æquali ratione per Vindeliciæ, immo Rhætiæ agros esse continuatam. Ita rem hanc se habere nobis persuadent rerum harum argumenta, frequenti consensu confirmata, licet quisquam fortassis ex lapidis interpretatione, quem postremo loco exhibuimus, Severi laudem & merita in Germaniæ vias aliquantisper imminui malit, nihil præter restituta viæ jam pridem ordinatæ milliaria, quæ vetustatis injuria adflixit aut evertit, eidem Imperatori vindicaturus.

§. XVII.

MILLIARIS UTRIUSQUE OPELII CÆSARIS COLUMNA IN NORICO.

Sunt eorum quoque Imperatorum aliquot, qui proxime Bassiano Antonino, Septimii Severi filio successerunt, in Germaniæ finibus monimenta vialia jam strictim hic recensenda. Servavit ad nostram usque ætatem Norici mediterranei ager milliarem columnam, erectam auspiciis M. Opelii Macrini, quo duce atque instigatore Bassianus cecidit, proditionis præmium, breves imperii fructus, relinquens proditori, & filii ὁμωνύμῳ, quem in summæ potestatis societatem adscivit parens, Antonini Diadumeniani cognomine nobilitatum. En ipsos cippi hujus titulos, ex *OBSERVATIONIBUS LITTERARIIS VERONENSIBUS* 1), quibus eos publici juris primum factos debemus, huc transcriptos.

IMP CAES M
OPELIVS SEVERVS
MACRINVS PIVS FEL
IX AVGVSTVS PONTI
FEX MAX TRIB POT
II P P COS PROCON
SVL ET M OPELIVS
ANTONINVS DIADV
MINIANVS NOBILISSIMVS
CAES PRINCEPS IVVENTVT
PROVIDES. C. LXIIIIS
VISSIMI AVG FECERVNT
VI

Debetur huic lapidi extra nostri quoque argumenti limites insigne pretium, cum nemo adhuc alium æque perfectum in lucem protraxerit, qui utriusque Opelii Cæsaris titulos referat. Silentio tamen haud prætereundum esse arbitramur, postremos duos hujus inscriptionis versus, præcipiti haud dubie sculptoris cælo,

1) Tom. I. Art. VII, n, 32, pag. 188.

lo, ita esse corruptos atque perturbatos, ut commodus inde sensus elici omnino non possit, quod inspicienti unicuique non minus patebit, quam animadvertit primus ejusdem editor, *OBSERVATIONUM VERONENSIUM AUCTOR*. Conatus est idem, quisquis est, vir litteratissimus, corruptelas istas in sensum rectiorem redigere, & felici ad modum ingenio effinxit emendationem, dignam omnino nobis visam, quæ ipsis auctoris sui verbis descripta in hac inferiori libelli ora exhibeatur 1). At licet ita eas conjecturas comparatas esse non diffiteamur, ut de omni fere alia restitutione desperandum sit, quæ corruptelis istis medeatur, dissimulare tamen non possumus dubitationem nobis subnatam, an columnarum numero, quibus singula passuum millia notare consueverant, viæ mensuram demonstraverint Romani, eoque modo signum pro signato, veluti loquuntur in rhetorum scholis, publicis monimentis expresserint, quod in hac inscriptione factum esse suspicatur laudatissimus instaurator. Tale quidquam profecto in ullo alio viali lapide nos reperisse, aut ab aliis esse observatum, non meminimus. Deinde nos valde suspensos tenet ibidem suppeditata litteræ S. numero columnarum subjectæ, explicatio eo composita, ut semissem ea notari, illisque siglis junctim positis spatium columnarum LXIV. & dimidiæ indicari perhibeat. At improprie nimis in semisses dispesci arbitramur columnas viales, qualibus quidem singula passuum millia fuisse distincta, unde cognomen quoque milliarium illis additum est, confirmat *RUTILII NUMATIANI* suffragium, quod observationi adlegatæ subtextum modo adscripsimus. Quingentorum vero passuum intervalla pariter lapidibus notata esse, unde colligas, vix suppetet. Neque minus eam divisionem, si ad ipsam passuum millenorum mensuram transtuleris, præter omnem consuetudinem huc inferri arbitramur, cum sane neque ullus vialis lapis viæ cujusdem longitudinem, neque *ANTONINI ITINERARIUM* ullius stationis situm, nisi numeratis integris passuum millibus significet, eoque tamquam perfecto & perpetuo numero moduloque semper utatur. Quis tamen sibi persuadeat, ita stationes singulas, quas maxime illud *ITINERARIUM* refert, dispositas fuisse, ut earum nulla non ab altera pleno millenorum passuum spatio abfuerit, neque istam certioris longitudinis mensuram intervalla subinde quædam minutiori aliquo passuum numero excesserint, quem quidem, utpote imperfectiorem supra millenarios calculos adnotare, operæ pretium haud judicaverunt viarum designatores. Quibus tandem solvendis difficultatibus, quas adhuc recensuimus, si quis idoneus obtigerit arbiter, nihil nos amplius ea morabitur, quæ subnata est ex senarii numeri nota, inscriptioni huic proxime subjecta. Quo enim iste modo ad columnarum calculos recte comparetur, licet ab initio definitu nobis visum sit aliquanto diffi-

 cili-

1) *Cit. loc. in not. ad n. 32. pag. 208. Colonna assai alta, ed unica inscrizione autentica, e perfetta di Macrino, e Diadumeniano. Nel fine è un enigma nato da errore del tagliapietra, il quale ha confuse le parole, e com' e probabile, ha ommesso qualche cosa. Crederei, che il principio del penultimo verso andasse congiunto col principio dell' ultimo:* Providentissimi Augusti fecerunt. *La prima lettera dell' ultimo volea essere una breviatura di NT. Resta nel penultimo S. C. LXIIIIS. forse da intendere,* spatium columnarum LXIIII. semis: *che aveano fatto ristaurare il camino per lo spatio di 64 miglia e mezzo; gia che si poneva ad ogni miglio una colonneta, per indicar le distanze. Rutilo Numatiano nell' Itinerario:*

Intervalla via fessis præstare videtur,
Qui notat inscriptus millia crebra lapis.

cilius, non incommoda tamen foret interpretatio, priori columnarum numero indicari viam, quingentis passibus supra quatuor & sexaginta illorum millia, Macrini & Diadumeniani Cæsarum jussu & auspiciis instauratam, justiorive ordine constitutam, inferiore senarii numeri significatione designari columnam milliarem sextam, sive sex passuum millibus procul ab eo loco positam, unde via hæc produci cœpit. Cave tamen a nobis expectes penitiora istius indicia. Nihil nos illorum habemus compertum. Nihil hac de re suspicionis subministrat primus columnæ hujus situs, utpote plane ignoratus. Id enim saltem constat, quod ante jam expositum est, hunc lapidem una cum aliis, quos ex *OBSERVATIONIBUS LITTERARIIS VERONENSIBUS* descriptos dedimus, Celeia neque isto primo situs sui loco, sed alieno jam receptaculo, Viennam esse adlatam. Neque tamen temere nimis inde nos colligere arbitramur viarum per Noricum ordinandarum curam, quam Severi & filiorum auspiciis magna cum contentione gestam, non obscura loquuntur vestigia, jam non segnius sub imperio utriusque Opelii continuatam. Ceterum nacti simul sumus monimentum, ex quo his Cæsaribus viariæ curæ laudem vindicare commode licet; quod tanto dignius memoratu reputamus, quanto acutiores vindices *NICOLAUS BERGIERIUS*, & qui argumenta hujus generis ab ipso prætermissa singulari cum industria conquisivit, *CHRISTIANUS HENRICUS HENNINIUS*, nihil reperire potuerunt, unde illius gloriæ quidquam in Macrinum aut Diadumenianum filium derivarent, eaque de caussa binos hos Imperatores plane indictos præterierunt.

§. XVIII.

COLUMNÆ VIARIÆ ANTONINI HELIOGABALI ET SEVERI ALEXANDRI IN GERMANIA INFERIORI.

Diu satis per Vindeliciam, Rhætiam atque Noricum viis late suis dispositis nos deducendos, & intuentes in milliaria monimenta detinuere Trajanus, Hadrianus, Antoninus Pius, Septimius Severus, Bassianus Caracalla, Antoninus Geta, Macrinus & Diadumenianus, Cæsares Imperatores. At revocabunt jam in Germaniam inferiorem, ibique ordinatas vias ostendent proximi illorum successores, M. Antoninus Heliogabalus & M. Aurelius Severus Alexander. Præfixos viæ illius indices conspicimus, duos lapides prope Steinbachium in Marchionatu Badensi effossos, & *JANI GRUTERI* 1) cura publicæ luci restitutos, quorum prior Antonino Heliogabalo vindicandus ita habet:

IMP. CAES. DIVI
SEVERI NEPOTI. DI
VI. ANTONINI. MAG.
FIL. M. AVREL. ANTO.
NINO. PIO. FELICI
AUG. . . . . . . III. COS
III. P. P. P. F. COS. C. A.
AQ. AB. AQ. LEUG
IIII.

1) MLXXVIII.

Alter, qui Severi Alexandri titulos refert, parum ceteroquin a priori discrepat, nisi quod perfectior adpareat, neque ullis delatarum vocum, aut litterarum lacunis mutilatus, sequentem videlicet in modum:

IMP. CAES. DIVI
SEVERI. PII. NEPOTI. DIVI
ANTONINI. MAG. PII FILIO
M. AVREL. SEVERO. ALEXANDRO
PIO FELICI. AUG. PONTIFICI
MAXIMO. TRIBUNICIAE
POTESTAS. COS. PATRI. PATRIE.
C. A. AQ. AB. AQ
L. IIII.

Subjungimus inscriptionem tertiam, priorum valde similem, si mentem & verborum potestatem spectes, at capite truncatam, & siglorum compendiis, aliisque sculptoris, aut imperii, aut minus, quam par erat, curiosi vitiis mirifice deformem, quam e Mettingæ latebris, ubi nempe circum privatæ domus fores in gyrum formata conspicitur, in dias luminis auras protractam debemus litteratissimo amicorum olim pari, *CASPARO BARTHIO* 2) & *THOMAE REINESIO* 3), e quorum supellectile depromtam eandem sistimus.

NEPOT. DI V. ANTO NN. PII. MAG. FILIO. M. AUR
SEVERO. ALEXANDRO. PIO FEL AUG. PON CI. MAX.
R BUNICIE. POT. COS. PA R AE CIV. ARG. AQ. ABL. EUG. XVII.

Primo adnotamus expressum in his lapidibus novum mensuræ viariæ genus, effictum ex veteri Gallorum sermone vocabulum & Romanæ linguæ illatum, leucas vel legas, aliis quoque leugas. Acute multa de illarum ratione, ad milliarium Romanum comparata disputat, eamque ἡμιολίαν, aut sesquialteram, veluti loquuntur arithmetici, ut nempe duæ leucæ conficiant tria passuum millia, non contemnendis argumentis evincit *NICOLAUS BERGIERIUS* 4) Servarunt institutum, vias cum primis Aquitanicæ, Celticæ atque Belgicæ Galliæ leucarum calculis definendi, antiquis harum regionum incolis usitatum, victores Romani. Præsto est hujus rei testis, qui bella in his terris gesta narratione sua persequutus, viarum intervalla leucarum spatiis plerumque dimetitur, & ipse luculentissimum, unde leucarum quantitatem cognoscas, argumentum submi-

2) *Advers.* Lib. LII. Cap. I.

3) *Syntagm. Inscript. Antiqu. Class. II. Inscript. XIV. pag. 204. edit. Lips.* MDCLXXXII.

4) Lib. III. Cap. XII. *pag. 372. seqq.* Conf. Cap. XXXVI. *seqq. pag. 499. seqq.*

subministrat *AMMIANUS MARCELLINUS* 5). Idem confirmat *ANTONINI* quoque *ITINERARIUM* 6), quod cum alioquin stationes singulas millenis passibus distinguat, Galliarum tamen viis dimetiendis, praeter consuetos illos calculos leucas simul adhibet, sive legas, & ubivis fere adnotatas exprimit, interdum iisdem designandis solas numerat & adscribit legas. Has enim vulgatis ibi notis *LEG.* indicari, contra *HIERONYMUM SURITAM* 7), qui eas effingendis legionum stativis adcommodare maluit, varie idcirco corruptas, multo probabiliori certitudine demonstravit, & genuina vocum numerorumque compendia restituit eruditissimus veteris rei viariae vindex, *BERGIERIUS* 8). Addimus observationem, quae sagacissimi hujus viri non minus disputationi, quam perpetuo leucarum per Gallias usui, singularem in modum patrocinatur, repetitam ex *ITINERARIO BURDIGALENSI* seu *HIEROSOLYMITANO*, quod Burdigala Hierosolymam usque vias emetitur, primo editum a magni nominis Juris consulto, *PETRO PITHOEO*, & Itinerario Antoniniano *ANDREÆ SCHOTTI* cura subjunctum. Reperimus enim singulas ibi stationes a Burdigala usque ad Tolosam leugarum spatiis, reliquas inde omnes millenorum passuum numeris distinctas. Denique ut *AMMIANI MARCELLINI* aevo, cui prope modum aequale *ITINERARIUM BURDIGALENSE* suspicatur *PETRUS PITHOEUS* 9), antiquiorem leugarum mentionem e monimentis Romanis ostendamus, non haeremus in adlatis paullo ante Antonini Heliogabali & Alexandri Severi columnis, ejusdem mensurae custodibus, in quas eam ob caussam maxime inspiciendum commendat *THOMAS REINESIUS* 10), sed altius retro progredimur, binorum lapidum memores, ab Augusta Suessionum, leugarum septem intervallo, uti luculentis notis exprimunt, L. Septimii Severi & M. Aurelii Antonini auspiciis positorum, quos aeri mandatos suisque illustratos commentariis, publicae luci dedit *BERNARDUS MONTEFALCONIUS* 11). Ex *ITINERARIO ANTONINIANO* quo minus leugarum vetustati commendationis praesidia conquiramus, deterrent gravissimae de illius aevo atque auctore disceptationes, dubio undiquaque successu summos inter viros agitatae. Sufficere illa existimamus antiquissimo non minus, quam valde frequenti, leugarum per universum fere Galliarum tractum demonstrando usui. Et facile putamus, ex istis perspectum iri leugarum mensuram, in his lapidibus, de quibus jam exponimus, non incongruo instituto servatam, si quidem ad illorum situm contuleris. Quem sane vix possumus, quin eidem loco, quo duos priores effossos fuisse, ab initio statim adnotavimus, Badae videlicet, sive quod stilo magis latino nomen servat, Thermis inferioribus, praecipue nostra aetate Marchionatus ὁμωνύμῳ urbi, proxime ad finem

5) Lib. XVI. pag. 82. *A loco, unde Romana permota sunt signa, ad usque vallum barbaricum quarta leuca signabatur & decima, id est, unum & viginti millia passuum.* Conf. Lib. XV. pag. 60.

6) vid. pag. 55. 56. 81. 82.

7) *in comment. emendat. in Antonin. August. Itiner. pag. 417. 514. seqq.* & passim.

8) Lib. III. Cap. XXXVI. §. 8. Cap. XXXVII. & XXXVIII. pag. 403. seqq.

9) *in Praef. ad Itinerar. Burdigal. p. 136. in Itiner. Anton. edit. Colon. Agripp.* MDC.

10) *cit. loc. in explicat. Inscript. XIIII. Class. II. pag. 254.*

11) *Dans le Supplement à l'Antiquité expliquée, Tom. IIII. Tab. XLV. Lib. V. Cap. VII. §. 11. pag. 110. seqq. & Tab. XLVI. Cap. VIII. pag. 114.*

finem conjiciamus. Immo lapidis sui Mettingensis ductu, a nobis tertio loco descripti, qui perinde ac duo priores huc adlati, viam designatam ab Aquis repetit, eoque nomine indicari Badensem istam urbem, notis vero proxime præcedentibus *CIV. ARG.* quarum primas saltem litteras habent duo priores lapides, civitatem Argentuariam, vel etiam Argentinam esse intelligendam, & subjecto decem atque septem leucarum numero, alterutrius harum urbium ab Aquis istis distantiam notari, edicit *REINESIUS* 12). At quodam modo adversus est huic explicationi *HENRICUS CHRISTIANUS HENNINIUS* 13), qui scriptionis compendia, C. A. AQ. AB. AQ. L. sequentem in modum interpretatur, *Civitates Argenteas Aquas ab Aquis Leucas.* At quænam illa civitas, Argenteæ Aquæ? nihil definit *HENNINIUS*, nisi quod Argenteum amnem, vernaculo sermone *Argens*, vel quod magis frequentatum reperimus nomen, *Erger* dictum, qui per Ehenheimium superius, Alsatiæ inferioris oppidulum defluit, aut etiam tot amnium limpidissimorum, Illæ, Borussæ aliorumque ibi confluentes, illimes & nitidis undis argenteos, Argentinæ, Argentuariæ, Argentorato nomen dedisse opinetur. Dispiciant alii, utrum istorum nominum origines prope satis, an paullo longius, quam par erat, videantur derivatæ. Subscribimus ceteroquin *HENNINII* observationi, male omnino, quam procul ab Aquis Argentina distet, aut Argentuaria, ex calculo leucarum XVII, quem lapis prodit, ostendi a *REINESIO*, qui numeros istos suæ opinioni non bene ad modum respondere ipse animadvertit, ideoque non potuit ad corruptionis aliquam suspicionem recurrere. Adparet potius, & Mettingensem istum lapidem, & duos alios Steinbachii effossos, columnarum vialium numero esse habendas, quibus ex notissimo Romanorum instituto intervalla viæ, ab Aquis Argentoratum aut Argentuariam productæ, fuerant distincta. Alteri enim harum urbium notas illorum lapidum conjectura non violenta vindicamus. Utramque videlicet Romana rei viariæ monimenta celebrant. Argentoratum sane principis urbis insignibus notat *PEUTINGERIANA TABULA* 14), & ita frequenter cum primis *ANTONINI* refert *ITINERARIUM* 15), ut complurium ibi viarum quasi confluentes reperias, utpote a Mediolano, a Lugduno, a Taurino ad eam urbem directarum. Argentuariam quoque, aut si *AMMIANO MARCELLINO* 16), & *S. AURELIO VICTORE* 17) præeuntibus, ejecta littera scribi malis Argentariam, decem & octo passuum millibus procul ab Argentorato sitam, in itinere a Mediolano per Alpes Penninas Moguntiacum designato, habet *ITINERARIUM ANTONINI* 18), & non multo absimili ratione

 inter

12) *in explicat. diss. lap.*

13) *in not. ad* BERGIERII *Lib. I. Cap. XIX. §. 6. pag. 660.*

14) *pag. 734. in* VELSERI *Oper.* 15) *pag. 53. 55. 79. 80. 84.*

16) *Lib. XXXI. pag. 485.* 17) *in Epitom. de Gratian. Imp.*

18) *pag. 80.* adscribimus inde vicina loca eorumque intervalla, ex quibus Argentariæ situm facilius perspicias.

Augusta Rauracum	
Cambetem.	M. P. XII.
Stabula.	M. P. VI.
Argentuariam.	M. P. XVIII.
Elcebum.	M. P. VI.
Argentoratum.	M. P. XII.

inter Helellum & Cambete ponit *PEUTINGERIANA TABULA* 19). At paullo difficilioris est indaginis, an principem istam Marchionatus Badensis urbem, quam prope lapides isti duo sunt effossi, Romani jam noverint, & Aquarum nomine frequentasse reperiantur. Tale quidquam profecto ex priscis monimentis eruere nobis nunquam licuit. Non tamen incongruum videtur illi urbi, cui thermæ contiguæ Badæ adpellationem & celebritatem pepererunt, Aquarum nomen, quale a Romanis olim ad pleraque loca salubrium aquarum fontibus nobilitata translatum fuisse, non ignoramus. Stationes in singulis fere universi terrarum orbis partibus eodem nomine notatas passim refert, & plerisque aliud cognomen a situ aut aliunde commodatum, superaddit *ANTONINI ITINERARIUM*. Ita enim memoratas ibi meminimus Aquas Voconias, Dacicas, Querquennas, Segestanas seu Pintianas, Apollinares, Perticianenses, Regias, Tibilitanas, Origines, Solis, Convenarum, Bilbilitanorum, Celenias, Neapolitanas, Balislas, & quæ ob nominis sui celebritatem nostro ævo superstitem primo loco erant reponendæ, Sextias. Reperies ibidem complures simplici Aquarum nomine insignitas, e quibus huc adlegamus unicam, quæ itineris a Vindobona Pœtouionem prima perhibetur statio, octo & viginti passuum inde millium intervallo descripta 20) qua non ignobilem aquarum salubritate Anstriæ inferioris urbem, vernaculo iridem sermone *Baden* dictam, indicari perhibent communi pæne consensu rerum harum indagatores. Neque obscura suppetunt argumenta, Helvetias quoque Aquas, qua voce adpellamus Tigurini pagi urbem, Germanis pariter *Baden* vocari solitam, jam pridem solemnibus Helvetiorum comitiis, & pulcrius nostro demum sæculo confectis inter Augustissimum Imperatorem & Galliarum Regem pacis legibus nobilitatam, nomine isto perinde ac soli sui felicitate Romanis non fuisse incognitam. Quem enim diripi a Cæcinna, longa pace in modum municipii exstructum locum, amœno salubrium aquarum usu frequentem, *TACITUS* 21) narrat, pertinere ad Badense istud Helveriæ oppidum, *BEATO RHENANO* præeunte, arbitratur *VINCENTIUS LVPANVS* 22), & qui huic conjecturæ omnium consensionem patrocinari confidit, *CHRISTOPHORUS CELLARIVS* 23). Vias quoque in hac regione a Romanis olim fuisse ordinatas, indicio est milliaris columna in pago Tigurino, & quidem Badensi agro eruta, Imperatoris Trajani elogiis decorata, & post ea quarto & vicesimo sæculi decimi sexti anno in arcem ad Campum Floræ delata. Unde cum nova ultro subnascatur suspicio, viarum in Germania instauratoribus jure suo accensendum esse Trajanum, & superius, ubi de viaria Cæsaris hujus cura exposuimus, lapidis istius mentio temere omnino a nobis sit prætermissa, hoc jam eundem loco ex locupletissimo *JANI GRVTERI* 24) penu depromtum adferimus.

IMP. CAESARI
DIVI. NERVAE. F
NERVAE. TRAIA
NO. AVG. GERM
PONT. MAX. TRIB
POT. COS. II. P. P. DES
III. M. P. LXXXV

19) *cit. loc. apud* VELSERUM. 20) *pag. 58.* 21) *Hist. Lib. I. Cap. LXVII.*
22) *in not. ad* TACIT. *cit. loc. verb.* direptus longa pace.
23) *Lib.* II. *Cap.* III. *Sect.* I. §. XLIV. *pag. 237.*
24) *Corp. Inscript. CLV. 5.*

Adduxiſſent propemodum hic explorata per Helvetiæ tractum viarum, Trajani auſpiciis diſpoſitarum veſtigia, ut eodem, & præſertim ad Aquas Helvetias transferremus milliares illas Antonini Heliogabali & Alexandri Severi columnas, in quibus exponendis hæremus, maxime cum ſuſpicari liceat, viaria Trajani opera diligenter ad modum reſtituta eſſe ab Alexandro Imperatore, quem pontes cum primis, quos iſte fecerat, inſtauraviſſe pæne in omnibus locis, aliquos etiam novos feciſſe, ſed inſtauratis nomen Trajani reſervaſſe, *ÆLIUS LAMPRIDIUS* 25) memoriæ prodidit. Quo tamen minus hanc conjecturam audaciori quadam fiducia proſequamur, latebrarum ſitus prohibet, unde in lucem protractos eſſe iſtos lapides, commemoravimus. Efficit ſane illa ſitus propinquitas, ut inſculptæ Aquarum notæ, ad aliam ſtationem, quam Badenſis Principatus metropolin pertingere haud videantur. Denique in binis iſtis columnis Heliogabali altera, altera Alexandri prorſus ſingulare quidquam obſervatur, quod utraque nempe quartam ejusdem viæ leucam deſignet, uno itaque eodemque loco conſtituta. Inde illud eveniſſe arbitramur, quod lapis Heliogabali titulis inſignitus, poſt ejus cædem everſus, aliusque Alexandri Severi auſpiciis in eum locum ſubſtitutus fuit, eo ſcilicet fine, ut impuræ illius beſtiæ, quod cognomen ab Alexandro accepit 26) omnis omnino aboleretur memoria, cujus conjecturæ ducem adlegamus *HENNINIUM* 27). Excidium fortaſſe iſti columnæ acceleravit uſurpatum ab Heliogabalo, uti ubivis conſuevit, Antonini nomen, quo adeo indignus fuit judicatus, ut paullo poſt interitum, ſenatus auctoritate, illud ex annalibus eraſum fuiſſe, binis teſtimoniis perhibeat *LAMPRIDIUS* 28.)

§. XIX.

INVESTIGANTUR VIÆ, A RELIQUIS SÆCULI TERTII CÆSARIBUS IN GERMANIA ORDINATÆ.

QUæ nobis in viis noſtris perſequendis filum quaſi adhuc præbuit continua fere Imperatorum ſeries, ea jam ſubito nos ita deſtituit, ut ſimili ductu amplius decurrere plane non liceat. Parcos enim viarum curatores, aut omnino negligentes, exhibet ſequens Romanorum Imperatorum ordo, ſive tales ſuſpicemur ſaltem ex monimentorum defectu, ſive priorum Cæſarum cura vix reliquerit vias, quibus ſucceſſores, opera ſua muniendis, ad æternitatem graſſarentur, ſive quod veri eſt ſimillimum, turbulentus nimis publicarum rerum ſtatus, & meticuloſa brevioris plerumque durationis imperia prohibuerint, quo minus de tantis operibus, non ſumtuoſis minus & laborum pertinacia valde moleſtis, quam magnificis per provincias educendis cogitarent. Loquuntur profecto iſtius ævi ſcriptores miſeram rerum Romanarum conditionem varie agitatam, & factam ſubinde in ultimas ruinas procliviorem. Non ſola iſta

25) *in Alexandr. Sever. pag. 122. inter Script. Hiſtor. Aug.*

26) *cit. loc. pag. 132.*

27) *in not. ad* BERGIER. Lib. I. Cap. XIX. §. 4. pag. 659.

28) *in Anton. Heliogab. pag. 107. & in Alex. Sever. pag. 114.*

triginta tyrannorum turba, quæ non diu ad modum post Alexandrum cruentas miscuit discordias, exitio fuit, sed universus fere annorum complexus, qui reliquam sæculi tertii partem conficiunt, iniquissimam Imperii Romani prodit fortunam, quod mutuis perditissimorum hominum rapinis fuit expositum. Cui quidem opprobrio si unum alterumve illorum, qui ea ætate Imperatoris titulos & dignitatem sibi vindicavere, jure suo eximendum esse censueris, temporis tamen injuriam & præcipitem nimis fatorum violentiam simul animadvertes, publicis ornamentis per provincias ordinandis parum idoneam. Hæc igitur ubi curatius nonnihil expenderis, non posse arbitramur, quin mireris, reperiri tamen aliquot passim vias, quas posteriori sæculi tertii parte conditas esse, ostendunt lapidum reliquiæ, diligenter a *JANO GRUTERO* conquisitæ. Refert ille tres columnas milliares Maximinorum Cæsarum 1), qui statim post Severum Alexandrum Imperio potiti sunt, unam Gallieni 2), binas Claudii Taciti 3), omnes & singulas in Hispaniarum viis superstites. Neque reliquos hujus sæculi omnes omnino Imperatores viariæ curæ, per Germaniæ fines agendæ, oblitos esse, argumento est lapidis milliaris fragmentum, Vindobonæ non procul a D. Marco in vinea quadam repertum, quod vias & pontes, quibus vetustatis injuria fraudi fuit & ruinas minitata est, auspiciis P. Licinii Valeriani Imperatoris restitutos memorat. En ipsam lapidis inscriptionem, ex *GRUTERO* 4) huc transscriptam.

IMP. CAES
P. LICINIO. CORNEL
VALERIANO NOBILISS ....
CES. PRINCIPI
IVVENTVTIS. VIA
ET. PONTES. VETUSTA
CONLAPSA. RESTI
A. . . . N. D. M. P.
II

Præter ipsum lapidis reperti situm suppetunt aliæ quoque rationes, cur ad Vindobonam referendum esse arbitremnr. Nec justo audacior nobis videtur conjectura, penultimo inscriptionis hujus versu Vindobonam prioribus litteris fuisse indicatam, quas vetustate jam exesas penitius exhibere non licet. Quæ si non male omnino sese habere censeantur, en habes columnam, viæ a Vindobona exeuntis indicem. Fuit profecto non ignobilis inter Romanos Vindobona, quæ stativa, uti *ITINERARIUM ANTONINI* 5) adsignat, Legioni X Geminæ præbuit. Conspicis eandem principis urbis notis insignitam in *TABULA PEUTINGERIANA* 6). Ampliora celebritatis indicia perhibet *ITINERARIUM*, quod non per eam urbem solum viam de Pannoniis in Gallias processisse memorat 7), sed & itinera bina alia, alterum aliorsum a Vindobona, alterum eo aliunde directum describit 8).

---

1) CLI. 5. CLVIII. 6. 7. 2) CLVIII. 9. 3) CCLXXVII. 1. 2.
4) CLVIII. 8. 5) pag. 54. 6) pag. 739. cit. loc. 7) pag. 52.

bit 8). Neque dubitamus, ætate fatis antiqua vias per Vindobonæ agros fuiffe munitas, id quod confirmat adlatus Licinii Valeriani lapis, curatam viarum vetuftate collapfarum reftitutionem fignificans, unde ad fimilis curæ, in his regionibus geftæ, antiquitatem facillima ultro pertingit confequutio. Ex his denique cognofcimus vias, a Romanis ad extremos usque Norici fines & amplius productas. Notat enim Vindobonæ fitus antiqua Norici & Pannoniæ confinia, imo fecundum orbis Romani divifionem pofterioris provinciæ portio videtur urbs eadem æterna, & noftra jam ætate veteri Romæ nihil fecunda, quippe quam ex illis indiciis, quæ *NOTITIA IMPERII OCCIDENTIS* 9) fubminiftrat, Pannoniæ primæ duci fubfuiffe colligimus.

§. XX.

VIAE PER GERMANIAM AB IMPERATORIBUS QUARTI SAECULI CURATAE.

Tandem jam deducimur ad quartum a nato Servatore fæculum, idque ultimum, quo potuiffe fufpiceris, fi ad rerum publicarum ftarum recte animum advertis, ut viæ a Romanis in Germania ordinatæ fuerint & munitæ. Quarum quanto rariora æque ac obfcuriora funt veftigia, quæ per hanc temporis periodum exferuntur, tanto cautiori cum cura ut evolvantur, dandum eft operam. Primus ex hoc ordine hic adlegandus eft Conftantinus Magnus, viariæ rei maxime intentus, quem & ante una cum Diocletiano & Maximiano, in laudis ejus veniffe confortium, & eandem fibi pofthac ampliorem adferuiffe, quando vias hinc inde fuis unius aufpiciis eduxit, teftes funt lapides aliquot milliares, in Italia & Hifpania fuperftites 1). Ad rem viariam in Germania

8) *pag. 58.*

Iter a Vindobona Poetovionem.	M. P. CLXXXIV.
Aquas.	M. P. XXVIII.
Scarabantiam.	M. P. XXXI.
Sabariam.	M. P. XXXIII.
Arrabonam.	M. P. XX.
Alicanem in media Carta.	M. P. XL.
* * * * * * * *	* * *
Poetouionem. pag. 60.	M. P. XXXI.
A Sabaria Vindobonam.	M. P. LXXXVIII.
Scarabantiam.	M. P. XXXIV.
Mutenum.	M. P. XVIII.
Vindobonam.	M. P. XXXVI.

9) *Pag. 129. edit. cum comment.* GUIDONIS PANCIROLLI, *Genev.* MDCXXIII. Legitur eo loco fub difpofitione viri fpectabilis, Ducis Pannoniæ primæ & Norici Ripenfis, *Præfectus legionis decimæ Vindomanæ.* Hæc ad Vindobonam communi confenfione referunt. Pleniorem lucis ufuram dabunt, quæ huc adnotavit PANCIROLLUS, *Comment.* Cap. LXXXIII. *pag. 130.* Conf. CELLARII *Notit. Orb. Antiq.* Lib. II. Cap. VIII. *Sect. I.* §. *IX. pag. 440.*

1) Vid. GRUTERI *Corp. Infcript.* CCIX. *1. 3. 4. 6.*

mania curatam pertinet pons Agrippinensis, prope Coloniam scilicet Agrippinam Rheno junctus, quem prolixo verborum adparatu celebravit *VETUS* quidam *PANEGYRISTES* 2), nomine incertus, at artis oratoriæ uti videtur, publicus apud Treviros Professor, quum in natali urbis Augustæ Trevirorum, ab isto Imperatore restitutæ, publico jussu verba faceret. Videtur eundem pontem intellexisse *INCERTUS* pariter *PANEGYRISTES* 3), efferendis Maximiani Augusti laudibus occupatus, quando a ponte Rheni ad Danubii transitum continentem, devastatam atque exhaustam penitus Alemanniam memorat. Loquitur de hoc Rhenano Constantini Magni ponte prior ille *PANEGYRISTES* tam magnifice, ut ad Danubianum Trajani Cæsaris, æternæ admirationis opus, conferre nullus dubitaveris, nisi adsentationis multum, qua condire consueverunt ejus generis laudatores plerumque panegyricos Imperatoribus dictos, irrepsisse suspiceris. Quod huic operi sane ominatus est *PANEGYRISTES* noster, futurum usu sempiternum, eventus haud comprobavit, licet diu satis perstiterit, & quantum videtur, pro materiæ suæ natura diutius perstare potuisset. Eundem enim pontem aliquot post sæculis Brunonem Coloniensem Pontificem, Henrici, Germanis Regis, filium jussu fratris sui, Ottonis M. Imperatoris, ob nocturnarum ibi cædium & tumultuum frequentiam una cum munimento Divitensi rescidisse, & in Basilicam atque Abbatiam D. Pantaleonis absumsisse, ex communi traditione & præeuntibus *PETRO BERTIO* 4), *SEBASTIANO MUNSTERO* 5), & *MARQUARDO FREHERO* 6), re-

---

2) *p. 240. inter Paneg. Vet. ex edit.* JAC. de la BAVNE *Parif.* MDCLXXVII. Dabimus integra oratoris hujus de isto ponte verba, ad Imperatorem Constantinum Magnum directa: *Insuper etiam Agrippinensi ponte faciendo, reliquiis adflictæ gentis* (Francorum) *insultas, ne unquam metus ponat, semper horreat, semper supplices manus tendat, quum tamen hoc tu magis ad gloriam Imperii tui & ornatum limitis facias, quam ad facultatem, quoties velis in hostem transeundi, quippe quum totus armatis navibus Rhenus instructus sit, & ripis omnibus, usque ad Oceanum dispositus miles immineat. Sed pulcrum tibi videtur, & revera pulcerrimum est, ut Rhenus ille non solum superioribus locis, ubi aut latitudine vadosus, aut vicinia fontis exiguus, sed & ibi novo ponte calcetur, ubi totus est, ubi jam pulcerrimos hausit amnes, quos hic noster ingens fluvius, & barbarus Nicer & Mœnus invexit, ubi jam immuni meatu ferox, & alvei unius impatiens, in sua cornua gestit excedere. Servit profecto, Constantine maxime, ipsa rerum natura numini tuo, quum illa gurgitum altitudine tantarum molium fundamenta jaciuntur, fidem & stabilem firmitatem habitura. Junxerit quondam licet Hellesponti angustias classe connexa, Persarum rex potentissimus, temporarius ille transitus fuit. Simili navium continuatione Bajanum sinum straverit ab Augusto tertius Cæsar, delicata fuit illa vectatio principis otiosi. Hoc opus & difficile factu, & usu futurum est sempiternum. Certe quidem jam ter in exordio hostium movit obsequia. qui pacem supplices petierunt, nobilissimos obsides obtulerunt. Ex quo nemo dubitat, quid perfecto ponte facturi sint. qui jam serviunt inchoato.* En amplissimum verbosi πανηγυρίστου de illo Agrippinensi ponte testimonium. Nos illi quasi per transennam subnotamus, ingentis fluvii mentionem, quem perinde ac barbarum Nicrum & Mœnum aquas suas Rheno invehere, ait Orator noster, perperam a BEATO RHENANO *in præfat. ad hunc panegyr.* ad Mosam fluvium, rectius ad Mosellam referri a MARQUARDO FREHERO *in not. ad* AVSONII *Mosell. u. 51.*

3) *Pag. 202. Paneg. Vet.*

4) *Rer. Germ.* Lib. I. Cap. X. *pag. 89.* & Lib. III. *tit. de Colon. Agripp. pag. 92. edit. Amstel.* MDCXXXV.

5) *Cosmograph.* Lib. III. *pag. 209. edit. Francof.* MDXCII.

6), refert *HENNINIUS* 7). De munimento Divitensi subnotamus, fuisse illud pro more Romanorum in pontis præsidium proxima ripa eductum, si fides habenda est illis, quæ *RUPERTO TUITIENSI* auctore, prioribus sæculi XIII. annis cœnobii Benedictini, quod in veterem ejus munimenti situm successit, Abbate non indocto, *BEATUS RHENANUS* 8) perhibuit, repertam esse in cœnobio Divitensi contra Agrippinam, cum murus quidam dirueretur, tabulam lapideam cum inscriptione, quæ docuerat: *Divitense monumentum in terra Francorum ab Imp. Cæs. M. Val. Constantino pro militibus illic in tutelam Galliarum collocandis esse erectum.* Observavit ceterum *HENNINIUS*, αὐτόπτης judex, ut ipse pronunciat 9) & Coloniæ & Tuitiæ, utrimque ad ripas e contrario sibi oppositas magnas substructiones & crepidines lapidum, quas veteris ejus Constantiniani pontis reliquias esse opinatur. Pontem quoque a Romanis sub Constantio Imperatore militibus, prope Rauracum, trans Rhenum navium compage suspensum fuisse, *BEATUS RHENANUS* 10) perhibet. At temere nimis ita eundem retulisse facile animadvertes, si *AMMIANI MARCELLINI* 11) ea de re suffragium inspexeris, unde perquam luculenter adparet, consilium quidem pontis ibi exstruendi fuisse agitatum, effectui tamen dari non potuisse. Securiori aliqua cum certitudine Juliano Imperatori pontes ad Moguntiacum Rheno juncti gloriam, eodem *AMMIANO* 12) auctore, vindicaveris, quamquam dubios nos hærere ingenue confitemur, an non pons iste diu ante jam in perpetuos usus fuerit confectus, neque idem forte sit habendus, quem in eadem regione trans Rhenum, tribus ante sæculis & quod excurrit, a Druso fuisse constratum. *L. ANNAEI FLORI* fide, superiori loco 13) adnotavimus. Nec ego jam decernere ausim, pontiumne fiducia, suis auspiciis in perpetuos usus conditorum, an navalis trajectus recordatione gloriatus sit Julianus, se agminibus Romanis, quoties liberet, Rhenum pervium fecisse 14). His in medio relictis certius adferemus monimentum, cujus auctoritate Julianum Cæsarem, qui aliis contra Germanos facinoribus nobilissimam famam consequutus est, viarum quoque in Germania instauratoribus licet adscribere. Columnam videlicet milliarem, Juliano nuncupatam, quæ proxime ad Oeni Pontem sub Monte Solis, vulgo Sonnenberg dicto, paullo supra Viltheimense cœnobium exstat, præeunte *GRUTERO* 15) sistimus.

IMP. CAES. D. N.
FL. CLAUDIO. JULIANO
PIO. FELICI. AUGUST
PONT. MAX
TRIB. POT. IMP. VII
PATRI. PATRIÆ. PROCOS
BONO REIP. NATO
. . . .
M. P. XXXX.

Plus

6) *In not. ad* AUSONII *Mosell. v. 11. pag. 19. edit. Heidelb.* MDCXVIII.
7) *in not. ad* BERGIERII. Lib. IV. Cap. XXXVII. §. *8. pag. 778.*
8) *Rer. Germ.* Lib. I. *pag. 35.* & Lib. III. *pag. 185. edit. Basil.* MDLI.
9) *Cit. loc.* 10) *Rer. Germ. Lib. I. pag. 43.*
11) *Lib. XIV. pag. 26. Emensis itaque difficultatibus multis, & nive obrutis callibus, ubi prope Rauracum ventum est, ad supercilia fluminis Rheni, resistente multitudine Alemanna, pontem suspendere navium compage Romani vi nimia vetabantur, ritu grandinis undique convolantibus telis, & cum id impossibile videretur, Imperator cogitationibus magnis adtonitus, quid capesseret, ambigebat.*
12) Lib. XVII. pag. 94. Lib. XVIII. pag. 125. seqq.
13) §. VII. pag. XXVI. 14) Lib. XXI. pag. 197. 15) MXXIII. 2.

Plus fortasse lucis hinc commodari posset, quæ viæ ductui adfunderetur, nisi excidisset vetustas versum inscriptionis penultimum, quo indicatum fuisse suspicamur, unde via ista exierit. Ex solo enim numero, qui passuum millia computat, parum de hac via certitudinis elicies, cum definiri vix possit, unde calculus iste cœptus sit deduci, neque tuta quædam conjecturarum hanc in rem præsidia capiantur ex *ITINERARIO ANTONINI*, quod Oeni Pontem quidem aliquoties memorat, verum ita, ut haud facile reperturus sis, ad quam stationem vicinam numeros in isto lapide signatos recte referas 16). Nos autem viarum incerti jam in his extremis Germaniæ finibus, ad Oeni Pontem scilicet, in interioribus Norici jugis positum, subsistimus. Nec enim post Julianum alius adparet Imperator, qui ex his viarum latebris in alias Germaniæ regiones viis instauratis deambulare jubeat, & lapidibus viariis aliisque signis deducat.

§. XX.

16) Adjicimus ipsos itinerum ductus, in quibus Oeni Pontem memorari reperimus. Occurrit primum p 52, *in itinere de Pannoniis in Gallias*, ubi ea stationum vicinarum est series.

Ouiabim.	M. P. XXVI.
Iouiacum.	M. P. XXXII.
Iouauim.	M. P. XXVIIII.
Bidaium.	M. P. XXXIII.
Pontem Oeni.	M. P. XVIII.
Isinifcam.	M. P. XX.
Ambre.	M. P. XXXII.

Easdem eadem successione stationes designatas conspicimus *in Itinere Lauriaco Veldidenam pag. 56, item a Lauriaco per medium Augusta Vindelicum usque Brigantiam pag. 57.* Proxime his subjectum est.

Iter a Ponte Oeni ad	
Castra.	M. P. CL.
Turum.	M. P. XXXXIIII.
Iouisuram.	M. P. LXIIII.
Ad Castra	M. P. XLII.
Item a Ponte Oeni	
Veldidenam.	M. P. XC.
Albiancum.	M. P. XXXVIII.
Mastiacum.	M. P. XXVI.
Veldidenam.	M. P. XXVI.

Descripsimus integrum istum stationum ordinem, eo maxime consilio, ut feliciora experiantur ingenia, quantum inde conjecturarum, ad explicandum lapidem Juliani milliarem, de quo valde dubii disseruimus, possit transferri. Tandem non possumus quin adnotemus, Oeni Pontem in TABULA PEUTINGERIANA non exprimi. At notat eadem pag. 738. inter Isinifcum & Bodaicum stationem nomine alias minus frequenti, *ad Enum*, quo intelligi Pontem Oeni, ex situ & scriptionis similitudine facile colligitur.

§. XX.

COMMENTATIONIS CONCLUSIO.

ITa quidem nos vias Romanorum in veteri Germania militares, quas peragrandas nobis sumsimus, esse tandem emensos confidimus, & in eo jam sumus, ut pedem retrahamus. Quod utrum præcipiti nimis festinatione an tempestive satis fiat, lectores æqui & eruditi dijudicabunt. At quando de suffragiis eam in rem perferendis cogitabunt, probe illos recordari & servare animo velimus, nulla amplius munitarum Romanis auspiciis in Germania viarum vestigia, per universum a Juliano Imperatorum ordinem explicari. En igitur viarum in Germania curam citius a Romanis abjectam, quam fortassis conjeceris, & temporum rationibus expensis, & rerum publicarum statu, & inde non infrequenti continuandæ similis curæ occcasione. Qualem licet non defuisse suspiceris, donec barbararum gentium incursione imperii Romani fines mirifice turbati, & ejusdem denique majestas penitus exstincta fuerit, aut certe victoriæ jure translata in populos, non magis despicatui olim habitos, quam formidatos post ea Romanis & exitiosos: integro tamen fere sæculo, quod imperii occidentalis ruinas proxime præcessit, usos esse Romanos ista viarum per Germaniam instaurandarum occasione, unde confidenter evincas, haud reperies. Otiosam nimis futuram arbitramur disputationem, quam cui jam instituendæ adplicemus animum, utrum scilicet vere nulli amplius per Germaniam ducendæ viæ posteriores sæculi quarti Cæsares auspicia sua dederint, an vias eo referendas vetustatis aliorumque fatorum injuria crassiori quadam caligine ita obduxerint, ut illas nostra ætas idoneis monimentis plane destituta, ignoraret. Utramcunque quæstionem arbitrio tuo definiveris, perinde nobis profecto erit, & non incongrue positos esse commentationi nostræ fines, ultro largieris. Verum criminabuntur fortassis alii, male hic alia ejus generis opera esse prætermissa, de quibus plenius commentari decuisset. Urgebunt cum primis peculiari studio explicandas fuisse vias, per Germaniæ tractum ordinatas, quas *ITINERARIUM ANTONINI* & *PEUTINGERIANA TABULA* designat. Neque diffitemur ex utroque isto quantivis pretii monimento, cui par in hoc genere nihil, nihil secundum ad nostram ætatem transmisit antiquitas, certissima viarum Romanarum indicia, undiquaque suppetere, & ex animi sententia uberrimam illam differendi materiam, aliquantisper delibandam, nulli dubitavimus seponere præfationi, quæ libello huic præfigeretur. Factum est in ipso quoque opusculo aliquoties periculum, quantum inde illustrationis uni alterive viæ commodari possit. Pleniora ex *PEUTINGERIANA TABULA* æque ac *ANTONINI ITINERARIO* argumenta augendæ libelli hujus moli subripere non expedit. Integras enim stationum per Germaniam successiones inde huc transscriptas exhibere, supervacuum & nullius pretii laborem habitum iri prævidimus. Perpetuis easdem commentariis illustrare, utilissimum quidem at majoris simul conatus opus fore deprehendimus, quam cui & instituti nostri & aliæ, quibus maxime adtendendum erat, rationes sufficere viderentur. Quantum quidem luminis ex ejus modi opera, si qui futuri essent commentatores, rerum harum probe intelligentes, tantoque operi pares, antiqua fœneratura foret orbis terrarum descriptio, ejus rei opinor specimen dedit luculentissimum *MARCUS VELSERUS*, quum duas *TABULÆ PEUTINGERIANÆ* schedas, quas e latebris suis eruere contigit, ante quam integrum illud monimentum repertum est, notis suis & obser-

obſervationibus bonæ frugis pleniſſimis illuſtravit. At majoris pæne molis eſſe videtur iſte labor, quam qui unius hominis ætate atque induſtria poſſit exhauriri. Prævideruut idem aut eventu conſilii experti ſunt omnes, quisquis ad perficiendum ejus generis opus animum adplicuit. Nihil fere præter diverſos ſcriptionis modos in plerisque codicibus obvios adnotare conatus eſt, qui *ATONINI ITINERARIUM* publicæ luci dedit, editorum omnium ſtudioſiſſimus, *HIERONYMUS SURITA.* Alii eandem in curam intenti, ne *SURITÆ* quidem merita exæquavere. Neque adhuc nacta eſt, quantum ſcimus *PEUTINGERIANA TABULA*, ſi duo illius fragmenta excipias, quæ *VELSERI* ſtudio explicata eſſe, modo memoravimus, probabiles commentatores, qui data opera, uti par erat, monimentum iſtud quantivis pretii lucubrationibus ſuis illuſtraverint, eaque ratione amplioribus uſibus effecerint adcommodatum, quantumvis per omnem fere ætatem, ex quo illud recte innotuit, tale quidquam ſperare juſſerint communicata ſubinde cum orbe litterario variorum conſilia & promiſſa. Fecerunt præſertim tanti operis ſpem avide hauſtam, at eventu plane deſtitutam, litteratiſſimi viri, & ſuo quisque jure dudum celeberrimi, *MARCUS VELSERUS, CLAUDIUS NICASIUS, CHRISTIANUS HENRICUS HENNINIUS, MENSO ALTINGIUS, ADRIANUS RELANDUS*, quorum omnes & ſingulos utrum operis deterruerit difficultas, quo minus tam pulcris conatibus inſiſterent, an graviora prohibuerint negotia, nec facile ſubterfugienda, fatorumve intempeſtiva neceſſitas interceperit, decernendi poteſtatem mihi non tribuo. Futurum inter ea omine haud vano auguramur, ut & de communi patria, qualem aut naſcendi fortuna obtulit, aut tranſigendæ vitæ deſtinavit electio, & de univerſa litteraria civitate præclare mereantur, ſi qui diviſis quaſi operis labores iſtos ſubituri forent viri eruditi, eam ſinguli ex *TABULA PEUTINGERIANA* partem, quæ ad patriam uniuscujusque pertinet, ſumturi ſibimet elucubrandam, quem ad modum plurimum eo nomine Britanniam *JOANNI HOASBYO* ſuo, Galliam *JOANNI BAPTISTÆ NOLINO*, ſive qui ſub eo nomine latere perhibetur, *JOANNI NICOLAO DU TRALLAGE* debere meminimus. Exſpectat adhuc vindicem, illuſtrandæ iſti antiquitatum patriarum portioni operas ſuas addicentem, Germania, qualem ut brevi & auſpicato nanciſcatur, ex animi ſententia vovemus. Nobis hac vice, quum antiquiſſimos itinerum in Germania ductus, Romanorum cura diſpoſitos, ſingulari libello recenſere animus fuit, in illis adquieſcendum eſſe arbitrati ſumus, quæ ad inveſtigandas vias conducunt, propriis Imperatorum monimentis deſignatas, quibus potiſſimum deambulare volupe fuit. Neque tamen, quod enixe nolim, ſuſpicetur quiſpiam, eam nobis eſſe hujus excurſionis fiduciam, ut nihil plane præteriiſſe jactitemus, quidquid viarum ejus modi habeatur in Germania. Fuerunt probabili ſane conſilio quædam Romanorum opera omiſſa, quæ huc pertinuiſſe, nonnulli fortaſſis opinabuntur. Peccatum forte incuria fuit in aliis prætermiſſis, quæ jure merito fuiſſent perluſtranda. Quem enim ita ſemper progredi poſſe arbitreris, ut nihil oculos, nihil animum effugiat in ſpinoſis hiſce ſalebris? Nihil hoc nomine delinqui crediderim in magnificas Romanorum vias, cujus invidia in poſteritatis neglectum & temporis injuriam eſt rejicienda. Fraudi hæc fuit & exitio, uti omnibus pæne antiquitatis inſtitutis, ita maxime viariis Romanorum operibus, eaque ſane de cauſſa illorum, quæ minus recte in hoc libello ſunt expoſita, veniam faciliorem nos conſequuturos eſſe confidimus.

DIS-

DISSERTATIO XI.

DE CLAUDII DRUSI EXPEDITIONIBUS MAXIME GERMANICIS IN RHÆTOS VINDELICOS SUEVOS ETC.

§. I.

Omnibus obscura est antiquitas, nisi lumine historiarum illustretur: quod eo fit luculentius, quo plura de re, quam inquirimus, monumenta adsunt, minus clare ac difficilius, si memoriæ pauca fuerunt tradita; aut quæ tradita, injuria temporum interierunt. Alterutrum, nisi utrumque, est quod in patriæ antiquitatibus investigandis de *Claudii Drusi Germanica expeditione* conqueramur. Ex qua, quantum fieri potest, congeremus a variis annalium conditoribus sparsim & parce proposita.

II. Fuit is *Nero Claudius Drusus*, uti in nummis vocatur, filius Tiberii Claudii Neronis, viri prætorii atque pontificis, qui Lucium Antoninum sequutus ad Perusiam, deditione a ceteris facta, permansit in partibus, ac primo Præneste, inde Neapolin evasit, servisque frustra ad pileum vocatis, in Siciliam profugit. Hæc ex Suetonii Tiberio cap. IV. nobis constant, qui etiam adjecit ex Sicilia, offensum a Sex. Pompejo, in Achajam ad M. Antonium trajecisse, triumvirisque reconciliatum rediisse Romam, ubi uxorem suam Octaviano Cæsari petenti, tum gravidam dicitur concessisse. Hæc *Livia Drusilla* erat, Drusi Claudiani filia, in qua fortunæ mutationes & dubios rerum humanarum casus Vellejus Paterculus miratur lib. II. cap. LXXV. Livia enim hostem mariti Octavianum fugiens, vixdum bimum Tiberium filium sinu gestans per avia itinerum pervenit ad mare, ut cum viro Nerone in Siciliam perveheretur. Hæc autem ejus, quem fugerat, uxor postmodum facta, cum marito

marito summa concordia & summis honoribus vixit, prima inter mulieres ejus ævi, quæ augusta dignitate, quum viveret, & post mortem ficta divinitate honorata est.

III. Hæc dimissa a marito Druso Nerone, in Cæsaris novi mariti domo, tertio post mense, *Neronem* nunc *Drusum* peperit, qui una cum fratre Tiberio (nam & hunc adduxerat) ab Octaviano Augusto magnis curis, non secus ac si ipsius essent filii, liberaliter est educatus. Celer partus, ut Suetonius ineunte vita Claudii refert, licentius jocandi occasionem Romanis dedit, etiam alius suspicionis, quam silentio præterimus, id solum quæsituri, quo prætextu Octavianus uxorem alienam a marito ejus potuerit abducere. Res quidem injusta & detestanda, quam nullo modo excusamus; Romanis autem non illicita, nec antiqua solum consuetudine, sed legibus etiam probata. Plutarchus comparatione Lycurgi atque Numæ, quæ Vitæ Numæ subjecta est, legem hujus regis recenset, qua *Vir Romanus, quum esset ei copia liberorum, exoratus ab alio, qui sobolem quæreret, permittebat ei uxorem, quum dimittendi eam prorsus commodandique alteri, atque inde recipiendi eam arbitrium haberet.* Non quidem Octaviani exemplum institutis Numæ plane conveniebat, quia filios Neronis Livia a patre abduxit ad vitricum; tamen ut fieri solet, licentia hominum, potentiorum præsertim, præscripto legum derogat & laxius interpretatur.

IV. Sic Drusus in domo Augusti natus, de curatiore institutione non finit nos incertos esse. Vellejus lib. II. cap. XCV. *Drusum Claudium intra Cæsaris penates enixa erat Livia;* quod Suetonius etiam confirmat in Claudio cap. I. Ingenio quo fuerit a natura dotatus, ex studiis adulti & rebus clarissime gestis manifestum est, quamvis id morte præventus non in omnibus, ad quod paratus erat, ostentare potuit. Iterum Vellejus cap. XCVII. *Ingenium ejus utrum bellicis magis operibus, an civilibus suffecerit artibus, in incerto est. Morum certe dulcedo ac suavitas, & adversus amicos æqua ac par sui æstimatio, inimitabilis fuisse dicitur.* Ex quibus pronum est intelligere, non minorem in re publica gerenda futurum fuisse, si per fata licuisset, quam fuit bello & victoriis. Bonitatem naturæ recta educatio majorem in modum adauxit & confirmavit. Permultum enim potest indoles rite nutrita sub faustis penetralibus, ac omnino insitam naturæ & pectoris bene nati vim juvat, erigitque recta institutio, & in majus meliusque provehit; id quod in Druso Horatius laudat lib. IV. od. IV. *Rhæti*

Sensere, quid mens rite, quid indoles
Nutrita faustis sub penetralibus
Posset, quid Augusti paternus
In pueros animus Nerones.

Par quidem institutio utriusque, sed in Druso melior natura; Tiberii fratris in calliditatem & nequitiam propensa.

V. Præparatos sic doctrina privignos Augustus bellicis rebus admovit, & primum, quod dux Drusus gesserit, narratur bellum Rhæticum: quibus tiro interfuerit, procul dubio Augusti comes & sectator, non proditum quidem in historiis est, ex more autem Romanorum res ipsa non potest dubitari. Suetonius Claudianus cap. I. *Is Drusus in quæstura præturaque honore dux Rhætici,*

Rhætici, deinde Germanici belli: quod ita dividendum est, ut in quæstura, primo honorum gradu, Rhæticum, in prætura, quod etiam Dio lib. LIV. refert, Germanicum gesserit expeditione secunda. Sed prius de Rhætico, quod antecessit, est agendum. Vellejus cap. XCV. *Reversum inde Neronem* (Tiberium) *Cæsar haud mediocrem belli molem experiri statuit, adjutore operis dato fratre ipsius Druso Claudio, quem intra Cæsaris penates enixa erat Livia: quippe uterque divisis partibus Rhætos Vindelicosque adgressi, multis urbium & castellorum oppugnationibus, nec non directa quoque acie feliciter functi, gentes locis tutissimas, aditu difficillimas, numero frequentes, feritate truces, majore cum periculo, quam damno Romani exercitus, plurimo cum earum sanguine perdomuerunt.* Id quod Horatius etiam dicta oda cecinit:

Videre Rhæti bella sub Alpibus
Drusum gerentem & Vindelici.

Monumentum ex illo bello posteriori etiam ævo superfuit, *Pons Drusi*, ut in Theodosiana tabula vocatur, inter Sublabionem & Tridentum situs, qui videtur Ptolemæi *Drusomagus* esse, quam ipse in Rhætia quidem, ad fines vero Vindeliciæ collocavit.

VI. Felix sic in Rhætis, postea adversus Germanos ab Augusto missus fuit. Lolliana clades occasionem hujus expeditionis dedit. Vellejus enim cap. XCVII. hoc ordine connectit: *Dum in hac parte omnia geruntur prosperrime, accepta in Germania clades sub M. Lollio, homine in omnia pecuniæ, quam recte faciendi, cupidiore, & inter summam vitiorum dissimulationem vitiosissimo; amissaque legionis V. aquila, vocavit ab urbe in Gallias Cæsarem. Cura deinde atque onus Germanici belli delegata Druso Claudio, fratri Neronis, adolescenti tot tantarumque virtutum, quot & quantas natura mortalis recipit, vel industria perficit.* Intercessit tamen tempus non modicum, sed quadriennii forsan. Dio enim Lollii interitum sub finem anni urbis DCCXXXVIII. posuit: primam autem Drusi in Germanos expeditionem ad annum retulit DCCXLII. Tres autem expeditiones eodem Dione auctore lib. LIV. p. 544. adversus Germanos suscepit, primam ante præturam, secundam in prætura, tertiam, cui immortuus est, in consulatu.

VII. Dio ergo Cassius expeditionem primam ita descripsit, quod primum *Celtas* (sic Germanos hic auctor vocat) *observans, quando Rhenum trajicerent, repulerit.* Sicambros nominat, qui tum motum concitarant, Gallis etiam ad defectionem sollicitatis. Ad inferiorem ergo Rhenum, & prope Batavorum insulam, aut etiam in ipsa illa tum castra habuisse, non est quod dubitemus. Quo tempore etiam *fossa Drusiana*, qua Rhenus in Isalam derivatur, & per Flevum lacum deinceps emittitur in Oceanum, videtur facta fuisse, quia eadem expeditione Dio tradit, *secundo Rheno in Oceanum devectum, Frisios subegisse*, & per paludem in Chaucorum fines provectum esse. Haud dubie enim per novam fossam illam delapsus Frisiorum regionem petiit. Quæ sententia etiam Philippi Cluverii est, lib. III. Germ. antiq. cap. XVII. dicentis: *Caussa Druso agendæ fossæ nulla alia fuit, quam uti classem hac cum exercitu ex superiore Rheni parte in lacum & Oceanum deduceret, Frisios petiturus & Chaucos*, idque ex hoc ipso Dionis loco, quem memoravimus, probari firmiter existimat. De fossa illa etiam Tacitus Annal. II. cap. VIII. *Jam*

claſſis advenerat, quum præmiſſo commeatu, & diſtributis in legiones ac ſocios navibus, foſſam, cui Druſiana nomen, ingreſſus precatusque Druſum patrem, ut ſe eadem auſum libens placatusque exemplo ac memoria conſiliorum atque operum juvaret; lacus inde & Oceanum usque ad Amiſiam flumen ſecunda navigatione pervehitur. Et Suetonius Claud. cap. 1. *Is Druſus Oceanum ſeptemtrionalem primus Romanorum ducum navigavit, transque Rhenum foſſas novi & immenſi operis effecit, quæ nunc adhuc Druſinæ vocantur.* Dum plurali numero loquitur, & *immenſum opus* vocat, videtur ſimul Iſalæ ſive Salæ alvei ampliationem ſignificare, quia ipſa nova foſſa inter Rhenum atque Salam, octo tantum millium eſt paſſuum. Caſaubonus quidem dubitat, Iſalam ad foſſam illam pertinere, putatque nec ex Taciti, nec Suetonii verbis id ſatis probari poſſe. Aliter vero Philippo Cluverio videtur, operoſe ſententiam ſuam probanti, quem doctiſſimus quisque & in his etiam Grævius ad Suetonium ſequutus eſt, neque nos quidquam de eo dubitamus.

VIII. Foſſam ergo Druſus, ſaltem ex parte tum fecit, quum Sicambros obſervans, Rhenum trajecturos, otioſum haberet militem. Boni enim ducis eſt, ſemper milites in opere tenere, & ſi nullum Martis faciendum eſt, alio quod utile ſit, eoſdem exercere. Quum vero Germani non ceſſarent moleſti eſſe, trajecto Rheno *juxta ipſam Batavorum inſulam*, in Uſipetes primum, & exinde in Sicambros venit, eorumque regionem vaſtavit. Ex quibus intelligimus, Uſipetes propiores Rheni divortio, quam Sicambros fuiſſe. Tum demum ſecundo Rheno in Oceanum & Friſios enavigaſſe dicitur, foſſa interea ab relictis ibi militibus perfecta, quum ipſe in Sicambris eſſet. His peractis, hieme jam appetente, Romam Druſus regreſſus eſt. Et quamquam ante jam prætorios honores acceperat, ἀστυνόμος eſt creatus.

IX. Inſolens Romanis vox ἀστυνόμος, quam Dionis interpres Guil. Xylander *prætorem urbanum* vertit, alii *ædilem*, quemadmodum Papiniani liber ſingularis lege VII. D. de Via publica ſic deſcribitur, ut ad ædiles, eorumque officium Romana conſuetudine pertineat. Dio Caſſius autem alibi ſemper prætores στρατηγοὺς, ædiles ἀγορανόμους appellat, ut dubium relinquatur, quodnam ἀστυνόμου magiſtratus genus notaverit. Et diſcrimen apud ipſos Græcos fuiſſe, docet Ulpianus Demoſthenis ſcholiaſtes, in Timocratem p. 819. Græcorum ἀστυνόμοι ab Harpocratione explicati, minorum rerum curam gerebant, quam ut Druſo, prætoriis honoribus ornato, & tot gentium victori, id munus abhorrens ab Romanorum moribus imponi potuiſſet. Relinquitur ergo, ut vel prætura vel ædilitas ſignificetur. Malim *præturam*, quia Druſus prætor fuit & in prætura res geſſit, ut Suetonius Claudii principio refert, & Dio poſt paullo expeditione ſecunda Germanica meruiſſe Druſum dicit, ut proconſulari imperio uteretur, *quando præturam ad finem perduxiſſet.* Conſules illius ætatis rem dubiam declarant. M. Valerio & P. Sulpicio *COSS.* prima expeditio in Germaniam facta eſt, de qua diximus. Romam autem ex hibernis profectus Januario menſe, *COSS.* Aelio Tuberone & Fabio Maximo eſt factus. *Initio veris* eodem anno in Germanos profectus, Uſipetes, Sicambros & Cheruſcos ſubegit, usque Viſurgim proceſſit, non autem amnem tranſiit, quia *hiems inſtabat*, qua ineunte Romam revertit, ovans invectus equo. Tum demum Auguſtus ei *proconſulare imperium* decrevit, ſed *non prius utendum, quam præturam finiiſſet.* Finiit autem novis conſulibus, Iulio Antonio & Fabio Maximo, quo anno proconſulari dignitate ornatus, cum Auguſto in Galliam proceſſit, ſed nihil eo anno contra Germanos ſuſceptum eſt: inſequenti, ipſo Druſo & Q. Criſpino Coſs. ultimam expeditionem inter Viſurgim

surgim & Albim fecit, cui etiam est immortuus. Ex hac Dionis distributione temporum elucet, *ἀστυνομίας* non posse esse aliam hoc loco, quam *praeturam urbanam*: cui non obstat, quod iam ante *praetorios honores* habuerit, quia praesertim sub Caesaribus, etiam aliis insignia & ornamenta praetoria, antequam praetores fierent, fuere auctoritatis ergo data, sicut proconsulare imperium ipsi Druso, antequam consulatum iniret.

X. Nunc de ipsis expeditionibus, domitisque populis dispiciendum est. De prima supra actum, de secunda itidem Dionis descriptionem sequemur, quia ceteri scriptores neque annos, neque ipsas expeditiones distingunt, & brevissime de omnibus agunt. Ait autem, Rhenum transgressum; Usipetas *καταστρέψασθαι* *subjugasse*, quod prioris anni imperfectam victoriam arguit. Deinde *Luppia ponte juncto in Sicambros erupit, & per eos in Cheruscorum regionem, usque ad Visurgim fluvium processit.* Videtur quidem haec superioris anni itineri repugnare, quo juxta Batavorum insulam dicebatur in Usipetes progressus, inde in Sicambros, nunc vero circa Luppiam uterque populus dicitur habitasse. Sed superiori loco Drusus prope Batavorum insulam Rhenum trajecit, ut in Usipetes moveret, ipsum autem divortium Rheni illos attigisse non dicitur. Ex Sicambris autem movit in Cheruscos, quos dicit usque ad Visurgim coluisse, an vero illo tempore etiam trans Visurgim, Albim versus, illa gens habitaverit, nunc est inquirendum.

XI. Cis Visurgim, etiam usque ad sinistram ripam amnis Cheruscos olim habitasse, Vellejus Paterculus Lib. II. cap. cv. & clarius Dio Cassius verbis supra productis tradiderunt. Ille enim dicit receptos antea Cheruscos, quam transitus fuerit Visurgis, & utrumque factum eo ordine conjungit, ut ostendat, post Cheruscos victos Drusum trajecisse amnem: hujus vero verba erant, *in Cheruscorum regionem ingressus usque ad Visurgim processit*, quem ordinem etiam servat libro LVI, *in Cheruscorum regionem progressus est, & Visurgim trajiciens ad albim usque pervenit.* Posteriores inter Visurgim & Albim eos videntur collocasse, quod recentiores, tamquam certissimum approbant, atque ita ex Tacito & Arminii bello rem dicit Philippus Cluverius constare. Quod quidem pro temporum diversitate & populi multiplicatione facile conciliari potest, celebrius nomen ultra Visurgim fuisse, aliquod tamen etiam cis amnem. Usque ad Albim vero eosdem coluisse, ex Taciti Germ. cap. XXXVI. probatur, dicentis *Fosos*, qui a dextra ripa ostiorum Albis erant, *conterminam gentem* Cheruscorum, & Claudiani de IV. consulatu Honorii v. 451.

- - ingentes Albim liquere Cherusci.

XII. Tertia nunc expeditio Drusi, eaque maxima est explicanda. Dio de illa Lib. LV. ineunte tradit, Drusum consulem in Cattorum fines ingressum, omnia subegisse, *progressum usque ad Sueviam*, quam etiam sibi subjecerit, victis qui repugnabant. *Inde in Cheruscos converso itinere, Visurgim transgressum, omnia populando usque ad Albim perdidisse.* Hoc singulare est, quod Dionis verbis observamus, Suevos a Cattis distingui, iis autem constitui proximos, ut a Cattis Drusus per Suevos in Cheruscos duxerit. Tacitus de Germanis cap. XXXVI. etiam Cattorum Cheruscorumque vicinitatem probavit, *in latere*, inquit, *Chaucorum Cattorumque, Cherusci nimiam ac marcentem diu pacem illacessiti nutrierunt.* Suevos autem, quos memorat, dubium an a Caesare habuerit, qui Cattos silens, in toto tractu illo *Suevos* nominat. Forte inva-

invaluit postea Cattorum nomen, Suevorum in his partibus deminutum, & tantum omne exstinctum, succedente Cattorum appellatione. De ceteris autem Suevis in varias gentes distributis, sed trans Albim fere omnibus, Tacitus cap. XXXVIII. seqq. consulatur. Deinde bellum trans Visurgim ad Albim usque prolatum fuit, atque etiam transiturus Albim fuisset Drusus, nisi spectrum a conatu hoc deterruisset, statutis ergo tropæis inde abscessit. Dio jam dicto loco: *Conatus quidem transire* (Albim) *non autem potuit, sed tropæa constituens, recessit.*

XII. Cur non potuerit, caussam de spectro adfert, mulierem quamdam *majorem quam pro humana figura*, Druso occurrisse, & exprobato insatiabili cupiditate dixisse, *non tibi fatis concessum hæc omnia videre.* Eadem refert Suetonius cap. 1. Claudii, *non prius Drusum destitisse hostes insequi, quam species barbaræ mulieris, humana amplior, victorem tendere ultra sermone Latino prohibuisset.* Addit Dio, nuntiasse etiam: *facesse hinc, jam enim & vitæ instat tibi terminus.* Phasma illi apparuisse, quod tam cordati scriptores memorant, non negamus, quale illud fuerit, dubitabundi admiramur. Credebant deorum cultores, cuilibet regioni seu genti deam præsidem eodem nomine adesse, quod simili *Africæ* exemplo etiam Plinius Lib. VII. Epist. XXVII. adfirmat. *Ego*, inquit, *ut esse phasmata credam* (numen aliquod paullo ante dixerat) *inprimis eo ducor, quod audio accidisse Curtio Rufo. Tenuis adhuc & obscurus obtinenti Africam comes hæserat, inclinato die spatiabatur in porticu, offertur ei mulieris figura, humana grandior pulchriorque, perterrito, Africam se futurorum prænuntiam dixit, iturum eum Romam, honoresque gesturum, atque etiam cum summo imperio in eamdem provinciam reversurum, ibique moriturum.* Dicit Plinius & approbat, hæc omnia ita facta esse. Non autem lusum humanum fuisse, quod Drusus vidit, figuræ magnitudo, ut credamus, suadet, quum nec Romanus tam grandem formam simulare, nec barbarus latine loqui potuisset. Nec facile id somnium fuisse persuaseris, quum neque Suetonius, neque Dio nocturnæ visionis mentionem faciant. Quod si ergo his auctoribus habenda fides est, spectrum aliquod fuisse, vel ideo videtur probabilius, quia malignum spiritum variis lusibus cultores deorum novimus decepisse, ut in errore illos obfirmaret.

XIV. Tropæis constitutis, dicit Dio, recessisse. Ad Albim fuisse posita, hinc est credibile, quia amnis ille fuit terminus expeditionis. Varia autem fuerunt antiquorum tropæa, ex arboribus truncatis facta, aut lapidibus congestis educta, aut aræ forma religioni consecrata ne destruerentur; nam arcum fuisse, qui etiam aliquando pro tropæo fuit, vel ideo nolim credere, quia in barbara regione, tantaque festinatione, ex terrore orta, vix tempus aut locus magnifico operi videtur superfuisse. Ptolomæus Lib. II. cap. XI. in climate, quod sub septemtrionali Germaniæ posuit, latitudine LII. graduum cum minutis XLV. ad Albis fere ripam longitudine ducente, habet Τρόπαια Δρούσου, *Tropæa Drusi*, tamquam oppidi nomen, quod dubites a Druso vel aliis post Romanis constitutum esse, aut si fuerit, non eversum & deletum a barbaris. Qui enim, ne religionem quidem veriti, *aram* Druso erectam ad limitem Romanum disiecerunt, ut Tacitus Ann. I. cap. VII. refert, hos multo minus credas alia monumenta in interioribus Germaniæ passos fuisse conservari. Quodsi oppidum omnino fuit ejus nominis Ptolemæi ævo, ex castris Drusi postremis videri posset ortum esse, quibus si tropæa propinqua forte fuerint, loco illi vel oppido id nomen ab Romanis servari potuit, licet probari non possit, Ptolomæi ætate Romanos usque ad Albim Germaniam posse-

disse

disse. Si numeros Pompeji recte componimus, tropæa illa in Marchiam cadunt Brandenburgicam, infra Tangermundam, circa Stendlium, quousque Drusus, si recte posuit Ptolemæus, victricibus armis progressus fuit.

XV. Jo. Freinsheimius V. CL in Flori lib. IV. cap. XII. in *Bojohemum* hoc tropæum videtur deducere. Flori enim verbis: *Marcomannorum spoliis insignibus quemdam editum tumulum in tropæi modum* (Drusus) *excoluit*; adjecit interpretationem, ut primum Dionis verba, *Drusum frustra conatum Albim transire, tropæis constitutis recessisse*, huc applicet, deinde de suo addat: *Igitur Marcomanni tum temporis ad Albim coluerint, quod ex Tacito colligas Germ.* cap. XLII. Sed Dio, qui Drusi bella cum cura scripsit, nihil de Marcomannis memoravit, neque Suetonius aut Tacitus, & ipse Vellejus historiam illorum persequutus, posterius multo quam Drusi mortem, bellum habet Marcomannicum. Vide cap. CVIII. seq. Deinde si vera sunt quæ Florus narrat, & ex eo repetit Orosius lib. VI. cap. XXI. ad secundam potius, quam tertiam expeditionem, qua ad Albim ventum fuit, referenda essent. Vide utriusque ordinem. Est in Bojohemo quidem Albis, sed recens natus & adhuc ignotus Romanis: Nec tacitus Marcomannos ad Albim locat, sed in sede Bojorum. Incertum etiam tempus, quando Maroboduus in Bojohemum Marcomannos traduxerit, quod Vellejus cum Tiberii expeditionibus videtur conjunxisse.

XVI. Quum ita ab Albi recederet Drusus, ad Romanum contendens limitem, antequam ad Rhenum veniret, in morbum incidit, ex quo in æstivis castris mortuus est. A principio morbi nuntius ad Augustum, tum in Galliis agentem missus est, a quo Tiberius ad fratrem ablegatus, spirantem adhuc dicitur invenisse, quæ Dio Cassius, ex parte etiam Suetonius dictis locis narraverunt. Corpus non combustum Romano more, sed odoribus differtum, ut majoribus, quam vulgares erant, honoribus ritibusque servaretur. Ex castris, ubi exspiraverat, quæ inde *scelerata* dicta sunt, per tribunos & centuriones portatum in hiberna, quæ haud dubie ad Rhenum erant. Unde est, quod *cenotaphium* milites, id est honorarium tumulum, ut Suetonius interpretatur, apud Moguntiacum excitaverunt, ut Eutropius refert lib. VII. cap. VIII. Inde per Galliam Italiamque a singularum civitatum, quas via tangebat, primoribus susceptum, Romam tandem delatum est. Suetonius dicto loco: *Corpus ejus per municipiorum coloniarumque primores, suscipientibus obviis scribarum decuriis, ad urbem devectum sepultum est in Martio campo.* Id honoris fuit, quod corpus sepulturæ datum, non cineres, non reliquiæ. Auxit honorem progressio Augusti Ticinum usque, ut ipse funus per Italiam præcederet, ut Tacitus annal. III. cap. V. Tiberii verbis memoravit, deinde gemina *parentatio*. Tiberius frater enim in foro, ubi corpus expositum oculis erat, laudavit; Augustus in circo Flaminio extra pomœria, quod cum exercitu ab urbe profecto, non fas erat intrare in eam, antequam cetera peragerentur, quæ redeuntibus majorum more erant perficienda. Utrumque Cassius edocet. Haud dubie ingeniorum etiam certamina accesserunt, ut vel ex sola Ovidii ad matrem Liviam elegia manifestum est. Senatus Principis æmulatus pietatem, quod numquam factum erat, post funera cognomen *Germanici* decrevit, etiam in posteros propagandum, & auctæ sunt ejus statuæ, & arcus marmoreus honoris & memoriæ caussa erectus. Iterum Suetonius: *Senatus inter alia complura marmoreum arcum cum tropæis via Appia decrevit, & Germanici cognomen ipsi posterisque ejus.*

XVII. Hæc in urbe & prope eam ornamenta, extra illam plura tam in Italia, quam in provinciis. Ravennæ sane, quod Claudii Cæsaris inscriptione probatur, monumentum quoque accepit ceu cenotaphium. Claudius enim Ravennates liberalitate donavit OB MEMORIAM PATRIS, UT QUO-

TANNIS ROSAS AD MONUMENTUM EJUS DEFERANT, ET IBI EPULENTUR. De honorario tumulo ad Moguntiacum in Galliæ finibus modo dictum fuit. Sed Lipsius ad Taciti Annal. II. cap. VII. illud monumentum in Germaniam ad Luppiam fluvium conatur transmovere, seu inter illum & Rhenum, ubi Tacitus *Drusi aram* fuisse sitam memorat, hanc vero cum monumento fuisse conjunctam ait, quia *publice* ibi *supplicatum esse* Suetonius testetur. At frustra sollicitatur Eutropius, quia & Dio Cassius memorat *honores cænotaphii ad ipsum Rhenum*, qui sane alius locus est ab illa ara, quam Tacitus descripsit. Meruerat Drusus, ut memoria ejus locis pluribus coleretur, non tantum tumulorum specie, sed etiam pro more illorum temporum & hominum opinione ipsis etiam *aris*. Addo *rogos per omnem Italiam ardentes*, quum Drusi funus transibat, quos Seneca ad Marciam cap. III. memoravit, & bene Lipsius de honorariis & inanibus togis interpretatus est.

XVIII. De reliquis Drusi breviter quoque agendum. Uxorem habuit *Antoniam*, minorem M. Antonii & Octaviæ, Augusti sororis filiam, ex qua tres liberos reliquit, Germanicum, Livillam, Claudium, post imperatorem. Opera reliquit plura, in Germaniæ limite posita, in quibus Cassius lib. LIV. duo castella memorat, unum ad Luppiæ & alisonis confluentem, alterum ad ipsum Rhenum in Cattis exstructum. Auget admodum Florus numerum lib. IV. cap. XII. *Drusus* inquit, *in tutelam provinciarum præsidia atque custodias ubique disposuit, per Mosam flumen, per Albim, per Visurgim. Nam per Rheni quidem ripam quinquaginta amplius castella direxit.* Ex iis credunt antiquissima ad Rhenum oppida superesse, ad Albim quoque posita, dubitamus, quod longius is amnis ab Romanorum præsidiis remotus est, quam ut Drusus Romanos milites in medio barbararum gentium, desertos ab Rhenanis & ad Visurgim positis relinqueret, præsertim quum subito ab Albi spectro, de quo diximus, territus reverteretur. Credibilius de Visurgi est, qui medius inter Albim & Rhenum fluit. Illæ enim partes facilius defendi ac juvari ab Rhenanis præsidiis, quæ numerosa erant, potuerunt. Cluverius huc etiam refert nobilem nunc urbem Cattorum *Cassellam*, Fuldæ appositam, octo millibus passuum supra confluentem Visurgis sive Vierræ. Nomen ait, ut aliis exemplis constet, ex *castello* esse pravatum. Non improbabilis conjectnra, quam vero silentibus tam geographis quam historicis vetustis in medio relinquere, quam acriter tueri, malumus.

XIX. Exstincto Druso, bellis reliquis in Germania Augustus Tiberium præfecit, de quo Vellejus cap. XCVII. gloriose scripsit, *peragratum victorem omnes partes Germaniæ & sic eam perdomuisse, ut in formam pæne stipendiariæ redigeret provinciæ.* Ipse tamen Tiberius Taciti Ann. II. cap. XXVI. Germanicum scripsit, *se novies a divo Augusto in Germaniam missum, plura consilio, quam vi perfecisse.* Sed horum multa ad subsequens tempus pertinent, quæ Drusus quidem paraverat, mox autem frater perfecit, in quibus præcipuum putamus esse, quod *quadraginta millia dediticiorum*, ut Suetonius cap. IX. Tiberii narrat, traduxerit in Galliam, juxtaque ripam Rheni sedibus collocaverit adsignatis. In his idem Vita Augusti cap. XXI. Ubios & Sicambros nôminat in iis, quos traduxerit. Eutropianus numerus, quem lib. VII. cap. V. habet, nimietate suspectus est, similior veri, quem posuit Suetonius, quamvis secus videatur Cluverio lib. II. Germ. cap. XVIII. Hinc initia provinciarum in solo Gallico, *superioris inferiorisque Germaniarum*,

DISSERTATIO XII.

DE

SUEVIA PROFANA

OLIM

DEORUM CULTRICE.

PROGRAMMA.

Philippus Cluverius Germ. Antiqu. Lib. I. Cap. 29. strenue asserit, priscos Germanos unum, verum, æternum DEUM in Trinitate coluisse, sub Solis, Lunæ & Ignis numinibus, suamque hanc sententiam comprobare nititur auctoritate Julii Cæsaris, Lib. VI. de B. G. c. 21. scribentis: *Germani Deorum numero eos solos ducunt, quos cernunt & quorum opibus aperte juvantur, Solem & Vulcanum & Lunam, reliquos ne fama quidem acceperunt.* Ac per Solem quidem eos intellexisse autumat Deum Patrem, Lunam Filium, Ignem sive Vulcanum Spiritum Sanctum; quia maxima illorum omnibus in rebus virtus atque potestas. Idem sensisse putat veteres Ægyptios, de quibus Diodorus Lib. I. scribit: *Vetustissimos ajunt in Ægypto mortales, cum mundum suspicerent, cunctarumque rerum naturam cum stupore admirarentur, duos esse Deos conjecisse, æternos atque omnium primos, Solem ac Lunam: hos Deos mundum universum gubernare statuunt, nutrientes & augentes omnia. Ignem porro per interpretationem Vulcanum dicere, & ipsum magnum Deum esse existimantes, qui multum ad cunctarum rerum generationem exactumque incrementum conferat.* Denique addit: Quemadmodum Sol apud Homerum, Macrobium aliosque, idem est ac Jupiter, Luna eadem quæ Juno, ex Jove autem ac Junone natus est Vulcanus, velut antiqua tradit gentium Theologia, ita Spiritus S. a Patre ac Filio simul procedit, ejusque vis ac virtus ignea, festo Pentecostes clare satis apparuit. Equidem optarem, ut vera hæc esset Cluverii sententia, nosque certiores redderet de salute majorum nostrorum, quos tamen profecto, si redire ipsis has in terras daretur, fatentes cum gemitu & lamentis audiremus, se a veri Dei cognitione & cultu toto cœlo aberrasse. Nimirum complacuit eruditissimo & de Germania veteri meritissimo Cluverio assentiri iis, qui absconditum ac tremendum Trinitatis mysterium priscis etiam gentibus & Philosophis cognitum creditumque fuisse affirmant. Quo in argumento multum desudant Augustinus Steuchus *a*) Philippus Mornæus *b*)

a) Lib. II. de Perenni Philosophia fere toto. *b*) De Verit. Relig. Christ. Cap. 6.

Mutius Pansa *c*) Athan. Kircherus *d*) multique præter Scholasticos alii, quos tamen humani aliquid passos esse agnoscunt Jo. Bapt. Crispus *e*) Christianus Schotanus *f*) Jac. Thomasius *g*) Max. Rev. Jo. Andr. Schmidtius *h*) ac plures, ostendentes hac ratione Theologiam revelatam paulatim degenerare in naturalem, derogari Literarum sacrarum perfectioni, hisque ratiunculis doctrinam SS. Trinitatis hostibus suis eo facilius debellandam ac deridendam propinari. Et sane mirandum, si mysterium illud sanctissimum priscis etiam gentibus & Philosophis, præsertim Platonicis haud ignotum fuisset, prioribus seculis, cum adversus gentes ferverent disputationes, a Christianis Scriptoribus intactum id mansisse, aut ipsum Paulum Atheniensibus non Trinitatem potius in Græcorum Philosophorum scriptis latitantem, quam *θεὸν ἄγνωστον*, quem in ara forte legerat, objecisse. Unde probabitur ergo, augustum Trinitatis *μυστήριον*, ratione inaccessum, Philosophis ignotum, Judæis & Muhammedanis invisum, Scholasticorum tricis implicitum, multorum hæreticorum blasphemiis impetitum, Germanos veteres, rudes illos & literarum ignaros, rationis ductu investigasse ac credidisse? Unde probabitur, Teutones Solem ut Deum Patrem, Lunam ut Filium, Spiritum S. ut Ignem, veneratos esse? Alia omnia significare videntur Cæsaris verba, quibus tanquam tibicini innititur Cluverius. *Solos* Germanis Deos fuisse habitos, ait, *quos cernerent.* Divinitatis autem personam nullam cernebant, Solem, Lunam, Ignem cernebant, horum in se beneficia manu palpabant, in his igitur acquiescebant, altius levare mentem non poterant. Imo vero illud Julii, auctoris licet summi, de Germania tamen nondum recte informati, testimonium quam temerarium sit atque suspectum, non solum notarunt Vossius *i*,) Montanus *k*,) aliique, sed & ipse Cluverius tum generatim fatetur Lib. I. Cap. 3. in Cæsaris Commentariis innumeros esse de Germanis errores, tum speciatim Cap. 13. & 22. ejusdem Libri graviter perstringit locum hunc, ac Cæsarem nimis negligenter prodidisse ait, quod Germani neque Druides habeant, neque sacrificiis studeant, nullosque præter Solem, Vulcanum & Lunam, Deos agnoscant: addit, Cæsarem in Germania vix pedem posuisse, adeoque plurima ignorasse. Acutius ista perspexerunt, qui Cæsare vixere posteriores, atque iis temporibus, quæ Romanis pleniorem nostræ gentis afferre poterant notitiam, claruerunt, quos inter eminet Tacitus eloquentissimus fideque dignissimus, qui præcipuos Germanorum veterum Deos Deasque, Mercurium, Martem, Herculem, Isidem, Terram matrem & alios enumerat, eosque auspicia & sortes quam maxime observasse, & Mercurio humano sanguine (qua immanitate nihil fœdius, nihil execrabilius) litasse memorat. Addunt sequentium seculorum scriptores, eosdem Venerem, Saturnum & plura cœli sidera, fulmen item ac ventos, animantes quadrupedes, serpentes & insecta divinis affecisse honoribus, adeoque gentem miserrimam tenebris plusquam Cimmeriis immersam, non DEUM beneficentia Optimum, potentia Maximum, non Unum in tribus personis, æternum ac immutabile Numen, (quale Deus ipse in suo tantum verbo se professus est) agnovisse & coluisse, sed nescio quorum deorum, spirituum ac dæmonum portenta substituisse. In quam gentis suæ ac patriæ imprimis Sueviæ hodiernæ, nobilissimæ nunc & olim Germanorum provinciæ, caligi-

c) In Osculo Ethnic. & Christ. Theol. c. 36. *d*) In Oedipo Ægypt. Tom. II. Class. XII. quæ est de Theol. Hieroglyph. *e*) De Ethnic. caute leg. Distrib. I. L. 2. *f*) Heptaëm. p. 311. *g*) Dissert. f. Programm. LII. *h*) In Disp. cui tit. Ratio in Mysterio Trinitatis captivata. *i*) De Orig. & Progress. Idolol. Lib. I. c. 37. *k*) Ad cit. Jul. Cæs. locum.

caliginem, non fine acerbo dolore oculos animumque advertens Vir juvenis natalium, morum ac doctrinæ nobilitate præstantissimus politissimusque Jo. Jacobus Müller, Philos. ac Theol. Cultor solertissimus, maxime reverendi Theologi & Ecclesiæ Augustanæ, quæ Confessioni quondam Divo CAROLO V. ibidem oblatæ addicta est, Antistitis Senioris religiosissimi meritissimique, filius æmulus, perelegantem conscripsit Orationem, cujus argumentum est, *Suevia profana olim Deorum cultrix*; ad quod præ aliis seligendum, ut dulcis amor patriæ, ita diligentissima aureoli libelli, quem Tacitus de Situ Moribus & Populis Germaniæ nobis reliquit, lectio meæque ad istum prælectiones eum stimularunt. Hanc Orationem, circa primam crastini meridianam, Theologico in Auditorio recitandam, benevole ut audire velint Magnificus Universitatis RECTOR, Perillustris & Generosissimus LIBER BARO, Facultatum omnium DOCTORES Venerandi ac Celeberrimi, Nobilissimus item ac florentissimus STUDIOSORUM coetus, maximopere rogo, meoque & Oratoris nomine eximium ac singulare studium in omni officiorum genere vicissim polliceor. P. P. Altdorfii Nor. a. d. XXI. April. M D C IC.

O R A T I O.

Rebus cunctis inest quidam velut orbis, ut quemadmodum temporum vices, ita regnorum terrarumque termini vertantur, & nunc augeantur nunc imminuantur. Quod & Vellejus Paterculus confirmat, scribens, *Gentium, urbium, imperiorum nunc florere fortunam, nunc senescere, nunc interire.* Ac Polybius ait: *Cujusque corporis & Reipublicæ auctio quædam est secundum naturam, deinde vigor, postea diminutio.* Sueviæ certe veteris immensa quondam fuit amplitudo, utpote ad quam pertinebat, quicquid ab occidente Bojohemicis montibus, Sala, Albi & Trava amnibus, sinu Codano ac mox mari Germanico, a septentrionibus mari glaciali, ab oriente Sinu albo, Lacu albo, Sinu Botnico, mari Codano & Vistula Maroque fluviis, a meridie Danubio includebatur. Inde Viadrus *Suevus*, & Mare Balticum *Suevicum* mare olim appellabantur. Quin & Sueviæ tam late protensæ antiquarum gentium ac populorum nomina a Tacito aliisque scriptoribus numerantur aliquot & viginti, Hermunduri, Narisci, Marcomanni, Quadi, Marsingii, Burii, Semnones, ac plures nationibus multo amplissimis distincti. Æthicus Cosmographus, quem Caspar Barthius in Adversariis seculo Theodosiano vixisse autumat, nec non Orosius, gentes Suevorum in universum quatuor & quinquaginta fuisse tradunt. Unde Cæsar Suevorum gentem longe maximam & bellicosissimam vocat. Tencteri etiam atque Usipetes Germani a Suevis sedibus suis pulsi, ita loquuntur apud eundem Cæsarem, *Sese unis Suevis concedere, quibus nec Dii quidem immortales pares esse possint, reliquum quidem in terris neminem esse, quem non superare possint.* Plutarchus dicit, Præstantissimos Germanorum Suevos, Florus appellat maximam & ferocissimam gentem, alibi fortissimam & validissimam. Hodierna vero Suevia fines habet multo angustiores, ab ortu nimirum Bavariam, a septentrione Franconiam; ab occasu Palatinatum inferiorem & Alsatiam, a meridie Helvetiam & Comitatum Tirolis. Veteres incolæ, præter Hermunduros, ac vastæ illius gentis reliquias exiguas apud Nicrum, nec non inter Danubium, Rhenum ac Moenum, Alemanni; circa Licum Vindelici; ac ea, quæ versus meridiem est, parte Rhæti fuere. In Sueviæ hujus, prout ab hodiernis consideratur Geographis, profanum olim ac superstitiosum Deorum cultum nunc inquirere, &

pro ingenii mei modulo, quantis illa gentilismi, ut loquuntur, tenebris immersa fuerit, antequam fidei Christianæ lux eam collustrare cœperit, ostendere constitui, lectione cumprimis Taciti, illustrissimi Germaniæ veteris Scriptoris, & amabili antiquitatum patriarum studio ad id allectus, incitatus, stimulatus. Quod dum facio, a Vobis omnibus, Auditores eruditorum optimi, & optimorum eruditissimi, ardentibus & submissis contendo precibus, ut per breve temporis spatium, benevolas benevolarum aurium ædes mihi locetis, atque meam hanc oratiunculam, brevi stilo & filo contextam, nullis quidem figurarum luminibus illuminatam ac peroplitam, nulla arte limatam, vestro favore ac benevolentia sublevetis, quo his veluti secundis subvecta ventis, quem sibi proposuit portum, facilius consequatur.

DEUM esse, natura notum est, non solum ex interno conscientiæ testimonio, sed & ex contemplatione rerum creatarum, earundemque sapienti ordine, admiranda varietate, justa perfectione, decenti, in quem singula referuntur, fine. Quis est tam vecors, qui cum suspexerit in cœlum, Deum esse non sentiat? Deinde ex communi omnium populorum testimonio, totiusque orbis consensu; hinc Cicero scribit: *Nulla gens tam barbara, immansueta neque fera est, quæ non, etsi ignoret, qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat.* Sic Ægyptiorum veterum Dii erant Sol & Luna, priorem Osirim, posteriorem Isidem nuncupabant. Mauri Jubam, Afri Neptunum, Macedones Gabyrum, Persæ Mythram, Rhodii & Massagetæ Solem, alii alios sibi vindicabant & colebant Deos; ita & Germani veteres, hosque inter Suevi, suos olim habebant Deos, sed falsos proh dolor! Et ii quidem teste Tacito, (Capite Germaniæ II.) *celebrabant carminibus antiquis Tuistonem Deum terra editum, & filium Mannum, originem gentis conditoremque.* Alii *Tuistonem* hunc nominant Tuisconem, unde nomen populare die Tuisten / vel a Teut sive Teutare die Teutschen. Per Tuistonem intelligebant forte Adamum, quem terra editum fuisse perceperant, quique in Genealogia Christi apud Lucam, vocatur filius DEI, ac Mannum fortasse cum Noacho confundebant, cujus tres filios Semum, Chamum & Japhetum, orbem inter se divisisse vetustissimi annales tradiderant. Hinc & Tacitus dicto capite pergit: *Manno tres filios adsignant, e quorum nominibus proximi Oceano Ingævones, medii Herminones, ceteri Istævones vocentur.* Ad Manni illius honores pertinere videtur clarissimum illud apud Rugianos simulachrum, ad similitudinem Jani, qui non alius ac Noachus dicendus est, affabre effictum, quod Saxo Grammaticus Historiæ Danicæ Libro XIV. fuse descripsit. Vel sub nomine Manni hujus, ex aliorum sententia, Heroëm forsan ac bellatorem strenuum, qui suos per vastas solitudines in patriæ futuræ sedes traduxisse credebatur, bellicosa hæc natio cecinit. Speciatim vero Suevi procul dubio inter conditores & heroas illos carminibus celebrabant *Suevum*, Regem Tuisconum (si Crusio aliisque credendum) octavum, a quo & nomen *Suevis* inditum. In universum
c. 3. Germ. vero de Germanis porro ait Tacitus, *fuisse apud illos Herculem, quem primum virorum fortium ituri in prælia cecinerint.* Sed qualis hic Hercules? Utrum Hercules ille fuit Thebanus, qui Alpes transcendisse memoratur Plinio & Justino? & de quo Petronius in Satyrico:

Alpibus aëreis, ubi Grajo nomine vulsa
ascendunt rupes, nec se patiuntur adiri,
est locus Herculeis aris sacer.

An

An Hercules Ogmius, quem Galli Celtæ, Germanis finitimi colebant? an Alemannus ille, Bojorum conditor? vel alius inclytæ fortitudinis Heros, cujus gesta fortassis canebant Germani in prælia ituri, quo milites exemplo ipsius accenderent? Illud saltem hic silentio haud prætereundum, quod Aventinus Annalium Bojorum Libro III. literis prodit de Theodone Bavarorum duce: *Thedo lucum & montem proxime Reginoburgum Danubio imminentem, more majorum, Alemanno Herculi, victori & bellorum præsidi dedicavit, ejusque nomine appellari jussit, ubi sacris ritu patrio operari capit.* Ac Libro I. idem memorat, æreum Herculis signum in Richavia, cœnobio Suevorum, hactenus servatum, suaque ætate a Joh. Habio, Historico Cæsareo, jussu Augustissimi MAXIMILIANI I. Oenipontem translatum fuisse. Cujus Alemanni Herculis simulacri etiam Stumpfius & Crusius in Annalibus meminerunt. Amplius de universis Germanis acutissimus Tacitus in Libelli de Germanorum Moribus cap. 9. perhibet, quod *Deum maxime Mercurium coluerint, eique certis humanis quoque hostiis litaverint.* Atque in Annalibus testatur speciatim de Hermunduris, quod victores illi *diversam aciem Marti & Mercurio sacraverint.* *Lib. XIII. c. 57.* Ac Taciti quidem temporibus, ubi nondum parietibus cohibebant Deos Germani, neque in ullam humani oris speciem assimilare, ex magnitudine cœlestium arbitrabanntur, Mercurium illi sola mentis reverentia Deum credebant, eique statis diebus litabant humanis hostiis. De quo horrendo ἀνθρωποθυσίας ritu quid dicam, non invenio; sed maxime miror, quod tam barbari, tam immanes fuerint nostri, ut parricidium suum, i. e. tetrum atque execrabile humano generi facinus, sacrificium vocarent. O dementiam insanabilem! exclamat Lactantius, quid illis dii isti amplius facere possent, si essent iratissimi, quam faciunt propitii? cum suos cultores parricidiis inquinant, orbitatibus mactant, humanis sensibus spoliant? Quid potest his esse hominibus sancti? aut quid in profanis locis facient, qui inter aras Deorum summa scelera committunt? Hæccine sacra sunt? an aræ Busiridis? an epulæ Thyesteæ? Nonne satius est pecudum more vivere, quam Deos tam impios, tam profanos, tam sanguinarios colere? *O stultas hominum mentes, o pectora cæca!* Procedentibus vero temporibus simulacra Mercurii, aliorumque Deorum, sensim in Germaniam devenerunt a vicinis fortasse Gallis, de quibus Julius Cæsar, *Deum*, *Lib. VI.* inquit, *maxime Mercurium colunt.* Aut irrepserunt forte simulacra illa per *c. 16. B. G.* Romanos in Germania passim habitantes, quam conjecturam confirmant Inscriptiones illæ Romanæ, Irmensulæ, Mercurii aliorumque Deorum imaginibus adjectæ, donec tandem per mediorum seculorum decursum, ingens Deorum Dearumque numerus, crescente superstitione influxit. Illud interim dubio caret, a Suevis, civibus ac popularibus meis, Mercurium quondam certis sub simulacris cultum fuisse, quorum aliquot Augustæ Vindelicorum reperta spectari possunt in Operibus nitidissimis illustris Marci Velseri, ubi inter alia, quæ in ædibus Peutingerorum cernitur, imago Mercurii repræsentatur *Pag. 366. 367. 368. 369. 407. 408.* corpore nudo, nisi quod a tergo pallium sustinet, sinistra caduceum gestans, dextra capiti hirci pedibus adjacentis injecta, adstante gallo gallinaceo. *Gallus* hic vigilantiam significat, quæ amica lucrum sectantibus: *hircus*, seu quod Penelope Pana ex Mercurio in hircum mutato conceperit, seu quod mercium involucra & marsupia ex pellibus conficiantur: *crumena*, quam dextra tenet manu, designat mercaturam: *caduceus*, quem sinistra gestat, eloquentiam. Caduceus ille serpentes vel dividit vel conjungit: Eloquentia discordes dividit, quando prohibet, ne alter alteri nocere possit; conjungit, quando concordiæ nexu eorum lites componit. Eleganter Virgilius:

— — *In*

– – In populo cum sæpe coorta est
seditio, sævitque animis ignobile vulgus;
tum pietate gravem & meritis si forte virum quem
conspexere, silent arrectisque auribus adstant;
ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Nuditas Mercurii nobis indicat, ne obscura verborum caligine, nec tenebricosis involucris includantur mentis operationes, sed nativa sermonis pulchritudine fulgeant, si casta intendatur oratio. Exstat etiam prope Forum & Curiam Augustanam Inscriptio:

MERCURIO
AUG. SACRUM
M. BASSINIUS
VITALIS
V. S. L. M.

Ubi Mercurius dicitur *Augustus*, quomodo aliis in lapidibus Jupiter, Neptunus, Mars & Apollo etiam dicuntur Augusti, ex adulatione forsan aut veneratione Cæsaribus Romanis exhibita. Clarissimus Begerus, in Thesauro ex Thesauro Palatino collecto, statuam quoque æream exhibet antiquitatis & raritatis venerandæ. Refert illa Alamannum, Deum Germanorum, a Maximiliano Imperatore in pago Alma prope Constantiam anno 1507. inventam. Alamannum hunc esse Mercurium existimat laudatus Begerus, dicens: Alium non esse, vel ipsa statua evincit; in capite pileum cernimus, non obscuris alarum vestigiis, dextram extensam gerit, sinistram deorsum inclinatam, plane qualis marsupium & caduceum gestare consuevit, imo & inferiorem caducei partem adhuc superesse videmus. Nunc & illa, quæ de Germanis in universum Ta-
Germ. c. 9. citus subjungit, perpendemus. *Martem*, ait, *concessis animalibus placabant*, brutis nimirum, quæ Historicus hic prudentissimus humanis opponit victimis, intelligens boves, oves, hircos & equos, quales a Romanis aliisque nationibus Marti mactabantur. Mars communis omnium ethnicorum Deus a Pom-
Lib. II. c. 1. ponio Mela salutatur, quem Romani Hesum, Germani vero absque termina-
Voss. de Idol. L. II. c. 33. tione Romana Hees vel Hies appellare consueverunt. Hunc etiam Hermunduros coluisse, antea ex nostro Annalium Scriptore percepimus, quando diversam aciem Marti atque Mercurio ab Hermunduris sacratam fuisse testatus
Lib. XIII. Añal. c. 57. est. Ac Tencteri apud eundem, præcipuum Deorum vocant; ubi legatus il-
Hist. L. IV. c. 64. lorum hunc in modum Ubios allocutus fertur: *Rediisse vos in corpus nomenque Germaniæ, communibus Deis, sed præcipuo Deorum, Marti, gratias agimus.* Nec dubium est, quin inter priscos Germanos Suevi, utpote præ ceteris strenui bellatores Martisque filii, Deum hunc religiose coluerint, atque autumant nonnulli, uti Merseburgium Misniæ, ita Merspurgum in Episcopatu Constantiensi, a Marte nomen accepisse. Ordo nunc ad *Isidem* nos deducit; de qua
Germ. c. 9. Cornelius noster ita disserit: *Pars Suevorum & Isidi sacrificat.* Quæ & qualis Isis hæc fuerit, non convenit scriptoribus. An regina fuerit Ægypti, alii viderint; utrum per Isidem Ceres, Luna, Minerva aut Venus sit intelligenda; an Dea una, diversis nominibus a variis gentibus insignita fuerit, adhuc sub judice lis est. Domesticam Ægyptiis Deam fuisse, Diodorus & Plutarchus testantur. Sacra interim ejus, etsi peregrina, in Germania celebrabantur, teste Tacito, qui pergit l. cit. *Unde causa & origo peregrino sacro, pa-*

rum

rum comperi, nisi quod signum ipsum in modum liburnæ (quæ est navigii genus, Liburniæ incolis usitatum, velox & aptum navali militiæ) *figuratum, docet advectam religionem.* Malumus itaque cum Tacito ἐπέχειν; aut si secundum Coleri aliorumque sententiam per Suevos hic intelligendi sint ii, qui ad Istri ripas habitantes, cum Sarmatis ad Pontum usque Euxinum sæpe excurrebant, suspicari liceat, ad Suevos istos Danubium accolentes, peregrinum hoc Isidis sacrum fortasse a Pannonibus & conterminis Græcis, ad hos a Syris, ad Syros ab Ægyptiis manasse, quemadmodum hinc per Græcos ad ipsos etiam Romanos cultus Isidis advectus est, ac Dea civitate & templis donata, secundum Lucani illud: *Nos in templa tuam Romana recepimus Isin.* Aventinus Libro I. Annalium Bojorum: *Sacra Isidis*, inquit, *administrabantur a Germanis, quippe Isis, mater Libyi Herculis, Regina Ægypti, post cædem mariti interitumque filii in Germaniam ad Gambrivium venit, frumenta temere incognita mortalibus inter ceteras herbas reperit nascentia, serere, molere, terere & inde panes conficere docuit, lanificii & olei & vini usum monstravit, ob id Dea credita, Suevique eam consecrarunt proque Dea coluerunt.* In Augustano etiam Chronico, quod Joh. Pistorius inter Scriptores Germanicos edidit, traditur capite tertio, Festum honori Cereris in Rhætia & Vindelicia agitatum fuisse, ibique arcam stetisse publicam, in qua frumentum Cereri sacrum devotumque custodiretur. Et Crusius in Annalibus Sueviæ, cum vetustatem Campoduni, P. I. oppidi hodie in Suevia imperialis, probare nititur, ducentis ante Natum Christum annis, & cum nondum oppidum sed pagus esset, Cisæ ibidem sive Isidis L.XII. c.6. fanum fuisse scribit. Verum bona cum Crusii pace monere liceat, tum temporis imo & Taciti adhuc ætate nulla Deorum simulacra apud Germanos fuisse, nulla templa. Posteriore autem ævo, quo in Suevia hodierna ac speciatim Augustæ Vindelicorum Mercurii colebantur simulacra, uti antea audivimus, Isidi forsan ibidem quoque sacrificabatur, quia Isis antiquitus credebatur Mercurii filia; *nam Isidem multi Mercurio natam perhibent*, inquit Plutarchus. Equidem Augustanos cives atque majores suos Isidem veneratos esse, argumentis nonnullis Conradus Peutingerus in Sermonibus Convivalibus colligit, templumque Isidis stetisse, ubi nunc Augustæ prætorium conspicitur, collem- p. m. 28. que ibi publici carceris Isenberg / quasi montem Isidis appellatum. Verum opinionem hanc refellit illustris Velserus, & collem hunc a Cisæ templo nomen P.222,223. invenisse negat, addens: *In Censualibus Reipublicæ libris clivus ille inter Divum Udalrici & Divum Dominici* Zizenberg *describitur. Aliis* Eisenberg *proxime Curiam, cujus originatio a publico carcere, aperte Germanica, visum substituere, quod Cisam eandem Isidem esse comminiscuntur.* Interim tamen & Vel- p. 226. serus concedit, Cisam sive Zizam, ut Deam Topicam a Vindelicis olim cul- p. 263. tam. Unde & doctissimus Hachenbergius in Germania Media tradit, posteriore ævo nomen Cisæ sive Zisæ apud Germanos religiosissimum fuisse, quod ad veterem illam Suevorum Isidem maxima literarum cognatione accedat, unde nomen esse datum urbi Cisaræ sive Zizaræ in Noricis finibus, Abbas Urspergensis in Chronicis ad annum Christi MCLXVII. affirmat. Verum enim vero, quomodo illud Julii Cæsaris accipiendum, quando de Germanis in universum dicit, eos *Solem, Vulcanum & Lunam Deos solos duxisse, reliquos ne fama acce-* Lib. VI. *pisse?* Ad hoc respondent eruditorum quidam: Cæsar sive in Gallia sive in B. G. c. 21. Germania hoc percontatus fuerit, aut non recte illi narratum est, aut ipse non satis inquisivit. Hunc ejus errorem ex prisco ævo refutant Diodorus Siculus, Strabo & Tacitus. Alii cum Vossio & Cluverio existimant, Solem & Lunam diverso tempore & occasione etiam sub nominibus aliis in Germania cultos fuisse, ac sub Lunæ nomine Isidem, (cum & Ægyptii & Græci per Isidem significarint Lunam) Solem vero sub Mercurii vel Beleni nomine adoratum

fuisse. Noricos certe, Vindelicorum vicinos, Belenum olim ut Deum veneratos esse, Tertullianus testatur in Apologetico, scribens: *Unicuique provinciæ & civitati suus Deus est, ut Syriæ Astartes, ut Arabiæ Dysares, ut Norici Belenus.* (Cap. 24.) Neque exploratum adhuc est eruditis, quale Numen *Apollinis Granni* titulo æstimatum fuerit, cui in agro Augustano ævo juniore aliquot inscriptiones & monumenta dicata ob oculos ponit sæpe laudatus, nec satis unquam laudandus Velserus. (p. 406.) Non jam dicam, religiose cultum apud Rhætos *Sylvanum*, quem territorii tuendi caussa lacte in templo demulserunt: silentio prætermittam *Plutonem* atque *Proserpinam*, quos antiqui Rhætiæ Sueviæque incolæ divino prosequebantur honore, testibus Crusio & Velsero. Tacebo effigiem lapideam *Medusæ* vetustissimam, ædi sacræ Divi Udalrici præfixam, cujus formæ adscribere possis illud Lucani: (Pharsal. Lib. IX. p. m. 266.)

Ipsa flagellabant gaudentis colla Medusæ;
Surgunt adversa subrectæ fronte colubræ,
Vipereumque fluit depexo crine venenum.

(p. 258.) Quid? quod idem Velserus Augustæ & in Provincia, sacra annua *Jovi* Regi, *Terræ* matri, *Genioque Coloniæ*, sive Cisa fuerit, sive alius, facta esse recenset, eaque postea affulgente Christianæ religionis lumine, in Deum O. M. Virginem Matrem & cœlestes Spiritus tutelares, sanctiore ritu versa interpretatur. Ubi per Terram Matrem forsitan illa venit intelligenda, de qua Tacitus verba facit in Germaniæ capite quadragesimo, dum de septem quidem Suevorum nationibus Oceanum accolentibus ait: *In commune Herthum, i. e. Terram matrem colunt, eamque intervenire rebus hominum, invehi populis arbitrantur.* Aut intelligi potest Cybele sive Vesta, vel Ceres frugum Dea, de qua supra jam disserui. Ac dicendum jam foret amplius de antiqua *Lucorum* consecratione, quales luci in ipsa etiam Suevia erant consiti, a Francis postea magnam partem excisi; dicendum esset de sortilegiis & auspiciis, sine quibus nihil domi, nihil publice gerebant Germani, virgam arbori frugiferæ decisam, in surculos amputantes, eosque notis quibusdam discretos super candidam vestem temere ac fortuito spargentes: dicendum de majorum nostrorum δεισιδαιμονίᾳ καὶ ἱππομαντίᾳ, quando avium voces volatusque interrogabant, & equorum præsagia & hinnitus experiebantur; dicendum de duellis & dimicationibus eorum singularibus, quando in re ardua sed ancipiti, duos invicem adversos congredi jubebant, publice pro bellis, privatim pro litibus & controversiis decidendis; dicendum de Mulieribus fatidicis, divinationibus Dæmonum, idque genus aliis horrendis superstitionibus & inquinamentis, quibus proh dolor! hodierna quoque Suevia olim contaminabatur. Sed pertæsus tot superstitionum profanarum, jamque lassus majorum meorum erroribus, ista e caligine me tandem evolvo, ac beatissimam Christianæ fidei lucem respicio; Deo immortali immortales agens gratias, quod sero quidem, ac seculo potissimum octavo, post Natum θεάνθρωπον, tenebras paganismi non solum prorsus excusserit, sed & seculo sexto decimo, post exhibitam in Comitiis Augustanis Protestantium Confessionem, Sueviæ partem maximam purioribus adhuc salvificæ doctrinæ radiis illustraverit. Nullius est tantum flumen ingenii, nulla scribendi aut dicendi tanta vis, tanta copia, quæ non dicam exornare, sed enarrare tam præclara Dei beneficia valeant, quæ non quia digni, sed quia indigi, nobis hac in mundi fæce exhibuit. Non igitur Mercurium, non Martem, non Herculem hodie veneramur, sed Deum ipsum, Conditorem ac Servatorem rerum omnium, qui non modo vitæ hujus lucem ac usu-

ram,

ram, qua fruimur, commoda quibus utimur, spiritum quem ducimus, benigne nobis concessit; sed misso quoque Filio Divinæ naturæ participes nos reddit, solus invocantium gemitus videt, miseros solatur, jacentes erigit, afflictos reficit; cum illa veterum Numina vel nunquam vixerint, vel jam pridem in nihilum redacta evanuerint. O felicem Sueviam, o fortunatam nimium Germaniam, bona hæc sua si agnoscat, si magni faciat, si sponte non abjiciat, pravisque moribus & vita scelerata non repellat! Serva porro, o DEUS, non tantum in Patria mea dulcissima, sed & alibi terrarum puram Evangelii doctrinam, serva ac tuere Ecclesiam tuam sacrosanctam! Serva nos Domine in veritate, Sermo tuus Veritas est! Da, precor, ut retineamus sincera cœli dogmata, sine infidelium & hæreticorum sordibus atque inquinamentis, fidem certam ac firmam, sine dubitationum turbulentis animi jactationibus, pietatis ardorem sine frigore ac tepore, & fac tandem, ut finem fidei nostræ, qui est æterna animarum salus, feliciter obtineamus.



DISSERTATIO XIII.

DE

SUEVIA GENTILI.

PROOEMIUM.

SUeviam nobilissimam, & nunc & olim facile principem totius ferme Imperii Provinciam, Principum quondam & Imperatorum Germaniæ Matrem fœcundissimam, monumenta ejus cum Gentilia, tum Christiana ordine lustraturus, multis licet itineribus ab ea nunc sim dissitus, & quod primum videtur, ætate longe inferior, quam qui aut pridem senescentia, & quo merito lætamur omnes, in ruinis suis alte abscondita Gentilismi rudera attingere, aut reliquias cunarum Christianismi Suevici spectare valuissem, demum cum paucis quibusdam, & sæpius vix semidoctis scriptoribus, aut iis certe, qui patrios annales faciles nimis & obsequiosos habuere, conflictaturus, dum ingredior, otio forte & ingenio meo iniquum suscipio laborem. Succurrit autem in hoc negotio, quod memini apud Virgilium me legere: *Vincet amor patriæ, STUDIIque immensa cupido.* Et sane, cum post sacrum non aliud magis studiorum genus animum meum alat, non aliud oblectet magis, ac antiquarium historicum, illud etiam mihi facile sum passus persuaderi, quod nulli satis in hoc videantur eruditi, quibus domestica sint ignota & rem dignam judicavi, in qua erubescerem, in urbe propria si reperirer hospes, & in patria mea peregrinus audirem. Unde & illud mihi, ut si alicui argumento temporis non nihil esset dandum, in patrio isthoc, difficili quamvis & multum laborioso, jucundo tamen (patria enim quid jucundius?) ac, quod puto, non

non inani posthac desudandum ducerem. Neque vero omnium omnino ætatum inde a ferali illo terrarum orbis diluvio, aut Japhetæorum, ex quibus non postremos sese credidisse potuere Suevi, migratione septentrionem versus & occasum ex oriente facta, nec nationum LIV. & plurium, in quas divisa gens Suevorum pervetusta scriptoribus Æthico, Straboni & Tacito celebratur, documenta quisquam a me expectet velim. Ad extimas enim illas Celticæ Cis-Rhenanæ oras, & ad mare Germanicum usque, quod a priscis accolis Suevicum Historicis audiebat, excurrere, nec temporis nec instituti ratio permittit. Jubet autem utrumque eos intra limites consistere, quos Hermundurorum genti (qui soli Romanis SUEVI dicebantur, & civitas ipsorum fida Romanis, sat magna alias, & si Cluverio *a*) credimus, a Salæ confluente ad Danubium usque in longum protracta, SUEVIA) decrepito in Occidente Romano Imperio ditionis suæ ultra Rheni Danubiique ripas facilis protensio, & victor demum Clodovæus, Francorum Rex ad Tolbiacum una cum reliquiis Alemannorum, fidis tunc & fortunæ & nominis sociis debellatæ constituerat *b*): Eos scilicet, queis SUEVIA conclusa & ætatum & migrationum ratione habita, non incommode MEDIA audit, & qua septentrionem vergit, in angustiores redacta est terminos, Francis ibidem novam condentibus Provinciam; qua vero meridiem spectat, multum protensa utramque Rhætiam & Helvetiorum Alemanniam *c*) ducis sub imperio comprehendit. Ex eo autem hoc est, quod non alibi forte vestigia gentilismi tutius relegere, primitiasve Sueviæ Christianæ colligere liceat. Sentio quidem nec sic omnem ab opere difficultatem sublatam & lateres potius duplicatos. Varia enim & diversa gentilium, Barbarorum nimirum & Romanorum sacra hic exponenda venient, propterea quod Suevia maximam partem & omnis quidem, quæ trans Danubium Galliam versus in dictas Provincias divisa a Cæsarum temporibus ad Francorum usque ætatem Romanis paruit, patriosque Deos cum patrio cultu admisit, pristinis, quos a majoribus, qui vulgo Germani creduntur, habuere, abrogatis; reliqua, uti nunquam a Romanis subacta, in barbara religione persistente. Est autem & in his aliquis nobis Moses, & quod ex hac parte laborem reddet difficilem, ex altera, & cum ad efflorescentis Christianismi seculum Deo duce fuerit perventum, multum operam nostram sublevabit puto: quandoquidem, quæ olim Romanorum castra fuere, postea Sion facta, unde in omnem Sueviam sonus Evangelii de Christo exiit. Ne tamen multum ita auctus labor in immensum crescat, operam navabimus sedulam, & facile, quod spero, rem omnem justos intra limites cogemus, si in adscribendis Romanorum sacris, pluribus & veteris & recentioris ævi Historicis tritis, non magis erimus occupati, quam antiqua jusserint Augustanorum documenta; in barbaris vero, non ita notis aut undique obviis, nec minus in Christianis utrique parti communibus, curatius aliquando versaturi. Dispescimus hinc omnem operam in Dissertationes duas, quarum hæc Lectori Benevolo SUEVIAM nostram GENTILEM, altera CHRISTIANAM adumbratam sistet. Utraque ostendet I. ORIGINES II. PROGRESSUS. III. Illa FINEM GENTILIS; hæc FLOREM CHRISTIANÆ, religionum. Faxit Deus, feliciter!

SUE-

a) lib. III. G. A. c. XXVIII. *b*) B. Rhenanus lib. I. Rerum Germ. p. 39. *c*) Idem lib. cit. p. 119.

SUEVIA GENTILIS.

I.

BArbaros & nomine & omine olim fuiſſe Suevos, nemo forte, niſi in antiquitate hoſpes negaverit. Nec tamen facile cum iis ſtabimus, qui immanitate ita efferatos credidere, ut per plura ſecula, & ad Romanorum usque in Germaniam tranſitum, ſine Deo vixerint in orbe, ita ut ne ſuſpicionem ullam, neve notitiam habuerint religionis *a*). Enim vero ſocietates gentis hujus bene & in primis conſtitutas, ac ab ipſo Tacito *b*) multum collaudatas, ſi e longinquo intueri datum nobis eſſet, vix aliter, ac Lactantius olim ſentiremus, qui *religionem & timorem DEI ſolum eſſe*, inquit, *qui cuſtodiat hominum inter ſe ſocietatem c*). Quæ adeo vera ſunt, ut ad vanam quoque extendi mereantur religionem. Ita enim alicubi Plutarchus de ſua h. e. Ethnica religione: *mihi videtur urbs citius ſine ſolo, quam reſpublica ſine opinione de diis aut conſtitui, aut conſtituta ſervari.* Nec juvat hic in contrarium adduxiſſe Cæſaris verba *d*), *neque druides habent* (Germani,) *qui rebus divinis præſint, neque ſacrificiis ſtudent.* Nam, ne dicam auctorem hæc & alia prius, quam comperta ſatis habuerit, in ſuos commentarios perſcripſiſſe, ipſe Cæſar commentum illud oppido abſurdum paulo-poſt ita covellit: *deorum numero eos ſolum ducunt, quos cernunt, & quorum opibus aperte juvantur. Solem & Vulcanum & Lunam. Reliquos ne fama quidem acceperunt.* Et absque Cæſare ſi eſſemus, ſufficeret Cicero ex Epicuri libris *e*): *quæ eſt gens aut quod genus hominum, quod non habeat ſine doctrina* πρόληψιν *i. e. anticipationem quandam de Deo*, quam *non inſtituto aliquo, aut more, aut lege conſtitutam opinionem, ſed inſitam, vel potius innatam deorum cognitionem* appellat. Dionyſius autem Halicarnaſſenſis *f*) in iis Barbaris, *qui patrios deorum & geniorum cultus jam diutiſſime ſervant, nec quicquam in iis judicant immutandum, iræ divina metu - - nec longa temporum ſerie adduci hactenus potuerunt, ut quæ ſacra patrio ritu celebrant, dediſcerent, aut aliqua ex parte immutarent*, diſerte nominat ΚΕΛΤΟΥΣ, quorum nepotes ſi dixeris SUEVOS, a vero non aberrabis, cum uti alias notabimus, ipſe Dionyſius Germanos Celtarum nomine non ſemel appellarit. Adeo, ut de priſco & idololatrico apud Suevos cultu amplius dubitare nihil habeamus. Exigit proinde inſtituti noſtri ratio, ut primum in hujus inquiramus

ORIGINES.

II. Ad has ut deveniamus rectius, fundamentum religionis univerſe conſideratæ ex S. Scripturis liceat repetere brevibus.

III. Conſtituunt hoc proxime tempora poſtdiluviana. Quanquam enim nec nos ſentimus cum illis, qui toto illo primo mundi ſeculo nullam inter mortales deaſtrum fuiſſe venerationem, & ab ipſo etiam Caino & nepotibus verum & æternum Deum conſtantèr cultum hactenus credidere, numero plures *g*); nec cum Maimonide *h*) tempus Enoſi, quo Idololatria cœperit,

 defini-

a) *Vid. Cluv. G. A. lib. I. c. XXII. p. 109.* *b*) *lib. de Moribus Germ.* *c*) *de ira Dei c. XII* *d*) *VI. Comm. de Bell. Gall.* *e*) *lib. II. de N. D. n. 43.* *f*) *VII. Antiqu. Rom.* *g*) *vid. Cluv. G. A. lib. I. c. XXV. p. 213.* *h*) *lib. de Idol. c. 1.*

definimus, in his tamen minus tuto collocari statuimus, ex eo, quod vetus ille orbis diluvio interciderit totus, Noacho solo cum familia ejus servato *a*).

IV. Ex hoc ergo Parente, qui ortum duxere filii, in censum hic nobis veniant necesse est, velut auctores religionis universæ: Sem, Cam, Japhet. Tres illi, quorum posteros in duas dispescere partes placuit Celeberrimo Vossio l. c. Nec inepte: enim vero DEUS, licet singularem descendentibus ex Semo, Abrahæ & semini ejus fecerit gratiam, ut in populum suum elegerit, non propterea omni gratia destituit cæteros. Siquidem iis DEI notitiam non vulgarem, & quod mundum administraret, & colendus esset, & cultores præmium, contemtores sua maneret pœna, traditione servavit, cujus titulo Chamei imprimis, & Japhetæi extra & contra scriptores religiones suas palliare, & tueri sunt conati *b*), sed infeliciter, & quantum per fabulas & ænigmata, quorum denique naturam induerat, licebat. Hoc constat *c*) Celtas, prosapiam Japheti, postquam in Europam immigrarunt, ultrò parum solicitos de natura rerum, quam tamen DEUS aliis, & qui humanitatem non tam exuerant, præter traditiones, magistram in religione dederat, misere à Philosophis suis esse deceptos, ita ut imperiti non nisi corticem, & ænigmaticam acciperent Theologiam, nucleo & veris de DEO vero, ejusque essentia sermonibus in pectore & scriniis præceptorum relictis. Quamvis nec hic satis tuto custoditos communis omnium postea docuerit superstitio.

V. Interea ita efferatam plebem quis non crediderit, ut denique, quam laudatus Vossius *d*) merito primam omnis idololatriæ causam judicavit, stupor & inscitia omnium occuparit animos, adeo, ut cum DEUM cognoscerent, eum tamen non cognoscerent ut DEUM, & ut plurimum ignoto struerent aras.

VI. Unde deinde facilis in contrarium lapsus & cultus Creatori debiti in creaturam translatio, satana instinctu suo ad hæc non negligenter cooperante. Licet id definiendum hic nobis non sumamus, qua ratione Celticæ, & in his demum SUEVI etiam nostri, vel ad dæmoniorum, vel ad manium defunctorum, vel etiam siderum cultum à vero DEO deflexerint. Τὸ ὅτι propalam ex infra producendis scriptoribus constat.

VII. Plures interim varias assignant ejus rationes; è quibus tamen vix ulla magis displicet, ac ista Cluverii *e*) qua auctor est, falsorum numinum, solis præsertim & siderum venerationem, esse quandam quasi hæreditatem ex Caini nepotibus, uxoribus filiorum Noæ, dum cum suis degerent, ante aquarum eluvionem contractam, & mente servatam, exercitam vero velut priscam, simul ac arca cum viris suis fuerint egressæ, sicque ad posteritatem propagatam: suis nimirum, iisque non levibus difficultatibus laborans. Verisimiliora autem sunt, quæ observat Vossius, minimum quoad naturam corpoream in deos relatam. *Homines*, scribit *f*) *terris & terrestribus assueti, adduci vix poterant, ut esse crederent, quod non viderent, atque ut colerent, quod esse non putarent.* His si junxeris Plinii illud *g*): *Deus est mortali, juvari mortalem,* habebis forte, quæ barbari omnes, & in majoribus suis etiam SUEVI, teste Cæsa-

a) *Conf. Vossius. Lib. I. Theologiæ Gentilis, c. 1.* *b*) *Vide Chemnit. Exam. Conc. Trid. p. 1. pag. 26.* *c*) *Cluv. G. A. l. c.* *d*) *Lib. I. cap. IV.* *e*) *Sub finem c. XXV. Lib. 1.* *f*) *Lib. II. cap. I.* *g*) *Hist. Nat. Lib. II. c. VII.*

Cæſare, in cœlis ſtulte ſunt mirati, ac in diis manibus ſuperſtitiosè venerati, ſublimitatem ſcilicet ſiderum omnibus conſpicuam & excellentiam, ut judicare poterant, humana ſorte majorem; beneficia etiam utrinque cumulate ad ſe delata, ſolis digna diis. Id quod etiam teſtatur Max. Tyrius *a*), & exemplo eſt Iſis Suevorum, quæ ob id ſolum pro DEA habita fertur, quod agriculturæ, oleæ, vini, cannabis, lini, ac metallorum oſtenderit rationem *b*). Sunt quoque è Regibus Germanorum plures, quorum manibus ob bene merita in patriam honos hic habitus eſt *c*). Genios autem vel metu iræ, vel ſpe favoris pro ratione cujuscunque, ſive bonus is fuerit, ſive malus, a gentibus, etiam Suevis, cultos, ſi quis cum Voſſio aſſeruerit, ad aſſenſum pronus ero.

VIII. Utut vero hæc habeant, certiſſima inde *πολυθεότης* apud gentes, maxime Barbaros, colliguntur fundamenta puto.

IX. Quando autem hæc SUEVIS noſtris plenius innotuerit, in tanta diſcordia, & Scriptorum Germanicorum raritate certo conſtituere difficilius eſt. Si tamen non nihil dicendum, videtur *Suevus*, Tuiſconum Rex VIII. & ipſe a gente, cui de ſuo condidiſſe nomen probabile eſt, in Deorum numerum adſcitus, SUEVIS ſuis a majoribus, Germaniæ Regibus, acceptam, & hactenus ad poſteritatem carminibus celebratam religionem de meliore commendaſſe *d*).

X. Atque hinc tandem ad Progreſſus gentilitiæ apud Suevos religionis, & ad falſorum Numinum, quotquot apud probatos legimus ſcriptores, omnium ac ſingulorum cultum, & ſacra gentis antiquiſſima, eorumque pleniorem disquiſitionem deſcendere poſſumus, ſi prius, quod polliciti ſumus, vel verbulo monuerimus, Vindelicos, Rhætos & Helvetios ſub initia Novi Fœderis in Romanorum poteſtatem redactos, ritus victoris ejusque ſacra coactos recepiſſe. Id quod Dionyſ. Halicarnaſſ. l. c. de omni barbarorum gente victa, & nos de his cumprimis aſſerere nulli dubitamus. De quorum ratione ſimiliter in ſequentibus.

PROGRESSUS.

XI. In proxima igitur ab origine ſecula & in ipſam temporum barbariem cum animum advertumus, tanta prohdolor turpiſſimæ Suevorum *εἰδωλομανίας*, & ſatanæ in his terris odioſæ malitiæ incrementa deprehendimus, quanta mens pia cogitare non poteſt. Ingens hic Deorum turba, nefanda ſacra, & diri ritus oculis offunduntur, & a populo ferociſſimo conſecratum devotumque reperimus, quicquid fere impia omnium reliquarum gentium ſuperſtitio templorum areis arisque jam olim intulerat.

XII. DEORUM agmen ſi reſpicimus, parum abeſt, quin cœlum & omnia elementa Deorum matres ipſis extitiſſe dicamus. Ita ſane Procopius *d*) de Sueonibus, antiqua Suevorum gente: *Deos ac Dæmones plurimos colunt, cæleſtes ſimul ac ærios, ſimulque terreſtres & marinos, & nonnulla alia Dæmonia,*

a) *Diſſ. XXXVIII. Conf. Petr. Danj. Huetius Demonſtratione Evangel. Prop. III. n. XVIII p. 61.* *b*) *Vid. Cruſium Annal. Suevic. Lib. I. P. I. c. I. p. 4. & Jod. Willichium in notis ad Tacit. de moribus Germanorum.* *c*) *Cruſius l. c.* *d*) *Idem ibid.* *d*) *Lib. II. de Sueonibus.*

nia, quæ in fontium fluminumque undis esse traduntur. Nec dubium est, quin plures cum reliquis Suevis nostri communes habuerint. Germanos omnes olim coluisse Solem, Lunam & Vulcanum, supra audivimus ex Cæsare. His post Dionysium & Strabonem, immortaliter de Germanorum gente meritus Tacitus plures & ex natura & ex animalibus, ut ita cum Vossio distinguamus, accenset, illumque Cæsaris errorem, quasi Germani reliquos ne fama quidem acceperint, ex prisco ævo & antiquitate convellit.

XIII. Ex illis quidem refert Mercurium, quem natio Gallorum omnis, religionibus admodum dedita, Cæsaris ætate Deum maxime coluit, Martem & Isidem *a*), Terram Matrem sive Herthum *b*) & Matrem Deûm *c*). Ex his vero Deos interpretatione Romana, Castorem & Pollucem, Tuistonem, Deum terra editum & filium ejus Mannum *d*) & Herculem *e*). Alii alios & plures præsertim genios recensent, de quibus prolixe Cluverius *f*) Schedius *g*) Hachenbergius *h*) & quem post fata merito colimus, B. noster Sagittarius *i*) legendi. Nos in præsentiarum de SUEVIA MEDIA soliciti, in illos saltem inquirimus curatius, de quorum cultu in ipsa gente certo olim constabat. Fuere enim singulis etiam sui indigetes.

XIV. Hermunduri ergo, sive Suevi nobis dicti, præter principia ista bina, omnibus communia, auctorem boni unum, alterum mali, ex Noachi nepotibus corrupta traditione derivata, nec inepte per fratres illos Juvenes, lucorum apud Naharvalos, Suevicam gentem, præsides significari credita, geniosque plures, sed incertos, (quorum olim simulacra deaurata in æde, postea S. Aureliæ Brigantii ad lacum Bodamicum sacra, Gentiles adorabant, teste Walafrido *k*) antiquitus cum reliquis ex animalium forte venerabantur manes defunctorum, primo Tuistonis & Manni. Illum Deum terra editum Tacitus nominat, celebratum carminibus antiquis. Sunt, qui veteres hoc nomine Deum, cœli & terræ Creatorem dixisse & coluisse contendunt. Et merito in his nomen meretur Cluverius, qui uti totus in eo est, ut Germanis nostris unius & veri Dei cultum asserat, ita & in his operosus, varia cum ex ipso Tuistonis nomine, quod idem veri Dei sit, & rectius scribatur *Tuito* vel *Theutho*; tum ex voce *Mannus*, quo Germanis vir; Tacito, filius Tuitonis, sive Dei designetur, qui non nisi Adamus ex terra a Deo productus esse possit, pro sententiæ suæ veritate argumenta deducit *l*): quorum ultimum ipsum etiam celeberrimum Vossium secus ac alias volebat, suspicari fecit *m*). Verum uti gloriam agnitæ veritatis avitam majoribus neutiquam invideremus, si vel ad momentum eandem olim participasse posset evinci; ita illam vanis verbis & rei veritati detrahendo, nunquam eis vindicabimus. Quicquid enim sit de voce *Theuto*, sive soli Deo illud competat nomen, sive etiam vi originis suæ, qua sermone populari & antiquo Celtico virtutem, qualis heroum priscis temporibus credita, exprimit excellentem, conditori illustris alicujus gentis sæpius obtigerit, uti non abs re suspicatur æternum Augustæ decus, illustris Marcus Velserus

a) *cap. IX. de moribus German.* *b*) *c. XL. ibid.* *c*) *c. XLV. ibid.* *d*) *cap. XLIII.* *e*) *cap. II.* *f*) *cap. III. & IX.* *g*) *G. A. lib. cap. XXVI. seqq.* *h*) *Syngr. I. & IV. de Diis Germ.* *i*) *Germaniæ Mediæ diss. VIII. de religione Germanorum gentili.* *k*) *in Gentilismo & Christianismo Thuringiæ* *l*) *in Vita S. Galli, lib.* I. *c.* VI. *apud Goldastum, Tom. I. Scriptorum rerum Alemannicarum* *m*) *G. A. lib.* I. *c.* IX. *n*) *lib.* I. *c.* XXXVIII.

ferus *a*); quidquid sit de Manno, sive Adam, sive alius ex posteris Adami denotetur; nobis certe Cluverii assertum temere prolatum visum est. Qui enim verus Deus terra editus? qui filius ejus (procul dubio naturalis hic intelligendus) Mannus sive Adamus? quomodo Adamo tres filii, e quorum nominibus proximi Ingævones, medii Hermiones, cæteri Istævones vocentur? Viderat quidem Cluverius Gordios hos nodos, sed videtur, nec ipsius interfuisse, quomodo solvantur, modo fors exoptata impleatur. Unde & vetustate & gentis barbarie corruptam omnino judicavit traditionem, quam Tacitus ex antiquis Germanorum legerit carminibus, totamque ad sacratissima Mosis documenta quovis modo emendandam. Quod & conatus, feliciter, si temporum illorum, & scriptoris Romani probata veritas sibi nec constare, nec Annales Germanorum vetusti ita vestiti, vel ulla sui parte sibi similes amplius esse debent. Satius interim nobis videtur non tam patriæ amori, quam veritati in his indulgere, & quod per Tuistonem non potuerint non coluisse virum virtutis excellentis, affirmare. Præter enim id, quod vetustis carminibus terra editus celebratur, forte non ficulneæ sunt rationes, quod homini forti Manno jungitur, pari cum illo honore afficitur, & ab ipsa gente Marti & Mercurio, summis Diis, posthabitus recte creditur. Taceamus, quod unum, verum & æternum Deum eos agnovisse, ne vel apice vetusta doceant monumenta, nec rationibus firmis id docere queant Cluverius Schediusque, ob facilitatem suam merito notati a Cl. Vossio *b*) & Dn. Omeisio, Professore in Illustri Noricorum Universitate celeberrimo *c*).

XV. Quinam autem fuerint Tuisto, Mannus hujusque tres filii, singuli postea, velut gentium conditores Deo orti, in Deos relati, ut memorat Crusius l. c. ex tanto temporum & historiarum intervallo certo non constat. Sunt, qui proximos Germanorum parentes, Gomerum scilicet & Ascenazum, filium illum, hunc nepotem Japhetis nominatos credunt, quorum opinioni temporis etiam ratio potissimum respondet *d*). Alii, in quibus Vossius, Hachenbergius & plures causæ nihil advertere volunt, cur hos apud Plinium habeant intelligere, & ex Taciti verbis reliquias veteris doctrinæ de Adamo, terra edito eruunt, ut is sit Tuisto, item de Noacho, trium filiorum parente, ut is sit Mannus. Alii aliter sentiunt, & nos in his obscuris quemque suo patimur abundare sensu.

XVI. Herculem adhuc inter animales numeramus, & hunc Suevis optime notum. Cluverius *e*) quidem Herculem & Martem unum esse contendit, atque hinc in naturalium ordinem referendum. Videtur tamen Taciti denuo historia nobis favere, qui non solum a Marte diversum docet, ubi de Germanis omnibus notat *f*): *Herculem & Martem concessis animalibus placant.* Sed & heroem gentis fuisse diserte dicit *g*): *fuisse apud eos & Herculem memorant, primumque omnium virorum fortium ituri in prælia canunt.* Conferatur Ammianus *h*) Berosus & ex hoc Willichius *i*) Aventinus ex Stabio, Maximiliani I. Imperatoris Historiographo *k*). Quis autem fuerit, an Theba-

a) lib. III. *rerum Bojic.* p. 77. *b*) lib. I. c. XXXVII. *c*) *Diss. de Germanorum veterum theologia & religione pagana.* *d*) *Vid. Sched. Syngr.* I. *de Diis Germ. & Jodocus Willichius Comment. in Tac. Germ.* *e*) *G. A.* lib. I. c. XXVIII. *f*) c. IX. de M. G. *g*) c. II. *de M. G. conf.* c. XXXIV. *h*) lib. XVIII. *i*) num. III. 1. & 10. *k*) XV. *Annal. Boj.* lib. I. & III H. N. lib. III. c. 13.

nus, an Lybius Hercules, an vero alius eximiæ fortitudinis heros? non constat. Thebanum Alpes ad Taurisci (a quo Tauriscos, postea Noricos dictos, nomen habuisse, Plinius auctor est) tyranni perniciem transiisse, ipsique ab incolis divinos habitos fuisse honores, ex antiquis scriptoribus ostendere nisus est Dn. Omeisius l. c. Verum frustra hæc de Alemannorum Hercule, ut nos judicamus. Videtur enim Herculis nomen non a Germanis, sed rursus, ut plura alia a Romanis conditum, & vicino heroi inditum, forte quod non aliud rectius conveniat, non ex alio virtus incluta dijudicari melius queat. Quin autem apud gentes postea obtinuerit eadem compellandi ratio, dubium non est, imprimis, qua proxima erat Romanis. Comprobant certe hoc pervetusta Sueviæ de Hercule suo monumenta, non frustra ab Aventino, Stumpfio & Crusio in Annalibus tradita, in quibus primum, simulacrum illud Herculis Alemanni usque ad Maximiliani I. ævum in Augia lacus Bodamici majori, divite post appellata, servatum, mox jussu Augustissimi Oenipontem deportatum: prout hujus rei oculatus erat testis laudatus Stabius. Est quidem Cluverius, qui Herculem hunc Alemannum velut *ridicule a vanissimo* (ut nominat) *juxta ac ineptissimo Annio Viterbiensi in falsis suis sub Berosi nomine commentariis confictum* explodit, ratione hac potissimum usus, *quod Alemannorum nomen Augusto demum Romanis imperitante fuerit natum:* quasi hæc obstarent, quo minus postea ab incolis Alemannis Hercules, velut indiges, Alemanno nomine, aut a reliquis distingui, aut quod minime absonum, in nominis sui honorem & gentis gloriam ita compellari potuerit.

XVII. Plures præter hos ex hominum genere, ut jam diximus, recenset Crusius *a*), quibus post fata, vel ex mandatis Regum, vel ex affectu plebis honor is habitus. Suevis præsertim Suevum carum fuisse credibile est. Quod vero quisque eorum ex instituto Ingævonis sub certo sidere, & *Mannus* quidem sub Luna, uxor ejus *Sunna* sub Sole, ipse *Ingævon* postea, velut Dei nuncius ac dator sapientiæ & eloquentiæ sub Mercurio, *Istævon* sub Marte, *Hermion* sub sidere ursæ, sive eo, quod vulgo dicitur Heermannswagen/ & ita porro fuerint culti? testem præter Crusium producere nequimus. Si tamen, quæ communis fere est sententia, Sol masculum inter Deos, & Luna fœminam sive Deam denotavit, fabula se ipsam confundit.

XVIII. Cæteros natura progenuit. Cœlum quidem in immensum patens superstitioni campus erat. Præcipua tamen in veneratione, uti omnibus Germanis, ita procul dubio etiam Suevis nostris fuere sidera erratica, quæ Planetas dicunt. Nec tamen sua ætate distincta genealogia aut latina interpretatione, veluti Romani & Græci considerabant, sed promiscua siderum ac Deorum nominatione, modo per Mercurium, modo per Martem, Jovem aut Solem intellexere, uti id exemplis ex antiquitate non obscure docet Clarissimus Hachenbergius *b*) & historia Taciti ipsa loquitur. Enim vero, quos Cæsar velut omnibus Germanis communes refert Deos, Solem & Lunam Tacitum aut latere oportuit, aut necesse est, Mercurium & Martem, quorum utrumque, quamvis ut recte judicat Vossius, diverso tempore & occasione etiam sub nominibus aliis, & hunc quidem Hesi, forte & Erici (Erich/) illum vero Teuthi, Teutanis, Wodanis, Nudani &c. *c*) maxime deorum cultum *d*) & Hermun-

a) *An. Su. l. c.* *b*) *Diss. cit.* *c*) *Paulus Diaconus rerum Longobard. lib.* I. *c.* IX. *Cruf. Ann. Suev. P.* I. *lib.* IX. *c.* IX. *vid. Cluv. l. c. Voss. lib.* II. *c.* XIII. & XXXIII. *d*) *cap.* IX. *de M. G. Conf. Hist. lib.* IV. *cap.* LXIV

Hermundurorum genti inprimis æſtimatum ſcribit *a*), eosdem, quales etiam gentium Theologis creduntur, ſtatui cum Sole Cæſaris, deas autem, ſi quas recenſet, cum Luna convenire. Unde nec abs re eſſe videtur, quod magna in his nomina, Cluverius, Voſſius & Schedius ll. cc. Macrobio *b*) & aliis in partes vocatis, pro hac ſententia prolixe ſcripſerunt, ac Soli, ſummo Deo a variis virtutibus & effectibus varia a mortalibus nomina & numina in ſidere vario tributa eſſe exiſtimarunt, ac aſſerti veritatem partim ex nominibus ipſis, eorumque nativa ſignificatione, partim vero ex muniis, quibus uterque ex ſuperſtitione præerat Deus, ſingulis non alii magis, quam ipſi Soli convenientibus, eruditiſſime adſtruxerunt. Ad quos etiam in hac cauſa B. L. remiſiſſe nunc ſufficiet.

XIX. Num Suevi reliquos etiam ex maribus Planetis Deos admiſerint, audacter non aſſerimus. A Saxonibus certe, Cattis reliquisque ſeptentrionem verſus ſpectantibus populis Jovem & Saturnum ſub Thori aut Taranis (quod antique eſt Tonantis) & Crodi nominibus cultos meminere ſcriptores. Et potuere ſane iis vel fama ſaltim eorum innotuiſſe ſacra, quibus etiam accepti erant dies omnibus planetis hebdomadatim ſacri *c*).

XX. Certiora interim ſunt, quæ de Luna memorat Cæſar. Ad hanc omnium dearum nomina pertinere contendit Cluverius, ita ut non ſolum Venerem, Æſtyorum Matrem Deûm, quamque etiam apud VII. Suevorum nationes, quæ proxime Oceano accolebant, cultam teſtatur Tacitus l. c. & Herthum i. e. Terram Matrem, ſed & Iſidem, de qua Tacitus *d*): *Pars Suevorum Iſidi ſacrificat*, eandem cum Luna eſſe ſcribat, & ex variarum gentium Theologia aſſerti veritatem probare nitatur. Quam bene in ſingulis, alii quibus plus otii Deus fecit, videant: de ultimis duabus nos hic non nulla dicemus.

XXI. Herthum quidem ſive Matrem Terram quod attinet, non poſſumus, quin eam cum Vulcano Deo, h. e. igne elementari *e*) (quem idem ille, quaſi cum Marte eundem, at male, judice Voſſio *f*) inter ſiderea extulit, utpote in eo jam a Marte diverſum, quod Cæſar ipſum ex mente vulgi a Sole diſtinxerit) de cœlo deturbatam in ſublunaribus Diis cenſeamus. Matrem quidem Deûm vocari non inficias imus *g*): at, quod inde colligit Cluverius *h*) vanum eſt; nimirum, *quaſi tum ſatis fuerit probatum, Terram Matrem eandem eſſe Lunam, quum eandem & Matrem Deûm eſſe patuerit.* Præter enim id, quod plures in orbe nationes cum ſole & luna, elementa quoque crediderint Deos, obſervavit eruditiſſimus Voſſius *i*) quod in his ante alia tellus illos obtinuerit honores, & prope omnium opinione fuerit *antiqua Mater*, quam cœlo, quod in rerum generatione matrem referat, nuptam dixerint. Quam autem utrique & Lunæ & Terræ, magnæ Matris Deûm nomen conveniat, erudite oſtendit, & quod illa in cœleſtibus, hæc in elementis principium totius naturæ paſſivum deſignet, pluribus deduxit *k*). Et qui quæſo dubium erit a Germanis ipſam Terram, velut Matrem Deûm, cultam, qui potentiſſimos Deorum terra editos celebrarunt, generisque ſui origines ad ter-

a) *Annal.* lib. XIII. c. LVII. *b*) *Saturnal.* lib. I. c. XVII. *c*) *Cluver.* l. c. *d*) Cap. IX. *de M G.* *e*) lib. II. c LXVI. *f*) l. c. *g*) *vide Macrob. Saturnal.* lib. I. c. XII. & XXIII. *h*) lib. I. c. XXVII. *G. A.* *i*) lib. II. c. LI. *k*) lib. II. c. LIV.

ram retulerunt, ut supra ex Tacito vidimus. Patrii annales si sibi constarent, Crusium producerem, qui traditionibus acceptum refert *a*) terræ, quæ mater fuerit Tuistonis, & ab Ingævone, Germanorum Rege III. in deorum numerum relata, famam more vereri ad posteritatem propagatam esse, sed cum hi incertis & fere fabulosis videantur inniti fundamentis, iis rei veritatem dubiam non reddemus. Ad Isidem progredimur.

XXII. Isis quænam fuerit, non convenit scriptoribus. Domesticam Ægyptiis Deam fuisse, Diodorus *b*) & Plutarchus *c*) testes sunt. An regina fuerit Ægypti, videant alii. In Germaniam cum filio, Hercule Lybio ad Gambrivium regem venisse, ipsi nupsisse, primamque ibidem frugum inventricem pro Dea habitam fuisse, ex pervetusta Calletiæ Hisp. inscriptione, quæ tamen Grutero conficta creditur, refert Crusius *d*) nescio, an non in bellis fabellis. Sacra interim ejus, licet peregrina, in Germania erant, teste Tacito *e*) quamvis Vossio aliter fere videatur *f*), ut qui difficulter in animum adducere potuit, Germanos vetus Isidis numen, cujus sera adeo notitia Græcis & Romanis ab Ægyptiis accepisse; ideoque in superstitione rot seculis inremortua conjecturæ locum reliquit, quasi Germanis hic quoque fuerint reliquiæ primævæ de Adamo & Eva traditionis, quorum ille *Mannus* Germanorum, hæc *Iscba* fuerit, quæ interpretatione Romana fit Isis. Non enim perspicere licet, quomodo celebratissimi Viri conjectura conciliari queat cum istis Taciti: *PARS Suevorum Isidi sacrificat.* Unde vero fuerint allata, non una est sententia. Cluverius certe, Isidem eandem prorsus cum Luna falso persuasus, non fuisse peregrina judicat, sed una cum ipsa gente ex Asia in Europam immigrasse *g*). Sed obstat, puto, Cornelius verbis jam adductis, nisi etiam hoc ipso, quod peregrinum sacrum diserte dicit. Penes quem in his merito est fides, judice Illustri Conringio *b*). Forte igitur potiores, qui ad Suevos ea a Pannonibus & Græcis, Istri olim accolis, ad hos a Syris, ad Syros ab ipsis Ægyptiis manasse arbitrantur, quibus etiam, posito, quod sint peregrina, pollicem premit Vossius l. c.

XXIII. Facile autem sic datur intelligere, quinam ex Suevis sacra hæc peregrina susceperint. Et sane non alii magis, quam qui proximi Istri oras antiquitus tenuere Hermunduri nostri. Ad hos enim adverso flumine, & sic mari, navigio omnino potuere advehi, quod ex Taciti verbis velut necessarium exsculpere nisus est Cluverius l. c. An vero fluminibus trajectis ad reliquos etiam gentis socios deverterint, ita ut ex ipsius Isidis nomine varia condita sint urbium nomina, qualia hodienum sunt Isenacum, Isenberga, Islebia &c. curare nostrum nunc non est; num vero ex hoc ipso Taciti loco Augustæ Vindelicæ, & confiniis Isidis cultus commode a Schedio *i*) & asseclis addicatur, plenius hic dispiciemus.

XXIV. Verbo autem mentem exponimus: minime. Neque enim Vindelici Suevis prius accensiti, quam ab ipsis sunt subacti. Quod autem Mun-

---

a) *An. Suev. l. c.* *b*) lib. I. Bibl. cap. XIV. *c*) lib. *de Iside & Osride.* *d*) P. I. lib. I. c. 1. A. S. Conf. *Aventin.* lib. V. *Annal. Boj.* *e*) c. IX. de M. G. *f*) lib. II. c. XXXVIII. *g*) G. A. lib. I. c. XXVII. *b*) *in Præf. in Tacitum de Morib. Germ.* *i*) Syngr. I. de Diis Germ. cap. IX.

Munſterus *a*) quem in ſubſidium vocat Schedius, ſcribit: *Vindelici etiam pars Suevorum;* aut novam, & ut tempore Francorum conſtituta eſt, intelligit Sueviam, aut judicio ſuo turpiter lapſus, quod ex conſenſu veterum, & limitibus Sueviæ antiquæ haud difficulter oſtendi poſſet, niſi crederem omnibus, qui modo limina Geographiæ antiquæ ſalutarunt, ſatis nota.

XXV. Neque tamen id propter Iſidis ſacra his Provinciis arcita prorſus, aut cum ſemel fuerint ſuſcepta, pulſa iterum dicemus. Novimus enim quod difficulter admodum his ceſſiſſet conatus, & fruſtraneus etiam Romanorum hic fuerit labor *b*). Habuit certe Iſis in ſingulis ſuos cultores, etiam ſuperſtitioſos, id quod docent monumenta illa à privatis in agro Norico poſita, & annalibus ab Aventino illata *c*); templum etiam Deæ in pago Helvetico, Wettinga, ubi nunc cœnobium eſt ſitum ad flumen Limagum, Romanis olim ibi imperantibus, à quodam Lucio Magiano, Vitaquenſi, extructum, teſte Stumpſio *d*). At quo tempore coli ibidem cœperit, forte non tam patet, patebit autem, quando certas gentilitiæ religioni in his oris conſtituerimus periodos, ſingularum rationes nunc brevibus ducturi.

XXVI. Tres autem præcipuas patria nobis ſiſtit hiſtoria. Prima erat, cum ſui juris viverent Rhæti, Vindelici & Helvetii, prout Celtarum nationes reliquæ. Secunda, cum jugum Romanum rigida cervice ſubirent ſinguli, & ſacris & moribus & liguæ Romanæ commercio imbuti. Tertia demum cum terga hoſtium ſequerentur Suevi, & trajecto Danubio atque Rheno, caſtra & domicilia ſua in Provinciis à Romanis derelictis collocarent. Quæ temporum in ſingulis diſcrimina, ſupra jam notavimus.

XXVII. Ad primam quod attinet, non ſupereſt probatum documentum, quo certi reddamur de Iſide tum temporis in his terris culta, niſi eam velis vel ex lunæ vel ex terræ cultu, quas Iſidem alias ſignificaſſe plures crediderunt, & nos verbo ſaltem monuimus n. XXII. colligere. Eſt quidem Cruſius, qui cum vetuſtatem Campoduni, oppidi hodie in Suevia Imperialis, probare nititur *e*), *ducentis ante natum Chriſtum annis, & cum nondum oppidum, ſed pagus eſſet, Ciſæ ibidem, vel Iſidis fanum fuiſſe*, ſcribit. Quale quid etiam fragmentum hiſtoricum multimodis interpolatum (quod interdum inſcriptionem præfert Hiſtoriæ Galliæ, & à Conrado Liechtenavio, Abbate Urſpergenſi, ad verbum fere in Chronicis eſt relatum, at acerrime, nec temere tamen, velut ſpurium per paginas plures notatum ab Illuſtri Velſero *f*), de ligneo Ciſæ Deæ templo, quod Auguſtæ poſt deductam Romanam coloniam inviolatum manſerit, donec tandem vetuſtate collapſum colli dederit nomen, profert. Verum omiſſis aliis, quæ diffuſe legi poſſunt in opere eximio Velſeriano, duo inſignes in relatis novi nævi hic obſervari merentur, qui ſinguli ſufficiunt ad confundendos Iſidis Suevicæ in Vindelicia Patronos. Primum quidem templorum Iſidi Deæ in Germania ſtructorum utraque pagina meminit, & tamen Tacito teſte majores noſtri non habuerunt templa, uti id inferius demonſtrandum venit. Dein Ciſa Vindelicorum, quæ, ſi tamen topica Dea fuit, cum Iſide Suevorum confunditur. *Quod ſi Ciſa Suevorum Iſis fuiſſet,*

a) *Coſmograph. lib. III.* *b*) *Valerius Max. lib. I. c. III.* *c*) *Lib. III. Annal. Boj.* *d*) *Chronici Helvet. lib. VI. cap. XXIII Conf. Cruſius Annal. Suev. l. c.* *e*) *Annal. Suev. P. I. lib. XII. cap. VI.* *f*) *Lib. III. rerum Auguſt.* *g*) *Velſerus l. c.*

set, ineptirent adhuc de muliebri oris specie, parumne testato Tacito, signum ipsum in modum Liburnæ figuratum docet advectam religionem, verba sunt toties celebrati *Velseri* l. c. Unde mirari subit Dn. Omeisium in dissertatione laudata, cum Isidis sacra apud Suevos doceret, & volveret Velseri opera nitidissima, tamen cum Schedio fecisse, qui in pervetusto hoc, quod Augustæ in Prætorio conspicitur, monumento:

QUEM. MALE. POLLUERAT. CULTURA. NEPHARIA. DUDUM.
GALLUS. MONTICULUM. HUNC. TIBI. CISA. TULIT.

nescio quem nævum deprehendisse videri vult: *quippe*, scribens, *Isidi collis sacer erat, non Cisa. Nec enim Cisa mons, sed Isidis, Eisenberg.* Namque & huic argumento Velserum satisfecisse puto *a*) *Inde*, pergit, *ineptiarum etiam, quod collem à Cisa templo nomen venisse memorat* (fragmentum). *Appellationem, quæ ad Cisam forte fortuna, ut fit, alluderet, fabulæ occasionem dedisse, & auctori asserendi audaciam addidisse satis video; nisi cui tamen clivus a fabula demum, quod fieri nihilominus potuit, videatur indigitatus, nam in censualibus Reipublicæ libris clivus* Zizenberg *inter D. Udalrici & D. Dominici, qui ridiculo vulgo nomine* Affenwald/ *simiarum sylva est, describitur. Aliis* Eisenberg *proxime curiam, cujus originatio a publico carcere aperte Germanica b) substituere visum, quod Cisam eandem Isidem comminiscantur.*

XXVIII. Forte autem feliciori fato Isis in his oris usa est, postquam prima periodus defluxit. Patrios Deos cum patrio cultu coloniæ novæ intulisse Romanos supra innuimus *c*). Nec dubium de his esse potest, cum in opere Velseriano prostent complura monumenta, uti Augustæ servantur, æri eleganter incisa, quibus Mercurium, quem omnium maxime Deum in hac vicinia cultum colligit illustris auctor, duabus præcipue de causis; scilicet *quod mercaturæ, quodque viarum præses. Cum ei & negotiatores, quorum magnus in provincia numerus, & qui quacunque alia occasione iter huc haberent, sacra fecerint d)* Martem *e*), Apollinem *Crannium*, quo titulo præcipue apud Rhætos cultus *f*) Sylvanum, quem totius territorii tuendi causa lacte in templo demulsere *g*) Plutonem & Proserpinam *h*), Deos Deasque communes honorarunt. Jam vero Isidis etiam cultum Romæ fuisse, per Græcos advectum Dn. Omeisius *i*), & Deam civitate donatam præter Valerium Maximum l. c. Lucanus *k*), non obscure docent. Lampridius etiam memorat de Commodo Imperatore, quod sacra Isidis coluerit, & Ælius Spartianus de Caracalla, quod Deæ Isidi templa ubique magnifica fecerit. Quod vero in Augustanis monumentis non ullum reperit Velserus, quod Isidis habuisset sacra, forte in causa fuit, quod scripsit, *ineptus cassusque labor est, Barbara numina Romanis & Græcis conferre velle.* Quamvis hæc in eos dixisse videri possit, qui Cisam ex Tacito Isin sunt interpretati. Utut autem hæc habeant, nollem ego audacter obstrepere documentis Aventini, ex agro Bojco collectis; licet non ignorem, & hujus fidem nonnunquam multum fuisse suspectam Velsero.

XXXIX. Cer-

---

a) *Lib. cit. p. 222.* *b*) *Conf. Voss. lib. I. c. XXXVIII.* *c*) *Vid. Gabr Bucelini Chron. Rhæt. ad annum Christi XLI. & CCXX.* *d*) *Lib. V. & VI Rer. August.* *e*) *Crus. A. S. P. I.* Lib. VII. c. IX. *f*) *Velserus in Monum. agri Aug. n.* I. II. III. *seqq.* *g*) *Monum. August. n.* II. *Crusius An. Sv. l. c.* *h*) *Monument. August. n.* III. *i*) *Dissert. cit.* *k*) *Pharsal.* Lib. VIII. *v. 831.*

XXIX. Certiora tertia periodus de Iside Suevo-Vindelica nobis pollicetur, ubi nec metus ultra à Chronologiæ lapsu esse potest. Immigrantes autem Suevos circa anum Chr. CCCCL. una cum aliis, Isidis etiam sacra & Augustam & in Vindeliciam, Rhætiam Helvetiamque omnem secum deduxisse, credere fas esse puto. Hoc enim licet antiquis documentis comprobatum dare nunc non possimus, suadet tamen firma ratio, & consentit Vir Nobilissimus Dn. Jo. Baptista Crophius à Kaisersieg, in Schediasmate MSc. de primordiis & antiquitate Ecclesiæ Augustanæ.

XXX. Atque hæc hactenus de Diis Sueviæ nostræ, in quorum recensione potissimum animum occupatum voluisse. Licet enim non ignoremus, plures a pluribus esse consignatos; selectum tamen vel instituti nostri ratio suadebat, inprimis cum certi simus, vix aliud, præter recensita, apud Auctores superesse Suevicum numen, cujus quidem probata haberi possit notitia, quod non alterius veluti agnati numinis aut naturam aut cum natura etiam nomen, postquam scilicet πολυωνυμία apud gentes obtinuit, induerit, ita ut & hic loci pro eodem facile haberi possit.

XXXI. Igitur ad cultum numinum pergimus. Duplicem illum apud gentes olim fuisse ex Historicis plures observarunt, proprium unum, alterum symbolicum. Illum cum clarissimo Vossio liceat vocemus, *quando, quod colitur, propriè & in se Deus esse existimatur:* hunc cum quid colitur, *non quia credatur Deus, sed quia Deum significet a*). Utrumque receptum fuisse apud Suevos nostros, fortassis difficile videbitur demonstratu. Enim vero licet nos omnium omnino terrarum orbis nationum communis consensus de propio numinis in gente Germana cultu, ejusque hinc inde tot deprehensa, etiam evidentiora vestigia non reddant dubios; de symbolico tamen difficultatis non nihil ex istis Taciti verbis b) exoritur: *cæterum nec cohibere parietibus Deos, neque in ullam humani oris speciem assimilare ex magnitudine cælestium arbitrantur;* & rursus paulo infra c) testantis: *apud Naharvalos nulla simulacra.* Cum quo tamen rei ipsius vel hodienum apud Magnates Germaniæ servata monimenta diu nos luctari non patiuntur. Notum est idolum deastri cujusdam Thuringorum, cognomento Püsterich / quod Sondershusæ ostenditur, & pluribus describitur à curiosissimo olim antiquitatis Thuringicæ scrutatore, B. Sagittario nostro. Nota, quam superius diximus sub Gloriosissimo Maximiliano I. Oenipontem translatam, columna hactenus in Augia Divite Lacus Bodamici superstes, Herculis Alemanni. Nota ex Augustanis monumentis Mercurii imago, *corpore nudo, nisi quod à tergo pallium sustinet, sinistra caduceum gestans, dextra capiti bovis pedibus adjacentis injecta, assistente gallo gallinaceo,* visenda in ædibus Peutingerorum, & in ære exhita à Celebratissimo Velsero d), & quod alias in Thesauro Palatino e), recenset Begerus Clarissimus, huc maxime congruum Mercurii Germanici, (nisi quidem id potius est Alemanni Herculis, quod nobis valde probatur) simulacrum, memorabile visu; cujus de hoc verba, licet prolixiora, hic inseremus. *In Electorali,* inquit, *Cimeliarchio statua est, antiquitatis & raritatis veneranda area. Alemannum exhibere, Deum Germanorum, ac à Maximiliano Imperatore in pago Alma, prope Constantiam anno MDVII. inventum, sequens veteris membranæ, quæ juxta asservatur, inscriptio, si opinio vera, testatum facit:*

Allwann

---

a) Theol. Gent. lib. I. c. V. b) c. IX. lib. de M. G. c) c. XLIII. ejusd. lib. Gentil. Thuring. cap. II. d) Operum p. 367. e) pag. 16. seq.

Allmann Abgott bin ich /
Die Teutschen iren nam hambt durch mich /
Von grossen Streiten der Walhen dich versich /
Alamanna Teuschzland nent sich /
Bey Kostnitz im dorff Alma lag ich /
Durch Künig Maximilion schickt es sich /
Im XVc und VII. Jare in die Lad legt er mich.

Quid, inquis, Alemannus cum Mercurio? dicam: alium non esse vel ipsa statua evincit: in capite pileum cernimus, non obscuris alarum vestigiis; dextram extensam gerit; sinistram deorsum inclinatam, plane qualis marsupium & caduceum gestare consuevit. Imo & inferiorem caducei partem adhuc superesse videmus. Quæ omnia Mercurium hunc Germanorum fuisse extra ponerent dubitationis aleam, nisi Tacitus Germanos nec cohibere parietibus Deos, nec in ullam humani oris speciem assimilare ex magnitudine cælestium arbitratos, asseveraret. Non jam dicam alia famosa in gentium quondam, & gentilissimi debellatione ab ipsis victoribus destructa Germanorum idola: de quibus tamen legi merentur Annales Francici, a Pithæo editi *a*) Cranzius *b*) Lindenbrogius *c*) Vossius *d*) Hachenbergius *e*) aliique.

XXXII. Et ex his plures de veritate cultus symbolici convicti laborarunt, quomodo fidem faciant Tacito, scriptori alias & fide & prudentia maximo, secus quidem ac doctissimus Begerus, qui motus exemplo Mercurii Palatini, contra quam sentit Cluverius in Præfatione Germaniæ suæ Antiquæ, ac Illustris vir Hermannus Conringius *f*), *Tacitum errasse, aut certe minus solide instructum fuisse de rebus Germaniæ* concludit, *nec credendum esse, Germanos, præsertim eos, quibus Romana consuevit natio, solos divinæ naturæ formam captu suo angustiorem putasse, cum sapientiores etiam non tantum humanæ figuræ incluserint, sed humanas quoque res ad divinæ potentiæ fastigium evexerint.* Suspicantur autem illi, simulacra ista Deorum omnemque cultum symbolicum aut demum post Taciti tempora manasse a Gallis vicinis, quibus jam Cæsaris ætate solennis erat *g*) in Germaniam, aut irrepsisse illum per Romanos, qui Germanorum agros occuparunt. Quæ conjectura auctorem, uti quidem nobis innotuit, primum habuit Christ. Cölerum *h*), cui in tantum lubenter consentiemus, in quantum ipse Tacitus permittit. Hic autem scriptor in hoc minimum asserto sibi totus constare non videtur, equidem ipse non unum cultus symbolici monumentum in ipsa Germania & apud Suevos nostros prodit. Quid enim quæso istud, quod paulo ante citata verba de Isidis cultu memorat? *Unde*, ait *i*) *causa & origo peregrino sacro parum comperi, nisi quod signum ipsum in modum LIBURNÆ figuratum docet advectam religionem.* Peregrinum si forte quis hoc dixerit, & domesticum ex eodem libello *k*) sibi habeat, ubi auctor de Herthi,

---

a) *ad an.* DCCLXXII. *b*) *Sax. lib. II. c. IX. &* XIII. *c*) *in Vita Caroli M.* *d*) *Theol. Gentil lib. II. c. XXXII.* *e*) *Diss. cit n. VI.* *f*) *lib. cit.* *g*) *Vid. Cæs de B. G. l. VI. Comm. c. XVII.* *h*) *in Comment. ad hunc Taciti locum. Conf. Dn. Omeis. diss. laud.* *i*) *cap. IX. de M. B.* *k*) *Ibid. c. XL.*

Herthi, i. e. Terræ Matris cultu ita scribit: *Est in insula oceani castum nemus, dicatumque in eo vehiculum veste contectum; attingere uni sacerdoti concessum. Is adesse penetrali Deam intelligit, vectamque bubus feminis multa cum veneratione prosequitur. Læti tunc dies, festa loca, quæcunque hospitio adventuque suo dignatur. Non bella ineunt, non arma sumunt, clausum omne ferrum, pax & quies tunc tantum nota, tunc tantum amata, donec idem sacerdos satiatam conversatione mortalium Deam templo reddat. Mox vehiculum & vestes, & si credere velis, numen ipsum secreto lacu abluitur. Servi ministrant, quos statim idem lacus haurit. Arcanus hinc terror sanctaque ignorantia, quid sit illud, quod tantum perituri vident.* Quo de symbolo, aliisque videatur Jodocus Willichius *a*). Sunt & qui acinacem Marti sacrum *b*) symbolum Dei hujus censent. Et Scythas quidem adorasse ipsum meminit Clemens Alexandrinus *c*). Sed Scytharum hoc fuisse ostendit Elias Schedius, & aliam longe symboli hujus dedit rationem *d*). Cæterum Tyrius etiam Maximus *e*) quercum, Jovis Dei symbolum, religiose a Celtis cultum deprehendit. Nisi forte etiam adversus hæc Tacitus defendi potest, si quod nunc maxime in mentem venit, humani oris speciem attendisse dicatur. Sed videant alii, quomodo eum concilient. Nos ad proprii cultus considerationem, eamque brevissimam tendimus.

XXXIII. Preces & sacrificia constituisse apud gentes cultum numinis proprium, res ita manifesta est, ut ineptus fortassis essem, si rationibus eam persuadere conarer, aut testimoniorum cumulo confirmarem, dabit tamen in hanc sententiam plura ipse dissertationis hujus cursus. Illas in ipso sacrario, quod & templum alias Tacito audit, & est penetrale luci, aut etiam ad *ripas fluminum, gignendo sale fœcundorum* dicebant: *religione insita eos maxime locos propinquare cælo, precesque mortalium a Deis nunquam propius exaudiri f*). An simul, quod Schedius notavit *g*), *πολυωνύμους* compellarint deos suos, *multiplici*, ut ait, *nominum cultu, multiplicem quoque potestatem iis accedere arbitrati*, exemplis non constat. Græcis hoc solenne fuisse, Poetarum fabulæ docent. Hæc autem, sacrificia videlicet, rude aliquod & infectum pietatis genus præ se ferebant, & ferales ritus *κακοζηλίαν* Judæorum spirabant. Varia autem gentibus sacrificia fuisse ex variis colligimus victimis. Solenniora illa, *quorum horrenda primordia cæso publice homine celebrant h*), ut plerique omnes, sic etiam Suevi, & quod credibile est, cum Romanis *i*), novi etiam Romanorum in Provinciis coloni. Germani omnes Mercurio hostiis istiusmodi litare fas habebant *k*). Iisdem etiam Martem nonnunquam placasse Hermunduros, idem tradit scriptor *l*). Cæterum *pecudes & omnis generis* (nonnulli addunt omnis etiam coloris) inprimis in publicis & majoribus sacrificiis. Nam in minoribus, uti in sacris reliquis candidum superis, atrum inferis quærebant, teste Plinio *m*) *animantia (& homines) concremabant*, juxta Strabonem *n*). Imo viscum etiam, quem veteres Germani e cœlo missum putarunt *o*) herbasque

a) *Comm. in Tacitum de Moribus Germanorum*, num. XIX. *b*) *Pomp. Mela* lib. I. c. I. *Bonfinius* lib. III. dec. I. *c*) *in Protrept. Conf. Voss.* lib. I. c XXXII. *d*) Syngr. I. *de Diis Germ.* cap. VI. *e*) Diss. XXXVIII. *f*) *Tacit.* An. XIII. c. XVII. *Conf. Saubertus de sacrificiis veterum* cap. XIII. *g*) Syngr. I. c. IV. *Conf. eundem Saubertum* l. c. p 294. seq. *h*) *Strabo* lib. IV. *Tacitus de moribus Germ.* cap. XXXIX. *Saubertus* lib. cit. num. I. *i*) *Quintil. declam.* c. 234. & *Tertull.* apolog. cap. I. *k*) *Tacitus* cap. I. *de Morib. Germ.* *l*) Ann. lib. III. c. LVII. *m*) *Hist. Nat.* lib. XIX. c. XLVI. *n*) l. c. *Conf. Saubert.* l. c. cap. XXII. seq. *o*) *Conf. Aventini Ann. Boj.* lib. III.

que ex agro in victimas adhibitas ostendit Schedius. *a*) Næniæ quæ in his actibus plures erant, & inhonestæ, judice Adamo Bremensi satius reticentur: notatæ tamen sunt a Cluverio & Schedio in operibus ipsorum, ubi si volupe est, ad nauseam legi possunt. Nos, ut sacrorum compendium faciamus, non nisi necessaria & verbo quidem tangemus.

XXXIV. Observatu autem dignissimum, quod ordinarie non nisi statis, diisque sacratis diebus *b*), quos nonnulli eosdem hebdomadis esse judicarunt, qui vel hodienum apud Germanos Mercurii, Martis &c. dicuntur, sacra ista fiebant. Alias & prælium ingressuri, aut victoria potiti, aut periculum etiam adituri, cultibus istis publicis vacabant *c*). Quo in eosdem cum vicinis Rheni atque Istri accolis Romanis servarunt mores, ejusque memorabile in his oris prodit exemplum Aventinus *d*) scribens: *atque hi omnes cum aucti aquis erant, ab omnibus, qui oram Galliæ, Rhætiarum, Vindelicorum, Noricorum, Pannoniæ, Mæsiarum incolebant, diis honos habitus, gratiæque actæ: quod si defecissent, aut siccitate decrevissent, aut denique glacies ripas conjunxisset, omnis tunc ætas atque sexus, viri, mulierculæ, senes, pueri atque puellæ, publice & privatim indixere justitium, ab auguribus, sacerdotibus, sacrificulis feriæ conceptæ, supplicationes decretæ, circa omnia pulvinaria deorum supplicatum est, hostiæ majores minoresque mactatæ, & peculiaribus ceremoniis, sacris solennibus, votis & comprecationibus Jovi Elicio operati sunt Pontifices minores & Flamines maximi, ut impetrarent pluviam inundationemque horum fluminum, ne Germanis pateret transitus.* Sacra præterea annua Jovi regi, Terræ Matri, genioque coloniæ, sive Cisa fuerit, sive alia, Augustæ & in Provincia facta observavit Illustris Velserus *e*).

XXXV. Ita autem & hi gentiles, (Suevos dico) cum sacra peragerent, τάξιν adverterunt, ut nulla unquam prius conficerent, quam aris, quas ex cespite ita extruxerant, ut ex earum medio quercus, quæ sacra ipsis dicebatur, surgeret, figura triangulari perfectum trigonum reddente *f*), aut etiam plano, arborum injecissent frondes *g*).

XXXVI. Hoc ut possint facilius, *lucos ac nemora consecrarunt, deorumque nominibus appellarunt secretum illud, quod sola reverentia viderunt h*): secus ac Romani. Hi enim, licet Numæ temporibus res divina apud ipsos nondum aut simulacris, aut etiam templis constiterit, & sacra in lucis, non sine religione positis, fuerint operati *i*), Cæsarum tamen ætate non simplicia, sed auro & ebore fulgentia templa condidere, eorumque usus victis etiam commendarunt victores. Præstabit hanc in rem volvisse Monumenta Velseri Augustana *k*), ubi Capitolio olim, velut alias illustres Romanorum colonias, Augustam quoque ornatam docet ex Actis S. Afræ, ac Vitruvii auctoritate fretus, idem in excelsissimo urbis loco situm fuisse judicat. Præter hoc ex inscriptionibus vetustis rudera & vestigia ædium Sylvano, Plutoni, Proserpinæ, Mercurio aliisque diis deabusque sacrarum colligit, tandemque ludorum quinquennalium pene opidatim per Provincias constitutorum meminit. De queis vide sis plura apud ipsum auctorem. Nos ad priscos ex provincia redimus Suevos.

XXXVII.

a) Syngr. II. cap. XXXVII. seq. *Conf. Saubertum de Sacrificiis Veterum* c. XXIV. *Tacit.* c. IX. *de M. G.* *b*) *Tacit. Ann.* lib. XIII. c. LVII. *c*) *Ann. Boj.* lib. II. *d*) *rer. Aug.* l. V. p. 258. *e*) *Sched.* Syngr. II. c. XXV. *de D. G.* *f*) *Plin.* l. c. *g*) *Tacit. de M. G.* c. X. *h*) *Plin. H. N.* lib. XII. c. I. *Tertull. in Apolog.* c. *XXXV.* *i*) *Conf. rerum August.* lib. V.

XXXVII. Damnarunt hi, ut jam supra innuimus, templorum usum, donec in sedes Romanorum concessere. Causam Tacitus prodit *a*): nimirum ex magnitudine cœlestium Deos parietibus cohibere non arbitrabantur. Atque eandem alios quoque gentiles commovisse, ut pluribus in locis Diis suis ὕπαιθρα templa ædificarent, autumat Berneggerus *b*). Unde autem illi lucorum religioni occasionem mutuarint, diversæ sunt opiniones. Plerique κακοζηλίας fœtum suspicantur, qua V. T. Patriarchas imitari studuerint gentiles *c*). Sed forte potior est ratio ex stuperstitione petita. Hanc enim, uti non aliud magis auget fovetque, atque timor; hic autem umbra etiam alitur & tenebris *d*) ita advertere omnino potuerunt homines inter ipsos callidi, ac coercendæ superstitione plebis gnari Philosophi, hujusmodi lucos & nemora opacitate sua tacitum quendam ac religiosum horrorem animis incussura, qui & arborum proceritate & solitudine loci silentioque præsertim accedente, præconcepta falsi numinis opinione mirum augetur. Propterea non quosvis, nec in quovis loco ferebant & seligebant lucos, sed eos potissimum, queis in vetustissima ac maximæ molis robora florescebant, quosque vel maria vel lacus vel flumina alluebant: id quod indicat exemplum de Herthi luco apud Tacitum *e*) & ultra dari potest comprobatum ex confiniis Sueviæ nostræ. Proxime Reginoburgium sive Ratisbonam lucum & montem Danubio olim imminentem, a Theodone Bojorum Rege Herculi olim Alemanno majorum more dicatum ejusque nomine appellatum, post monachis S. Emmerami a Principe Theodone circa an. DCXCVII. concessum, memorat Aventinus *f*). Quin autem in ipsa etiam Suevia confiti olim fuerint luci, postea a Francis christianis excisi, quis dubitabit, cum vastitas sylvarum veterum scriptis sit celebrata, & id propter Germania in nummo M. Aurel. Antonini Imp. abiete designata, uti acute observavit Ortelius, judice Velsero *g*). Imo, si quid conjecturis dandum, idem nobis videtur de Aichstettio oppido, si ad veterum lineas dimentienda est regio in Hermunduris sito, quod illustris Velserus de utroque cœnobio Bavarico vernacula nostra Alt-aich dicto censeat. *Fama*, scribit *h*) *manet, nec a nominis ratione nec a vero abhorrens, stetisse iis locis ad Danubii ripam prægrandes & annosas quercus, Deorum superstitioni dicatas, quas victimarum sanguis sæpe resperserit. Bojos, postquam gentiles errores excussere, excidisse, ecclesiis christiano ritu substitutis.* Adeo, ut in his locis nominis etiam appellatio insignis instar testimonii de lucis & quercubus perpetim ibi sacris esse possit, etsi vel maxime non aliud ex antiquitate vestigium supersit. Quamquam nec hoc sibi deesse putarunt, qui Suevos sylvam Martianam, & postquam cum Alemannis coaluere, sylvam Mercurio sive Wodani sacram (Odenwald / quæ hodie dicitur, credo intelligi) tenuisse contendunt *i*): ubi sane nec cespes aris struendis, nec roborum frondes iis ornandis, nec alia religioni & sacrificiis conficiendis apta unquam defecere. Quam sancte cæteroquin habuerint lucos, Plinius *k*) docet, *nihil*, inquiens, *habebant Druides robore sacratius.* Cui Senecam *l*) jungimus: hic, *si tibi*, inquit, *occurrit vetustis arboribus, & solitam altitudinem egressis frequens lucus, & conspectum cœli densitate ramorum aliorum alios protegentium submovens, illa proceritas sylvæ & secretum loci & admiratio umbræ in aperto tam densæ atque continuæ, fidem tibi numinis*

 facit.

a) *de M. G. c. IX.* *b*) *Quæst. XLVIII. in Tac. Germ.* *c*) *Conf eundem loc. cit.* *d*) *Vid. Scaliger. Exerc. CCIIC. n. 4.* *e*) *de M. G. c. XI.* *f*) *Annal. Boj. lib. III. Conf. Marcus Velserus Rer. Boj. lib. IV. p. 129.* *g*) *rerum Aug. lib. IV. p. 249.* *h*) *rerum Boj. lib. V. p. 151.* *i*) *B. Rhen. lib. I. rerum Germ. p. m. 118.* *k*) *l. c.* *l*) *Epistolæ XLI.*

facit. Et ipse Tacitus diserte de Suevis dicit *a*): *Est & alia luco reverentia, nemo nisi ligatus vinculo ingreditur, ut minor & potestatem numinis ante se ferens. Si forte prolapsus est, attolli & insurgere haud licitum. Per humum evolvuntur. Eoque omnis superstitio respicit, tanquam inde initia gentis, ibi regnator omnium Deus, cætera subjecta omnia atque parentia.* Quod nec mirum, cum *nullus unquam lucus sine religione sit positus*, teste Servio *b*). Qua de religione, quam consecrationem dicunt, vide sis Schedium *c*) & Dn. Omeisium *d*).

XXXVIII. Demum ad ministros sacrorum accedimus. Veteres Germanos nullos habuisse temere asseverat Cæsar, & contra reliquorum fidem. Nam quis unquam populus Deos sine cultu, aut cultum Deorum sine administratione habuit? Sane Tacitus quoties sacerdotum meminit apud Germanos, Cæsari aperte reclamat. Strabo *e*) autem & Diodorus *f*) *Druides* apud ipsos nominatos diserte testantur. Unde hoc nominis ipsis fuerit, non una est conjectura. Aventinus *g*) ab auctore Druide, qui quartus a Samorhe fuerit, institutos & nominatos putat. Schedius *h*) ex Rabbinorum scriptis vocis origines legit, & a Rabbinico *concionator*, quod idem, ac *quæsivit*, *consuluit*, *scrutatus est*, derivat, quod hoc maxime cum Druidarum officio quadret. Sed dubio procul denominatio est origine Celtica: nec enim verisimile videtur, Germanos ab exteris mutuasse nomina, quæ de vernaculo idiomate haud difficulter condidissent. Supersunt sane apud scriptores ex antiqua lingua Celtica vocabula non dissona multum, *trutas*, quod divinos sive Dei interpretes, *dry* quod magnum, *drau* vel *drü*, quod fidem denotabat, singula origini nominis Druidum reliquis propiora. Quamquam non pugnabimus, si fortassis cuipiam altera illa ac perquam commoda J. Isaaci Pontani sententia magis placeat, qui Druidum nomen ex lingua Britannica deductum existimat *i*) a duobus nimirum vocabulis *try* arbor & *wiis* sapiens, Philosophus; ut ita dicti sint, quasi sylvestres Philosophi, Waldweisen / quum sub quercubus arboribusque aliis eos philosophatos esse inter omnes constet: utpote cui ipse etiam Illustris Baro Puffendorfius *k*) vel propterea subscripserat, quod præter appositam nominis rationem, quæ hic detur, manifestum sit ex Cæsare *l*) & Taciro *m*), in Brirannia primum Druidarum disciplinam esse inventam, quodque eadem salvum præstet a plerorumque Cæsaris Commentatorum insultibus Plinium, qui Druides Græca interpretatione ἀπὸ τῶν δρύων appellatos videri posse scribit *n*). Cæteroquin insignis collegii hujus in gente erat auctoritas, honosque summus, ita ut præter sacra res etiam curarent civiles, & ad nutum ipsorum cuncta agerentur & pacis & belli consilia *o*). Res tamen divinæ apud ipsos & solos quidem *p*) prima curarum fomenta. His pervigiles interesse, has docte explicare, ac partim sacrificando, partim augurando *q*) religiose conservare sacerdotum erat, adeo ut videri possint veteres, omne sapientum corpus sub uno Druidum nomine comprehendisse. Datur autem vel ex his cognoscere, non ex plebe homines aut ingenuos sacris apud Germanos olim initiatos, sed eos solum,

a) l. c. *b*) ad lib. III. Æneid. *c*) Syngr. II. c. XXIII. seq. *d*) l. c. *e*) VI. Comment. de Bell. Gall. *f*) lib. IV. Geogr. *g*) lib. V. Biblioth. *h*) lib. I. ann. Boj. *i*) in Gloss prisco Gall. p. 292. *k*) in insigni, quam anno 1650. de Druidibus Lipsiæ habuit, dissertatione, c. I. *l*) l. c. *m*) in vita Agricolæ *n*) lib. XVI. hist. Nat. c. XLIV. *o*) Cæsar lib. VI Comm. B. G. Diod. l. c. Tacitus de M. G. c. VII. & XI quorum loca adduxere Cluverius G. A. lib. I. c. XXII. Schedius Syngr. II c. XIII. *p*) conf. Strabo & Diodorus ll. cc. *q*) Tacit. de M. G. cap. X.

solum, qui ex nobilitate prima, & quos ipsi Doctores ex disciplina sua emissos, dignos habuerint, qui quod ipsimet *a*) Theologorum, Medicorum, Philosophorum, Haruspicum agerent vices & arcanis imbuti scientiis, sacra perficerent superstitiosa. Unum adhuc notatu hic dignum censeo, quod & fœminas inconsortium suum admiserint, quæ & domi *b*) & in castris sortes, deorumque nutus explorarunt, non impari cum viris sacerdotibus, & ea quidam dignitate fruitas, ut secretiora cum diis alloquia agitare creditæ, pro deabus colerentur *c*). Exempla harum cum in Suevia non nisi generatim, & ab Agathia quidem scriptore Græco, cum subsidii Gothis a Francorum rege Theobaldo adversus Narsetem missi meminit, his notata verbis: *Erant in exercitu vates Alemannicæ, quæ prædicebant incipiendi prælii tempus & eventum,* occurrant, ex omni Germania nomina Velledæ cujusdem *d*) producimus, & Gannæ, qua de postrema Dio *e*): *Erat hæc post Veledam in Celtica sive Germania, vates oracula reddens.* Omnes autem unum sibi præfectum habebant sacerdotem, quem dicebant summum. Hic *aut dignitate in cæteris excellens succedit, aut si pares plures Druidum suffragio adlegitur, aut armis etiam de principatu contendit,* teste Cæsare *f*). In hoc ipso autem Germanorum illud, Suevis etiam nostris gratum olim & acceptum sacerdotium cum Romano, & quod erat in Provinciis, conveniebat. Namque, & hi Pontificem summum respiciebant inde a Numæ temporibus, cui suberant Pontifices reliqui, etiam provinciales & colonici novi *g*); Flamines, Augures & Haruspices, quorum omnium numerum grandiorem fuisse, quam hodie quisquam cogitatione percipiat, idem colligit Velserus; contra vero ex lege Rulli centum Decuriones, decem Augures, sex Pontifices Augustæ, totidemque in reliquiis coloniis Augustis constitutos autumat l. c. Plura desiderantibus satisfaciet opus ipsum, quo in & dignitates & titulos & vestitus prolixe legent descriptos.

XXXIX. Placita denique Druidum Philosophica & capita religionis, catalogum etiam reliquarum paganiarum traderem, nisi ex illis præter nota de condito mundo eoque igne iterum perituro, ac animarum immortalitate, vel scriptorum penuria, vel severa lex, qua doctrinæ divulgatio est prohibita, cuncta nobis invidissent; dicta autem jamdum illustrata satis essent, & ex veterum scriptis a Cluverio *h*) Schedio *i*). & illustri Puffendorfio *k*) comprobata. His autem cum omnium fere, quæ in gente Germana ævo adhuc Carolingico obtinuere, & proh dolor, nequidem post illud ita abrogatæ, ut non hinc inde apud infimos etiam posteros nonnullarum deprehendere liceret vestigia, indicinam exhibeant magni Viri, Ferdinandus Episcopus Paderbornensis *l*) Conringius *m*) Baluzius *n*) Sagittarius *o*); plures insuper earum dictu impiæ sint ac horrendæ, nonnullæ tamen mox producendæ; non ulterius immoramur, sed pertæsi dudum superstitionis gentilis, & lassi monstrosis majorum erroribus, tandem ex tenebris revertimur, & postquam paucis adhuc felicem earum discussionem monstraverimus, brevi nos vero Deo assertos, beatissimamque christianæ religionis lucem in his oris respiciemus.

FINIS.

a) *Conf. Cluverius G. A. l. c.* *b*) *Tacit. Histor. lib.* IV. *c.* LXI. *c*) *Conf. Illustris Velserus rerum Boj. lib.* II. *d*) *Tacitus de M. G. cap.* VIII. *e*) *lib.* XLVII. *Antiq.* *f*) *l. c. Conf. Illustr. Puffendorfius Diss. cit. cap.* IV. *g*) *Vid. Velserus rerum August. lib. V.* *h*) *G. A. lib.* I. *c.* XXIII. *i*) *Sched. Syngr.* II. *c.* XX. *k*) *Diss. cit. cap.* VI. *l*) *sub finem Monument. Paderbornensium.* *m*) *libr. de Orig. Juris Germ. ed. tert. p.* 349. *n*) *Tom.* I. *Capitul. Reg. Franc. p.* 150. *seq.* *o*) *Gentilism. Thuring. cap.* III. *n.* VIII. *p.* 16. *seq.*

FINIS.

XL. Eo lætior gratiorque nobis hæc est meditatio, quo magis ista ad providam Dei de patrum nostrûm salute curam, & ad ὅσια Thearchias Suevica agnoscenda ac deprædicanda nos inducit. Fatendum autem est, non tam felicibus esse licuit Suevis nostris, ut quando Asiaticæ gentes, & Græcorum Latinorumque magna pars sacris christianis initiati, illi à gentili cultu & religione discederent, sed diu spissis suis obruti tenebris jacuere. At ô utinam superstitionis suæ non ita fuissent tenaces, ut vel tum cohæruissent religioni & moribus Christianorum, cum Deo M. ita dirigente, in suis finibus haberent, qui alliciebant, impellebant, vi adigebant. Non dicimus eos, qui oras trans-Danubianas tenuere, Rhætos puta, Vindelicos Helvetiosque, qui utique mitioribus ingeniis imbuti, sponte sua Christo nomina dedissent, nisi idololatricorum Imperatorum armis diu fuissent contenti, & sicubi pullulascere videbatur res christiana, in ipsa herba iterum esse extincta. Sed Hermunduros antiquos & Alemannos loquor, qui non in hoc solum reliquis Germanis feliciores, ut præter periculi metum cum hoste consuescere, atque adeo non potuerint non de novæ fidei præceptis vel rumore aliquid percipere; sed & sedes nationis hujus si spectaveris, & fortunatos belli eventus, amplissimasque in Provinciis Romanis occupationes, in singulis primas ipsis à Deo concessas dices.

XLI. Quæ quæso non benignitas numinis divini? anno CCCCLI. Augusta, cujus Ecclesiæ procul dubio lætior nunc erat facies, veluti sub Imperatoribus christianis reflorescentis, post funestam Attilæ in Gallias expeditionem, & cladem inde acceptam reparata à Christianis, ultro Suevis patebat. Ita enim Gassarus sentit *a*), tempestate cessante, cladi superstites vicinarum Alpium latebris proreptantes, præcipue Christi fideles, patriam repetivisse, ac ecclesia qualicunque accessione hic loci reparata, proximos quosque extorres ad cohabitandum sua innocentia, solique opportunitate invitasse. Concessisse etiam eo non multo post Alemannos, atque Hermunduros, at non ut hospites sed ut dominos; debellatisque in utraque Rhætia atque Helvetia Romanis militibus, vastissimum trans Rhenum conditum regnum de suo nomine (hi enim soli Suevorum nomen retinuerant) SUEVIAM dixisse, constans scriptorum est traditio *b*); felices futuros, si & christianam. Sed uti animos nihil unquam efficacius atque superstitio rexit, ita etiam hic familiaritate, quæ ipsis cum Provincialibus hactenus intercedebat, in odium versa, Christiana sacra undiquaque sunt excisa, & tam in ipsos homines, quam in templorum parietes & altaria, immane quantum sævitum est, quemadmodum anxie cladem hanc Suevicam deplorat D. Hieronimus *c*).

XLII. Excedens fidem & incredibilis hujus populi felicitas, usque ad annum Christi CCCCXCIX., sed & superba. Emensi plures terrarum tractus, & jam ad Burgundionum delati campos, de summa rerum, & exigendis è novo Galliarum regno Francis, cum quibus, ut adamatæ Galliæ rivalibus,

a) *Annal. August. MS. p. 20. Conf. Marcus Velserus lib. VIII. rerum August. p. 332.* *b*) *Vide Munsterum, Cosmograph. lib.* III. *c. 18, Stumpfium, Chron. Helv. lib.* IV. *cap.* XXVII. *Rhenanum, lib.* I. *rerum. Germ. Crusium. p.* I. *lib.* VIII. *cap.* IX. *Bucelin. in Chronicis ad an. 498.* *c*) *Epist.* VII. *Conf. Rhenanus lib.* II. *p. 161.*

bus, non conveniebant, cogitarunt. Sed uti nunquam simpliciter indulget fortuna, ita hic, quantamcunque habuerint felicitatem, invidiam tamen senserunt majorem. Mox enim inauspicato prœlio ad Tolbiacum in Ubiis victi, ac maximam partem cum ferro tum servitio sunt subjugati; ita quidem, ut quum victor Clodoveus, Francorum rex, non desisteret persequi, quam late patebat nomen Alemannicum, Suevi plures, donec licebat, in sedibus suis exularent, pauci tandem trans Alpes ad confœderatos Ostrogothos fugerent, inque Theoderici regis fide, ac dextris sociorum, libertatem opem spemque futuri temporis omnem gererent *a*). Hic finis erat regni & gloriæ Alemannicæ; potuisset etiam gentilitiæ religionis, nisi ingenitam omittere vel coacti quoque recusassent. Jam enim vota sua Christo solverat Clodovæus, unaque cum Proceribus regni Francici, ac plebe multa nomen ejus publice profitebatur, cultu ejus simul cum imperio etiam in Alemanniam invecto. Constat autem ex Agathia, quamvis Græco scriptore, Alemannos fugitivos demum post Theoderici I. mortem à Gothis ob difficillima, quæ in Italia gerebant, bella dimissos, & à Theodiberto rege in patriam receptos, ne post plures quidem annos sacra & mores victorum expetiisse. Adscribam Interpretis verba, uti apud B. Rhenanum *a*) habentur: *Alemannorum gentem*, inquit, *per Gothos dimissam, Theodibertus in ditionem accepit. Quo mortuo, ut supra jam diximus, ad Theobaldum filium cum ceteris & hi simul in potestatem cesserunt. Huic genti legitima quædam & patria sunt instituta, siquidem in rebus publicis administrandis & magistratibus Francorum politiam sectantur & leges.* " In his " tamen, quæ ad religionem ac Deum spectant, ab his longe dissentiunt, " nimirum qui arbores quasdam adorent, propitientque, nec secus fontes & " fluminum aquas, collesque & saltus, quibus perinde ac religiose id agant, " equos & boves, & infinita hujusmodi pecora dissectis cervicibus immolant. " *Sed cum Francis assidua conversatio maximum his in commodum conducit, & ornamenti plurimum affert, ad seque cottidiè trahit, qui sui compotes sunt. Et spero fore, ut non longo post temporis intervallo istorum perviċtura sit pertinaciam.* Et sane non vanus erat vates hic scriptor. Multum omnino apud Barbaros mollior consuetudo valuit, & quos natura non poterat, longior dies mitigavit; quamvis adhuc dum difficile fuerit deliria superstitionum penitus relinquere.

XLIII. Nec inanes in hac causa fuere leges Alemannicæ (ad quas, quantum quidem ego perspicio, ipse Agathias hic respicit) quæ partim ex consuetudinibus, partim è scriptis Alemannorum traditionibus à Theoderico, qui parens erat Theodeberti regis, filius autem Clodovæi M. Francorum rege primum erant constitutæ; repetitæ deinde & auctæ, utut nondum publicatæ, à Childeberto II., sed mox à successore Clothario in comitiis regni publicis promulgatæ; demum à Dagoberto M. sub initia seculi christiani VII. recognitæ, & in formam redactæ *b*). Singuli enim reges pro ratione status & cognitionis capita ista, quæ superstitionem redolebant, & penitus Christianorum religioni & fidei adversabantur, sustulerunt; pluribus quæ gentilium errorum veprotis vestita fuerant, abrogarunt; imo metu pœnæ, aut servitutis perpetuæ, servos simul atque libertos (nihil enim pauciores hi, utut rigida cervice jugum hoc subibant, inter innumeros servos potuere) ad servandas, quæ præscribe-

a) *Vide Rhenanum & Crusium ll. cc.* *b*) *l. c.* *c*) *Vide præfamen ad Legem Alemannicam uti & præfationem Vadiani in libros de Collegiis & Monasteriis Germaniæ apud Goldastum Tom. III. scriptorum Alemannic.*

scribebantur leges, adegerunt: id quod non obscure docet lex ex antiquitate superstes, *non ferianti die Dominico perpetuam interminans servitutem a)*.

XLIV. Zelo insuper, quo pii ecclesiæ Suevicæ restauratores, Columbanus Abbas ejusque discipulus Gallus, uterque natione Scotus, circa annum DCXX. in oris Alemannorum, & cumprimis in ripa lacus Bodamici in gentiles eorumque sacra invecti, multi commoti sunt *b)*. Neque tamen vires regiæ, vel verba horum monachorum tantum potuere, ut non solum tum temporis Sueviæ dux Gunzo, Iburingæ ad dextram lacus alias considens, eos aliquandiu non persequeretur, & plures ex plebe ira ac invidia velut sacrorum suorum violatores insectarentur, consilioque communi perimere gestirent, sed & in seris eorum posteris aliquam multi hujus farinæ homines, non tam convertendi quam cogendi non occurrerent *c)*.

XLV. Mira sane sunt, quæ Alemanni una cum vicinis nationibus insequenti etiam seculo Wunefrido Episcopo, Bonifacio aliis & Germanorum Apostolo dicto facessere negotia. Paucis omnino mite erat & tractabile ingenium, & quod Notkerus monachus, Caroli Magni adhuc & Ludovici Impp. ætate, de ora Bodamici lacus & Alemannia cis-Rhenana quem necessum habuit *d)*:

Dura viris & DURA FIDE, durissima gleba.

Illud Bonifacii ævo, & sub initia seculi octavi undiquaque per Provincias obtinuisse videtur.

XLVI. Imprimis autem altas in gente radices egêre actiones quædam gentiles & ritus idololatrici: ut erant sortilegia, aruspicia, phylacteria, fontium auguria, divinationes dæmonum, incantationes, præstigia, sacrificia mortuorum sive locorum, aliaque nefanda sacrilegia, ut Othlo *e)* ea recenset, & numerantur in Epistola quadam Gregorii P. R. ad Bonifacium, quam totam fere antiquitatibus suis Gentilismi Thuringici inseruit *f)* B. Sagittarius noster, quæ difficulter admodum ex animis Barbarorum evulsa. Hinc anxii Bonifacii labores & literæ ad Papam, queis duram Germanorum ac seorsim quoque Alemannorum cervicem accusavit. Illa autem gentium consuetudo singulariter hic notanda venit, qua *diem*, ut loquitur Tacitus, *noctemque continuare potando non erat probrum*. Hanc autem statis temporibus ac sub Calendas quoque Januarias observasse, ex jam producenda Bonifacii Epistola ad Zachariam Pontificem patebit. Non possumus autem, quin prius, quod docte admodum in hunc morem commentatus est Beatus Rhenanus *g)*, hic inseramus. *Hinc*, scribit, *quibusdam adhuc festis diebus apud nos a nocte cognomentum, ut est ille sub Kalendas Januarias, quo juxta ritum christianum servatoris nostri natalem celebramus, antiquo vocabulo & haud dubie EX ETHNICORUM OBSERVATIONIBUS relicto, VUIN-NACHT appellatus, a vino videlicet conviviisque.*

XLVII.

a) Rhenanus l. c. p. 162. *b) Conf. cap. VI. priora in vitis SS. Galli & Columbani, a Walafrido Strabo collectis, apud Gold. Tom. I. Scriptorum rerum Alemannicarum.* *c) ibidem.* *d) Joh. Stumpf. Chronic. Helvet. lib. V. c. IV.* *e) in Historia vitæ Bonifacii lib. I. c. XXVIII.* *f) cap. III. n. IV.* *g) lib. I. rerum Germanicarum p. 5. seq.*

XLVII. Reprehendit autem Bonifacius sive simulatos Christianos sive gentiles, uti propter alias paganias, sic tum præ reliquis propter barbaras ac superstitiosas commessationes. Prætexerant autem isti, eosdem esse Christianorum mores, & Romæ circa templum D. Petri quotannis observari. Literæ, quibus ad Pontificem hanc causam detulit Bonifacius, ita habent: *Quapropter Paternitas vestra hujus rei veritatem indicare non dedignetur, ut Ecclesiæ sacerdotibus, vel populo Christiano inde scandala & schismata, vel novi errores non oriantur & concrescant, quia carnales homines, idiotæ* Alemanni *vel Bajoarii vel Franci, si juxta Romanam urbem aliquid facere viderint ex his peccatis, quæ nos prohibemus, licitum & concessum a sacerdotibus esse putant, & nobis improperium deputant, sibi scandalum vitæ accipiunt. Sicut affirmant, se vidisse annis singulis in Romana urbe, & juxta Ecclesiam, in die ac nocte, quando Kal. Januarii intrant, paganorum consuetudine ducere choros per plateas, & acclamationes ritu gentilium & cantationes sacrilegas celebrare; & mensas illa die vel nocte dapibus onerare, & nullum de domo sua vel ignem vel ferramentum vel aliquid commodi vicino suo præstare velle. Dicunt quoque, se vidisse ibi mulieres pagano ritu phylacteria & ligaturas & in brachiis & in cruris ligatas habere, & publice ad vendendum venales ad comparandum aliis offerre. Quæ omnia eo, quod ibi a carnalibus & insipientibus videntur, nobis hic & improperium & impedimentum prædicationis & doctrinæ perficiuntur.* Nec negavit Pontifex, cum ad literas Bonifacii rescriberet, majorum hos mores aliquandiu a Romanis fuisse retentos: sancte tamen est testatus, prædecessorem suum Gregorium III. eos, veluti *detestabiles & perniciosos aboluisse*, ac *se ipsum, denuo per instigationem diaboli pullulascentes a die, qua ipsum divina clementia jusserit Apostoli vices agere, amputasse, indeque non esse, cur sese excusent Germani, eadem scelera patrantes.* Et videri potest Zacharias anno 743. in Synodo Romana denuo ab istis cavisse, cujus aliquod est decretum: *Ut nullus Kalendas Januarias & Broma colere præsumserit, aut mensam cum dapibus in domibus præparare, aut per vicos & plateas cantationes & choros ducere, quod maxima iniquitas coram Deo anathema sit a).*

XLVIII. Tandem divini Numinis gratia feliciter singulis idolomanniis Suevicis, eodem anno 743. in Synodo Liptinensi, cui ipse meruerat Bonifacius, a Carolomanno Rege obicem positam crediderim. Universale enim extat decretum *b) ut, qui paganas observationes in quadam re fecerit, multetur & damnetur quindecim solidis:* cautela etiam est addita, *ne quis mancipia christiana paganis tradat*, de qua quorundam impietate pluribus in Epistola ad Gregorium jam anno 731. est conquestus Bonifacius. Cæterum, quæ in posteris plures boni legerunt gentilismi vestigia & errores, præsertim famosæ illæ aquæ, ignis, ferri, cerei & aliarum rerum Benedictiones, quas ex primitivis Alemanniæ Ecclesiis servavit Goldastus *c*), non tam vulgi pertinaciæ, quam Doctorum & ipsius Pontificis Romani, sive negligentiæ sive malitiæ una cum aliis acceptæ sunt ferendæ; id quod, si Deo ita visum fuerit, pluribus in SUEVIA CHRISTIANA ostendemus. Tantum!

a) *Vid. Baron. ad A. 743. n. 20.* b) *B. Sagittar. loc. cit. c. III.* c) *Tom. II. Script. R. A.*

DISSERTATIO XIV.

DE

ISIDE
SUEVIS OLIM CULTA

AD LOC. TACITI DE MOR. GERM.

CAP. IX.

EXERCITATIO PRIOR.

---

§. I.

De cultu Deorum apud veteres Germanos generatim agitur. Propria quædam Numina habuere. Præcipui de Germanorum religionibus Scriptores.

ANtiquos Germaniæ populos, fide in primis & belli gloria insignes, ob pietatem quoque & in Deos reverentiam vetus laudat memoria; laudat maxime TACITUS æquus Germanæ virtutis & intelligens æstimator. Numinis immortalis, Divum hominumque regis, ignari (neque enim CLUVERIO adstipuler, alia omnia rato: 1) Solem, Vulcanum, Lunam, ceu plerique gentilium 2) venerabantur, reliqua Deorum Numina, teste JULIO CÆSARE 3) ne fama quidem accepere. At enim CÆSARIS tempestate, quum haud satis cognitam Romanis exploratamque Germaniam novimus, magis me TACITUS auctor movet, ut aliis etiam Diis sacrificasse Germanos existimem. Habuere autem majores nostri, quamvis inculti & rudes artium, non quæ in hortis nascuntur Numina, non monstra, omnigenum Deum; eos maxime divinitatis dignabantur honore, quos post ingentia facta ardens virtus ad æthera evexisset. Hac arte innixus, heroum quisquis fuit ille, quem Romana interpretatione, Herculem adpellat TACITUS hac Thuisto, Odinus, reliqui, recepti Deorum in templa sunt: neque muliebri virtuti, maximi semper habitæ ab Germanis 4) suum decus ac præmium denegatum. Hi igitur apud eos Penates, hi erant Dii Indigetes: hos in publico, hos domi, pietate ac sacrificiis colebant. Non est animus, nec queis scriptionem circumdedimus nostram, limites patiuntur, pleno veluti velo excurrere in altum, atque hoc de priscæ Germaniæ religionibus argumentum diligentius persequi, neque sane, si bene me novi, est meum, virorum doctorum, qui id cum laude egerunt,

runt, fcrinia vano labore ac male fedulo compilare. Non defuere dicendis Germanorum Diis decora ingenia, e vetuftioribus TACITUS 5) patrum ac noftra memoria, in primis CLUVERIUS 6) SCHEDIUS KEYSLERUS 7) quos omnino adeant, quorum libitum animo eft, veterum Germanorum Deos, facra, & quæ dicenda tacenda omittimus, paullo penitius contemplari.

1) Veri cognitionem Dei prifcis Germanis CLUVERIUS tribuit, in Germ. Ant. L. I. c. 29. Plures ejusdem fententiæ Auctores citat ILLUSTRISSIMUS COMES A BUNAU *in der Teutfchen Kayfer- und Reichs-Hiftorie* T. I. p. 64. Conf. FRICKII Comment. de Druidis, Occidentalium populorum Philofophis, c. II. §. 2. Sed enim hac in refellenda opinione, otium nobis JAC. THOMASIUS fingulari fcriptione, Differtationibus ejus Halæ editis, inferta, p. 596. & præter alios, nuper CL. SCHUTZIUS in Vindiciis pro Germanis, P. I. Obferv. 3. fecere.

2) Conf. GERARD. JO. VOSSIUS de Idololatr. L. II. c. 11. fq. qui fimul cauffas hujus fuperftitionis altius rimatur. Illas inter utilitas eminet, quam ex fideribus captare orbem terrarum, oppido unusquisque intelligit. Vere enim OVIDIUS de Ponto Lib. II. El. 9. v. 35.

Utilitas igitur magnos hominesque, Deosque,
Efficit, auxiliis quoque favente fuis.

Germani certe folem colebant, lunam, ignem, *quos cernebant*, uti loquitur CÆSAR de B. G. VI. 21. *& quorum opibus aperte juvabantur.* E contrario *Atlantes*, fitientis gens Lybiæ, *folem exfecrantur, & dum oritur, & dum occidit, ut ipfis agrisque peftiferum.* Vid. MELA de fitu orbis L. I. c. 8.

3) l. c. Enimvero erraffe hic CÆSAREM moris Germanici haud fatis gnarum, viri harum rerum intelligentes, tanquam ex compofito, profitentur. Vid. CLUVER. Germ. Ant. L. I. c. 22.

4) Sic de Germanis, non ita alias uxoriis, TACITUS de M. G. c. 8. *Feminis ineffe*, inquit, *etiam fanctum aliquid & providum putant, nec aut confilia earum adfpernantur, aut refponfa negligunt.* IDEM Hift. IV. 61. veteris, apud Germanos, meminit moris, *qua plerasque fœminarum fatidicas, & augefcente fuperftitione arbitrentur Deas.* Illorum igitur opinione, muliebre pectus

Quis Deus, incertum eft, habitat Deus.

Conf. Difcours de l' eftime & de la confideration, que les anciens Germains avoient pour les femmes de leur Nation, dans l' HISTOIRE DE L' ACADEMIE DES INSCRIPTIONS, T. III. p. 498. (edit. Amft.) Itemque KEYSLERI Diff. de mulieribus fatidicis veterum Celtarum &c.

5) Deorum cultum apud veteres Germanos, breviter JUL. CÆSAR l. c. fed adcuratius, Germana primus in hiftoria, CORN. TACITUS paffim defcripfit de M. G. in primis c. 9.

6) l. c. L. I. c. 26. fqq.

7) EL. SCHEDII Dii Germani, JO. GEORG. KEYSLERI Antiquitates Septentr. & Celticæ, omnium manibus verfantur, nec noftræ indigent commentationis. Germaniam Gentilem, peculiari fcripto, fiftere olim ECCARDUS atque item KEYSLERUS decreverant, primasque hic veluti lineas duxit l. c. p. 297. Verum ejus ex obitu, Mufis maxime flebili, opera interrupta pendent: nifi quod fpem pertexendæ telæ CL. SCHUTZIUS fecerit, quem paffibus æquis ire in laudes KEYSLERI animadvertimus. Plures de Diis Germanorum Auctores laudat FABRITIUS in Bibliogr. Ant. c. VIII. §. 16.

§. II.

Nulla apud priscos Germanos peregrina superstitio. Mars eorum, Mercurius, Hercules &c. quomodo intelligendi?

Magis inclinat animus, neque est, nisi fallor, longe ab re alienum, peregrinis de religionibus Germanorum prius inquirere, quam destinata componam. Ita vero antiquissimis Germaniæ populis, nondum mixtis aliarum adventu gentium hospitiisque, nulla peregrinæ superstitionis cognitio, nullus omnino habitus ipsi honos: quippe, ut fit, sua tantum mirantibus cuncta aliena sordebant, *) externorumque cultus Deûm facinus videbatur, ut vetus Auctor tradit, 1) crudeli funere expiandum. Perlustranti populorum Annales, gemina iis se, ut hoc utar, in Ægyptiis offerunt; Romulus quoque, principis terrarum populi origo, quod hominibus peregrinis aperuit asylum, velut occlusit Diis, nec præter una ex omnibus sacra Herculis, 2) exteras religiones urbe ac templis suscepit. 3) Ea igitur ætate, nondum Romæ, ceu consequutis temporibus, *major cælitum, quam hominum populus erat*, 4)

- - - *contentaque sidera paucis*
Numinibus, miserum urgebant Atlanta minori
Pondere. 5)

Enimvero, ut e diverticulo ad Germanos revertamur, immiscent Auctores veteres Laribus illorum Mercurium, Martem, Herculem, 6) & *fratres Helenæ, lucida sidera:* 7) inserunt eorum Diis Deum tardipedem, Vulcanum: 8) quid multa? quæ demum cumque Numina ab Græcis quondam Romanisque culta sunt, Germani quoque dicuntur adorasse. Non sum in iis, qui patrii moris institutique vindices, ea propter suspectæ fidei priscos Auctores arguunt, narrandisque Germanicis in rebus dicam negligentiæ illis audacter scribunt. 9) Etenim re paullo pensitata exactius, quis dubitet, quædam Germanorum Numina, Græciæ Diis Romanorumque haud absimilia dici, interpretatione Romana, Martem, Mercurium, Herculem? dici Martem Deum, Vulcanum, Castores? De his diserte TACITUS 10) cujus de fide præsertim ambigitur, *Deos*, inquit, INTERPRETATIONE ROMANA *Castorem Pollucemque* (Naharvali) *memorant. Ejus Numinis nomen Alcis. Nulla simulacra, nullum peregrinæ superstitionis vestigium. Ut fratres tamen, ut juvenes venerantur.* IDEM alio loco, 11) Herthum Germanorum, ore Romano, *Terram Matrem*, est interpretatus. Et sane, quantum judico, nihil impedit quidquam, quo minus similiter plerisque Germanorum Numinibus TACITUM aliosque, indidisse Romana nomina censeamus. 12) Certe, quos memoravimus, veteris Romæ Deos non venerati sunt Germani indigenæ; 13) ignari fabularum, quibus fere omnis ille cultus nitebatur: quamquam deinceps eorum parti damnosa dies, ac Romanorum imperium, ut alios mores legesque, sic Deos alios aperuerit. 14)

*) Arminius certe, victor populi victoris, utcumque Flavius, frater ipsius, Romanorum sequutus castra, jactaret *beatæ fumum & opes strepitumque Romæ*, longe illis prætulit *fas patriæ, libertatem avitam*, *Penetrales Germaniæ Deos*: ceu loquitur TACITUS Ann. II, 10.

1) HERO-

1) HERODOTUS in Melpom. 2) Vid. LIVIUS L. I. c. 7.

3) Quod PROPERTIUS testatur L. IV. El. I. v. 17. DIONYSIUS quoque HALICARNASSEUS temporum illorum religiones, nullo ritu peregrino mixtas, attollit laudibus L. II. c. 19. Conf. CORN. van BYNCKERSHOEK de peregrina religione apud Romanos, (inter Opusc. Halæ rec. p. 188.)

4) Ita fere PLINIUS Hist. Nat. L. II. c. 7. Quocum convenit illud PETRONII de Crotone urbe p. 23. (edit. Lipf.) *Utique nostra regio tam præsentibus plena est Numinibus, ut facilius possis Deum, quam hominem invenire.*

5) JUVENALIS Sat. XIII. v. 47. sq.

6) TACIT. de M. G. c. 9. Martem ipsi Tencteri, nobilissima Germaniæ gens, *Deorum præcipuum* dicunt, apud TACITUM Hist. IV. c. 64. IDEM Herculis sigillatim meminit de M. G. c. 2. & silvæ Herculi sacræ, Ann. II. 12. Postremo, ne quid desit fabulæ, antiquis decoræ carminibus, Columnas quoque Herculis in Germania memorat de M. G. c. 34. Sed conf. KEYSLER l. c. pag. 183. sq.

7) TACIT. de M. G. c. 43. Conf. CLUVER. L. I. c. 30. Doctissimo VOSSIO de Idololatr. L. II. c. 38. gemini illi *Deus Bonus* Germanorum & *Malus* visi sunt, subscribitque huic sententiæ HACHENBERGIUS Germ. Med. Diss. VII. §. 3.

8) JUL. CÆSAR. l. c. Add. CLUVER. L. I. c. 28.

9) Quod instituto fecit BARTH. CHRIST. RICHARDUS Diss. de dubia & incerta Corn. Taciti fide, in Germanorum Deorum historia. Jen. 1710.

10) De M. G. c. 43. 11) IBID. c. 40.

12) Ita PAULUS DIACONUS de Gestis Langob. L. I. c. 9. Odinum appellari Romane Mercurium arbitratur. Conf. VOSSIUS l. c. L. I. c. 37. Sic, & aliis in rebus, Romani Scriptores abhorruisse a vocabulis Germanis, easque maluisse suo ore eloqui videntur. Runas certe Germanorum, ut hoc utar, TACITO esse *secreta litterarum*, Judices Centenarios ab eodem dici *comites*, viri docti autumant.

13) Vid. VOSSIUS l. c. KEYSLER. p. 187. ILL. MASCOVIUS grande Musarum decus, *in der Einleitung zu den Geschichten des Römisch-Teutschen Reichs* p. 13. ubi rem sacram veterum Germanorum, ut omnia, adcurate describit.

14) Huc omnino pertinet Apollo Grannus Mogounus, Hercules Deusonensis, Diana Arduinna, de qua vid. JOS. BIMARDI Diatr. de Diis quibusdam ignotis, apud MURATOR. Inscript. T. I. p. 59. itemque Ara Ubiorum, de qua disseruit CL. RAV. Reposuit nuper HENR. BALTH. BLUMIUS in Diss. de Ara Ubiorum.

§. III.

Isis apud Suevos culta. Locus Taciti.

Instituti ratio.

At vero patria inter sacra & Penetrales Germaniæ antiquæ Deos, de quibus breviter dixisse ad institutum properanti suffecerit, ex Ægypto tamen superstitiones apud TACITUM reperio. 1) Ipsam adeo Isin, *Numen*, ut cum poeta loquar, 2) *Orientis anheli*, etiam Suevi, quod mirere, divino cultu sunt prosequuti. *Pars Suevorum*, inquit ille, *& Isidi sacrificat. Unde*

caussa & origo peregrino sacro, parum comperi, nisi quod signum ipsum, in modum liburnæ figuratum, docet advectam religionem. Enimvero ea de re dici non potest, quantum inter Auctores, qui describendis Germanicæ rei antiquitatibus operam insumsere, disconveniat. Ut enim illos in præsens omittam, qui peregrino sub nomine Isidis latitare, nescio quod, Germanorum Numen sunt rati, sane in tradenda Isiaci, apud Suevos, sacri origine, ne TACITO quidem perspecta, viri docti vehementer dissentiunt. Quæ opinationum divortia equidem ego quum introspicerem penitius, & quæ intra velum huc usque formavi studia, in solem, quod ajunt, ac pulverem proferre, apud animum constituerem, visum est pretium operæ, argumentum inde Academicæ scriptioni perere, inque illustrandis hisce sacris, vires ingenii periclitari. Quam veto recte id fecerim, aliorum esto judicium: mihi certe Genium propitiare meum liceat, atque adeo indulgere labori, qui nostro, in meliores litteras amori esse monimento queat. Non deterruit ab incœpto animum studiosa Clarissimorum Auctorum diligentia, FONTENII maxime, domo Galli, 3) qui olim eamdem rem, quam tractare adgredimur, Musis faventibus, sunt exsequuti. Neque enim Iliada post Homerum canere consilium est: quippe, ut licet dubia atque incerta versare in omnes opiniones, & ut sua cuique conjectura est; ita

- - Longe mea discrepat istis
Et vox, & ratio.

1) De M. G. c. 9. 2) STVTIUS L. III, Silv. II, 102.

3) Præter interpretes TACITI ea de re item alii diligenter exposuere. Quos quum in præsenti non vacet nominatim singulos tradere, in tempore memorabimus. Neque vero inhonoratam hic fas est omittere CL. FONTENII Dissertationum bigam, ad unguem factarum; quarum earum altera. *Diverses Conjectures sur le culte d' Isis en Germanie;* altera, *Discours sur Isis, adorée chez les Sueves, sous la figure d' un navire* inscribuntur, atque ornamento sunt Commentariis Academiæ Regiæ Inscriptionum & elegantiorum litterarum T. V. p. 63. seq. & p. 84. seq. (edit. Paris.) Ipsam Viri Doctissimi opinationem curatius alibi executiemus.

§. IV.

Origo & progressus cultus Isiaci apud Ægyptios, gentesque alias; in primis Romanam.

Dicturum autem de Iside, quondam in Suevis culta, juvabit, nisi animi hujus frustra sum, pariter Deæ ac religionis summatim initia recensere. Jam vero illam quibus prognatam parentibus scribam, incertus in variis Auctorum opinionibus sum; 1) fratrem habuisse Osirin, quem deinceps, viro tempestiva, socium genialis lecti adscivit, quidam tradunt. 2) Inclitum ejus in Ægypto regnum, maxime pacis florentibus studiis. Ægyptii namque tum vitæ civili auspicato adsuescunt, asperi ad id ætatis, ac nullo cultu. Si libet credere vetustæ rerum famæ, non bos arator, non mitiores huc usque fruges fuerant. Cum terra inerti torpebant, ut fit, ingenia hominum, sine lege, sine moribus bonis, turpem agitantium vitam. Quibus perspectis, Isis tota, ut traditur, eam in curam versa, ut agrorum incolarumque mitesceret fera natura,

natura, arare terram instituit, ac leges, quibus domi uterentur militiæque dedit. 3) Sunt & alia ejus instituta egregia, ars salutaris, ac rei nauticæ studium, per titulos memoresque celebrata fastos: 4) quæ, ne longius incœpto abeam, tacitus hic prætermitto. His autem atque talibus, quando juvari vitam humanam, reddique in dies beatiorem, pro se quisque usu experiretur, facile effectum est, ut tantorum auctorem munerum, Isidem summis in honoribus haberent. Atque intra hos velut cancellos si continuisset sese grata veneratio, haud reprehendas, sed ea temporum superstitione, miscentur divina humanis; templa denique ac religiones, ut magno Deorum Numini, decernuntur. Istius secreta cultus aperire, quondam piaculum. Neque mihi, quamvis intacto vana religione, ea integrum sit in præsenti pandere, maxime, quod ab Claris Auctoribus satis tradita sunt, 5) atque alio nos intentos instituto, copia dicendorum vocat. Jam itaque Ægyptus omnis, prona in superstitiones gens, Deam credebat Isin suam; vocabat precibus, sacrificiis colebat, mox ut eadem alios religione imbueret, moliebatur. Quæ res successu non caruit. Infecit enim haud paucas, dissonas linguis moribusque gentes pravi cultus velut contagio; atque in Asia, in Thracia, in Macedonia, in Phœnicia, pæne dixerim, *qua sol habitabiles illustrat oras*, Isidem nactam cultores haud infrequentes legat. 6) Ipsas adeo Athenas, bimaremque Corinthum, Græciæ item urbes alias, sacris initias Isiacis novimus. Illorum apud Romanos diu multumque instabilis & fluxa reverentia, quippe modo recepta publicis templis, modo simul cum templis quasi solo esse æquata, LIVIUS DION TERTULLIANUS ARNOBIUS auctores sunt. 7) Ex quo tempore adjecta Ægyptus Romanorum imperio, ea Urbi illata denuo sunt, vetere, ceu reor, more, quo ut redderent eam terrarum dominam, communemque patriam populorum,

- - qui sunt a Gadibus usque
Auroram & Gangem,

exterarum etiam gentium, in primis devictarum, sacra victosque Penates, susceperunt. 8) Augustam certe, *templorum omnium*, ut LIVIUS ait, 9) *conditorem aut restitutorem*, curasse destructa Isidis fana refici satis constat. Et quamvis, potito rerum Tiberio, famosa tum adulterio Paullinæ, nobilissimæ fœminæ, proscriberetur superstitio Isiaca; 10) mox tamen pristino restituta honori, in animis togatæ gentis diu multumque triumphavit. Ipsum adhuc Commodum Imperatorem tam superstiose celebrasse illam, vetus Historicus 11) memorat, ut *caput raderet, & Anubim portaret:* vel id prorsus Augusto absimilis, qui teste SUETONIO 12) noluit, in Ægyptiaca peregrinatione, paullum ad visendum Apin deflectere.

1) Vid. PLUTARCH. de Isid. & Osir. (T. II. Opp. p. 355. D.) & DIODOR. SIC. Bibl. L. I. p. 17. (edit. Wessel.)

2) Id quoque inter Auctores discrepat. Sunt, qui maritum Isidis fuisse tradant. Alii fratrem, alii fuisse filium perhibent. Conf. LAUR. PIGNORII. Expos. Mensæ Isiac. p. 4. Recentiorum pars melior, PLUTARCHUM sequuti, fratrem Isidis, maritumque Osirin dicunt.

3) Posses. quod de Cerere OVIDIUS Met. V. 341. etiam de Iside jactare:

Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris,
Prima dedit leges.

Isidem

Isidem autem primam omnium instituisse agriculturam, DIODORUS SICULUS l. c. memorat. Inde apud GRUTERUM Thes. p. LXXXIII. 10. FRUCTIFERA adpellatur, inque numis, & apud OVIDIUM Metam. IX. 688. spicas, nitido auro flaventes, tenens conspicitur. Venit in laudis hujus societatem Osiris, *unci monstrator aratri*, de quo vid. præter laudatum Scriptorem Græcum l. c. TIBULLUS L. I. Eleg. VIII. v. 29. sequ. De legibus quoque ab Iside latis vid DIODOR. SIC. p. 18. Et sane ΙΣΙΔΙ ΔΙΚΑΙ ΟΣΤΗΝΗΙ sacra fuisse facta, vel ex lapide REINESIANO Class. I. CXXXV. constat.

4) De illa vid. DIODOR. SIC. L. I. c. 25. & TIBULLUS L. III. 27. Inde apud OVIDIUM l. c. Isis semet ipsa *Deam* nuncupat *auxiliarem*. In litterato lapide GRUTERIANO Thes. LXXXIII. 15. eamdem ob caussam, SALURIS audit. Alia marmora, Isidi ob receptam salutem dedicata, exstant apud eumdem GRUTERUM & REINESIUM, ex quibus ea adducit BROVKHUSIUS in comtissimis notis ad TIBULLI l. c. PIGNORIUS l. c. huc etiam refert numum æreum Claudii Imp. in quo Isidis simulacrum cum sistro ac fitula, & verba SALUS AUG. videas. Ceterum ex his, quæ diximus, potest, ut arbitror, illustrari locus IV. VENALIS Sat. XIII. v. 93.

Decernat, quodcumque volet, de corpore nostro
Isis, & irato feriat mea lumina sistro.

De re nauali, certe in melius provecta ab Iside, alio loco dicam.

5) Videsis locum JUL. FIRMICI MATERNI de error. prof. relig. apud VOSSIUM l. c. L. II. c. 56. conf. L. IX. c. 12.

6) Huc pertinet in primis, quod apud APULEIUM Met. XI. p. 259. (edit. Francof. 1621. 8.) Isis de se ipsa profatur: *Cujus Numen unicum, multiformi specie, ritu vario, nomine multijugo; totus veneratur orbis &c.* Conf. CL. DE FONTENU l. c. p. 64.

7) Conf. PIGNOR. l. c. p. 10. sq. & JO. OLIVÆ in Marmor Isiacum, Romæ nuper effossum, Exerc. c. 2. (Romæ 1719. 8) Id ipsum ILL. GEBAUERUS Academiæ Gœttingensis decus, eruditissime exposuit in ACT. ERUDIT. de Anno. 1720. p. 395. sqq.

8) Ea de re insignis est locus PRUDENTII contra Symmachum L. II. v. 342. sq. Conf. ANSALDUS de Diis multarum gentium, Romam evocatis, in primis c. 7. Et sane Cœcilio judice, apud MINUTIUM FELICEM in Octavio, Romani *dum universarum gentium sacra suscipiunt, etiam regna meruerunt.*

9) L. IV. c. 20.

10) Vid. JOSEPHI Antiquit. Judaic. L. XVIII. c. 4. & TERTULLIANUS Apolog. c. XV. Sacra Isidis multis olim hujusmodi probris polluta, intelligimus ex OVIDIO de A. A. I. 78. & III. 635. itemque JUVENALE VI. 489. & VIII. 22. Accessuris tamen ad ea fœminis haud licebat,

— *quid sit Hymen, quid Amor, quid sint connubia,*

novem per noctes, nosse; sed, viduæ, puro toro secubabant. Quod *Castum Isidis*, ceu vocant, amantibus sæpe videbatur nimium pigre currere. Certe PROPERTIUS ictus desideriis, increpat propterea Isidem, eamque Romana in templa ægre fert receptam, L. II. El. XXIV. v. 4. sqq.

11) ÆL. LAMPRIDIUS in Vita Commodi, c. 9. Conf. SPARTIANUS in Vita Caracalli, c. 9. ubi & hunc refert Isidis sacra denuo Romam deportasse.

12) In Vit. Augusti, c. 93.

§. V.

§. V.

De Suevorum cultu Isiaco variæ virorum doctorum sententiæ. Vossius notatur.

Non vacat, quamvis haud desint dicenti res, prooemiari diutius; festinante ad Suevos animo, quorum *pars*, ut TACITI verba repetam, *& Isidi sacrificat.* Ea vero de re non convenire Auctoribus, supra tradidi, nunc ubi deventum eo, ut disputata in partem utramque peragam, primum de his, qui cultum Isidis negant, ab ostiis Nili, in Sueviæ usque penetrasse oras, exponam. In illis eminent GER. JO. VOSSIUS NIC. HIER. GUNDLINGIUS JUST. CHRISTOPH. DITHMARUS JO. PETR. ANCHERSENIUS rati, Scriptorem diligentissimum vana hic prodere, deceptum conjecturis, sive ut inclementius RICHARDUS dixit, 1) *Tacitum hic non fidem historici implesse, sed ineptarum suspicionum egisse promum condum.* At bona verba, quæso! Unde enim tam invidiosa hæc florentissimi Auctoris criminatio? quibus innixa argumentis? Hæc si ex VOSSIO quærere libeat, non esse, respondet, dignum credi, ab Ægyptiis Germanos accepisse Isiaca, quæ in Græcam, in Italiam tam sera immigraverint. Id visum ipsi propius fidem est, dictam TACITO Isidem pro *Ischa*, 2) hocque nomine Hebræo, Evam, mulierum principem, quemadmodum sub Manno Adamum, nostris ab majoribus fuisse cultam. Ne quid autem ingenii culpa, additum rei demtumve censeas, age, verbis VOSSII 3) quamvis prolixiora sint, accipe auream fabulam: *Dixero*, inquit ille, *Germanis fuisse reliquias primævæ traditionis de Adamo & Eva, quorum ille Mannus sit, hæc Isis. Nam quomodo Adam, quod hominem notat, ac κατ' ἐξοχὴν marem, commodius reddissent sua lingua, quam mannum? A man autem mulier dici potuit manna, sed non fuit hoc in usu Germanis. Ac fortasse ex longa traditione retinuerunt Hebræum ischa; quod apud Mosen, & veteri Latinorum lingua viram sonat, unde apud Festum, Viræ Querquetulanæ. Romani autem quum audirent Germaniæ genti cultos Man & Ischa, ut ex illo Mannum, ita ex hoc Isidem fecerunt, quia non viderent, quod Numen Ischa, quam Isis, esse posset.* 3) At enim præterquam quod TACITO viro prudenti, ac curioso rerum Germanicarum investigatori, nil temere haustum ex vano & conjecturis, existimem, cui amabo exauditum Ischæ nomen est in antiquis Annalibus? cui Eva, aut Ischa Dea, vel per somnium umquam visa? Sed ne hoc quidem abnuerim. Sit nobis Ischa veteris Diva Germaniæ, atque astra, si id quoque VOSSIUS velit, aureum sidus perambulet, quomodo autem quadrare ipsi queat id, cujus apud TACITUM mentio, *signum, in modum liburnæ figuratum*, equidem haudquaquam perspicio. 4)

1) Vid. Diss. supra cit. §. VI.

2) Conf. Histoire du Ciel per Mr. PLUCHE T. I. p. 68. cui & ipsi *Isha* & *Isis* eadem videntur.

3) l. c. L. I. c. 38.

4) Conf. DE FONVENU l. c. p. 65.

§. VI.

Isis apud Tacitum non Fria est, neque Cisa. Signum Cisæ. Cisara urbs.

Nec simile vero crediderim, quod KIRCHMAJERO est visum, 1) Isidem Scriptori Romano esse *Friam*, dulcium apud Germanos matrem sævam Cupidinum. Namqne, ut alia prætermittam silentio, hanc olim ab omni Germania habitam Deam, satis constat: Isidem e contrario pars Suevorum tantum venerata est. Qua re motus quoque DITHMARUS 2) rerum harum idoneus judex in diversa discessit, factusque ipse divinus intelligi conjectavit *Cisam*, Deam nutricem sive nutricum, (Romana interpretatione *Ruminam* vocant,) cujus tutelæ lactentes infantes erant. 3) Qua quidem in re is quoque suos mihi manes pati videtur, atque errare cum eis, qui Cisam in CHRONICO URSBERGENSI 4) alioque, si Superis placet, VELLEJANO FRAGMENTO 5) haud esse diversam ab Iside rati sunt, vapulantes propterea MARCO VELSERO 6) viro, ornandis melioribus litteris e cœlo delapso. Cujus opinionis meæ non opus est e longinquo rationes arcessere. Ipsum illud insigne superstitionis Isiacæ ut abhorrens ab Cisæ cultu! quam in humanam effigiem (fœminam plerique multimammiam rentur, 7) nec absurdum ab re est) veteres effinxere. Verum hæc & his similia, ut nemini, vel per transennam non animadversa haud equidem longo sermone repetam. Mihi autem, curatius rem perpendenti, id præter cætera antiquis rerum gestarum monimentis incompertum videtur, Suevas gentes TACITI ævo addictas Cisæ sacris fuisse, quæ cum Sorabis demum, præcipuis Divæ cultoribus in Germaniam intulisse malum pedem existimem. Vitrea certe fracta sunt ac somniorum interpretamenta, quæ de *Cisara* urbe, (Augustæ Vindelicorum nunc nomen est) quæ de templo Cisæ ibidem a Germanis exstructo memorantur. 8) Quamobrem facessat DITHMARI illa sententia; facessat Cisa, donec de ipsius apud Suevos cultu certiora in populum adferantur.

1) Vid. Comment. Ejus in TACITI German. c. IX. p. 157.

2) In Comment. bonæ frugis pleno, ad laudatissimum TACITI libellum de M. G. c. IX.

3) De Cisa Dea luculenter egit ABR. FRENZELIUS de Diis Soraborum c. 9. (in C. G. HOFFMANNI Script. Rer. Lusatic. T. II.) Quam scriptionem si fuerit datum oculis usurpare FONTENIO V. C. nunquam, credo, induxerit animum, perscribere hæc: *On ignore, quelle étoit cette Déesse; mais ne seroit-ce point Isis meme, dont le nom se seroit corrompu, en changeant de païs? - - Ce nom pouvoit aussi etre une corruption de celui de Σίτω; sous lequel on invoquoit à Syracuse Isis, prise pour Céres.* Vid. Diverses Conjectures sur le culte d' Isis en Germanie, p. 80.

4) Ad A. 1157. Illud Chronicon vulgo tribuitur CONRADO a LIGHTENAU Abbati Ursbergensi. Sed vid. CL. GRUBER in T. Prodr. Epist. Leibnit. p. 1449.

5) Quod præsto est, tamquam fracta e naufragio tabula, in GOLDASTI Script. Rer. Suevic. Sed qui negant ab VELLEJO PATERCULO profectum, æquo Jove judicant. Conf. JO. ALB. FABRITII B. L. Vol. II. p. 432. Add. VOSSIUS l. c. Lib. IX. c. 40. Plenum certe inficetiarum esse, ostendit VELSERUS de Rebus Augustanis, L. III. p. 33. sq. (edit. Francof. ad Mœn. 1594.)

6) l. c. p. 58. Operæ est, verba ipsa transcribere: *Qui Cisam*, inquit ille, *ex Tacito Isidem interpretantur, quoniam is scripserit, pars Suevorum Isidi sacrificat, errant largiter; & turpis Chronologiæ lapsus, res Vindelicas cum Suevis, qui tanto post immigrarunt, confundere: cui inscitiæ Fragmenti tamen Auctor obnoxius. Quod si Cisa Suevorum Isis fuisset, ineptirent adhuc de muliebri oris specie. Parumne testato Tacitus? Signum ipsum &c.*

7) Inter eos est, quem dixi, FRENZELIUS l. c. CL. WACHTERUS Gloss. Germ. voce *Zits*, alii. Juvant suspicionem & nominis ratio & vetera exempla, apud Græcos Dianæ Ephesiæ Polymammæ, apud Romanos Cereris Mammosæ, denique ipsius adeo Isidis, cujus *corpus omne*, ut MACROBIUS Saturn. L. I. c. 20. scribit, *continuatis uberibus densatur*. Certe habitu fœminæ, Cisam olim cultam Auctores consentiunt. Tale signum, os humerosque Deæ simile, olim Cizæ, urbe non ignobili Misniæ, publicæ pietati expositum, sed simul cum superstitione ruinis atque excidio datum accepimus. Conf. JO. CONR. KNAUTH in Prodromo Misniæ p. 295. Tale simulacrum Cisæ fuisse etiam Augustæ Vindelicorum perhibent. Id quod nunc nihil disputo. Effigies certe lapidea, quam describi VELSERUS curavit l. c. p. 173. non Cisæ idolum est, sed Medusæ: videasque infaustam faciem, *atque alternis inimixtos crinibus angues*. Conf. CORN. PEUTINGERI Serm. Convival. & VELSER. l. c.

8) Augustam Vindelicorum conditam a Germanis fuisse, temploque insignem Cisæ, inde *Cisaram* antiquitus adpellatam, testantur VELLEJANUM FRAGM. & CHRON. URSBERG. l. c. sed nulla veri specie. *Nam Germani*, ut verbis VELSERI l. c. p. 37. utar, *haudquaquam auctores, quibus nihil tunc temporis rei cis Danubium, neque ex illorum institutis urbes*. Addo, nec templa, teste TACITO de M. G. c. 9. Conf. CLUVER. l. c. L. I. c. 34. Cizam, Misniæ urbem, lubentius credam, ex nomine Deæ Cisæ nuncupatam. Namque Venedi quondam inhabitavere, cultui Deæ Mammosæ quam deditissimi.

§. VII.

Gundlingii conjecturæ de Suevica Iside. Non eadem est cum Hertho Dea. Neque cum Heso Deo confusa ab Tacito.

Sed nondum peracta fabula est, & superant, quas in scenam sententias de Suevica Iside producam. Equidem de KEYSLERO 1) supersedeo dicere, nec ludam operam, refellendo opinionem GUNDLINGII 2) qui dubius animi, quam demum illam apud TACITUM esse Isin pronunciet, modo *Cisam* adpellat, modo *Ilsam*, *Itam*, Dearum nescio quæ monstra, vigilans somniat. *Majus*, ut ait ille, *opus moveo*; utinam! vi quoque ingenii ac sermonis elegantia majore, quam quæ timido mihi ac tenuitatis conscio meæ, hucusque non potuit non pudorem incutere. Isidem Suevorum, ut ipsam ad rem accedamus, exponi quoque per *Hertbum*, septenis, quos TACITUS memorat, 3) populis Sueviæ, cultam in commune intelligo: poteratque ea nunc maxime opinio lacertos movere, vires dante ac spiritum ANCHERSENIO V. C. ac litteratæ Daniæ ornamento. Ejus duntaxat *majoribus auspiciis* (rem lubet verbis ipsius eloqui) *personatæ Isidi larvam detrahet manifesta fides navigantis Herthæ*. 4) Nec abnuerim, posse hanc in sententiam dictu speciosa proferri multa; præsertim in tanta, qua Vir Cl. pollet veteris Germaniæ cognitione. Herthum certe, Romano ore, Tellurem, Opem, Cybelen, Magnam Matrem Deum, sive ut TACITUS interpretatur meus, *Terram Matrem* adpellari,

nemini nisi in sole caliganti obscurum. Id quoque constat, Isin fuisse ab Phrygibus nuncupatam *Deum Matrem.* 5) Quidam hanc sub nomine Isidis, quod adeo *Terram* denotare ajunt, 6) ab ipsa etiam turba Niligena olim adoratam putant. 7) Quod nec mihi videatur a vero alienum, reputanti apud Ægyptios, uti est in antiqua inscriptione, 8) Isidem omnia fuisse, unamque illam omnes retulisse Deas, in magno nominum ambitu, unde & *Myrionyma* vocitata. 9) Sunt, qui utramque Deam opinentur nec Romæ diversa Numina fuisse, conveniuntque pæne sacra, adeo ut in cultu etiam Cybeles, Mareotica sistra tumultus agitasse Isiacos legamus. 10) At vero explosæ jam dudum ab doctissimo BACCHINO 11) sententiæ patientem quis aurem adcommodet? Sed fuerint sane, ut in Phrygibus, in Ægyptiis, sic & Romæ, una eademque Idææ Matris & Isidis Numina: *Isidem* ac *Herthum* vocabula haud discrepare significatu, Grammaticæ tribus & pulpita clamitent: urunt me nihilominus scrupuli, suntque omnino necdum exemti impedimento, quo minus in sententiam ANCHERSENII V. C. transeam. Numen utriusque, exacta ut solet diligentia, ab se invicem TACITUS secernit, diserte hic Isidem, illic Herthum nominando. Sacrorum plane alia facies, nec earum Divarum simulacra. *Signum ipsum*, de Iside ait idem Auctor, *in modum liburnæ figuratum.* At enim Herthi effigiem, quamvis non compertam, silente TACITO quis temere *liburnam* suspicetur fuisse? Vestis, vehiculum, boves fœminæ, alia, ut solemnia in sacro Herthi memorantur. Numen ipsum credere possis fere tale,

- - - Qualis Berecynthia Mater
Invehitur curru, Phrygias, turrita, per urbes. 12)

Nec poterat meo judicio veterem latere Scriptorem, posita in aprico caussa religionis, qua Herthum Germani suam tam reverenter prosequebantur, quum e contrario Isiaci cultus apud eosdem originem ingenue fateatur se haud comperisse. Atque hæc quidem hisque similia; quibus nunc parco lubens, animo mecum volventi sit sine fraude, ab Cl. Viro discedere, usque dum edoceamur meliora. Enim vero interest præterea, quam hucusque lusimus, fabulæ Deus, si quid judico, male advocatus. Ita enim *Hesum*, horrentem illum, ut ait LUCANUS 13) feris altaribus *Hesum*, MATTH. HILLERUS 14) autumat ab TACITO acceptum pro Iside, præbente errorem similitudine nominum. At vero Germanorum Deum quis unquam fuisse Hesum probaverit? Equidem nomen adeo ejus ab voce vernacula *Heiss* vel *Hitze*, deduxisse HILLERUM 15) perspicio: sed nemini, cui cor sapit, originationem, credo, persuaserit tam febriculosam. In Galliis cultum haud in incerto est, 16) oris humani specie, ut adeo Isidi Suevorum ne simulacrum quidem respondeat.

1) Is quoque l. c. p. 187. Isidem negat Germanis cognitam fuisse, Inque *Diis* eorum *Suppositìtiis* collocat, ibid. p. 300. diligentius rem deducturus in Germania Gentili. Quod quum illi haud licuit, fatorum per invidiam, pugnare cum larvis nolim.

2) Eam exposuit Vir Doctissimus *im Antwort-Schreiben auf etliche Frag-Stücke eines gelebrten Edelmanns* n. V. p. 50. sqq. sed, si quando alia in re, hic maxime sensu abundavit suo. Confundit TACITUS judice GUNDLINGIO cum Iside mulierem virtutibus, cura rei familiaris ac centum cognitione artium, claram inter Suevos & Numinis instar cultam. At enim iis in sacris, dixerit aliquis, quæ illa quæso *Liburna*? Respondet GUNDLINGIUS, TACITUM hominem imaginosum, visum esse sibi videre navigium, quod nemo homo, quamquam Argo oculatior perspexerit. Præclare! Ita ex suo, ut fit, alios ingenio æstimat. Præterea si ab eodem proficiscuntur, quæ

quæ in ejus *Discours über die* Historiam Litterariam, T. I, p. 828. de Iside dicta reperio, sibimet sane ipse haud constat. Namque Germanos ibi haud ambigit, Isiaca sacra celebrasse.

3) De M. G. c. 40.

4) Vid. Vallis Herthæ Deæ, P. I. c. 5. p. 166. quæ haud ita pridem (Hafniæ 1748. 4.) edita in lucem, præstantia effecit sua, ut alterius Partis Latine redditæ, animo ægro desiderium feramus.

5) Ipsa Isis apud APULEJUM Metam. XI. p. 259. ita profatur: *Me primigenii Phryges Pessinuntiam nominant Deum Matrem.* Conf. HENR. JAC. VAN BASHUYSEN Diss. de Iside, Magna Deûm Matre.

6) SERVIUS ad VIRGILII lib. VIII. Aen. v. 696. *Isis*, inquit, *lingua Ægyptiorum, est terra: quam Isin volunt esse.* Sequitur illum & ISIDORUS Origg. lib. VIII. c. 11. Conf. MACROB. Saturn. lib. I. c. 20.

7) Vid. VOSSIUS l. c. lib. II. c. 56. 8) Apud GRUTERUM p. LXXXII. 2.

9) In lapide litterato apud GRUTERUM p. LXXXIII. 11. Conf. PLUTARCH. de Isid. & Osir. (T. II. p. 372. E.)

10) AUSONIUS Epist. XXV. v. 22. Plura de utriusque sacri convenientia habet VOSSIUS l. c. lib. II. c. 56.

11) De sistris, apud GRÆVIUM in Thes. Antiq. Rom. T. VI. p. 414. sq.

12) VIRGILIUS Æn. lib. VI. v. 784. 13) Pharsal. lib. I. v. 445.

14) Diss. de origine gentium Celtic. p. 4.

15) l. c. Alii aliter rentur. Nec KEYSLERO tamen, cui Hesus idem, qui Odinus & quasi *As* sive Deus dictus est, l. c. p. 139. sq. adsentior. CL. MARTINO *de la religion des Gaulois*, lib. III. c. XVII. Hesus videtur nomen ex Armorico *Heus*, quod *terror* est, accepisse: & suffragatur WACHTERUS V. C. Glossar. Germ. voce *Hesus*.

16) LUCANI locum, paullo ante n. 13. dictum, alii jam ad testimonium citavere. Ceterum super hac re pariter & simulacro Hesi, vid. plura apud AUCTOREM GALLUM & CEL. WACHTERUM quos modo laudavimus.

§. VIII.

Plures Tacitum sequuntur. Illius fides adstruitur.

Hæc fere sunt, quæ, ut erroris insimulent TACITUM viri docti in medium protulerunt: longe aliter sentientibus in primis HUETIO 1) GRONOVIO 2) COLERO 3) SCHEDIO 4) STRUVIO 5) FONTENIO 6) WACHTERO 7) & qui magni instar agminis est, ILL. MASCOVIO 8) eloquentissimo rerum Germanicarum Auctore. Hi enim, innixi testimonio TACITI Suevos olim obnoxios Ægyptiacis fuisse religionibus, opinantur. Quam Virorum Clarissimorum sententiam, subductis rationibus, non possum facere, quin utroque, quod ajunt, pollice collaudem, inque eam ipse pleno descendam gradu. Quem enim ducem, in antiqua Germanorum historia, domesticis destituti Scriptoribus temporum, sequamur potiorem CORN. TACITO? cujus libello *de situ, moribus & populis Germaniæ*, nihil verius

 esse,

esse, nihil limatius, quotquot sint praeconceptis opinionibus vacui, censuere. 9) Fuit profecto iis temporibus, quod inter omnes constat, satis cognita Romanis Germania scriptisque adeo illustrata, 10) & si qua parum comperta iis, curam certe investigandi haudquaquam defuisse TACITO adparet. Apud quosdam Auctorum ipsum adeo aliquamdiu inter Germanos versatum invenio; 11) & credas, ita rem esse: tam diligenter, tam copiose cuncta, memoratu digna, de statu Germaniae perscripsit. Quae quum ita sint, (nolo enim nunc progredi longius) atque illius fidem tot spectatam documentis habeamus, quid, quaeso, de sacris Isiacis Suevorum ab ipso memoratis, addubitemus? Neque enim secundum ea, quae ante dixi, solum absolvendus ferme erroris supicione TACITUS videtur: sed sane verba illius, huc pertinentia, ne quidem *interpretationem*, qua usus in aliis est, *Romanam* patiuntur. Ecce! enim superstitionem illam disertissime *peregrinum sacrum* adpellitat, atque item, quod verbo, non re differt, *advectam religionem:* quemadmodum *advectam Matrem*, *advectos Penates*, eodem sensu, passim dici antiquis Auctoribus, animadvertas. Itaque ergo ad id si placuisset viris doctis, prout decebat, mentem oculosque intendere, numquam profecto ab se impetrassent, ut Cisam aut Friam aut quae demum cumque Germaniae Diva fuerit, ab TACITO Isin nuncupari censerent.

1) De Demonstr. Evang. Propos. IV. c. 7. p. 170.

2) In Thes. Antiq. Graec. T. III. p. 5555.

3) In Observat. ad TACITI Germaniam, c. 9. editioni GRONOV. insertis. TACITUM & reliqui interpretes, tantum non omnes merito adsectantur.

4) De Diis German. p. 226. seq. 5) In Corpore Hist. Germ. P. I. p. 23.

6) l. c. 7) In Glossar. Germ. voc. *Isis.*

8) Vid. *Geschichte der Teutschen* lib. II. §. 35. p. 48. itemque *Einleitung zu den Geschichten des R. T. Reichs*, p. 41.

9) Conf. HERM. CONRINGII Praef. ad saepius dictum TACITI libellum de M. G. & CEL. DITHMARI Diss. de fide C. Corn. Taciti in rebus Germanorum §. 8. sq. Idem argumentum diligentissime, ut solet, nuper exposuit ANCHERSENIUS V. C. in Diss. de scientia, fideque Taciti Geographica & Historica in Germania.

10) C. PLINIUM illum Naturalis Historiae conditorem, alter PLINIUS Ep. III. 5. *Germanica bella* testatur XX. libris perscripsisse. CATONIS quoque *de Germania*, & ASINII QUADRATI *de terra Germaniae* libri ab antiquis Auctoribus laudantur. Conf. IL. BUDERI Bibl. Script. Rer. Germ. §. IV adjecta Corpori Hist. Germ. STRUVIANO.

11) Rationes Galliae Belgicae, quae veteris Germaniae pars, CORN. TACITUM procurasse, plerique rentur. Quam sententiam ab DITHMARO Diss. laudata, §. 3. sq. explosam, tuentur GUNDLINGIANA T. III. P. XXV. p. 367. sequ.

§. IX.

Isiaci in Germania cultus vestigia. Gronovii Sacerdos Germanus Naviger. Isenacum &c. unde dicantur? Sistra in urnis Germanorum reperta. De avicula Isidis.

Praeter autem ea, quae disseruimus, etiam alia movent me, haud minoris momenti, ut TACITUM putem, ea certe in re, esse unice adsectandum.

dum. Praesto quippe in Germaniae regionibus sunt haud dubia Isiacae superstitionis vestigia, quae fidem Scriptoris gravissimi nobis quoque tacentibus valide tueri possent. Equidem minime in hunc censum retulerim Inscriptiones, Isidis honori dicatas in Germania; 1) neque *Sacerdotem Germanum Navigerum*, Hylan illum toties dictum, quem incisum aeri JAC. GRONOVIUS exhibet. 2) Nullum quidem luculentius rei monimentum esset, nisi si fidem illius male ambulantem, viri docti jam dudum irrisui habuissent. Sunt, qui nomina urbium *Isenacum*, *Islebiam*, *Isenbergam* huc trahant. 3) Quidam & verbenae genus (patrio sermone *Eisenkraut* adpellamus,) Isiaci in Germania cultus servare memoriam arbitrantur. 4) Ego vero uti vocum illarum originem verisimilius a ferro deduci, quam ab Iside, reor, nihil moratus cujusdam poetae nostratis de Isenaco effatum: *)

- *Positam hinc in vallibus urbem*

A FERRO *dictam vulgo*; *sed ab* ISIDE *doctis*:

ita in eis caussae patrocinium meae haud quaesiverim. Praestant mihi illud insigniora veteris aevi monimenta; maxime sistra, quae apud Silesiam priscae regionem Germaniae, saepenumero in urnis reperiuntur. Cujus rei, indictae aliis, potissimum auctorem habeo SIGISM. SAEMLERUM V. C. atque Diebani (Principatus Volaviensis prope Steinaviam pagus est) de purioribus sacris optime merentem. Is vero, ut est patriae Antiquitatis studiosissimus, sistra plura huc illuc Silesiae in oris effossa servat, 5) quae sane id, quod agitat animo, in lucem conspectumque aliquando producta, non poterunt non iis, quibus cordi est Vetustas Germanica, oppido arridere. Aut enim vehementer me amor fallit suscepti negotii, aut certe sacra Isiaca haud obscure produnt. In his enim sistrorum frequentissimus usus, sive quod manibus quassa, hirundinis, in quam Isis secundum fabulas versa stridentem vocem exprimerent, sive quod motus illorum reciproci Nili, ceu SERVIUS putat, indicaret naturam, cujus caussas Aegyptios Isidi tamquam Lunae, accepimus adsignasse. 6) Ipsam inde Divam crepitanti conspicuam sistro, tot veterum loca Auctorum numique referunt, in primisque statua, quae in splendidissimo MAFFEI Opere 7) caput effert. Sacerdotes quoque Isidis, *sistratam turbam* MARTIALIS adpellat: 8) nec deessent similia hisce plura, nisi Lectoris doctrinam temnere vulgaria censerem. Ceterum haud mirum, credo, cuiquam videbitur, rerum antiquarum cognitione vel leviter tincto, sistra quoque in urnis praeter cetera inveniri. Quippe, ut in aliis gentibus, 9) sic apud Germanos, constat moris fuisse, ut quod sanctum cuique esset, earumque, rogo ac feralibus flammis inferrent, mandarent terrae. De armis, equis, id ex TACITO compertum: 10) inque aliis si destituamur testimonio Scriptorum, ipsae res sunt documento, in urnis passim ac sepulcris repertae. Neque Romanis inusitatum, sistri imaginem monimentis sepulcralibus in religionem ornatumque addere. Est videre apud BENED. BACCHINUM 11) Aram Diis Manibus C. Larinatis Attici consecratam; cujus in parte altera vasculum, quale in Isidis juxta Osiridisque praeferebatur pompa, in altera sistrum, tergemino personum aere deprehendas. Atque hactenus de sistro, sacri apud Suevos Isiaci teste, dicenti utinam datum nunc sit, bonis avibus progredi ad avem illam testaceam, quae prope hanc urbem Palladis & Mercurii nobilissimam studiis, itidem in urna reperta, in AMPLISSIMI SENATUS Museo adservatur. 12) *Isidis* esse *aviculam*, vetus & quasi per manus tradita opinio est: cui si quid existimemus dandum, haudquaquam vitio nobis verti queat; maxime, quod in Silesiis quoque hujusmodi

aves

aves sic inventas norim. Enimvero haud perductam ad liquidm rem, equidem in medium relinquam: viderintque alii, utrum TACITI fidei Avicula Isidis addicat. Certe, si dicendum, quod res est, haud alienæ ab cultu Isiaco alituum formæ sunt, traditurque etiam Isidi, ut Græcis Numinibus, Romanisque sacras aves, in primis hirundines fuisse. 13) Accipitrum quoque imagines, vulturum, ibidum, atque item

Romulidarum arcis servator, candidus anser,

sæpenumero in Isiacis monimentis, apud KIRCHERUM 14) aliosque conspiciuntur.

1) Tales in Belgio, in Bavaria, repertas olim, adtulit SCHEDIUS l. c. c. IX. p. 228. Ad Isidem quoque pertinere visa est JOS. HARZHEIMIO V. C. hæc, quam in Ubiis, SOLI SERAPI CUM SUA CLINE dedicatam, ex BROELMANNI Monimentis nuper repetiit, Diss. de religione antiquorum Ubiorum c. 3. §. 2. Sed Romanæ esse pietatis, in Isin monimenta oppido adparet.

2) l. c. Is veterem imaginem esse, eamque Sacerdotis Isiaci, arbitratur, Qua in re antiquitatis, immane quantum! amore deceptum, viri docti multo perfricant sale, illudque signum haud quaquam *Sacerdotem Navigerum*, sed *metallifossorem cum alueo* referre, auctores sunt. Illi errori gemina multa, si liceret de itinere deecedere, memorarem. Uno defungar exemlo, ab re haud alieno. Isidem in numo Juliani Imperatoris, Horum filium sinu complexam, sunt qui teste BARONIO Ann. Eccles. ad An. 363. pro B. Maria virgine acceperint. Ceterum Sacerdotis Isiaci verum simulacrum sistit ATHAN. KIRCHERUS in Oedipo Ægypt. T. III. & PAULUS ALEXAND. MAFFEI nella Raccolta di Statue Antiche, e Moderne, n. 140. (Romæ, 1704. f.)

3) Vid. SCHEDIUS l. c. p. 228. Isenacum dici adeo, tamquam *Isidis navigium*, *Isnachen*, sive *der Isis Nachen*, quidam sibi persuadent. Sed conf. PAULLINI Hist. Isenac. in Syntag. Antiqu. Germ. p. 1. sq. Similiter *Parisios*, Galliarum caput, idem ac *παρὰ Ἴσιδος* esse, nonnulli putant. Conf. MARTIN l. c. lib. IV. c. XXII. p. 144. Taceo urbes alias, arces, flumina; quorum nomina vulgo solent ab Iside deduci.

4) SCHEDIUS l. c. Sed eam originationem, ne memoratu quidem dignam, CL. WACHTERUS judicavit, ratus id, quod est, vocem hanc derivari a ferro, vel Marte, quasi sit *Martis herba*, ob ejus in clarigatione usum apud Romanos.

*) Laudavit huncce GE. FABRICII in Itin. Rhet. locum CL. FONTENIUS dans les Diverses Conjectures sur le Culte d'Isis en Germanie, l. c. p. 81. adeo illi credulus, Thuringos exinde probet rem divinam olim Isidi fecisse.

5) Quod in litteris, ad me humanissime perscriptis, Vir CL. testatur. Vid. etiam Ejus ad CELEB. AUCTOREM *des Neuen Büchersaals der schönen Wissenschaften*, epistolas lectissimæ illi Bibliothecæ, (T. VI. P. IV. p. 375. sqq. & T. VII. P. I. p. 73. sqq.) insertas.

6) Veteres Auctores recentioresque juxta dissentiunt. SERVII opinionem supra adlatam videsis ad VIRGILII lib. VIII. Æn. v. 696. Altera in primis PIGNORII est l. c. p. 34. cui faciunt fidem verba MINUTII FELICIS ibi ab eo reperita, & maxime sistra, hirundinis fere efformata in faciem, quæ pariter habere se sibi reposta, CL. SÆMLERUS refert. PLUTARCHUS de Isid. & Osir. (T. II. Opp. p 376. C.) ortum rerum motumque, HIERON. BOSSIUS in Isiaco, seu de sistro, (apud SALLENGRE in

in Novo Thes. Antiqu. Rom. T. II. p. 1582.) *vices variabilis evi* sistro denotari censent. Conf. BACCHINUS de sistris l. c. p. 411. sqq.

7) l. c. n. 143. Elegantia sunt, quæ ad hancce statuam Vir Doctus in Observationibus p. 133. est commentatus.

8) Lib. XII. Epigr. 29.

9) De Scythis est insignis HERODOTI locus apud DITHMARUM ad TACIT. Germ. c. 27. De Gallis conf. JUL. CÆSAR B. G. VI. 4. Plura vid. apud ARNKIEL *im Cimbrischen Heydenthum* P. III. L. I. c. 15 -- 23.

10) De M. G. c. 27. Conf. CLUVER. Germ. Ant. L. I. c. 53. & ARNKIEL l. c. Rationem rei expedit MELA L. III. c. 2. *Unum ex iis, quæ præcipiunt,* (de Druidis loquitur) *in vulgus effluxit, vindelicet, ut forent ad bella meliores, æternas esse animas, vitamque alteram ad Manes. Itaque cum mortuis cremant ac defodiunt, apta viventibus olim.* Qui mos apud Francos tenuit. Childerici Regis temporibus; quocum præter alia fuisse arma ejus, ac bellatorem equum, sepulta novimus. Vid. CHIFLETII Anastasis Childerici Regis, in primis c. XIV. sq.

11) l. c. p. 415. n. XXV. Ipse titulus aræ, aliqua sui parte deformatus, cetera haud invenustus, ita habet:

DIS MANIBUS
C· LARINATIS· ATTICI
QVOD. SI QVIS OSSA
EIVS· PROIECERIT· AVT
T
HANC. ARAM. APSTVLERI
HABEBIT. SACRA ISIDIS
ILLIVS· QVIETA IRATA

12) Poterat hoc dignum dictu videri, vel hoc nomine, ut error sive DITHMARI l. c. p. 56. sive typothetæ eo luculentius perspiciatur. *Navem* certe *testaceam*, cujus ibi mentio in AMPLISSIMI SENATUS Museo, quamvis perlustrandi facta benigne potestas sit, haud vidimus. Cæterum ista species, quam demum referat avem, judicent, quibus hæc talia datum est cognoscere.

13) Rem ex PIER. VALERIANO KIRCHERO CUPERO PIGNORIO aliisque satis notam, nihil nunc attinet, curatius enarrare.

14) Tum passim in Oedipo Ægypt. tum in Sphinge Mystogoga. De ansere Isidi sacro vid. CUPERUS in Harpocr. p. 54.

§. X.

Nomen Suevorum generale. Sueviæ antiquæ fines.

Quinam ex Suevis cultores Isidis? Utrum Semnones? An Hermunduri?

Atque ita poterit, credo, sua TACITO fides constare: poterunt Suevorum pars videri olim, ceu proditum memoriæ est, sacris Isiacis initiati. Pa-

tebat autem, teste eodem TACITO 1) nomen Suevum longe lateque per Germaniam ac nationes oppido plures, (quatuor & quinquaginta ÆTHICUS 2) & OROSIUS 3) numerant,) suo quamque discretas nomine complectebatur. Ex hac tanta fortissimarum, quæ in unum velut coaluerant corpus, multitudine gentium, summa illa Suevorum nobilitas, summa in primis potentia, qua non mortalibus solum, sed Diis adeo ipsis, esse superiores videbantur. 4) Verum hæc in universum tradita de Suevis, nemo adeo hospes historiarum in monumentis est, ut ignoret. Enimvero Sueviæ antiquæ fines, regiones, populos perlustrandi penitius animum si libido incesserit, frustra Annales, TACITUMque fere ipsum, cœca qui vestigia regant, adeas. Noctem certe artram velut incubare veteris descriptioni Sueviæ, præter alios, in primis CLUVERIUS 5) queritur, perspectusque sedulo omnibus, non nisi manu suspensa, fines ejus, quales fuerint tempestate TACITI tamquam in aliqua tabula adumbrat. Nec sane pœnitet me, Doctissimi Viri esse sententiæ; quo nemo unus, intentiore cura, Germanorum res, alta caligine ac vetustate mersas est scrutatus. Ita vero *ab Albi ac Sala Chalusoque amnibus*, (uti ipse loquitur 6) *ad Vistulam flumen usque inter occasum ortumque, inter meridiem vero ac septentriones a Danubio amne ad Oceanum usque glacialem*, Suevi omnem terrarum habitavere tractum, partemque adeo Germaniæ majorem obtinuere. Itaque Suevicæ tum ditionis erant, si quæ nunc in honore sunt, nomina audire velis, in primis hodiernæ pars Sueviæ, Saxonia & Palatinatus superior, Bohemia, Silesia, Lusatia, Polonia, qua cis Vistulam amnem est, Marchionatus Brandenburgici pars; erant item alia, quæ ut reliquas trans mare Balticum, regiones Suevas, piget jam ex CLUVERIO nominatim singula recensere. Jam vero tot populos inter latissime, ceu diximus, diffusos, sacris Phariæ Deæ quinam fuerint præcipue addicti, edere, silente TACITO haud expeditum. Nec supervacuum tamen rei cognoscendæ, si qua pateat, viam explorare, vestigiis antehac nullis tritam. Neque enim, ut hoc utar, COLERO 7) adstipuler, Suevos intelligenti Istri fluminis accolas: nec sint mihi *pars Suevorum* apud laudatum Auctorem vetustissimi nobilissimique Suevorum Semnones: quamvis hanc WILLICHII suspicionem KIRCHMEIERUS 8) ac VETTERUS 9) palmariam judicarint. Isidis certe, quod putant, simulacrum, Luneburgi adservatum, 10) Semnonum illi superstitioni esse monimento ut credam, haud temere adducor. Quippe erat hæc majorum nostrorum, ultra barbarum ingenium sapientia, quod *nec cohibere parietibus Deos, neque in ullam humani oris speciem adsimilare, ex magnitudine cœlestium*, arbitrarentur. 11.) Diversus quoque ab his sententiis FONTENIUS 12) discessit; atque, ut est sagacis ingenii, esse divinavit Hermunduros: sed an dextro Apolline, dubito. Quod enim, ut reliqua omittam, contermina gens Rhætis Vindelicisque fuerint, quos diu ante amplexos religiones Isiacas opinatur, rem sane, quantum mihi cernere datum est, haud videtur conficere. Pervenisse ad illos cultum Deæ, pluribus dein sollemnem Suevis concesserim, possetque rei esse indicio *Isidis*, ut tradunt, *Avicula*, quam, haud procul urbe nostra, in Hermunduris sita, repertam, supra perscripsimus.

1) De M. G. c. 38. 2) In Cosmograph. p. 727. edit. GRONOV.

3) Lib. I. c. 2.

4) Ita Usipetes ac Tencteri apud CÆSAREM de B. G. IV. 7. sese ajunt *uni Suevis concedere; quibus ne Dii quidem immortales pares esse possent*. CÆSAREM quidem putat CLUVERIUS l. c. Lib. III. c. 5. nominasse hic *Suevos*, qui proprie *Catti* erant. Sed contra nititur ANCHERSENIUS V. C. loc.

loc. cit. cap. IV. §. 80. Cattosque, eeu gentes alias retur, communi Suevorum nomine comprehensos, quam diu vitam *Suevam*, h. e. vagam, sine Lare certo, campestres ut Scythæ, & rigidi Lappones egerint. Conf. ibid. §. 38. sqq.

5) loc. cit. lib. III. cap. 24. Conf. ANCHERSEN. c. IV. §. 2.

6) loc. cit. Rem cognitu dignam, exactius dein prosequitur. Sed, quod transscribere verba Auctoris, limites libelli haud patiuntur, Lectorem ad ipsum Opus eruditum delegamus. Ceterum, constitutis his finibus, haud facile ab animo impetrem meo, ut Suevos, apud TACITUM gentes fuisse adeo immanes, & quæ mox reliquerint possessa, credam. Certe, quod de populis Germaniæ in universum, vetus Auctor tradit, unis Suevis haud adsignarim.

7) Vid. Observ. Ejus ad TACITI Germaniam, c. 9. in edit. GRONOVII.

8) In Comment. ad TACITI l. c.

9) Vid. Ejus. Comment. ad TACITI l. c.

10) Illius meminit WILLICHIUS ad TACITI l. c. sed Isidis esse signum, ipse ambigit. Nec Seruestæ statuam exstitisse ejusdem Deæ putem, & frustra est BASHVYSENIUS, in de Iside Servestæ in foro posita, Conjectura Diss. supra §. VII. n. 5. dictæ, P. II. p. 54. sq. adjecta.

11) Vid. TACIT. l. c. Memorat quidem is paullo superius, c. 7. *effigies & signa quædam, detracta lucis*. Verum, hæc fuisse signa militaria, CLUVERIUS l. c. lib. I. cap. 34. contendit. Ceterum eadem fere, ut Persas prætercam, tradidit de Judæis TACITUS Hist. V. 5.

12) In Variis Conjecturis de cultu Isidis apud Germanos l. c. pag. 80.

§. XI.

Nostra sententia exponitur. Isiacæ superstitionis in Germania progressus. De Serapione, Principe Alemanniæ.

Mihi autem, primis de cultoribus Isidis diligenter cogitanti, in opinionem alia omnia venere, reliquis forte magis probabilia; quamvis, quod nec egomet Sphingem domi alam, ea ponere pro certo non ausim. In secretioribus Germaniæ antiquæ, qua Suevico mari (cui nunc Baltico nomen) alluitur, partem Suevorum sacrificantium Isidi, quæsiverim. Maritimam certe gentem fuisse, ipsa res & caussa sacri, quam alio loco animus est differere altius, haud obscuris signis produnt. Reudignos, Anglos, marisque istius alios accolas Suevos, illis religionibus deditos censerem, nisi si Herthum, quam diximus ab Iside diversam Deam, in commune coluissent. Igitur ultra provectus, haud vana, ut arbitror, conjectura monstrante viam, in Suionum civitatibus sacra hæc cœpta celebrari autumaverim. Præterquam enim, quod in Suevis antiquus Auctor, 1) toties dictus mihi, dissitos longe Suiones collocet; videntur sane, ni mens læva sit, & reliqua, de quibus alibi exponam, sententiæ examussim meæ quadrare. Hac vero superstitione, primum valida sub Arcto, haud equidem abnuam sæcula, culpæ fœcunda, alias quoque inquinavisse gentes, derivatamque illo velut fonte, cladem late per Sueviam, provinciasque Germanæ alias fluxisse. De Cattis, Saxonibus, rem FONTENIUS V. C. sed lubricis quantum intelligo, argumentis adseverat. 2) Francos olim imbutos sacris Ægyptiis, propius fidem esset, si effossum quondam

Regis Childerici tumulo, caput bovinum fuisse, ceu visum CHIFLETIO 3) cornigerum Apim satis constaret. Quam sententiam novo ut tibicine firmaret FONTENIUS apum quoque & ranarum, gaudentisque turpi fimo, scarabaei, simul inventa signa, Isidi Osiridique sacra commemorat. 4) Enimvero de ranis, scarabaeo, uti apud CHIFLETIUM diligentissimum rei Scriptorem, nulla omnino mentio: sic incertus hic veri, illas fulgentes auro, apes aliter atque aliter interpretatur. 5) Jam vero mihi quoque si experiri ingenium, hisque liceat Virorum Doctorum suspicionibus symbolam addere, nec Alemannos arbitrer ea ab labe quondam integros fuisse. Principem hujus nationis in Galliis, initiatum his religionibus, tamque deditum AMMIANUS MARCELLINUS auctor est, 6) ut exuto nomine patrio Serapionis, velut sanctius angustiusque vocabulum sibi indueret. Redux itaque ad Penates, cui haud quaeso videatur exterum cultum intulisse genti imperioque, pariter & exemplo, quo non praecipitur acrius, magis in dies ac magis provexisse? Verum his, ut incompertis pro se quisque demat fidem vel addat.

1) TACITUS loc. cit. cap. 44.

2) l. c. p. 81. Argumenti ex nomine *Ifenaci* urbis deducti, exiguam vim paullo ante §. IX. expendi. Multo sane incertiora sunt, quae de Eostra, Saxonum Dea una eademque eum Iside tradidit.

3) In Anast. Childerici Regis c. IV. p. 153. ubi Regem suspicatur Apis id signum in bellicis expeditionibus, *tamquam Larem Vialem* & *Hostilium* coluisse. In his certe Laribus posse Apim sive Serapim collocare, simile videtur vero, quod apud GRUTERUM p. LXXXV. n. 8. dicitur *Deus invictus* & *Servator*.

4) l. c.

5) Ita l. c. cap. XI. parva magnis componit, apesque adhibitas, tamquam Reipublicae bene ordinatae symbolum conjectat. Paullo post, c. XII. regiam eas indicasse majestatem, auctor est. Neque hic constat sibi, sed in alia omnia abit c. XXII. Igitur,

Quo teneam, vultus mutantem, Protea nodo?

6) L. XVI. c. 12. ubi Serapionem hunc ideo sic adpellatum refert, *quod pater ejus, diu obsidatus pignore tentus in Galliis, doctusque Graeca quaedam arcana, hunc filium suum, Argenarichum genitali nomine dictitatum, ad Serapionis transtulit nomen*. Qua in re videtur is Graecos imitatus, & Romanos, quibus sollemne olim, Deorum sibi Dearumque nomen imponere. Vid REINES. Class. I. n. XLVI. p. 88. sq. Sic apud CICERONEM *Serapiones* plures occurrunt, & apud LAMPRIDIUM in Alex. Sev. c. 3. *Serapbio* rhetor. Conf. PERIZONII Animadv. Histor. c. VII. p. 304. In lapide quoque GRUTERIANO p. LXXXV. 9. pro SERAPID. magis placet CHRISTOPH. SAXIO V. C. in Vetust. Epigr. p. 27. SARAPIO nomen ejus, qui vota pro salute Diis solvit. Sed fuit forte *Serapidis* quoque cognomen Romanis haud insuetatum: quamvis patrem Gordiani Imp. eo insignitum, perperam quidam putent.

§. XII.

Conclusio.

Animus erat, rem de Suionibus adcuratius, uti par est, in praesenti deducere, rationesque sententiae nostrae diligentius expedire. Sed enim praeter

ter ea, quum de caussa cultus Isiaci apud Suevos, de signo Deæ, de viis, quibus ad eos hæc sacra pervenerint, plura omnino superent dicenda, materies peculiaris scriptionis, visum est ea posteriori, quam paramus, Exercitationi seponere. Accendet industriam, & currenti, ut ajunt, calcar addet benevolentia Lectorum, quibus libellum hunc meum, quamvis *arida modo pumice expolitum*, velim de meliori nota commendatum.



DISSERTATIO XV.

DE

ISIDE

SUEVIS OLIM CULTA

EXERCITATIO POSTERIOR.

§. I.

Caussa superstitionis Isiacæ in Suevis. Isis Pelagia.
Rei nauticæ apud Ægyptios origo.

EGo, unde digressus sum, nunc ad cœptum redeo. Nec Druso Germanico qui obstitisse Oceanus dicitur, 1) in se simul atque in Herculem inquiri, animum prohibet; sine corpore velocem trans mare currere, atque sacra Isidis & cultores curiosius indagare. Præterea, si secunndum poetæ 2) illud,

> *Quisquis amore tenetur, eat tutusque, sacerque,*
> *Qua libet,*

hunc quoque conatum nostrum tutabitur Musarum amor, & quo in patriam adprime historiam feror, studium. Jam vero Suionum maxime Deam conjectavimus, olim Isin fuisse, induxitque mentem hanc in sententiam sacri potissimum caussa, cujus haud esse difficilem, ipsa ex liburna interpretationem crediderim. Nec tamen datum, cujus altissimo ingenio nihil admodum Musæ negaverant, CORN. TACITO 3) introspicere rem, aut ab aliis expromere intellectam. Interpretibus, certe iis, quos licuit consultare, ne operæ qui-

 dem

dem pretium visum, abditum, si quæ hic sint, latebris verum educere. COLERUS 4) a PLUTARCHO inconsultus quum abiit, animum despondet, conjecturamque aversis Diis natam, ipse haud dubitat suo gladio jugulare. Equidem e vestigio feliciore successu redit in sese, *Isidemque*, ut vocant, *Pelagiam*, a populis Sueviæ destinatam liburna existimat. Qua certe in re nasum mihi habuisse videtur, juxta ac LILIUS GREG. GYRALDUS 5) doctæ vetustatis peritissimus vir, quem & ipsum ad hanc inclinare suspicionem, intelligo. Mihi profecto, rem apud me sæpius volutanti, eorum potior hæc sit opinio, quam DOEDERLINI 6) V. C. Isidem Suevis τιθήνην και πανδεχήν, ut eam divinum vocat PLATONIS os, fuisse in veneratione, judicantis. Sed enim pressius tum ab viris doctis exposita, ego immemor incœpti sim, ni diligentius in præsenti edisseram, ac meo quoque remigio, ausim Pelagiam Isidem prosequi. Hanc igitur quemadmodum immites terras, Cererisque ignaras, vomere olim imbuisse, supra perscripsimus: sic fragilem ratem prima omnium, ut quidam auctores sunt, truci pelago credidit, sive securam se, muliebri fidentia, rata adversum incerta maris & rabiem Noti; sive quod fluctus quoque ac tempestates fœminæ, quæ in omni re dominatur, pronas in obsequia fore, speraverit; sive quod satius credi est, procul habente timoris caussas cupidine opum. *) Egerant huc usque, velut septa intra terras fortuna Ægyptii & sua tantum littora, suum Nilum fœcunditatis parentem norant, 7) rem ferme adsequuti, ex veteri dicto, **) *difficillimam, ut illis ne voto quidem opus esset.* Enimvero perspecta Phœnicum, ex navigatione, potentia, mox iis, Tyro maxime, non contenti fertilissimis agrorum,

- - *Imperium pelagi, sævumque tridentem,*

invidebant. Cœptavit tum animos Ægypti, prisci oblitos moris, versare acris æmulatio; nec satis habens Isis, Neptunum procul e terra spectare, construxit navem, ac suo cum Osiri cursus Pelagii comite magnos in usus civibus mare aperuit. Atque hæc antiquis memorata Auctoribus super id, quod ad fidem non absurda sunt, ut vera exsequi malui, quam incassum argumentis sollicitare, quæ ab recentiorum 8) profecta ingenio promte refutaveris.

1) Vid. TACITUS de M. G. c. 34. Huc etiam pertinet elegans locus PEDONIS ALBINOV. in Fragm. v. 20. sq.

> *Dii revocant, rerumque vetant cognoscere finem*
> *Mortales oculos. Aliena quid æquora remis,*
> *Et sacras violamus aquas, Divumque quietas*
> *Turbamus sedes?*

2) TIBULLUS Lib. I. El. II. v. 27. Cui concinit PROPERTIUS Lib. III. El. XIV. v. 13.

3) Juvat hic verba TACITI ex c. 9. de M. G. repetere: *Unde caussa & origo peregrino sacro parum comperi.* Origines sacri Isiaci apud Suevos alibi, quoad ejus potuero, expendam.

4) In not. ad TACITI l. c. apud GRONOV. ubi, caussam iis religionibus dedisse Isidis, ex Mercurio genus conjicit. Perperam profecto; non ex ea modo, quam ipse reddidit ratione, sed quod facundum hunc nepotem Atlantis prorsus ignoraverint Germani veteres, nedum sint sacrificiis venerati. Falsus itaque animi COLERUS est, ac reliquos ut omittam, HUETIUS dans son Histoire du Commerce & de la Navigation des Anciens,

ciens, c. 59. qui *Irmensulam* tradunt *Hermetis* sive *Mercurii* signum fuisse. Atque HUETIUS eo usque delabitur, ut *Hermunduros* & ipsos demum *Germanos*, nuncupatos ex *Hermete* scribat.

5) Vid. Hist. Deorum, Syntagm. XII. p. 370. & de Navigiis, c. 8. p. 584. (Opp. T. I. Basil. 1580. f.)

6) In Antiq. Gentilismi Nordgav. §. XXIII. p. 31. Isidem Vir Doctissimus cultam in Suevis, vocat *die Erfinderin der Früchte, und Ernährerin aller.* Ad quæ verba examussim Græca PLATONIS vox illa, apud PLUTARCHUM de Isid. & Osir. (T. II. Opp. p. 372. E.) respondet. CRUSIUS Ann. Suevic. Lib. I. P. I. p. 4. *Oeconomicarum rerum Deam* adpellat, addicente nemine prisco Auctore.

*) Hanc navigationis acerrimam caussam veteres produnt. Conf. PROPERT. L. III. El. V. Unde tot tamque acerbæ, primos in nautas voces jactæ. OVIDIUS certe Met. I. 132. vela quemquam in altum prius dedisse negat, quam venæ pejoris ætas irruperit. Nos, qui adiri nunc navibus æquor, propitii, an irati, dederint Dii, facile discernimus, bene navitiis, precamur, ac *ventorum paces animasque secundas* exoramus.

7) Vid. STRABO Geogr. lib. III. Sed gratiam apud eos, quibus recentia adridebant dulcius, forte inierim, si locum adscribam, huc facientem, ex Histoire Génerale de la Marine, T. I. L. I. p. 11. (Par. 1744. 4.) *Les Egyptiens - - regardoient les marins & les navigateurs, comme des impies; & ils ne mirent, que fort tard, Neptune au rang de leurs Divinités. Bornés aux richesses de leur pays, ils s' occupoient uniquement du soin d' y mener une vie heureuse & tranquille, & n' y admettoient les etrangers, qu' avec peine.*

**) Tacit. de M. G. c. 46.

8) Conf. DE FONTENU Discours sur Isis, adorée chez les Sueves, sous la figure d' un Navire, p. 132. (Mem. de Litter. T. VII. ed. Amstel.) Historiam rei maritimæ Universalem, qui tanto cum studio condidere, ipsimet sibi satis non constant. Postquam enim promserant l. c. fere hæc: *Les Egyptiens avoient une grande aversion pour la mer, parcequ' ils la prenoient pour Typhon, le grand ennemi de leur Osiris*, haud multo post p. 12. eos tamen ductu Osiridis deditos rei nauticæ perhibent.

§. II.

Rudbeckii opinatio traditur. Isis vela invenit. Maritimi Isidis Osiridisque errores. Navis longa Osiridis. Isides naves.

Minime omnium tam altum dormire quemquam RUDBECKIO arbitrer, ut in ejus adduci se, de ea re, miram sententiam patiatur. Quandoquidem enim viro summa ingenii conspicuo vi per faciles illi Musas obtigerat, quæ vellet cumque in decus patriæ somniare, Isidem, quippe hanc quoque gelidæ oræ ut vindicaret, *Isis* esse sive *glaciem* prodit, 1) quodque ea, soluta tepentibus auris, inque partes scissa, phocarum balænarumque tamquam nave utantur piscatores, Isidem inde antiquis dici primam condidisse ratem statuit. 2) Ipsa adeo navis, cui tot in monimentis Ægyptiis, tot in numis eam insistentem adspicias, frustum RUDBECKIO glaciei videtur. 3) Adeo nec magnis ingeniis semel ubi a vero deflexerint, cautum satis est in præceps dari. Mihi autem, his ut diutius in præsens vacem, non id ab re mea est otii: reliqua potius,

tius ut cœpi, ex vetere memoria componam. Jam itaque fracta pinus in navem sed rudem, erat, quæ littora tranquilla duntaxat legeret, numquam petitura altum, nisi ferentibus velorum, ut sic dicam, alis. Et fuit haud diu post ingeniosus eam in rem Isidis adprime amor, atque acre Harpocratis filii desiderium, quo ea audax omnia perpeti, ablatum nunc per maris æquora prosequebatur. Quippe tum Isidem veteres Auctores transiluisse vada, impatientemque moræ omnis rate primam velificasse ferunt. 4) Adest huic sententiæ numorum spectata fides, turgidis vento velis exhibentium Isidem, quos inter unus maxime omnium apud MONTEFALCONIUM eminet, nuper ab SAVERIENO V. D. haud invita Minerva illustratus. 5) Equidem non sum ignarus tergeminæ veterum Scriptorum discordiæ, qua Dædalum alii, alii ex eo genitum Icarum, pars Æolum tempestatum potentem, vela primum dedisse ventis tradunt. 6) Sed enim illorum quemadmodum ceratas ope Dædalea pennas haud ab me impetrem, ut sequutus mendacem Græciam vela fuisse rear, ita sua se jactet in aula Æolus, nec debitum Isidi inventi honorem veli delibet. Atque ita instructa linteis navis quum esset, nec posset jam virium, bene juvantibus cœptum Diis Isidem pœnitere, non omnem fortasse meo judicio superant fidem, quæ de longinquis ejus Osiridisque erroribus relata, apud priscos rerum Scriptores legimus. Memorat Osiridem DIODORUS SICULUS 7) magnum iter,

Qua mare, qua terra, qua sidus currit utrumque,

meditatum, coloratos adisse Indos, & adusque esse in Europæ regiones progressum. AVENTINO 8) si libet credere, Isis adeo ipsa oræ Germanicæ adpulit, adque regem Suevum late tum populis imperitantem invisit. Primus cum Osiris nave longa (quippe & hoc traditur) est vectus; quam deinde in sidera ivisse, PLUTARCHUS refert. 9) Enimvero præterquam quod tam vetustis in rebus, AVENTINI quamvis haud contemnendi Auctoris, non sat valide testimonio stetur, sane & DIODORI velut luminibus censura officit PHOTII 10) qua eum de Diis priscarum gentium heroibusque, simillimis Deum, tradidisse tam fabulosa adseverat, tamquam historiæ luci veritatis sit, ut poetis concessum mentiri. Speciem veri, si qua alia habet habet conjectura FONTENII, 11) cujus arbitrio si res sit exponenda, non remis velisque ipsum esse Osirin Isinque, tot maris emensos spatia arbitremur, sed nomen tantum fama super æthera notum, ac religiones in terras tam longe dissitas pervenisse. Neque de navi longa quæ modo memoravimus, extra controversiam posita sunt, & in diversum veteres Auctores vestigantem hæc animum trahunt. 12) Isides certe vasti corporis naves, qualem videas apud LUCIANUM 13) τὸ μέγα Ἀδιμάντυ πλοῖον, τὴν ἶσιν, non quod essent primum ædificatæ ab Iside, eo insignitas nomine satis constat, sed boni ominis gratia, 14) veluti nihil sic in eas ventis deprælantibus ausuris.

1) Plures memorat OL. RUDBECK Atlant. T. II. c. 6. p. 492. vocabuli *Isis* ex DIODORO & PLUTARCHO significationes. Verum cœcutisse ea in re, cum Ægyptios tum alios item omnes censet, sibique unus videtur acutius cernere, dum Isidem tradit *Is* sive *glaciem* denotare. Atque hanc passim originationem ingeminat, & ubique tamquam filiolam exosculatur suam.

2) Addam ipsum locum, in primis memorabilem ex T. II. c. 5. p. 270. *Glacies ubi soluta, i. e. a ripis avulsa & in partes majores divisa fuerit, jam phocarum, ursorum aquaticorum, balænarum & aliorum monstrorum marinorum piscatoribus, pro ratibus, pontonibus ac vehiculis esse solet. His de caussis Isis, quæ nulla alia est, ab Iis, glacie nostra, navem pontemque primum invenisse ferebatur.*

batur. Æquum enim visum fuerat, rei inventæ gloriam ad id referre, unde ejus inveniendæ occasio mortalibus primum nata atque exhibita fuisse videbatur.

3) IBIDEM.

4) Ita HYGINUS Fab. ult. *Velificia*, inquit, *primum invenit Isis. Nam dum quærit Harpocratem, filium suum, rate velificavit.* In primis autem cantus pexusque est CASSIODORI locus, Var. L. V. Ep. 17. quem vel ob veli elegantem descriptionem, non impero animo, quin adscribam: *Hanc prædictis rebus armamenta procura, vela præcipue alas navium facientia, linum volatile, quidam spiritus currentium carinarum, praenuntia mercium, auxilia quieta nautarum? quorum beneficio conficiunt otiosi, quod a celeberrimis avibus vix probatur impleri. Hoc Isis prima rati suspendit, quum per maria Apochran* (Harpocran) *filium suum, audaci fœmina pietate perquireret. Ita dum materna caritas suum desiderium festinat explere, mundo visa est ignota referare.* Sunt, qui etiam apud CLAUDIANUM in Eutrop. L. I. v. 357. *Isiaca vela* videantur sibi reperisse. Sed enim alii *Attalicis* ibi legunt, vel *Niliacis*. BARTHIUS *Judaicis* amplectitur, idque in Comm. ad h. l. p. 1328. sq. docte exponit. Præterea, si vel maxime CLAUDIANI illud in vitio non obhæreat, tamque integrum ab exscriptorum sit manu, quam a fratre soror est; Isiaca tamen hæc vela nequaquam huc spectant. Est quoque alienum ab hoc loco illud Isidis velum, quod ipsa jactitat apud PLUTARCHUM l. c. p. 354. C. ab nemine homine detectum.

5) Dans ses Recherches historiques sur l' origine & le progrès de la construction des navires des Anciens. (Par. 1747. 4.) Ipsius numi imaginem in fronte libri aere cælatam dedit.

6) Conf. GYRALDUS de navigiis c. 14. l. c. p. 603.

7) Bibl. L. I. c. 17. p. 20. & c. 27. p. 32. Conf. AVENTINUS Ann. Bojor. L. I. p. 43.

8) l. c. Sed enim AVENTINUM oppido redarguas ex priscis Annalibus, qui, fatis functo marito, Isidem negant ultra Phœnices tetendisse.

9) l. c. p. 359. E. Singularis super hac navi est opinio CLUVERII Germ. Ant. L. I. c. 30.

10) PHOTIUS Bibl. Cod. LXX. de DIODORO inter alia, sic fatur: *Figuratam orationem, aliaque vitans; nisi quod de Græcorum Diis & heroibus, quæ poetarum natio sectatur, inferat. Orditur historiæ initium a Græcorum Barbarorumque fabulosis temporibus &c.*

11) Vid. Diverses Conjectures sur le culte d' Isis en Germanie, l. c. p. 102. itemque Discours sur Isis &c. p. 133.

12) Conf. GYRALDUS l. c. cap. 2. p. 521. & FONTENII Discours sur Isis &c. l. c. p. 135.

13) In Navigio seu Votis p. 258. (Opp. T. III. edit. Reitzii) Paullo ante p. 251. hujusmodi Isidem aliam memoras, cujus in puppi, impositus ex auro erat anserculus, in prora, ipsa cognominis navi Dea.

14) Vid. BROUCKHUS. ad TIBULLUM L. I. El. III. v. 23.

§ III.

Isis Dea maris. Pelagia quare dicta sit? Gubernaculum in monimento Isiaco. Templum Isidis Pelagiæ. Iis parasemon. Festum Isidis nauticum.

His quæ tradidi, navalem in rem præclaris meritis, haud visa omnino est indigna Isis, quæ tantum non obtineret, cærula inter ponti Numina principatum.

cipatum. Ita certe Ægyptios summum habuisse illi, tamquam æquoreæ Thetidi, honorem ex PLUTARCHO 1) intelligimus, adscitamque velut a Neptuno regni in consortium, Nereidum chorus omnis & monstra natantia 2) venerantur. Ob hoc imperium pelagi, dictam Isidem, ut item Venerem, 3) fuisse *Pelagiam*, in aprico est; sartamque tectam hujus memoriam nominis, præter PAUSANIAM 4) Auctorem Græcum, antiquus titulus 5) servavit. Ipsius rei vetustis in monimentis plura, nec hæc tenuia animadvertas vestigia, e quibus sat sit in præsens gubernaculi meminisse, quod præter cornu,

- - *pomis, & odore flore, repletum,*

sistrumque, & pateram, marmor præ se fert GRUTERIANUM 6). Neque procul a vero, credo, absuerim, si Inscriptionum quoque Isidi sacrarum ad fluvios, positum 7) rear ejus in aquas & regna spumantia dominatum monstrare. Subest omnino, id quod satis constat, hæc ratio, quam ob rem illi religio veterum, in fluminum ripis marisque vicinia consecravit fana; quibus ni fuerit negatum stare diu, votivas tabellas & vuida vestimenta, potenti suspensa maris Deæ, adhuc dum fortasse ostenderent. In templis enim Isiacis quondam sollemne navigantibus, atroces pelagi casus, seque digitis quatuor aut septem, ut ille ait, 8) remotos a morte, omnium ante oculos tabulis pictis collocare. 9) Habuit olim, ut hoc utar, Græciæ decus, Corinthus, Isidis Pelagiæ templum, teste PAUSANIA 10) ad ostia portus situm. Nec Grajis solum hic mos. In Helvetiis quoque, Romana quondam provincia, Isidis ad Limagum amnem fuisse delubrum, accepimus, 11) congruens adprime loco, quem propter aspera & opima casibus navigatio. Jam & impositam navibus prisci Auctores 12) formam Isidis perhibent, tamquam sic Deæ tutelæ futuris, atque ipsa ut facilis labores juvet,

Immissisque ratem, sua per freta, provehat Euris.

Sed enim mihi, maturanti cœpta, haudquaquam licet hæc dicere copiosius: nec quam agitamus, res auxilio tali eget. Haud tacitus tamen in præsens sollemnia prætermittam, quæ quondam honori instituta Pelagiæ Isidis, 13) vim ejus ac potestatem in mare, vel sola, 14) possent dilucide testificari.

1) l. c. p. 364. D. Conf. DE FONTENU Discours sur Isis p. 149. sq.

2) APULEJUS Met. XI. p. 270. inter alia ad Isidem sic fatur: *Tuam majestatem perborrescunt - - - belluæ ponto natantes.*

3) *Venus Pelagia* est apud ARTEMIDORUM lib. II. cap. 25. eaque ab Luna, siderum regina bicorni, prorsus aliena; quantumvis secus animum VOSSIUS de Idololatr. lib. II. cap. 27. inducat. Inditum Veneri id nominis, quia creatam ponto cæruleo illi quoque præesse, olim est creditum. HORATIUS Lib. III. Od. XXVI. v. 5. & Lib. IV. Od. XI. v. 15. nulla alia ex caussa *Marinam* vocat. *Ποντίαν* & *Ἐπιποντίαν* nuncupatam observat VOSSIUS l. c. aliique.

4) In Corinth. p. 93. (edit. Xylandr.)

5) Apud GRUTERUM p. CCCXII. n. 5. Conf. CUPER. in Harpocr. p. 5. & 152.

6) l. c. p. LXXXII. n. 4. Elegantius exstat illud gubernaculum apud SIBR. SICCAMA Comm. in Fastos Kalend. Rom. inserto GRÆVII Thes. T. VIII. p. 66.

7) Duq

7) Duo hujusmodi lapides literati, ad Isaram amnem in Bojis reperti, exstant apud GRUTERUM p. LXXXIII. n. 7. & 11.

8) JUVENALIS Sat. XII. p. 58.

9) Inde JUVENALIS l. c. v. 28. *Pictores*, ait, *quis nescit ab Iside pasci?* Quem locum HIERON. MERCURIALIS de Art. Gymnast. L. I. c. 1. JO. RHODIUS ad SCRIBONIUM de Compos. Med. c. 74. Comp. 206. aliique, perperam de Iside Salutari intelligunt, notati ea propter ab JANO BROUCKHUS. ad TIBULL. L. I. El. III. v. 28. & MENCKENIO Viro in Decus Musarum nato, in Miscell. Lipf. Nov. Vol. II. p. 736. Conf. CASAUBON. in Comm. ad PERSII Sat. I. v. 89. Ceterum in ejusmodi tabulis pictos se naufragi, rogantes victum ex humero portabant. Qua propter PERSIUS IV. 32.

Largire inopi, ne pictus oberret,
Carulea in tabula.

Conf. Sat. I. v. 88. sq. JUVENALIS XIV. 301. ac PHÆDR. IV. XXI. 24. Videsis quoque TOMASINUM de Donariis, c. 7. p. 74. & 78. sq. Similiter & patroni olim suspendere in foro solemne habebant depictas tabulas, *in imaginem rei, cujus atrocitate judex erat commovendus*, ceu ait QUINTIL. Inst. Orat. L. VI. c. 1. Qua de re post GESNERUM V. C. eleganter egit CONRADI celebris, dum viveret, Sacerdos Themidis in Miscell. Lipf. Vol. IV. p. 511. sq.

10) l. c. Ibi & aliud memorat templum, *Isidi Ægyptiæ*, media urbe positum. Plura huc adprime pertinentia laudatissimus FONTENIUS loc. cit. p. 142. differit.

11) Templum hoc *Wettingense* (sic a pago prope Aquas Helvetias dicitur) innotuit, ex inscriptione apud GRUTERUM p. LXXXII. n. 9. Illam JO. RUD. FISCHERUS exposuit, Prælectione Litteraria, quæ præsto est, in Ejusdem *Probe von Theologisch-Philologischen Anmerkungen über verschiedene Stellen der Heil. Schrift*, n. XXIII. p. 513 sqq. (*Zürch* 1739. 8.) Aliam in hancce Inscriptionem laudat Vir doctus p. 520. Disquisitionem Criticam, Ant. Nov. Tigur. T. I. P. I. inclusam.

12) LUCIANUS l. c. p. 251. De navium tutela Diis adtributa vid. GYRALD. de Navig. c. 9. p. 586. Conf. JO. CHRISTOPH. WOLFFIUS V. C. in Cur. Philol. & Crit. p. 1388. sq. qui plures in hanc rem Auctores laudat.

13) Ea ore grandisono refert APULEJUS l. c. p. 264. rotundius ex illo DE FONTENU l. c. p. 146. sq.

14) Res vero præter ea, quæ ipsimet adtulimus, documentis oppido pluribus expedita. Talia FONTENIUS V. C. l. c. passim in numerato habet: cujus tamen, quamvis puro, de fonte nolui nunc meos, ut si dixerim, hortulos irrigare.

§. IV.

Veteris Germaniæ res nautica. Niordus, Germanorum Deus marinus. Suionum classes. Ratio navium.

Longius me inquirendi in Pelagiam Isidem studium provexit, atque animo equidem ante destinaveram. Nec tamen operam, si quid veri mens augurat,

gurat, perdidisse, Musis amico videbimur, haud disconveniens certe ea professioni sententiæ est, secundum quam cultam hanc Deam Suionibus, genti Suevæ supra retulimus. Cui ego rei deducendæ diligentius, dum in eo jam sum, ut animum intendam meum, haud mihi in mentem venit vereri, ne quis maritimis rebus, tamquam adscriptos gleæ, penitus olim abhorruisse Germanos, opinetur. Tenuis quidem, (quod non dissimulem,) nec nulla tamen nostris navigati majoribus maris, in antiquis Annalibus memoria, quam & ipsam nuper, velut urgente quodam Vetustatis Germanicæ, quam tot carpunt obliviones fato inornatam, Historiæ Navalis Auctores Galli, 1) suis chartis siluere. PYTHEÆ scripta, ac TIMÆI hominum doctissimorum, nisi longa abolevisset dies, 2) iis nunc testibus defungeremur; quippe quos ajunt veterum Germanorum, in Septentrionali Oceano memorasse navigationes. Apud PLINIUM TACITUM CLAUDIANUM alios, diserta adhuc dum superant ejus rei documenta. 3) Certe venerata dein Germania est Deos, præsides maris ventorumque rectores, interque eos Niordo crediderim tutelam tridentis æquorei cessisse. Ita enim, si qua est Eddæ, 4) illi Annalium generi fides, Niordus *flatum venti regit, mare & ignem cohibet; proinde invocandus est, ne damna ab iisdem mortalibus inferantur.* Inter autem ceteras nationes Germanas, opibus olim maritimis claruere Suionum maxime civitates, quas præter viros armaque TACITUS 5) auctor est, adeo classibus valuisse. Est apud PLATONEM legere insignitum locum, quem nisi si interpretatus, præter rem, ut solet, RUDBECKIUS 6) fidem profecto Romani Scriptoris potenter juvat. Suiones enim tradit exinde Vir Doctissimus tam intentos olim publicæ securitati fuisse, tamque tutandæ illi pares, ut *mœnia* quotannis, ceu NEPOS loquitur, *lignea* muro ahenio validiora, navium duntaxat ducentarum & mille classem instruere, in hanc finem insuerint. Rates ipsæ non alta navium propugnacula; multum quoque diversæ reliquis, marisque illius unice ingenio aptatæ, *Forma navium*, inquit TACITUS 7) *eo differt, quod utrinque prora paratam semper adpulsu frontem agit; nec velis ministrantur, nec remos in ordinem lateribus adjungunt.* Neque vero ad littora tantum, velut ad scopulos, adhæsisse Suionas, innutritos mari existimem: jam sub Claudii principatu, ingressos altum, cum ingenti navium vi, (VI, M. ZOSIMUS 8) numerat) ad Pontum venisse Euxinum, RUDBECKIUS memoravit.

1) Operis laudati T. II. a vertice imos ad talos, gentium Europæarum navalem rem comprehendit, sed de Germania non verbum additum. Neque HUETIUS quamvis haud indiligens vetustatis indagator, de hac re quidquam in litteras retulit, præter sane quam pauca, quæ aliud agendo disserit, l. c. cap. 57. p. 407.

2) Quædam ex iis, nec ab re nostra aliena, passim PLINIUS in Hist. Nat. ab injuria temporum vindicavit. Ceterum utriusque redintegravit memoriam VOSSIUS de Hist. Græcis, qui de PYTHEA lib. IV. c. 12. p. 206. (Opp. T. V.) deque TIMÆO lib. I. c. 12. p. 80. egit. Conf. FABRITII Bibl. Græc.

3) Conf. CLUVERIUS Germ. Ant. lib. I. c. 18.

4) Mythol. XXI. apud SCHUTZIUM V. C. in Exerc. ad Germaniam S. Gentilem p. 111. Ceterum frugibus quoque, & almæ paci præfuisse Niordum colligas ex eo, quod honori ejus quondam libatum pateris sit, *pro aaaoaa felici, pacatisque temporibus*. Vid. IBID. p. 98.

5) De M. G. c. 44.

6) In

6) In Atlant. T. I. c. 7. p. 272. seq. Conf. c. 24. p. 631.

7) loc. cit. Rem paullo uberius explicat RUDBECK l. c. cap. 8. p. 323. cujus verba lubet transcribere: *In mari Baltico, unde sunt breviores, quam in Mediterraneo, vel in Oceano; ac praeterea in illo insulae & scopuli innumerabiles angustique sinus. - - Unde quoque* TACITUS *in Germ. c. 44. §. 2. de Suionibus agens, ita scripsit: Forma navium &c. Ex qua re factum est, quod in casibus subitis, & in locis angustioribus, convertere illas non esset opus.* Germani autem id temporis navigant, teste PATERCULP lib. II. c. 106. cavatis arboribus, *quarum quaedam*, ceu ait PLINIUS Hist. Nat. lib. XVI. c. 40. & *triginta homines ferunt.* Aut *navigant*, ut verbis SOLINI c. 25. utar, *vimineis alveis, quos circumdant ambitione tergorum bubulorum.* Conf. CLUVERIUS l. c. & ANCHERSEN V. C. de Valle Herthae, P. I. c. 4. §. 46. sqq. Sic certe Saxones, uti SIDONIUS APOLLINARIS in Paneg. Aviti v. 371. testatur, postea soliti

- - *pelle Salum sulcare Britannum.*

8) Apud RUDBECK. l. c. cap. 7. p. 274.

§. V.

Suionum cultus Isiacus. Isis in monimentis Runicis. Liburna, apud Suevos, signum Pelagiae Isidis. Non docet advectam religionem.

Jam vero Suionibus, tam olim, ut proditum est, pollentibus mari, nemini non, *quem aequus amavit Jupiter*, simile videri vero putaverim, celebratas tum, ab ea gente, religiones Pelagiae Isidis fuisse. Nec enim ulli Suevorum parti aptius, nisi me animi fallit, quadraverint. RUDBECKIUS 1) cui paene id ipsum intelligo sedere, Runicorum cipporum superaddit exempla memorabilia, quae sane Isin diserte praeferunt. Et designari Pelagiam, miror factum, ut haud conjectaverit tali ex monimento 2) in quo tamen Isidem ratus est, suspensa super caput navi, adparere. Sane, quod TACITUS memoravit *signum in modum liburnae figuratum*, ad illam Isin Pelagiam examussim respondet. Neque ego, rationibus diligenter subductis omnibus dubitem, quin hanc maxime Deam fuerint populi gentis Suevae, eo simulacro, antiquitus venerati. Qua quidem in re invitus ab tanto Auctore divortium facio, nec ausim illi, homo nullius ingenii, detecta fronte pugnare. Ita vero sacri Isiaci & caussam, & originem in Suevis, haud se compertam habere TACITUS professus, tandem velut ex tripode liburnam pronuntiat, *advectam religionem* docere. Fuerunt, qui jam olim ab hac diffiderent sententia; 3) sed veterem cantilenam ne recinam, eorum nunc rationes praetermitto. Ad id mecum, pro se quisque intendat animum, ut in quem ille se induit, erroris nodum exsolvamus. Ego, ut quae sentio nunc edisseram, contulisse TACITUM cum hac liburna reor navigium, quod in vetustissimis numis, Romani advectui Saturni esse monimento, ad omnem posteritatem voluere. 4) Sed enim alios, quos potest, id argumenti dimoveat, ut TACITI in partes adsensionem flectant, ego nostrae opinioni nuntium ea propter haud miserim.

1) T. II. c. 6. p. 550. Dabimus, ex eorum censu, Latine expositum, in primis hoc, in quo *Fasta*, post obitum supremaque funera, commendatur tutelae Isidis, quamquam ejus quoque sit, animas pias laetis sedibus reponere,

nere. Ita vero habet: - - *Posuit hunc lapidem, in memoriam Fasta filio. Isis Dea sit ejus adjutorium.* Sed enim esse hæc ævi recentioris monumenta, vel oculis malo lippus inunctis perspexerit.

2) IBID. c. 5. p. 348. Quæ super ea imagine RUDBECKIUS commentatus est, legesis nota insequente.

3) Inter eos est RUDBECK. l. c. cap. 6. p. 571. cui jam, agedum, vacivas aures præbeamus: *Non est*, inquit ille, *ut quis per signum, in modum navis figuratum, hunc aliquando advectam fuisse Isidis religionem, præeunte* TACITO *doceat, aut ejusdem navigationem in Ægyptum, ut censent alii, denotari contendat; quoniam Part. b. p. 502. ex ipsorum Græcorum scriptis, primam navium ædificationem huic Deæ transcriptam fuisse monstravimus: cujus inventi memoriam ista navis servat, quam in Cippis Runicis, Part. b. p. 348. lit. A. capite suo gestat*, &c. Deseruit quoque TACITI partes CHRISTOPH. CELLARIUS Diss. de initiis cultioris Germaniæ, §. 14. (in Diss. junctim editis, pag. 580.) & nuper WACHTERUS V. C. in Glossar. voce *Isis*, haud levi ex caussa, quod *liburna* inter sacra Isidis symbola olim fuit. Qua de re & nos quædam dicemus infra.

4) Hujus rei mentio apud OVIDIUM Fast. lib. I. v. 239.

At bona posteritas puppim servavit in aere,
Hospitis adventum testificata Dei.

Plures Auctores vid. apud GYRALDUM de Navig. c. 8. l. c. p. 595. Rem omnem complectitur MACROBIUS Saturn. lib. I. c. 7. *Janus quum Saturnum, classe pervectum, excepisset hospitio, & ab eo edoctus peritiam ruris, ferum illum & rudem, ante fruges cognitas, victum in melius redegisset, regni eum societate muneravit. Quum primus quoque aera signaret, servavit & in hoc Saturni reverentiam, & quoniam ille navi fuerat advectus, ex una quidem parte sui capitis effigies, ex altera vero navis exprimeretur, quo Saturni memoriam etiam in posteros propagaret. Æs ita fuisse signatum, hodieque intelligitur, in aleæ lusu quum pueri denarios in sublime jactantes, Capita aut Navim lusu teste vetustatis exclamant.* Nummos ipsos ære eleganter sculptos, exhibet EZ. SPANHEMIUS Operis æterni, de usu & præst. Numism. T. I. p. 22.

§. VI.

Liburna non fuit lunæ symbolum, apud Suevos. Luna Ægyptiis eadem, quæ Isis. Navigio vehi creditur. Liburna Noachi arcam non significat.

Nec sane fecerim cum recentiorum nonnullis, qui ut præferant facem rei, nondum perspectæ, liburnam apud Suevos retulisse *Lunam*, (quippe non diversam, eorum judicio, ab Isi, apud TACITUM) tradunt. Congruens id signum noctilucæ visum est VOSSIO 1) *ob humidam lunæ naturam, vel potius quia luna corniculata navigium refert.* FALCKENSTEINIUS 2) vir præstans laude litterarum, lunæ in terras, & freta ponti, vim eo adumbratam existimat, deceptus fortasse inculto, quo hanc adpellant Naturæ Auctores, vocabulo *Influxus.* At enim ego, qui veterum laudem Germanorum deterere nequaquam velim, haud arbitrer tamen eos, velut relictis mortalium cœtibus, tum jam

Aerias tentasse domos, animoque rotundum
Percurrisse polum,

atque

atque siderum & lunæ in primis indolem cognovisse. Nondum majoribus nostris, cordatissimis hominum, ea divinæ humanæque sapientiæ adfulserat lux, quæ animos nepotum altissime penetravit: *sanctiusque*, ut cum TACITO 3) loquar, *ac reverentius visum*, de his quoque, tamquam *de actis Deorum credere quam scire*. Falso præterea unis Suevis divinum Lunæ cultum viri docti adscribunt; quam ab Germania omni positam in Divum numero satis constat. Apud Ægyptios haudquaquam abnuerim, Isidem ab Luna non aliam fuisse: prodideruntque rem disertissime prisci Scriptores, 4) quibus nunc credas fidentius, quod & vetera monimenta velut compacto dictis conspirant. In his 5) enim videas Deam Ægyptiam, fronte imitatam *curvatos ignes tertium lunæ referentis ortum*. Videas quoque navigium, 6) & ipsum Isidi tamquam Lunæ apud illos conveniens. Ita enim persuasum sibi habuisse Ægyptios, PLUTARCHUS 7) tradit, solem, lunam, mundi clarissima sidera, non ut vulgo creditum, bijugo curru, quadrigisve, sed rate per liquidum æthera consuesse ferri. Quod sane animo si repetisset, intentus illi interpretandæ *liburnæ*, CLUVERIUS 8) non in scirpo, quod ajunt, quæsisset nodum; non in Pyrrhæ usque seculum relabens, eam denotasse *Noachi arcam*, 9) fuisset suspicatus. Informis, nec digna viri ingenio, conjectura! Adeo profecto ipse, quemadmodum Noachi arca Isidi quadret Lunæque, adsequi cogitatione se posse negat. Nec adsequentur, mea sententia, nisi queis etiam quadrata currunt.

1) De Idololatr. lib. II. cap. 27.

2) Antiqu. Nordgav. cap. 3. §. 10. Conf. IBID. §. 27.

3) loc. cit. cap. 34.

4) Vid. PLUTARCHUS l. c. p. 372. D. & ÆLIANUS Hist. Anim. X. 27. Similiter DIODORUS SICULUS L. I. c. 11. p. 14. Ægyptios memorat, cum Sole Lunam tamquam Numina coluisse, illumque vocitasse Osirin, hanc vero Isin. Conf. c. 12. p. 15. & PETR. WESSELING. ad h. l. Addatur CLUVER. Germ. Ant. lib. I. c. 27. Cleopatram quoque, Ægypti Reginam, *Lunæ* & *Isidis* simul nomine, auribus blanditam suis, auctor est DION. CASSIUS Lib. L. haud quia facie tam pulcra fuit, ut videretur veluti *plenum os, extra nubem* LUNA *proferre*: sed quod dulci fortuna ebria Isin æquare honoribus divinis vellet.

5) Talis olim Isidis statua fuit, de qua HERODOTUS in Euterpe, c. 41. ita loquitor: *Isidis statua quum sit muliebris, habet bovis cornua, cujusmodi Græci Jonem fingunt.* Exstant ejusmodi signa adhucdom apud MONTFAUCON Antiqu. Expl. T. II. P. II. p. 276. aliosque complures. In primis autem *Cornigera Isis*, tamque Ταυρόκερως Μήνη conspicitur in celebratissima BEMBINA gemma, apud PIGNORIUM Mens. Isiac. quam dictam sæpiuscule aliis nuper eruditissime exposuit IL. TRILLERUS magnum Phœbi incrementum, in Exerc. ad C. TACITI c. IX. de M. G. Eam huc usque mihi servatam typis exscribi curavimus, ut aliena opera, quando mea non licet, de loco TACITI præclare mereamur.

6) Sic ut alia taceamus, in monimento Ægyptio, quod insertum est eleganti libro, Explication de divers Monumens singuliers, qui ont rapport a la religion des plus anciens peuples, par le R. P. Dom. ** (Par. 1739. 4.) duo navigia adparent, de quibus mox pauca addam.

7) l. c. p. 364. C. In hanc sententiam explicat Cel. Auctor Operis paullo ante laudati p. 162. duo illa, quæ dixi, navigia: *Ces deux barques*, inquit ille, *sont celles de ses deux Divinités, sous le nom desquelles les Egyptiens honoroient le Soleil & la Lune: éstimans, que ces Astres faisoient leur cours, non pas dans des chars, mais dans des barques.* Sic & naviculam in lunæ comitatu, recenset

fit ALBRICUS de imag. Deor. c. 7. Præterea folem lunamque, non vehi tantum navigiis, fed effe adeo, mirabile dictu! navigia ipfa, Manichæorum addicti fectæ, quondam animo fibi finxere. Qua de re ita AUGUSTINUS de Hæref. T. VIII. Opp. p. 11. (edit. Antvv. 1700.) *Quidquid undique purgatur luminis, per quasdam naves, quas effe lunam & folem volunt, regno Dei, tamquam propriis fedibus, reddi. - - Naves autem illas, id eft, duo cœli luminaria ita diftinguunt, ut lunam dicant factam ex bona aqua, folem vero ex igne bono.* Haud diffimiliter hæc velut ægroti fomnia refert EPIPHANIUS L. II. T. II. p. 262. (edit. Petav. Par. 1622.)

8) CLUVERIUS l. c. poftquam *Ifin* etiam apud Germanos *effe Lunam*, pro certe pofuit, animi pendet, de figno ejus Liburna quomodo exponat. Verba ipfius hæc funt; *Signum ejus cur fuerit navigium, haud facile dixerim: nifi fufpicari libeat, fignificare Noachi arcam, quæ celebrata fuit prifcis mortalibus, ob memoriam fervati ab aquarum inundatione generis humani. Et tamen res quomodo ad Lunam quadret, difpicere nequeo.* Addit CLVVERIVS novam fufpicionem priore vitiofiorem: *Nifi quod Ifis idem fuit Numen, cum uno ex Caftoribus; ut poftea aperiam.* Et videtur aperuiffe fibi, IBID. c. 30.

9) Illam adeo *baridos* (Ægyptiæ navis genus eft) formam habuiffe, montemque ipfum, cujus in faftigio poft tot rerum difcrimina confedit, *Baris* exinde dictum, nonnulli tradunt. Vid. PIGNORIVS l. c. p. 71.

§. VII.

Fontenii fuper Liburna conjecturæ. Taciti fufpicionis ratio quænam? Ifidis figna, liburnis per orbem terræ vecta.

Enumeratis hus usque fuper Liburna Ifidis figno fententiis, nunc ni fatias cepit Lectoris animum, tamquam in cumulum FONTENII fufpiciones addam. Magnum earum adtulit proventum ingeniofa Doctiffimi Viri follertia, quinasque adeo una fcriptione, 1) mihi jam fæpius dicta, velut uno comprenfas fafce reperias. Habuit hanc ille & antiquitatis & maxime Auctoris prærogativæ reverentiam, ut primum in iis locum daret TACITI conjecturæ, cui perpenfæ curatius haud me adftipulari, fupra fum profeffus. Nec adftipulatur, quamvis in magno Veterum amore, ipfe FONTENIUS, TACITUMque ad hanc ratus inductum vano argumento, res fibi fuas habere jubet. 2) Quod quamquam ego validiffime probem factum, dividit tamen noftrum concentum hoc, quod prifci Scriptoris illam fententiam Ifidis Ofiridisque, per orbem terrarum, erroribus Vir laudatiffimus arbitratur fuperftructam. TACITUS enim ita fi animum induxiffet fuum, Ofirinque, terris jactatum & alto, adeo adpuliffe in Germaniam crediditfet, quid illi tum magis pronum conjectare, quam ab hoc maxime ortam, in Suevis, Ifiacam fuperftitionem effe? Sed enim fugit eum, uti jam dictum eft, cauffa rei & origo. Ego vero iis, quæ fupra differebam de nave Saturni, nunc aliam quam rationem adjungam, quæ TACITO potuit, quo minus introfpiceret verum, ob oculos glaucomam objicere. Quippe ab Ægyptiis, religionis, qua ipfi erant capti, propagandæ quam ftudiofiffimis, late in exteras regiones olim, liburnicis, figna Ifiaca invehebantur: exftantque, adeo facris in paginis hujus rei indicia, 3) quibus exponendis egregiam viri docti operam infumfere. Quæ quum ita fint, poterant omnino Ifidis facra adpofite vocitari advecta religio: nec inde abnormis prorfus opinatio TACITI, cui vifa Liburna eft religionis advectæ documentum. Sed enim uno in opere, ut ne nimium immoremur, jam pede faufto cœptum iter

per-

pergamus. Tradit FONTENIUS forte dicatam, a Suevis, liburnam Isidi esse, ut inventæ ab illa, navis primæ memoriam consecrarent. Hanc vero conjecturam, tantum abest, ut calculo dignatus sit suo, ut nubes esse & inania censeat, quæ super hac re, vetustis tam celebrata Auctoribus, memorantur. Ego vero, qui hisce adcredere malui, nec nunc pœnitentiam facti ago, quamquam ab ea suspicione ipse quoque alienus. Jam & FONTENIUS Isidi, tamquam Lunæ sacram fuisse liburnam conjecit. Est quoque apud eum honos illi sententiæ, cui equidem ego, supra ab me deductæ diligentius, subscribere haud dubitavi. Isidis duntaxat Pelagiæ signum liburnam existimat: hancque in rem tanta cum doctrinæ copia disserit, 4) ut me certe in ea vehementer confirmarit.

1) Discours sur Isis, adorée chez les Sueves sous la figure d' un navire, l. c. p. 129. sqq.

2) *J' abandonne volontiers*, inquit FONTENIVS l. c. p. 131. *cette raison, qui n' est principalement appuyée, que sur les voyages prétendus d' Osiris & d' Isis, jusqu' aux sources du Danube &c.*

3) Apud ESAIAM c. XVIII. v. 2. *Vel terræ umbrosi Cnoupbis, quæ mittit imagines in navibus papyraceis per mare.* Ita hunc locum vertunt viri docti, lucemque illi adfundunt, laudati ea propter ab Ill. TRILLERO l. c. qui & ipse eorum opinionem amplectitur. Secundum hanc autem, *terra umbrosi Cnoupbis* est Ægyptus.

4) In primis plena Venerum sunt, quæ ex numis pertinentia ad Pelagiam Isidem adtulit l. c. p. 142. Juliani Imp. numum, ex Museo Dn. FOVCAVLT ita describit: *De tous les monumens, qui restent de l' Antiquité sur ce sujet, il n' y en a point, où Isis paroisse avec plus de pompe en Souveraine de la Mer, que sur une medaille de Julien l' Apostat. Cette Déesse s' y fait voir le Sistre en main, en guise de sceptre, comme volant sur les ondes dans un char, enlevé par quatre Sphinx. D' un coté est Harpocrate, tenant une corne d' abondance, & de l' autre Anubis, qui semble applaudir a la Déesse, &c.*

§. VIII.

Navigium Isidis ab Ægypto cultum. Hujus religionis caussa. Isis non eadem, quæ Jo. Navis Isidis papyracea. Isidis navigium in Kalendario Rustico. Forma illius quænam?

Nec detulit tamen palmam illi conjecturæ FONTENIUS quantumvis vel ipso judice in primis probabili, sed esse Liburnam magis credit navigium Isidis, quod prisca ætate cultum in Ægypto FULGENTIUS 1) testatur. Illius religionis in incerto posita ratio. Neque enim quam exputavit LACTANTIUS 2) divinæ humanæque consultus sapientiæ, virorum doctorum puncta tulit. Nunc certe labefactam ab FONTENIO 3) V. C. cujus in hac re utramque paginam eruditio facit, nemini homini, *quid distant æra lupinis*, gnaro, adridere crediderim. Est enim Graja Jo, cujus id esse navigium in Ægyptum advectæ, LACTANTIUS opinatur, diversa omnino ab Iside, quamvis utrius-

que propemodum eadem a priscis rerum Auctoribus præclare facta memorentur. 4) Neque existimem ego, navem sic celebrasse Ægyptios, bibula papyro constructam, in qua Isis per paludes investigasse Osirin, crudeliter lacerum legitur. 5) Fuit quidem PLUTARCHO teste 6) magna illius apud obnoxiam superstitionibus gentem veneratio, vectique adeo talibus carinis tutum iter ab crocodili fauce improba ingredi sibi videbantur. Sed enim ego, si quid nunc quoque ausim experiri ingenium, sacrum fuisse Isidis Navigium Ægyptiis arbitrer, tamquam omnium primum, cujusque ante natalem nequaquam maris undas tentaverant. Apud Romanos certe disertissime AUSONIUS 7) memorat, *Natalem ratis Isiacæ* peregrinum sacrum atque idem prorsus cum Navigio Isidis, cujus sollemnia Romæ etiam tum, quum solvitur acris hiems, verisque comites

Impellunt animæ lintea Thraciæ,

antiquitus peragebantur. Ea in mensem Martium præsulem olim, ut ait ille 8) generis Romani & anni vetus KALENDARIUM RUSTICUM 9) indicit, non quia tum, ceu RUDBECKIUS 10) autumat, *Isisen* sive glacies liquescit, neque amplius fluvii strepunt, hiberna nive turgidi, sed quod sedatis tempestatibus fluctibusque maris exasperati compositis, 11) navigabili jam pelago securius committi ratis solet. Ipsam celebritatem a MADAURENSI SCRIPTORE 12) adumbratam, nec vacat in præsens nec libet repetere. *Rudem carinam* navigium adpellat, Isidi a sacerdotibus dedicatum, quales fere fuisse, apud Ægyptios naves passim conspicimus. 13) Neque enim, quam alio loco 14) memoravit *navem faberrime factam, picturis miris Ægyptiorum circumsecus variegatam*, illud retulisse Navigium Isidis rear, fallusque animi, si quid judico, GYRALDUS 15) videtur, qui in eam olim sententiam discessit.

1) In Mythol. lib. I. c. 2. 2) Inst. Relig. Christ. lib. I. c. 9. 3) l. c. p. 143.

4) Græcis in primis Scriptoribus Jo, tamquam altera Isis laudatur. Imo eamdem prorsus fuisse tradunt. Sed jam pulcre novimus, quid *Græcia mendax audet in Historia*. Conf. DE FONTENU l. c. Illos deinde hac in re sectati quoque Romani sunt. OVIDIUS certe, ut alios prætermittam, Inachin ab Iside haud discriminat, Met. lib. IX. v. 686. sqq.

5) Apud PLUTARCHUM l. c. p. 358. A. Conf. DE FONTENU l. c. De navibus papyraceis in universum, eleganter egit MELCH. GUILANDINUS de Papyro, Memb. VIII. p. 242. sq.

6) l. c.

7) In Eclog. de Feriis Romanis v. 24. Lubet verba ipsa addere:

Adjiciam cultus, peregrinaque sacra Deorum,
Natalem Herculeum, vel RATIS ISIACÆ.

Nonnullæ quidem editiones, veluti GRYPHIANA (Lugduni, 1575. 12.) *bovis Isiacæ* habent, possetque id omnino de Jone intelligi, quam diserte *Inachiam juvencam* VIRGILIUS Georg. lib. III. v. 153. VALER. FLACCUS Argonaut. lib. IV. v. 348. alii adpellant. Quippe imminutam Jupiter in bovem fœminam transformasse legitur, ut ne cognita pœnas saevae Junoni daret. Rem eleganter narrat VALER. FLACCUS l. c. v. 357. sqq. Conf.

Conf. OVIDIUS Met. l. 588. fqq. Sed enim natalem Inachidos facrum prifcis mortalibus fuiffe, nullibi quod nos fciamus conftat. Hinc & vulgarem lectionem *vel ratis Ifiacæ* editiones pleræque intactam fervant. Ceterum ad hunc ratis Ifiacæ Natalem non omnino pertinet *Ifidis Ἄφιξις*, id eft, *Acceffus*, cujus in Kalendario DEMPSTERI Romano apud GRÆVIUM Thef. Antiqu. Rom. T. VIII. p. 116. mentio eft facta.

8) AUSONIUS in Difichis de menfibus v. 5.

9) Apud GRÆVIUM l. c. p. 21. Illud adnifus eft Commentario illuftrare FULV. URSINUS ibidem p. 22. fqq. obvio. Meminit præterea hujus facri & aliud VETUS KALENDARIUM l. c. p. 98. idque in ante diem tertium Nonas Martias conftituit. Conf. SICCAMA l. c. p. 66. Illum profecto diem, velut indice digito, LACTANTIUS l. c. monftrat, dum, *certus dies*, inquit, *habetur in Faftis, quo* ISIDIS NAVIGIUM *celebratur*. Erant itaque hæcce follemnia penitus alia ab eo Ifidis fefto, quod menfe Novembri celebratum, comperimus: cujusque cauffa is menfis formam habitumque *Ifiaci Sacerdotis* apud Veteres induitur. Talis confpicitur apud GRÆVIUM l. c. p. 102. eamque in rem circumfertur hoc, quod effe AUSONII volunt, Tetraftichon:

Carbafco furgens, poft hunc, (Octobrem) indutus amictu,
Menfis, ab antiquis facra, Deamque colit.
A quo vix avidus fiftro compofcitur anfer,
Devotusque fatis ubera fert humeris.

Conf. PETRI LAMBECII Not. ad Kalend. Vet. IBIDEM p. 112. & AUSONII interpretes.

10) l. c. T. II. c. 6. p. 490.

11) In hunc fere modum Ifis apud APULEJUM Met. XI. p. 259. loquitur. Et dignus eft omnino locus, quem in præfens addam: *Diem, qui ex ifta nocte nafcetur, eterna mihi nuncupavit religio; quo fedatis hibernis tempeftatibus & lenitis maris procellofis fluctibus, navigabili jam pelago,* RVDEM *dedicantes* CARINAM *primitias commeatus libant mei facerdotes.*

12) l. c.

13) Hujusmodi navium Ægyptiarum figna exhibet, præter PIGNORIVM aliosque, GISB. CVPERVS in Harpocr. p. 13.

14) p. 264. Poftilla paucis interjectis APVLEJVS pergit. *Hujus alvei felicis nitens carbafus, litteris votum ingeftaus progerebat.. Ee litteræ votum inftaurabant, de* NOVI COMMEATVS PROSPERA NAVIGATIONE *Iam malus infurgit, pinus rotunda, fplendore fublimis, infigni carchefio confpicua: & puppis, intorta chenifco, bracteis aureis veftita, fulgebat: omnisque prorfus carina, citro limpido perpolita florebat.* Huic loco eft geminus ille LVCIANI in Votis, jam fupra §. II. n. 13. laudatus. Vtrumque GYRALDVS de Navig. c. 8. l. c. p. 584. pertinere exiftimat ad Ifidis Navigium, quod huc usque differuimus. Sed frumentarias naves intelligi, ipfum votum *de novi commeatus profpera navigatione* illico oftendit. His & talibus fere olim Ægypti meffes Romam deportatæ. Quapropter *percrebuerat antiquitus*, ut verbis utamur PLINII Paneg. in Trajan. *urbem* Romanam, *nifi opibus Ægypti, ali fuftentarique non poffe. Superbiebat ventofa & infolens natio, quod victorem quidem populum pafceret tamen; quodque in fuo flumine, in fuis manibus, vel abundantia illius, vel fames effet.*

15) Videfis notam anteced.

§. IX.

Conclufio.

Atque hæc fidem promiffi nuper datam, ut ex aliqua parte liberem, lubitum animo fuit, de cauffa Ifiaci apud Suionas, partem Suevorum, facri, deque Liburna figno Deæ in præfens exponere. Quæ fi levi tractata brachio,

nullius Veneris, fine pondere, & arte,

rerum harum videantur intelligentibus, veniam faciles dabunt properanti certe in optimas artes amorem teftificari. Ceterum quæ nunc reliqua premo, fuper viis dicenda, queis in usque Germaniam religiones illæ pervenerint, apud animum conftitutum eft mihi, proxime, cum his ipfis Exercitationibus paullulum retractatis, in medium proferre.

